UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 01145174 7

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/platonisetguevel11plat

18Be
383
303
DEPARTMENTAL LIBRARY.

PLATONIS DIALOGI

70

LATINE

JUXTA

INTERPRETATIONEM FICINI

ALIORUMQUE.

VOL. XI.

LONDINI:

EXCUDEBAT A. J. VALPY, A. M.
SUMPTIBUS RICARDI PRIESTLEY.
MDCCCXXVI.

8020
18/11/90
Vol I to XI
11 Vols

VOL. XI.

IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

	PAG.
Philebus	1
Theages	31
Amatores	37
Alcibiades I.	41
Menexenus	59
Hippias Major	68
Clitophon	82
De Republica, lib. X.	85
Timæus	237
Critias	277
De Legibus, lib. XII.	286
Epinomis	451
Timæus Locrus	462
Epistolæ XIII.	470
Axiochus	502
De Justo	508
De Virtute	510
Demodocus	512
Sisyphus	516
Eryxias	519
Definitiones	528

VOL. XI.

IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

PHILEBUS.

SOCRATES, PROTARCHUS, PHILEBUS.

[11] Vide, o Protarche, quem nunc a Philebo sermonem accepturus sis, et ad quem potius, cujus ratio tibi non consonet, pugnaturus. Visne utramque sententiam breviter resumamus? Pro. Volo equidem. So. Philebus quidem inquit, animantibus omnibus bonum esse lætitiam, voluptatem, delectationem, ceteraque hujus generis omnia. Nostra autem adversus illum disceptatio est, ut non ista quidem sint ipsum bonum, immo sapere, intelligere, meminisse, et quæ hisce cognata, opinio recta verique rationis discursus, meliora et potiora sint quam voluptas omnibus quæcunque horum capacia sunt; eorumque adeptio maxime omnium utilis sit, et præsentibus et futuris. Num sic utrique quodammodo diximus, o Philebe? Phil. Et maxime quidem. So. An suscipis, o Protarche, eam quæ tibi nunc oblata est disputationem. Pro. Necesse est me illam suscipere. So. Philebus quidem noster jam dicendo defessus est. Oportet tamen, quid in iis verum sit, omni studio definire. Pro. Oportet sane. So. Age igitur, præter hæc id insuper asseveremus. Pro. Quidnam? So. Quod uterque nostrum habitum quendam et affectionem animi, quæ cunctis hominibus vitam beatam præbere valeat, demonstrare conabitur. nonne? Pro. Certe. So. Et vos profecto habitum affectionemque lætandi, nos autem sapiendi. Pro. Sic est. So. Si quis vero habitus præstantior istis appareat, qui voluptati cognatior videatur, a tali vita, cum stabilis sit atque hæc firmiter [12] habeat, utrique nimium superabimur: voluptas autem sapientiam superabit? Pro. Profecto. So. Sin autem sapientiæ sit propinquior, vincet utique sapientia voluptatem, voluptas contra succumbet. Num ista conceditis? Pro. Mihi quidem concedenda videntur. So. Philebo autem quidnam videtur? Phi. Mihi sane voluptas præstare videtur semperque videbitur. ipse autem noveris, o Protarche. Pro. Cum jam nobis, Philebe, concesseris disputationis officium, haud amplius apud te assentiendi Socrati vel dissentiendi potestas erit. Phi. Vera dicis. So. At nunc expiationis gratia deam ipsam primum invoco atque testor. Pro. Et nos quoque testes erimus, te ista dixisse. Verum deinceps, o Socrates, una cum volente Philebo, vel quomodocunque vis, conemur absolvere. So. Annitamur profecto ab ipsa dea exordientes, quam iste Venerem nuncupatam inquit, sed verissimum nomen ejus voluptatem esse. Pro. Recte nimium. So. Reverentia vero mihi semper erga deorum nomina, non humana quædam formido est, sed maximum quemque timorem exsuperat. Et nunc quidem Venerem, quem-

admodum ipsi gratum est, sic appello : voluptatem vero variam esse scio. ab eaque, ut dixi, principium facientes, quam habeat naturam, investigare debemus. Etenim quantum ad auditum attinet, simpliciter unum apparet : formas tamen varias admodum, et invicem quodammodo dissimiles, suscipit. Attende enim, delectari dicimus intemperantem hominem : delectari ipsa temperantia temperantem, delectari insipientem insipientibus opinionibus ac vana spe undique plenum : delectari etiam sapientia sapientem, has utique voluptates si quis dissimiles neget, merito insipiens esse videbitur. Pro. Istæ quidem, o Socrates, ex contrariis rebus proveniunt, neque tamen invicem ipsæ contrariæ. nonne voluptatis voluptas, in quibus voluptas est sui ipsius, omnium maxime simillima erit ? So. Enimvero, o beate, neque color a colore, ex eo quod color unusquisque est, differt : attamen nigrum albo, præter id quod differt, etiam contrarium esse universi cognoscimus. quin etiam figura ad figuram eodem modo se habet, genere porro unum est universum : partes autem generis hujus, partim longe [13] inter se differentes, partim etiam contrariæ sunt : ceteraque hujusmodi multa reperiemus. Quamobrem noli huic rationi, quæ contraria singula unum efficit, credere. Vereor enim, ne forte voluptates quasdam inter se contrarias reperiamus. Pro. Forte. at quid hoc rationi nostræ obstabit ? So. Ob id certe obstare dicemus, quod ipsa, cum dissimilia sint, alio quodam nomine nuncupas. ais enim, voluptaria omnia bona esse : voluptaria vero, quin voluptaria sint, nulla prohibet ratio. Cum autem ex iis multa sint mala, et bona quædam, ut diximus, tu tamen omnia bona nuncupas, ac etiam dissimilia invicem confessurus es, si quis coëgerit. Quid ergo in cunctis voluptatibus, tam malis quam bonis, idem communiter invenitur, cujus gratia omnes bonum nuncupas ? Pro. Quid ais, o Socrates ? an putas quempiam, cum posuerit voluptatem ipsum bonum esse, inde concessurum tibi, quasdam bonas, nonnullas malas esse ? So. Veruntamen dissimiles esse multas, plerasque etiam inter se contrarias, confiteberis. Pro. Haud sane, in quantum voluptates sunt. So. Rursus in idem relabimur, o Protarche ; dicemus voluptatem nihilo a voluptate differre, sed omnes sibi invicem consimiles esse : et exempla in medium paulo ante inducta nihil movebunt : contendemusque instar eorum, qui inepti et rudes in disputationibus sunt. Pro. Quemadmodum dicis ? So. Quod si ipse te imitans atque repugnans dicere ausim, dissimillimum dissimillimi omnium esse simillimum, eadem, quæ et tu, afferre potero. unde rudiores, quam deceat, apparebimus : et ratio nobis excidet atque defluet. Revocemus igitur eam retractemusque. forte enim vicissim agentes, et quasi easdem in ansas redeuntes, aliquo pacto conveniemus. Pro. Dic quomodo ? So. Pone me iterum interrogatum abs te, o Protarche. Pro. Quidnam ? So. Sapientia, scientia, mens, et quæcunque ego a principio ponens bona vocabam, rogatus quid ipsum bonum sit, nonne idem, quod et sermo tuus, patientur ? Pro. Qua ratione ? So. Cunctæ namque scientiæ multæ videbuntur, earumque nonnullæ dissimiles invicem. quod si quæ etiam contrariæ sint, nunquid præsenti [14] disputatione dignus fuero, si hoc ipsum veritus, nullam scientiam scientiæ dissimilem dixerim ? Sic tandem sermo noster tanquam fabula evanesceret, nos autem ruditate quadam servaremur. at sic fieri minime decet : quin potius salutis ratio habenda est. Mihi igitur et in tua et in mea oratione ex æquo id placet, ut multæ videlicet voluptates atque dissimiles sint, multæ præterea differentesque scientiæ. Differentiam itaque mei ac tui boni, o Protarche, minime abscondentes, sed in lucem potius educentes, discutere audeamus, si quo pacto per redargutionem significatur, utrum voluptatem ipsum bonum vel sapientiam, aut tertium quiddam præter ista nuncupare deceat. Nunc enim nequaquam istud contendere debemus, ut quæ

ipse pono aut quæ tu, vincant : sed illi quod verissimum est, faveamus. Pro. Sic oportet. So. Hoc item multo magis mutua confessione asseveremus. Pro. Quidnam? So. Quod homines omnes fatigat, tum volentes tum etiam nolentes, aliquos præcipue et aliquando. Pro. Dic planius. So. Sermonem, qui nunc incidit, inquam, natura mirabilem : Multa unum esse, et unum multa, mirabile dictu. atque facile est adversus eum, qui alterutrum posuerit, dubitationes movere. Pro. Nunquid ais, cum quispiam me verbi causa Protarchum unum natura genitum asserit, deinde me rursus multos atque contrarios prædicat? magnum, parvum, gravem, levem eundem hominem, aliaque permulta? So. Tu quidem, o Protarche, inducis ea circa unum ac multa miranda, quæ divulgata sunt, et, ut ita dicam, ab omnibus jam concessa, quam minime tentanda sint, veluti puerilia quædam et facilia cognitu, ac maxima disputationi futura obstacula, si quis admiserit : neque etiam mirabilia hæc habenda, inquam, cum quis cujusque membra partesque ratione dividens, universa hæc illud unum esse fatetur, deinde talia quædam refellit, deridens, quasi monstra fateri cogatur, quod unum multa infinitaque sit, multaque unum. Pro. Tu vero quænam alia dicis, o Socrates, quæ nondum concessa circa sermonem eundem divulgata sint? [15] So. Quando quispiam, o puer, ipsum unum nihil ex iis quæ oriuntur et occidunt, ponit, ut paulo ante nos diximus, tunc tale unum haudquaquam refelli debere concessum est. at cum unum hominem affirmare conatur, bovem unum, pulchrum unum, unumque bonum, tunc sane in iis unitatibus et hujuscemodi rebus anxium studium cum divisione ambiguitas fit. Pro. Quo pacto? So. Primo quidem utrum admittendum sit, ejuscemodi quasdam vere existentes unitates esse. Deinde quomodo quamlibet earum unam semper eandemque esse putandum, nec generationem nec interitum suscipientem, suaque in unitate firmissimam. Postremo nunquid in rebus genitis et infinitis quæque ponenda sit, sive dispersa, multaque ex una jam facta, sive tota ipsa ab se ipsa seorsim : quod quidem maxime omnium impossibile videretur, unum idemque simul in uno multisque fieri. Non illa igitur, o Protarche, sed ista sunt quæ circa unum et multa male accepta, omnis difficultatis defectusque sunt causa : bene autem examinata, facilitatis atque facundiæ. Pro. Oportet nos, o Socrates, hoc primum in præsentia discutere, ut et ego fateor et hos omnes talia concedere tibi existima. Forte vero nunc præstat, Philebum, quasi malum, ut dicitur, quod bene jacet, rogando non movere. So. At unde potissimum exordiemur, cum multa et varia in his dubitationibus pugna insit? hincne? Dicimus utique idem unum ac multa rationibus et sermonibus factum, semper per singula, quæ dicuntur, et nunc et olim undique circumcurrere. idque neque nunc incepit neque desinet unquam : sed est, ut mihi videtur, hæc rationum sermonumque immortalis et indeficiens nobis insita passio. cum primum adolescens aliquis id gustavit, secum ipse congratulatur, quasi quendam thesaurum sapientiæ nactus, et voluptate plenus exsultat ac furit, omnemque disputationem prompte pertentat, atque sermonem undique discutit, tum quidem in alteram partem reflectens et in unum commiscens, tum vero explicans iterum et in multa distribuens : ubi certe in dubitationem difficultatemque se ipsum primo ac præcipue dejicit : deinde proximum quemque, sive junior sive senior sive æqualis sit : nec patri [16] nec matri nec audientium cuiquam parcens ; ferme etiam nec aliis animantibus, nedum hominibus, quandoquidem et barbarorum nemini parcat, modo interpretem nanciscatur. Pro. An non vides, o Socrates, nos qui adstamus, omnes juvenes esse? non metuis, ne una cum Philebo, si nos ita objurgaveris, in te impetum faciamus? Veruntamen, (intelligimus enim quod dicis,) si quis modus est, si quod machinamentum ad hanc perturbationem benigne quodammodo e

disputatione rejiciendam, ac viam quandam in rationem atque sermonem commodiorem reperiendam, ipse id meditare, nos vero pro viribus te sectabimur. neque enim exiguus est sermo præsens, o Socrates. So. Non certe, o pueri : sic enim Philebus vos appellavit. nulla tamen est via pulchrior, neque esse potest, quam illa quam semper ego dilexi. At illa me sæpe fugiens, desertum inopemque destituit. Pro. Quænam ista? dic modo. So. Quam declarare haud nimium difficile est, uti vero difficillimum. Quæcunque enim per artem adinventa sunt, hac in lucem hominibus prodierunt. Animadverte quæso, quam dico. Pro. Dic tamen. So. Donum profecto deorum ad homines, ut mihi videtur, per Prometheum quendam una cum lucidissimo quodam igne descendit. etenim prisci nobis præstantiores, diisque propinquiores, hæc nobis oracula tradiderunt : quod cum ex uno et multis constent universa, quæ semper esse dicuntur, terminumque et infinitum innatum habeant, oportere nos in his sic se habentibus unam semper ideam de quolibet generatim ponentes inquirere : eam insitam inventuros. quam si comprehendamus, post unam, si quo modo duæ sint, perscrutari : sin minus id pateat, tres, aut alium numerum quærere : et quodlibet eorum quæ sunt unum, rursus eodem pacto dividere, quousque ipsum in principio unum, non modo quod unum multaque et infinita sit, verum etiam quot sit, aliquis noscat : infiniti autem ideam non prius ad multitudinem adhibere, quam quis numerum omnem, inter infinitum et unum medium cadentem, percipit : tunc demum unum quodlibet omnium abeuntium in infinitum dimittere. Dii ergo, ut diximus, sic nobis investigare, discere, et alterutrum docere dederunt. Qui vero nunc exstant ex hominibus [17] sapientes, unum quidem ac multa, utcunque contingit, velocius atque tardius quam decet, inducunt, et post unum infinita continuo : media vero illos effugiunt. Quibus disputandi ratio, tum dialectica, tum etiam litigiosa, discreta est. Pro. Quæ modo dixisti, o Socrates, partim intelligere mihi videor, partim clarius audire desidero. So. Perspicuum hoc constat in literis, o Protarche, quod diximus. itaque in his quas didicisti, id accipe. Pro. Quonam pacto? So. Vox, inquam, ex ore nobis erumpens una est : et infinitæ rursus voces numero, et cunctorum pariter et cujusque. Pro. Quidni? So. Neutro tamen horum sapientes efficimur, nec quod ejus infinitum, nec iterum, quod ejus unum cognoscimus ; sed quia et quot et quales sunt, tenemus. hoc enim unumquemque nostrum grammaticum reddit. Pro. Verissima loqueris. So. Idem quoque musicum hominem facit. Pro. Qua ratione? So. Una quodammodo et in hac arte vox est. Pro. Quidni? So. Duo item ponenda sunt, grave et acutum, ac tertium tonus medius. nonne ita? Pro. Ita. So. Verumtamen nondum sapiens musicus eris, si hæc sola cognoveris : et ista ignorans, ut ita loquar, nullius eris in musica pretii. Pro. Nullius. So. Sed postquam, o amice, acceperis, quot intervalla vocis numero sunt circa grave atque acutum, et qualia, nec non intervallorum termini, et quotcunque ex his compositiones proveniunt. quæ majores nostri conspicientes, nobis eorum sectatoribus, ut hujusmodi quædam harmonias appellaremus, tradiderunt : in motibus præterea gestibusque corporis alia quædam talia inesse monstrarunt, quæ per numeros mensurata, rhythmos atque mensuras vocari jussere : cogitare præterea, quod eadem ratione de unoquoque quod unum et multa est, considerare debemus. nam quando ista sic accipis, sapiens tunc evadis. cum vero et aliud quicquam ita comprehendis, sapiens rursus circa illud efficieris. Infinita autem singulorum et in singulis multitudo te sapientiæ, rationis, numeri reddit expertem, utpote in numerum nullum alicujus quandoque respicientem. Pro. Præclare hæc, o Philebe, Socrates mihi dixisse videtur. Phi. Mihi quoque. sed quid [18] ad rem hic sermo? quidve sibi vult? So. Recte id, o Protarche, Philebus

iste quæsivit. Pro. Prorsus. responde igitur. So. Efficiam quod vultis, cum de his iisdem paulisper etiam disputavero. Ut enim si quis unum aliquod accipit, is, ut diximus, haud mox in infiniti naturam, sed in aliquem numerum descendere debet: ita vicissim, si quis infinitum primo sumere cogitur, nequaquam in unum continuo, sed in numerum quendam, qui multitudinem aliquam habeat, debet intendere, ex omnibusque tandem in unum desinere. Quod vero nunc diximus, rursus in literis conjectari licet. Pro. Quomodo? So. Postquam infinitam vocem cogitavit, sive Deus aliquis, sive homo divinus, qualis apud Ægyptios Theuth fuisse fertur, primo in ipsa vocis infinitate vocales literas consideravit, quæ non una, sed plures sunt: rursusque alias, quæ non vocis, sed phthongi participes essent, atque harum numerum certum similiter definivit: tertiam deinde speciem literarum distinxit, earum, quas nunc mutas vocamus: postremo liquidas mutasque discrevit usque ad quodlibet unum, vocalesque et medias eodem modo; donec earum capiens numerum in unaquaque et cunctis elementum vocavit. Cumque videret, neminem ipsum unum secundum se ipsum seorsim a reliquis percepturum, hujusmodi vinculum meditatus, ut unum exsistens et has omnes unum quodammodo faciens, unam in ipsis artem nomine grammaticam statuit. Phi. Hæc planius quam superiora, videlicet ipsa invicem comparata, o Protarche, comprehendi. idem tamen et nunc et superius in hac disputatione desidero. So. Num hoc, o Philebe, requiris, quid videlicet ad sermonem nostrum ista conferant? Phi. Ita id est, quod dudum ego una et Protarchus requirimus. So. Nunquid hoc assecuti, requiritis tamen jampridem, ut inquis? Phi. Quonam pacto? So. An non de sapientia et voluptate nobis ab ipso principio disceptatio extitit, utrum ex iis eligendum? Pro. Immo. So. Etenim unum illorum utrumque esse diximus. Pro. Diximus profecto. So. Hoc ipsum prior sermo requirit, quomodo unum et multa utrumque horum est, quove pacto non infinita continuo, sed certum [19] numerum quodlibet prius accepit, quam in infinitum porrigeretur. Pro. Haud sane in levem nos quæstionem circulo quodam nescio quo modo flectens Socrates, o Philebe, deduxit. Quare age, considera uter nostrum ad præsentem interrogationem respondeat. Forte enim ridiculum est, me, disputationis totius successorem, ex eo quod respondere ad id modo nequeam, rursus hoc ipsum tibi imperare. attamen ridiculum multo magis esset, neutrum nostrum id posse. Meditare itaque, quid agamus. Species enim voluptatis a nobis quærere nunc Socrates mihi videtur, utrum sint, necne: quotque præterea, qualesve sint: et de sapientia eadem similiter percontari. So. Vera loqueris, o Calliæ fili. nisi enim id circa quodlibet unum, simile, idem et contrarium, quemadmodum oratio præcedens ostendit, observare possimus, nullus unquam nostrum ullius erit ad aliquid pretii. Pro. Sic ferme, o Socrates, se res habere videtur. verum præclarum temperato viro cuncta dinoscere: secunda vero navigatio quædam videtur, se ipsum minime latere. quorsum autem ista nunc dixerim, declarabo. Ipse nobis, o Socrates, congregationis hujus auctor exstitisti, teque ipsum ad investigandum, quid ex humanis rebus optimum sit, præbuisti. Nam cum Philebus voluptatem, delectationem, lætitiam et reliqua hujus generis hominibus optima esse assereret, tu illi statim contradixisti, non ea quæ diceret, esse optima, sed illa potius, quæ sæpenumero in memoriam nobis sponte reducimus, recte agentes, ut memoria repetita utraque examinentur. Dicis autem, ut videtur, ipse, quod recte appellandum erit, præstantius voluptate bonum esse, mentem, scientiam. intelligentiam, artem et reliqua hujuscemodi, quæ capessere potius quam illa debemus. Cum igitur hæc utraque ambiguitate quadam dicta fuissent, nos joco quodam minati sumus, non prius te dimissuros, quam huic controversiæ certa quadam determinatione

finis sufficiens imponeretur : tu vero concessisti quidem, teque ipsum ad id exsequendum exposuisti. Nos autem dicimus, ut pueri solent, quod recte datorum ablatio nulla est. Pone igitur jam hunc disputandi modum ad ea quæ dicta sunt. So. Quem dicis? Pro. Quo dubitationum scrupulos injicis, eaque [20] interrogas, quorum sufficientem responsionem in præsentia tibi reddere non possemus. neque enim disputationis hujus finem existimare debemus nostrorum omnium ambiguitatem. atque si minus id nos valemus, tibi agendum est : pollicitus enim es. Ad hæc itaque tu consulta, utrum voluptatis et sapientiæ species distinguendæ, an potius dimittendæ : an alio quoquam modo queas ac velis, quæ nunc inter nos dubitata sunt, aperire. So. Nihil jam grave futurum formidare me decet, quandoquidem tu sic ista dixisti. eo namque quod Si velim dictum est, omnis penitus formido fugatur : accedit quod deorum aliquis ad hæc memoriam nobis aliquam suppeditasse videtur. Pro. Quo pacto, et quorum memoriam? So. Cum olim sive somnians sive vigilans quasdam rationes audiverim, nunc de voluptate et sapientia cogito, horum neutrum esse bonum, sed tertium aliquid, quod aliud est quam utrunque, et ambobus est melius. idque si nunc nobis liquido pateat, voluptas a victoria procul aberit : bonum quippe idem, quod illa, nequaquam erit. Sicne? an aliter? Pro. Sic utique. So. Speciebus itaque voluptatis ad divisionem haud amplius, ut mea fert opinio, indigebimus : quod in sequentibus clarius innotescet. Pro. Præclare loqueris : perge sic, obsecro. So. Paucula quædam prius asseveremus. Pro. Quænam? So. Ipsius boni sortem videlicet utrum necesse est perfectum ipsum, aut non perfectum esse? Pro. Omnium, o Socrates, perfectissimum. So. Quid vero, sufficiensne bonum ipsum est? Pro. Quidni? et in hoc ipsum ab omnibus quæ sunt, differre necesse est, cunctisque præstare. So. Hoc quoque de illo maxime, ut arbitror, necessarium est asserere, quod omne cognoscens id ipsum, venatur et appetit, apprehendere cupiens, atque ipsum in se et alia circa ipsum possidere : ceterorumque nihil curat, præterquam quæ una cum bonis perficiuntur. Pro. His repugnare non licet. So. Consideremus igitur dijudicemusque voluptatis et sapientiæ vitam, seorsum inspicientes. Pro. Quo pacto inquis? So. Neque in voluptatis vita sapientia insit, neque in sapientiæ vita voluptas. oportet enim, si quidem istorum alterum bonum est, nullius amplius indigere. [21] si vero indigum apparet, haud ulterius revera nobis est bonum. Pro. Non certe. So. Num volumus in te ipso periculum facere? Pro. Prorsus. So. Responde igitur. Pro. Dic, amabo. So. Optaresne, o Protarche, plenam summis voluptatibus omnem vitam agere? Pro. Quidni optem? So. Nunquid alio quopiam indigere te ultra putares, quando perfecta harum possessione fruereris? Pro. Nequaquam. So. Adverte itaque, num ipsa sapientia indigeres et intelligentia et convenienti ratiocinatione et aliis quæcunque horum cognata : an non rei alicujus visu? Pro. Et quid? omnia porro haberem, si voluptate fruerer. So. Et ita vivens, per omnem vitam præcipuis voluptatibus abundares? Pro. Profecto. So. Si mente, memoria, scientia, opinione vera penitus careas, primo quidem hoc ipsum, gaudeasne an non gaudeas, te ignorare necesse est, cum sis omni sapientia vacuus. Pro. Necesse. So. Et cum memoria sis privatus, haud sane te aliquando delectatum fuisse recordaberis, nec ulla voluptatis repente incidentis restabit memoria : et opinione vera orbus, dum lætaberis, lætari te minime opinabere. ratione quoque captus, quod in posterum voluptatem aliquam adepturus sis, ratiocinari non poteris. duces autem non hominis vitam, sed pleumonis cujusdam, id est, spongiæ marinæ, aut ostreæ persimilem. Suntne vera? an aliter præter ista sentire possumus? Pro. Et quo pacto aliter? So. An vita nobis hujusmodi expetenda? Pro. Mutum me, o Socrates, præsens

ratio reddidit. So. Nonne desistamus hic, obsecro : sed jam mentis vitam in medium adducentes ulterius consideremus. Pro. Qualem inquis ? So. Utrum aliquis vivere sic eligeret, ut sapientiam, mentem, scientiam, memoriam omnem omnium possideret : voluptate vero nulla penitus frueretur, nec rursus afficeretur molestia, sed sine ullo tali affectu viveret ? Pro. Neutra ex iis, o Socrates, vita, aut mihi, aut alteri, ut arbitror, eligenda videtur. So. Quid autem, [22] o Protarche, vita ex ambobus in unum congredientibus mixta et communis effecta ? Pro. Ex voluptate ais sapientiaque et mente ? So. Hanc ipsam dico. Pro. Unusquisque sane hanc ipsam potius quam ex superioribus alterutram eliget : neque unus optabit quidem, alius minime ; sed idem omnes pariter expetent. So. Videmusne igitur, quid ex iis sequatur ? Pro. Prorsus quidem, quod tres vitæ propositæ sunt : ex duabus neutra sufficiens aut optanda vel hominibus vel ceteris animantibus. So. An non circa ista jam id constat, quod neutra ipsum bonum possidet ? etenim perfecta et sufficiens esset, et universis plantis et animantibus exoptanda, quæcunque sic semper vivere possent. Si quis vero ex nobis alia eligat, præter naturam ejus quod revera affectandum est, eliget : neque id sponte, sed ex ignorantia vel infelici quadam necessitate. Pro. Hæc ita se habere videntur. So. Quod ergo Philebi deam haud idem, quod ipsum bonum, existimare oporteat, satis jam dictum esse videtur. Phi. Sed neque etiam tua mens, o Socrates : prædictas enim objectationes patitur. So. Forsitan, o Philebe, mea, non tamen veram divinamque mentem sic arbitror, sed aliter sese habere. Palmam igitur et victoriam quin vitæ communi tradere debeamus, nihil ob mentem dubito : secundas autem partes cui potius tribuamus, dijudicandum restat. Forte namque vitæ communis causam unus ex nobis mentem, alter voluptatem esse contendet : atque ita bonum ipsum neutrum erit istorum : forte vero quis horum alterutrum causam esse censebit. De hoc itaque adversus Philebum præcipue decertarem, quod hac in vita permixta, quicquid illud denique sit, quod ab hac vita susceptum expetendam ipsam bonamque reddit, mens ipsa, non voluptas illi cognatior est et similior. atque ex hac ratione voluptas nec primas nec secundas etiam partes revera tenebit : longius autem aberit a tertia sorte, si qua meæ menti fides nunc est adhibenda. Pro. Atqui, o Socrates, voluptas jam prostrata videtur, rationibus tuis percussa. nam e spe victoriæ [23] decidit. De mente vero dicendum, quod non sapienter sibi victoriam vendicaret. eadem quippe pateretur. Voluptas autem secunda sorte privata, omnino jam ab ejus amatoribus contemnetur. neque enim æque pulchra ulterius apparebit. So. Quid igitur ? nonne dimittere illam præstat, nec exquisita examinatione redargutioneque affligere ? Pro. Nihil ais, o Socrates. So. An quia impossibile quiddam protuli, affligi voluptatem ? Pro. Non ob hoc tantum : verum etiam, quod ignoras, nostrum nullum prius abire te dimissurum, quam ad horum finem ratione deveneris. So. Papæ, o Protarche, longa admodum oratio sequens, ferme vero nec facile quiddam nunc ! constat enim aliis quibusdam jaculis præter rationes superiores opus esse, si quis palmam menti secundam comparaturus accedat. fortasse vero aculei quidam hi quoque sunt. nonne oportet ? Pro. Quidni ? So. Principium itaque hujus ponentes, caute et distincte accipere annitamur. Pro. Quale principium dicis ? So. Omnia, quæ nunc in universo sunt, bifariam distinguamus : immo, si vis, trifariam. Pro. Quonam pacto ? So. Accipiamus nonnulla ex iis, quæ nunc a nobis sunt dicta. Pro. Quænam ? So. Deum profecto dicebamus ex iis quæ sunt, alterum quidem infinitum, alterum vero terminum ostendisse. Pro. Omnino quidem. So. Has utique species duo illa esse ponamus : tertium illud, quod unum ex utrisque commixtum. Ridiculus tamen videor, dum sufficienter per species dividere atque dinu-

merare contendo. Pro. Quid ais, o bone vir? So. Quarto adhuc genere opus esse constat. Pro. Quonam? So. Causam alternæ commixtionis istorum considera, eamque præter tria illa quartum ponito. Pro. Nunquid et quinto insuper indigebis aliquo discernente? So. Forte: non tamen in præsentia, ut arbitror. sin autem opus fuerit, ignosces mihi quintam vitam sectanti. Pro. Quid obstat? So. Principio ergo ex quatuor tria seligentes, duoque ex tribus sic se habere consideremus, ut unumquodque duorum sit multa, dividuum insuper atque dispersum. rursusque in unum utrumque ducentes, cogitare nitamur, quomodo utrumque unum multave sit. Pro. Si planius eadem dixeris, forte assequar. So. Duo profecto, quæ [24] proposita sunt, ista dico, finitum et infinitum. Quod autem infinitum multa quodammodo sit, conabor ostendere: finitum vero in posterum differatur. Pro. Differatur. So. Attende igitur. arduum namque atque maxime dubitandum est, quod considerare te jubeo. attamen animadverte. Primum autem circa calidius frigidiusque considera, utrum terminum aliquem in eis invenias: an potius magis ac minus dum iis generibus insunt, finem rejiciant. fine namque adhibito, ipsa etiam finirentur. Pro. Vera loqueris. So. Semper tamen in ipso calidiori et frigidiori magis ac minus esse fatemur. Pro. Et maxime quidem. So. Semper ergo nobis hæc ratio monstrat, ab iis finem abesse: et cum sine fine sint, omnino infinita fieri. Pro. Vehementer, o Socrates. So. Euge, amice Protarche, advertisti nunc, quod hoc ipsum vehementer abs te modo pronuntiatum, et ipsum quoque quod remisse dicitur, eandem vim habent, quam ipsum magis ipsumve minus. ubicunque enim adsunt, haud quantum unumquodque esse permittunt, sed semper vehementius remissiori et vicissim vehementiori remissius omnibus actionibus inferentia, plus ac minus efficiunt: quantum vero semper obscurant. Nisi enim deleant quantum, sed et ipsum et mensuratum sedem ipsius, quod dicitur, vehementius et remissius magisque et minus occupare permittant, hæc ipsa repente e sua sede pellentur. neque enim calidius et frigidius ultra restarent, si quantum susceperint. Diffugient nempe, nec ultra consistent ipsum calidius et frigidius: quantum vero regnabit, progressione cessante. Quamobrem hac ratione calidius et frigidius infinita jam esse constat. Pro. Sic apparet, o Socrates. veruntamen, ut ipse dixisti, haud facile ista percipi possunt. forte vero deinceps iterum repetita, interrogantem pariter et respondentem conspirare invicem declarabunt. So. Bene dicis, atque ita pro viribus agendum est. Sed intuere primum, num id signum ponamus infinitæ naturæ, ne singula transcurrentes orationem in longum nimium protrahamus. Pro. Quodnam dicis? So. Quæcunque magis ac minus, vehementer atque remisse, nimisque, et hujusmodi quædam admittunt, cuncta in unum infiniti genus [25] reducenda sunt, quemadmodum supra diximus, asserentes omnia quæ dividua dispersaque sunt, in unum oportere colligi, secundumque vim unam, velut unam quandam naturam, significari. meministin? Pro. Memini. So. Quæ vero talia quædam minime capiunt, sed eorum contraria et cuncta, primo quidem æquale ipsum atque æqualitatem: post æquale mox duplum, et singulas inde proportiones, quascunque ad numerum numerus et ad mensuram mensura demonstrat: hæc, inquam, omnia in genus finiti merito referremus? quid ais ad hæc? Pro. Præclare nimium, o Socrates. So. Esto. Agedum ex utrisque commixtum, quam ideam ferre dicemus? Pro. Id mihi tu dices, ut arbitror. So. Immo Deus: si modo quis Deus meas preces exaudiat. Pro. Obsecra igitur et contemplare. So. Contemplor sane. ac mihi videtur Deorum aliquis nobis amice nunc aspirasse. Pro. Quo pacto id ais? et qua conjectura uteris? So. Dicam plane: tu vero attentis auribus adsta. Pro. Dic modo. So. Calidiusne aliquid nunc et frigidius dicebamus? Pro. Certe. So. Adde præterea siccius et humidius, plus ac pau-

cius, velocius atque tardius, majus et minus, ac denique quodcunque in superioribus ad naturam unam, magis minusve suscipientem, redegimus. Pro. An infiniti naturam inquis? So. Hanc ipsam. commisce posthac una cum iis progeniem termini. Pro. Quam? So. Progeniem scilicet termini, quam profecto decebat nos in unum colligere, quemadmodum de infinito fecimus, nequedum collegimus. at forte nunc idem ages. his quippe utrisque conciliatis, illa continuo patefiet. Pro. Quam dicis, et quomodo? So. Progeniem æqualis et dupli, et quæcunque differentium mutuam contrarietatem fugat, commensurata vero et consona faciens numerum efficit. Pro. Intelligo. dicere namque mihi videris, si ista miscentur, generationes quasdam ex eorum singulis eventuras. So. Et recte videor. Pro. Dic igitur. So. Nonne in morbis recta horum communio sanitatis naturam genuit? [26] Pro. Omnino. So. In acuto autem et gravi, veloci et tardo, cum infinita sint, ista et terminum peperit, et perfectionem musicæ præstitit. Pro. Præclare. So. Quin etiam rigori et æstui tradita, id quod multum et minus et infinitum dicitur, abstulit, mensuratum autem atque una commensuratum adhibuit. Pro. Quidni? So. Ex iis temperies anni, et quæcunque pulchra sunt, cuncta manarunt, infinitis invicem finitisque coëuntibus. Pro. Certe. So. Atque alia insuper innumerabilia prætermitto, vel uti cum sanitate pulchritudinem atque robur: in animis quoque alia permulta atque præclara. Petulantiam quippe et universam improbitatem dea hæc animadvertens, o bone Philebe, omni termino voluptatum expletionisque carere, legem et ordinem, quibus terminus inest, iis apposuit: eamque tu sic infici ac perdi, ego contra servari dico. tibi vero, Protarche, quidnam videtur? Pro. Hæc prorsus secundum meam sententiam sunt asserta. So. Nonne tria hæc jam protuli, modo intelligas? Pro. At apprehendere arbitror. Unum quidem infinitum asseris: secundum autem in iis quæ sunt terminum. tertium vero illud quid dicere velis, haud satis teneo. So. Copia te, o mirifice vir, generationis ejus, quod est tertium, stupefecit. quanquam et infinitum multa genera continebat: quæ tamen genere ipsius magis minusve signata, unum apparuerunt. Pro. Vera narras. So. Veruntamen neque terminus multa continebit, neque, quod unum natura esset, ulla difficultate admittebamus. Pro. Quo enim modo? So. Nullo modo. sed tertium scito me dicere, unum hoc, quodcunque ex iis nascitur, generationem videlicet in essentiam, ex mensuris una cum termino constitutis. Pro. Intellexi. So. Ceterum quid præter hæc tria quartum genus sit, discutiendum restat. communis autem ista disceptatio est. Vide num tibi necessarium videatur, quodcunque gignitur, per aliquam causam gigni? Pro. Mihi plane. quomodo enim absque ea fieret? So. Et efficientis natura nomine duntaxat a causa differt; efficiensque et causa unum merito vocabuntur? Pro. Merito. So. Quin etiam factum ac [27] genitum solo nomine discrepabunt. Pro. Certe. So. Præcedit quidem atque ducit natura semper quod efficiens est: quod vero factum est ab eo genitumque, ipsum sequitur. Pro. Prorsus. So. Non ergo idem, sed aliud, est causa et quod ad generationem causæ inservit. Pro. Quid prohibet? So. An non genita ipsa, et ex quibus gignuntur omnia, tria nobis genera præbuerunt? Pro. Maxime. So. Omnium autem istorum opificem quartum ponimus, causamque vocamus, utpote aliud quiddam quam illa ad sufficientiam demonstratum. Pro. Ponimus absque dubio. So. Verum jam decet, cum quatuor discreta sint, singulorum memoriæ gratia, singulatim illa dinumerare. Pro. Utique. So. Primum igitur infinitum dico: secundum terminum: tertium mixtam ex iis genitamque essentiam: postremum mixtionis generationisque causam si quartum vocem, nunquid errarem? Pro. Nullo pacto. So. Agedum deinceps quæ nobis oratio? et quid potissimum inqui-

rentes ad hæc devenimus? nonne id erat? Quærebamus nempe, cuinam secundæ victoriæ partes concederentur, voluptatine an potius sapientiæ. an non ita? Pro. Ita certe. So. Postquam ista in hunc modum distinximus, nonne melius judicabimus, cui prima cuive secunda victoriæ palma danda sit, ex iis quæ supra in certamen venerunt? Pro. Forte. So. Victricem sane posuimus vitam ex voluptate et sapientia mixtam. Pro. Immo. So. Qualis sit et cujus generis hæc vita, quodammodo cernimus. Pro. Cernimus. So. Pars nempe tertii generis. neque enim quod ex duobus quibusdam mixtum illud est, sed quod ex infinitis omnibus a termino nexis. quapropter merito superatrix hæc vita, illius pars erit. Pro. Et recte admodum. So. Eja, Philebe, dulcis illa tua ac simplex vita, ad quod prædictorum genus pertinere jure putabitur? Sic autem responde, antequam explicetur. Phi. Dic modo. So. Voluptas ac dolor terminum habent, an potius ex eorum genere sunt, quæ magis minusve suscipiunt? Phi. Ita, ex iis, quæ magis, o Socrates. neque enim voluptas omne bonum esset, nisi suapte natura, et secundum multitudinem, et secundum id quod magis, infinita exsisteret. So. [28] At neque etiam dolor, o Philebe, omne malum. quamobrem aliud quiddam nunc considerare debemus, quam infiniti naturam, quod voluptatibus partem boni aliquam præbeat. enimvero ex iis indeterminatis vita illa tua sit. Sapientiam autem scientiamque et mentem, in quod potius ex prædictis, o Protarche atque Philebe, referentes adversus pietatem nequaquam peccabimus? haud enim mediocre periculum nobis imminere videtur, recte aut non recte tractantibus, quod modo quæsitum est. Phi. Deum, o Socrates, tuum extollis. So. Et tu, o amice, deam tuam. verum ad id, quod quæsitum est, redeundum. Pro. Probe loquitur Socrates, o Philebe: ideoque præstanda illi fides est. Phi. An non, o Protarche, pro me dicturum te promisisti? Pro. Maxime. nunc autem hæsito et vereor, teque adesse nobis, o Socrates, tanquam prophetam obsecro: ne quid nos tibi, circa certatorem aberrantes, præter melodiam canamus. Phi. Fides adhibenda, Protarche. nihil enim difficile jubes. So. Equidem Deum revera, ut Philebus inquit, extollens jocando te turbavi, interrogans cujusnam generis mens et scientia essent. Pro. Maxime quidem, o Socrates. So. Facile tamen. omnes siquidem sapientes, sese extollentes, consentiunt, intellectum esse cœli terræque regem. ac forte recte loquuntur. Quod si vis, hoc genus diffusius examinabimus. Pro. Dic arbitratu tuo, o Socrates, nihil prolixitatem veritus: neque enim molestus eris. So. Præclare loqueris. hinc igitur interrogantes exordiamur. Pro. Unde? So. Utrum, o Protarche, dicendum est, universum hoc agi ab irrationali quadam temerariaque et fortuita potestate? an contra, quemadmodum majores nostri senserunt, ordine quodam mentis et sapientiæ mirabilis gubernari? Pro. Nulla est comparatio. nam quod modo dicebas, o Socrates, profanum mihi videtur: fateri autem, mente omnia hæc exornari, sententia quædam conspectu mundi solisque et lunæ ceterorumque siderum et omnis denique cœlestis circuitus digna est: nec ego unquam de iis aliter loqui aut sentire ausim. So. Visne igitur quod a priscis assertum est, nos item confiteamur, hæc videlicet ita sese habere? [29] nec modo putemus, alia sine periculo proferri non posse, verum etiam una cum illis vituperationis periculum subeamus, si quando vir aliquis durus ac vehemens ista non sic, sed sine ordine ferri contenderit? Pro. Quidni velim? So. Age igitur, quod sequitur, contemplare. Pro. Dic jam. So. Quæ circa corpora viventium sunt, ignem, aquam, spiritum atque terram, fluctuantium instar, ut aiunt, in compositione inesse conspicimus. Pro. Et maxime quidem. in iis enim sermonibus revera propter ambiguitatem fluctuamus. So. Ergo de unoquoque eorum, quæ circa nos sunt, id accipe. Pro. Quidnam? So. Quod

unumquodque horum apud nos exiguum ac vile, nec ullo modo sincerum et integrum, nec vim natura sua dignam ferens. quod quidem in uno animadvertens, de reliquis omnibus idem existimato. velut ignis, est quidem apud nos, est etiam in universo. Pro. Est. So. Nonne ignis hic noster exiguus, imbecillus et vilis: sed qui universi proprius, quantitate mirandus et pulchritudine et omni, quæ ad ignem pertinet, potestate? Pro. Vera nimium loqueris. So. An vero fit, alitur, ducitur ab igni nostro mundi totius ignis: vel contra et meus, et tuus et animantium reliquorum omnis ab illo? Pro. Hæc responsione digna non sunt. So. Recte. Eadem quoque de animalium ac mundi terra, opinor, diceres: et de aliis omnibus, quæ supra quæsivimus, similiter responderes? Pro. Quisnam respondens aliter, sanæ mentis æstimetur? So. Nemo forsitan. Sed jam ad reliqua. omnia quippe nunc dicta, in unum composita contuentes, corpus appellamus. Pro. Quidni? So. Idem quoque de hoc, quem mundum dicimus, accipe. eadem siquidem ratione corpus est, ex eisdem compositum. Pro. Recte loqueris. So. Utrum ex hoc corpore nostrum corpus omnino, vel contra ex nostro ipsum nutritur, et quæcunque paulo ante memoravimus, suscepit et habet? Pro. Neque hoc etiam, o Socrates, in quæstionem cadere debet. [30] So. Quid hoc? debetne, an non? Pro. Dic, quale sit. So. Nostrum corpus animam habere fatebimur? Pro. Constat. So. Undenam, o amice Protarche, suscepit, nisi mundi corpus, quod eadem quæ et nostrum ac etiam præstantiora continet, animam habeat? Pro. Aliunde nequaquam. So. Neque enim existimandum, o Protarche, quatuor illa, terminum, infinitum, mixtum et causæ genus, in iis quartum cunctis exsistens, quod iis quidem quæ apud nos sunt, animam corpusque præbet, dum imprimit umbram, labefactoque corpore remedia parat, et in aliis alia constituit atque restituit, omnem atque integram sapientiam vocitari: cumque eadem hæc in universo cœlo ejusque partibus ampliori bus insint, ac præterea puriora præstantioraque exsistant, in eis tamen præclarissimorum pretiosissimorumque naturam minime reperiri. Pro. Nullam profecto rationem id haberet. So. Quamobrem rationem illam ulterius prosequentes licebit asserere ea quæ sæpenumero prædicavimus, infinitum prorsus in omni consistere, sufficientemque terminum causamque illis haud ignobilem semper adesse, ornantem disponentemque horas et menses et annos, mentem et sapientiam merito nuncupatam. Pro. Merito. So. Sapientia vero atque mens absque anima nunquam essent. Pro. Nunquam certe. So. Ergo in Jovis ipsius natura regiam animam regiamque mentem inesse propter vim causæ confiteberis: et in aliis item alia pulchra, ut illorum cuique dici placet. Pro. Maxime. So. Præcedentem, o Protarche, sermonem nequaquam temere inductum putes: his enim, qui olim mentem omni mundo præsidere ostenderunt, adminicula præbet. Pro. Præbet sane. So. Meæ vero petitioni responsum porrigit, quod mens est progenies omnium causæ, quæ unum quiddam ex quatuor his, quæ relata sunt, asseritur. Habes jam igitur nostram expositionem. Pro. Habeo, et sufficienter quidem. etsi cum ante responderis, me hactenus latuisti. So. Remissio studii, o Protarche, sæpenumero jocus est. Pro. Præclare loqueris. So. Nunc igitur, o amice, in quo genere [31] sit, quamve habeat vim, ad sufficientiam ferme monstratum est. Pro. Omnino. So. Quin etiam voluptatis genus jampridem patuit. Pro. Nimium. So. Reminiscamur jam et horum circa utraque, Quod mens quidem causæ cognata ejusdemque cum illa generis ferme erat: voluptas autem infinita, ejusque generis quod nec principium nec medium neque finem in se ipso suapte natura continet, aut aliquando continebit. Pro. Quidni reminiscamur? So. Oportet itaque posthac, in quo horum utrumque consistit, et propter quam passionem fit, quotiens fit, advertere.

utque voluptatis primo genus ipsum investigavimus, sic et ista circa illam primo nunc inquiremus. seorsum tamen a dolore voluptatem sufficienter examinare non possumus. Pro. Si hac gradiendum est, hac utique gradiamur. So. Num idem tibi, quod mihi, de horum generatione videtur? Pro. Quid istud? So. Communi in genere fieri secundum naturam dolor voluptasque videntur. Pro. Commune id genus, amice Socrates, repete obsecro, quidnam ex iis quæ supra distincta sunt, significari velis. So. Pro viribus, o mirifice vir, id agam. Pro. Bene inquis. So. Commune profecto intelligamus, quod ex quatuor tertium numeravimus. Pro. An quod post infinitum finitumque locasti, in quo sanitatem et harmoniam, ut arbitror, posuisti? So. Recte dicis. sed nunc dicendis maxime mentem adhibe. Pro. Dic jam. So. Harmonia, inquam, soluta in animantibus, una naturæ solutionem generationemque dolorum eo in tempore fieri. Pro. Consentaneum. So. Rursus harmonia contemperata, et in sui naturam protinus restituta, voluptatem fieri dicendum est, si modo res maximæ verbis paucis concludendæ sunt. Pro. Reor equidem te recte, o Socrates, dicere. clarius tamen exprimere eadem annitendum. So. An non vulgaria et notissima cognitu facilia sunt? Pro. Quænam ista? So. Fames quidem solutio est atque molestia. Pro. Est. So. Comestio vero repletio atque voluptas. Pro. Ita. So. Sitis iterum corruptio solutioque et dolor. vis autem, humore quod arefactum est reficiens, [32] voluptas est. discretio insuper et dissolutio, præter naturam æstu quodam effecta, molestia. at secundum naturam restitutio refrigeratioque voluptas. Pro. Prorsus. So. Concretio quoque humoris, præter animalis naturam frigore facta, dolor. contra humido liquescente, et in suam redeunte naturam, reditus iste voluptas. Ac summatim considera, num æqua tibi hæc oratio videatur: Quotiens corrumpitur animata species, ex infinito et termino secundum naturam, ut diximus, genita, ejusmodi corruptio dolor est: cum vero hæc in essentiam suam refluunt, regressum hunc dicimus voluptatem. Pro. Esto. videtur enim hoc mihi admodum verisimile. So. Hanc unam itaque voluptatis et doloris speciem in iis passionibus utrisque ponamus. Pro. Ponatur. So. Pone deinceps exspectationem harum in anima passionum: exspectationem inquam, quæ voluptaria antecedit, sperantem, audentem atque suavem: quæ vero molesta, formidolosam ac mœstam. Pro. Est igitur hæc voluptatis et doloris species alia, seorsum a corpore solius animæ ab exspectatione profecta. So. Recte accepisti. In iis utique, ut mea fert opinio, utrisque sinceris exsistentibus nec mixtis, voluptate videlicet atque dolore, liquido discernemus, num voluptatis universum genus amandum sit, an hoc potius alteri cuiquam ex ante dictis attribuendum: voluptati vero atque dolori, ceu calido et frigido ceterisque talibus competat, ut interdum amanda sint, alias non amanda: utpote quæ bona minime sint, sed quandoque certum aliquid suscipientia, naturam boni sequantur. Pro. Recte ais oportere sic incedere, qui talia perscrutatur. So. Primum igitur id inspiciamus: si verum est quod dicebatur, destructis illis dolorem, refectis voluptatem sequi: cum neque deperduntur, neque etiam recreantur, quam potissimum habitudinem tunc animalibus tribuere debeamus. Intentus itaque animo mihi responde, num tibi necessarium videatur, quodlibet animal eo ipso in tempore nullo modo lætari vel angi. Pro. Necessarium certe. So. Est ergo status hic tertius præter [33] mœrentis et gaudentis affectum. Pro. Est profecto. So. Agedum, hujus meminisse conare. ad dijudicandam siquidem voluptatem, reminisci, vel non, permultum refert. brevibus tamen aliquid de ipsa, si vis, perstringamus. Pro. Dicas ergo, quid istud? So. Eum, qui contemplationis vitam eligit, nihil ita vivere prohibet. Pro. Seorsum a lætitia et molestia, dicis? So. Dictum enim in cujusque

vitæ comparatione, virum contemplationi deditum nihil ulla ex parte vel gaudere vel angi. Pro. Omnino sic dictum. So. Nonne sic illi convenit? ac forte nil mirum esset, si vita hæc ceterarum omnium divinissima sit. Pro. An absurdum est deos gaudere, vel contra tristari? So. Absurdum omnino. indecens enim utrumque est. at hoc deinceps investigemus, si quid ad hanc disputationem conferat: ac menti ad secundas victoriæ sortes, si minus ad primas possimus, accommodabimus. Pro. Recte loqueris. So. Atqui alia species voluptatum, quam animæ propriam assignavimus, memoria constat. Pro. Quo pacto? So. Primum, quid memoria sit, accipiendum videtur: immo ante eam quid sensus, si planius hæc elucidare velimus. Pro. Quo pacto inquis? So. Pone, ex omnibus corporis passionibus quasdam in corpore prius exstinctas, quam in animam transfluant, passione vacuam dimittentes: alias per utrumque diffusas et quandam quasi concussionem, tam propriam quam communem utrique, pariter inferentes. Pro. Ponantur. So. Et passiones per utrumque minime propagatas, si latere dixerimus animam, et per utrumque manantes innotescere animæ, an recte dicemus? Pro. Certe. So. Ipsum ergo latere, nullo modo, ut dicere videor, oblivionis generationem esse existimes. Est enim oblivio memoriæ exitus. ea vero in iis, quæ modo dicebantur, nondum erat. Ejus autem quod nec est nec fuit, jacturam fieri aliquam, absurdum. Pro. Absurdum. So. Nomina ergo duntaxat permuta. Pro. Quomodo? So. Pro eo quod latere animam diximus, quando absque passione corporei tumultus exsistit, quam nunc oblivionem vocare videris, [34] insensationem, ut ita loquar, potius nominato. Pro. Teneo te. So. Motum autem communi corporis et animæ passione factum, si sensum vocaveris, haud ab re nominabis. Pro. Vera loqueris. So. An non percipimus jam, quid sensum vocari velimus? Pro. Percipimus. So. Sensus præterea conservationem recte quis memoriam mea sententia nuncupabit. Pro. Recte nimium. So. Et a memoria reminiscentiam discrepare fatemur, necne? Pro. Forte. So. An non in hoc præcipue? Pro. Quonam? So. Quotiens quæ cum corpore passa est aliquando anima, eadem sine corpore in seipsa resumens animadvertit, tunc reminisci eam asserimus. an non? Pro. Valde quidem. So. Quin etiam, quando memoriæ passa jacturam, deinde vel sensu vel disciplina monente, eam iterum revocat in seipsa, reminisci putatur: atque hæc jam memorias reminiscentiasque vocamus. Pro. Probe loqueris. So. Cujus autem gratia hæc dicta sunt omnia, idem. Pro. Quidnam? So. Ne animæ voluptatem absque corpore quam maxime atque perspicue capiamus, atque una concupiscentiam. per hæc enim utraque ista declarata videntur. Pro. Pergamus jam ad reliqua, Socrates. So. Multa considerare decet, voluptatis originem omnemque formam ejus investigantes. et nunc quidem primo videndum, quid est et ubi nascitur concupiscentia. Pro. Videamus jam, obsecro. nihil enim amittemus. So. Immo, o Protarche, cum quod modo quærebamus, invenerimus, amittemus aliquid circa ista, videlicet dubitationem. Pro. Quam belle vicem reddidisti! at jam quæ sequuntur expediamus. So. Nonne famem atque sitim et hujusmodi multa concupiscentias quasdam esse diximus? Pro. Maxime. So. Ad quidnam idem respicientes, res adeo diversas uno nomine nuncupamus? Pro. Per Jovem, haud facile dictu, o Socrates, dicendum tamen. So. Ab eisdem rursus exordiamur. Pro. Quibus? So. Dicimusne sitire aliquem? Pro. Dicimus. So. Hoc autem est exhaustum esse? Pro. Quidni? So. Et sitis concupiscentia est? Pro. Est. So. Potionisne? Pro. Potionis. So. An non repletionis [35] potus? Pro. Hujus certe. So. Vacuus igitur et exhaustus contraria eorum, quæ patitur, appetit. nam cum vacuus sit, impleri cupit. Pro. Manifestum est omnino. So. Quid

ergo ? qui primo exhaustus est, num potest vel sensu vel memoria quadam ejus repletionem attingere, quod nec præsenti in tempore nec aliquando passus est? Pro. Nullo modo. So. Sed eum qui cupit, aliquid cupere confitemur. Pro. Quidni ? So. Non ergo quod patitur appetit. sitit enim, sitis autem indigentia est : is tamen repletionem affectat. Pro. Ita. So. Aliquid igitur ejus quod appetit, expletionem attinget. Pro. Necesse. So. Corpus quidem nequit. nam exhaustum est. Pro. Certe. So. Restat, ut anima repletionem per memoriam consequatur. Pro. Patet. So. Nam quo alio consequeretur? Pro. Nullo ferme. So. An advertimus, quid nobis ex his rationibus efficiatur? Pro. Quid istud? So. Corporis cupiditatem esse ratio hæc non dictat. Pro. Quo pacto? So. Quoniam passionibus ejus contrarium conatum animalis omnis semper ostendit. Pro. Penitus. So. Impetus autem in contraria quam passiones trahens, memoriam contrariarum passionibus innuit. Pro. Omnino. So. Ratio itaque ostendens memoriam ad concupita rapientem, animæ omnem impetum et cupidinem principatumque omnis viventis explicuit. Pro. Recte nimium. So. Sitire igitur vel esurire corpus nostrum, aut aliquid ejusmodi pati, nequaquam ratio hæc admittit. Pro. Vera loqueris. So. Hoc præterea circa ista considerabimus, quod hæc ratio quandam vitæ speciem in iis demonstrare velle videtur. Pro. In quibus? et de qua vita loqueris? So. In replendo inquam, et evacuando, et omnibus quæ ad salutem sive perniciem animalium attinent. et si quis nostrum in alterutro constitutus affligitur, tunc secundum mutationes lætatur. Pro. Sic est. So. Quid, quotiens in horum medio permanet? Pro. Quomodo in medio? So. Ob passionem quippe tristatur, sed voluptatum interim præteritarum meminit : cessat quidem tristitia, nondum tamen impletur : quid tunc dicendum? nonne in medio [36] passionum esse? Pro. Dicendum. So. Utrum dolentem omnino, vel contra gaudentem? Pro. Non gaudentem, per Jovem, sed dupla potius affectum tristitia : secundum corpus in passione, secundum animam in exspectationis ardore. So. Quonam modo, Protarche, dolorem duplum aiebas? nonne vacuus quispiam certam aliquando repletionem sperat : aliquando contra desperat? Pro. Maxime. So. Num, dum assequi sperat, ipsa recordatione gaudere videtur? simulque vacuus eo in tempore cruciari? Pro. Necesse. So. Tunc igitur et homo et animalia reliqua lætantur simul ac mœrent. Pro. Apparet. So. At cum vacuus aliquis expletionem omnino desperat, nonne tunc passio duplex circa dolores exoritur, quam ipse paulo ante intuitus, simpliciter duplam opinabaris? Pro. Vera hæc sunt. So. Hac talium passionum disceptatione ad id utamur. Pro. Ad quid ais? So. Utrum voluptates istas atque molestias veras, an falsas : an partim veras, partim falsas dicere debeamus? Pro. Quo pacto, o Socrates, voluptates atque molestiæ falsæ esse possunt? So. Quomodo etiam, o Protarche, timores veri vel falsi? aut exspectationes veræ seu minime veræ? aut opiniones veræ vel falsæ? Pro. Opiniones equidem confiterer : sed hæc reliqua minime. So. Quid ais? disputationem tamen haud brevem inceptare videmur. Pro. Vera narras. So. At si præcedentibus sit conveniens, o viri illius fili, considerandum est. Pro. Istud forte. So. Omne igitur supervacuum, et quicquid præter propositum est, dimittendum. Pro. Recte. So. Dic itaque. continua nempe me admiratio tenet semper circa eas, quas nunc induximus, quæstiones. Pro. Quo pacto inquis? So. An non sunt ex voluptatum numero falsæ quædam, aliæ veræ? Pro. Quomodo id fieri potest? So. Neque igitur revera falsove lætari aut tristari dicitur, ut tu ais : neque inter furentes et insanos invenitur aliquis, qui gaudere videatur, cum non gaudeat, aut dolere, quando non doleat. Pro. Hæc omnia sic se habere, o Socrates, omnes admisimus. So. Num recte?

an forte disserendum est, rectene, vel non, ista dicantur? Pro. Disserendum quidem mea sententia. [37] So. Distinguamus igitur evidentius, quod modo de voluptate atque opinione dictum est. Estne aliquid apud homines opinari? Pro. Est. So. Et lætari? Pro. Et lætari. So. Quin et opinione conceptum aliquid est? Pro. Cur non? So. Et hoc quo gaudens gaudet? Pro. Et hoc. So. Qui opinatur, sive recte seu non recte opinetur, ipsum tamen quod revera est opinari, non perdit. Pro. Quo enim modo? So. Gaudens etiam, sive recte gaudeat sive non, ipsum tamen quod revera gaudere est, haud amittit. Pro. Immo et hæc ita se habent. So. Quo igitur pacto opinio vera et falsa fit, voluptas solummodo vera: cum tamen opinari vere atque lætari utraque similiter acceperint? Pro. Considerandum hoc est. So. Nunquid ex eo, quod opinioni verum et falsum indita sunt? nec solum ob hæc opinio facta est, sed qualis quædam opinio utraque? hocne considerandum inquis? Pro. Ita. So. Præterea investigandum est, an voluptas et dolor ea ipsa duntaxat quæ sunt permaneant, nunquam vero qualia quædam efficiantur. Pro. Patet. So. Verum, haudquaquam difficile est, quod qualia quædam fiant, inspicere. jampridem concessimus, voluptates atque molestias, magnas et parvas, vehementes remissasque fieri. Pro. Concessimus. So. Quod si cui ex iis pravitas adjiciatur, pravam sic opinionem, pravam itidem voluptatem effici confitebimur. Pro. Quid prohibet? So. Quid si rectitudo, vel contrarium rectitudinis, horum cuiquam admoveatur, num rectam opinionem, quæ rectitudinem subiit, ac voluptatem similiter appellabimus? Pro. Necessario sequitur. So. Et si quod opinione comprehenditur sit fallax, nonne opinionem falsam potius quam rectam vocabimus? Pro. Immo. So. Item si voluptatem vel dolorem circa id, quo gaudemus vel angimur, aberrare cernamus, num rectam aut bonam voluptatem dicemus, aut aliquo præclaro nomine honorabimus? Pro. At id fieri nequit, si quidem voluptas ipsa delinquat. So. Verumtamen sæpenumero nobis voluptas non ex opinione falsa exoritur. Pro. Procul dubio. attamen opinionem, o Socrates, [38] ejuscemodi falsam dicimus: voluptatem vero ipsam nemo utique falsam denominaret. So. Prompte nimium, o Protarche, voluptatis rationem in præsentia tueris. Pro. Minime: verum quæ audio, loquor. So. Nihilne, o amice, apud nos differt voluptas ab opinione recta scientiaque proficiscens, ab ea quæ falsam opinionem et ignorantiam sequitur? Pro. Consentaneum est, haud brevi quodam intervallo distare. So. Verum ad hanc ipsam distantiam perscrutandam deveniamus. Pro. Duc age, qua lubet. So. Ecce hac te duco. Pro. Quanam? So. Opinio quædam vera est, quædam falsa. Pro. Est. So. Has sæpenumero voluptas dolorque sequitur. Pro. Sequitur. So. An non ex sensu ac memoria in nobis opinio nascitur, fitque ut opinione pro arbitrio disseramus? Pro. Præcipue. So. Nonne sic circa ista nos habere putandum? Pro. Quomodo? So. Faterisne, nonnunquam hominem procul aliqua confuse prospicientem, velle clarius objecta discernere? Pro. Fateor equidem. So. Is igitur sic a se ipso quodammodo sciscitabitur. Pro. Quo pacto inquis? So. Quidnam illud est, quod juxta saxum sub arbore procul apparet? An hæc ille proferre secum tibi videtur, dum ejusmodi quædam aspicit, cujusmodi sibi quandoque apparuerunt? Pro. Quidni? So. Deinde, veluti sibi ipsi respondens, Homo ille est, inquit, id quasi veritatem assecutus. Pro. Nimirum. So. Rursus forte mutata sententia opus quoddam a pastoribus fabricatum esse asserit. Pro. Maxime. So. Hic, si quis illi adsit, quæ animo secum ipse volverat in vocem fundens, eadem rursus præsenti diceret: ac sermo tunc fieret, quod ante opinionem vocavimus. Pro. Manifestum. So. At si solus sit, hoc idem secum ipse repetens, quanquam longum tempus ser-

vans in se ipso procedit. Pro. Prorsus. So. Quid ergo ? idem ipse in iis, quæ et ego, sentis ? Pro. Quid istud ? So. Videtur mihi tunc hominis anima libri cujusdam persimilis. Pro. Qua ratione ? So. Memoria in idem [39] cum sensibus incidens, et illæ quæ circa ista passiones sunt, verba quædam in anima quodammodo inscribere mihi videntur : cumque vera conscribunt, passionem hujusmodi veram opinionem dicimus, et orationes in nobis veræ ab hoc ipso proficiscuntur : at cum scriba hic noster falsa resignat, contraria veris eveniunt. Pro. Omnino ita mihi videtur, et ea quæ dicta sunt, libenter accipio. So. Accipe alium eorum, quæ tunc fiunt in animis nostris, opificem. Pro. Quem ? So. Pictorem, qui post ipsum scriptorem dictorum imagines in anima pingit. Pro. Quomodo hunc, et quando id agere dicendum ? So. Quando ab aspectu sive alio sensu dicta et opinione percepta quis educens, dictorum et opinione perceptorum imagines in se ipso quodammodo contuetur. an hoc in nobis efficitur ? Pro. Vehementer. So. Nonne verarum opinionum sermonumque imagines veræ ; falsæ vero falsarum ? Pro. Omnino. So. Si modo recte hæc diximus, hoc in iis præterea cogitemus. Pro. Quid istud ? So. Utrum circa præsentia atque præterita hoc nobis accidere necesse sit, circa futura nequaquam ? Pro. Eadem ratione circa tempora omnia. So. Nonne voluptates atque molestiæ ipsius animæ propriæ in superioribus dictæ sunt voluptates et dolores corporis antecedere ? propterea que et prægaudere et prædolere nos ob futura contingit ? Pro. Vera narras. So. Utrum inscriptiones atque picturæ, quas paulo ante nobis imprimi volebamus, ad præsens præteritumve respiciunt, ad posterum minime ? Pro. Ad omnia. So. Num iccirco iis assentiris, quod hæc omnia spes quædam ad futurum tempus exsistunt, nosque per omnem vitam perpetua spe nutrimur ? Pro. Prorsus. So. Age ad hoc præter illa responde ? Pro. Quid rogas ? So. Vir justus et pius et probus nonne Deo amicus est ? Pro. Quidni ? So. Injustus et improbus contra [40] se habet ? Pro. Contra. So. Plurima tamen, ut dicebamus, unusquisque spe ducitur. Pro. Sane. So. Sermones sunt in unoquoque nostrum, quas spes nominamus ? Pro. Insunt. So. Quin etiam phantasmata picta. nam cuique licet fingere, se cumulum auri maximum possidere, oblectamentisque variis abundantem omni suavitate perfundi. Pro. Nil prohibet. So. Num dicendum, interna hæc scripta bonis viris, quia Deo amici sunt, vera sæpe evadere : malis sæpenumero contra ? Pro. Dicendum certe. So. Et malis viris oblectationes nihilominus adsunt sæpe confictæ, ac denique falsæ. Pro. Quidni adsint ? So Falsis igitur voluptatibus pravi ut plurimum gestiunt : boni homines veris aluntur. Pro. Necessarium penitus. So. Insunt ergo secundum hanc rationem falsæ quædam animis hominum voluptates, imitantes tamen veras, nimiumve ridiculæ : ac dolores eodem pacto. Pro. Insunt utique. So. An licebat sic opinanti omnino, quæ nec fuerunt nec sunt nec erunt, in se ipso formare ? Pro. Licebat. So. Atque hæc erant, quæ tunc opinionem falsam et opinari falso efficiebant. an non ? Pro. Erant. So. Nonne in illis reddendus est habitus aliquis voluptatibus molestiisque contra respondens ? Pro. Quomodo ? So. Quod licebat alicui revera lætari, quoquo modo vel temere gestienti, non tamen iis quæ sunt aut ante fuerunt : plerumque etiam lætari in iis, quæ nunquam evenient. Pro. Hæc quoque, o Socrates, necessaria sunt. So. Et eadem ratio de timoribus et cupidinibus, ceterisque hujusmodi, sæpe scilicet illa falsa exsistere. Pro. Eadem profecto. So. Num opiniones ob aliud bonas vel pravas, quam quod veræ vel falsæ sint, appellamus ? Pro. Ob hoc ipsum. So. Nec voluptates malas ob aliud, [41] quam quia falsæ ? Pro. Omnino, o Socrates, contrarium protulisti. forte enim ob falsum solum voluptates et

molestias valde malas esse haudquaquam asserere decet, in maximam ac multiplicem pravitatem aliter incidentes. So. Malas utique voluptates, et propter pravitatem tales, paulo post, si placuerit, referemus: falsas autem insuper alio modo, tum sæpe tum multas in nobis et esse et fieri dicendum est. hoc enim ad judicandum fortasse nobis confert. Pro. Quidni? modo sint. So. Atqui, o Protarche, ut mea fert opinio, sunt. Hæc autem sententia, quamdiu apud nos manet, a redargutione procul esse impossibile est. Pro. Probe. So. Aggrediamur iterum athletarum more hanc disputationem. Pro. Aggrediamur. So. In superioribus diximus, siquidem meminerimus, quando cupiditates divisim nobis inessent, tunc corpus passionibus ab anima discrepare. Pro. Recordamur, dictaque hæc procul dubio sunt. So. Nonne cupiebat anima contrarium corporis habitum? receptaculum autem doloris et voluptatis, quæ passione fit, erat corpus? Pro. Erat. So. Collige quod ex his sequitur. Pro. Dic. So. Quotiens ista concurrunt, congrediuntur quoque voluptates atque dolores, eorumque sensus, quæ contraria sunt: quod profecto nunc patuit. Pro. Apparet. So. Hoc quoque nonne inter nos convenit? Pro. Quidnam? So. Utrumque magis minusve suscipere, voluptatem pariter atque dolorem, et ad genus infiniti referri? Pro. Convenit certe. So. Quædam igitur conjectura horum recte judicandorum nobis adest. Pro. Ubinam, et quomodo? So. Nonne propositum in hoc judicio nobis est, passim dignoscere, quænam ex iis major, quæ minor, quæ magis, quæ intensior, voluptas scilicet ad molestiam, et ad molestiam molestia, ac voluptas iterum ad voluptatem? Pro. Hæc quidem talia sunt, et istud judicii nostri propositum. So. Quid vero? in aspectu, eminus aut cominus magnitudines [42] inspicere, veritatem obscurat, falsaque opinari compellit: in doloribus autem et voluptatibus idem minime fit? Pro. Multo magis, o Socrates. So. Id utique, illi quod paulo ante narratum fuit, contrarium est. Pro. Quid ais? So. Tunc enim opiniones hæ, falsæ ac veræ effectæ, dolores una et voluptates passione sua prorsus implebant. Pro. Vera narras. So. Nunc autem hæ ex eo quod passim transmutari eminus et cominus videantur, et ad se invicem comparentur, voluptates quidem ad dolores, majores vehementioresque videntur, et dolores rursus ad voluptates contra. Pro. Talia quædam necesse est ob eas causas fieri. So. Quod si quanto utraque majora vel minora quam revera sint, apparent, tantundem ipse ademeris, nonne id, quod cum appareat quidem utrumque, non tamen sit, neque recte apparere dices, neque unquam ejusmodi voluptatis vel molestiæ portiones rectas aut veras audebis asserere? Pro. Sic est. So. Post hæc igitur inspiciamus, num hac ratione in medium afferamus voluptates atque molestias falsas multo magis, quam istæ sint, quæ et apparent in viventibus, et exsistunt. Pro. Quales dicis, et quomodo? So. Dictum est sæpenumero, quod quorumlibet natura corrupta concretionibus sive discretionibus, repletionibus vel evacuationibus, incrementis quibusdam vel decrementis, dolores, molestiæ, cruciatus ceteraque id genus exoriuntur. Pro. Sæpe jam dictum. So. At cum in naturam suam restituuntur, restitutionem talem voluptatem circa nos posuimus. Pro. Probe. So. Quid autem, cum circa nostrum corpus horum nihil accidit? Pro. At quando id contingit, o Socrates? So. Nihil ad rem, o Protarche, ista tua petitio. Pro. Curnam? So. Quia nihil impedies me, quod ante rogaveram, rursus interrogare. Pro. Quid illud? So. Nisi fiat, o Protarche, tale quid dicam, quid necesse est ex hoc nobis contingere? Pro. An id dicis, videlicet corpore in neutram partem exagitato? So. Id ipsum. Pro. Constat, o Socrates, neque voluptatem neque dolorem eo ipso in tempore percipi. [43] So. Recte nimium respondisti. Verum, ut arbitror, id sentis, quod necesse

sit ex iis unum aliquid semper nobis accidere, quemadmodum sapientes tradunt. cuncta quippe sursum deorsumve jugiter fluunt. Pro. Ferunt sane, nec male loqui videntur. So. Quomodo enim male? cum mali minime fuerint. Verum impendentem sermonem evitare volo. hac autem fugere cogito: tuque una mecum fugito. Pro. Dic qua? So. Ista sane sic se habere iis dicamus. Tu vero responde: Utrum quicquid unquam patitur animal, idem et sentiat patiendo: neque dum crescimus, nos ipsos lateamus, neque dum aliquid aliud hujusmodi patimur? an contra omnino? ferme enim talia quædam universa nos fugiunt. Pro. Contra omnino. So. Haud igitur recte dictum est a nobis, quod modo diximus, mutationes sursum deorsumve factas voluptates et dolores inferre. Pro. Cur non? So. Sic autem rectius ac tutius dicere licet. Pro. Quomodo? So. Mutationes quidem magnæ voluptates doloresque afferunt: mediocres autem et exiguæ minime. Pro. Rectius isto modo quam illo, o Socrates, dicitur. So. Enimvero si ista sic se habent, mox vita in superioribus narrata redibit. Pro. Quænam? So. Quam absque mœrore et lætitia ponebamus. Pro. Vera loqueris. So. Ex iis triplicem vitam ponamus, suavem, tristem, neutram. An tu aliud sentis? Pro. Haud aliter quam ita, triplicem videlicet vitam esse. So. Non igitur idem erit non dolere, quod et lætari. Pro. Nequaquam. So. Quotiens ergo audies, omnium dulcissimum esse universam vitam sine mœrore transigere, quid tunc sibi velle id dicentem existimas? Pro. Dulce esse significare ille mihi videtur id ipsum, quod dicitur non dolere. So. Pone tria quædam, ut lubet, et ut pulchrioribus utamur nominibus, alterum aurum, argentum alterum, neutrum reliquum nominato. Pro. Ponantur. So. Quod horum neutrum est, potestne alterum ex iis fieri, vel argentum vel aurum? Pro. Nequit. So. Vita igitur media, si quando suavis vel mœsta dicitur aut existimatur, nequaquam recte vel existimatur vel dicitur. Pro. Certe. So. Attamen, o amice, aliquos ista loqui [44] et opinari sentimus. Pro. Maxime. So. An igitur gaudere tunc, quando non mœrent, existimant? Pro. Aiunt quidem. So. Nonne tunc gaudere putant? non enim pronunciarent. Pro. Apparet. So. Falso de lætitia opinantur: siquidem utriusque natura, gaudii scilicet et indolentiæ, diversa est. Pro. Diversa profecto. So. Utrum eligemus penes nos hæc esse, quemadmodum nuper, tria, vel duo duntaxat: dolorem quidem hominibus malum, absentiam autem tristium, ex hoc ipso bonam existentem, dulcem cognominari? Pro. Quomodo id, o Socrates, fiat, a nobis ipsis quæramus. non enim intelligo. So. Revera adversarios hujus, o Protarche, Philebi haud intelligis. Pro. Quosnam inquis? So. Eos, qui rerum naturam præcipue callere feruntur, qui voluptates funditus tollunt. Pro. Quidni? So. Dolorum effugia eas omnes vocant, quas Philebi sectatores nuncupant voluptates. Pro. His ne credamus, o Socrates, consulis? So. Nequaquam: sed tanquam vatibus quibusdam utamur, non arte, sed indignatione quadam non ingenerosæ naturæ vaticinantibus et in principio a voluptatis affectu nimium abhorrentibus, nihilque in ea sinceri esse volentibus, adeo ut ipsas quoque ejus illecebras maleficam quandam illaqueationem potius quam voluptatem vocent. His ergo ad hæc utere, considerans præterea et reliqua, quibus ardentissime invehuntur. Post hæc autem quas veras existimem voluptates, accipito, ut ex utriusque sermonibus vim ejus considerantes, ad judicandum denique comparemus. Pro. Recte inquis. So. Hos igitur, tanquam propugnatores, secundum indignationis illorum vestigium prosequamur. reor equidem tale quiddam eos innuere, altius atque longius ordientes, quod si velimus speciei cujusque naturam cognoscere: velut duri naturam, utrum ad durissima respicientes, sic maxime cognoscemus, an ad exigue dura, oportet te, o Protarche, iis indig-

nantium interrogationibus, quemadmodum et mihi, respondere. Pro. Oportet sane : illisque respondeo, ad primas magnitudines suspiciendum. So. Si voluptatis genus quam naturam habeat, nosse velimus, non in parvas voluptates longeque a suprema remotas, verum in eas, quæ supremæ vehementissimæque [45] dicuntur, aspiciendum. Pro. Quilibet nunc ista tibi concederet. So. Nonne in promptu præ ceteris positæ sunt, quæ maximæ voluptates sunt, ut sæpe jam diximus, ipsæ scilicet circa corpus? Pro. Quidni? So. Utrum vehementiores in ægrotantibus quam bene valentibus reperiuntur? caveamus obsecro, ne temere respondentes delinquamus. Pro. Quonam pacto? So. Forte enim in bene valentibus fateremur Pro. Verisimile est. So. An non voluptates illæ excedunt magnopere, quarum ardentes cupidines adsunt? Pro. Verum id est. So. Nonne febribus et hujusmodi morbis affecti homines et sitiunt vehementer et algent, et quodcunque pati corpore consueverunt, magis admodum quam ceteri patiuntur? quo fit, ut magis indigeant, indigentiamque replentes vehementius delectentur. an verum hoc esse negabimus? Pro. Omnino, ut dictum est, apparet. So. Quid vero, num recte sentire videbimur, asserentes, si quis ingentissimas voluptates cernere velit, non ad sanitatem, sed ad morbum respiciendum? Et vide, ne me hac mente rogare te censeas, pluribusne oblectationibus ægrotantes quam bene valentes deliniantur : sed magnitudinem et vehementiam voluptatis, ubinam fiat, interrogare putato. perscrutandum quippe, qua constet natura, prædiximus, quamve dicant, qui nullo modo esse illam asseverarunt. Pro. Teneo pæne quod inquis. So. Forte nil minus, o Protarche, ostendes. Responde modo. In lascivia et petulantia non plures inquam, sed vehementiores et intensione majores voluptates, quam in vita temperata vides. Dic amabo, mentem adhibens. Pro. Percepi quid velis, et excessum cerno quamplurimum. So. Temperatos nempe proverbium, Nihil nimis præcipiens, semper continet, et huic illi obtemperant. intemperantes autem et dissolutos homines voluptatis fervor ad furorem usque occupans, immoderatis clamoribus exsultare compellit Pro. Recte loqueris. So. Et si verum hoc est, patet, in quadam depravatione tum animæ tum corporis, potius quam in virtute, vehementes voluptates vehementesque cruciatus consistere. Pro. Patet certe. So. An non aliquas e multis elicere decet, investigantes, qua ratione ingentes vocari debeant? [46] Pro. Necesse est. So. Adverte itaque talium morborum voluptates, qua ratione se habeant. Pro. Qualium? So. Deformium voluptates, quas illi, quos indignantes vocavimus, penitus horrent. Pro, Quales, inquam? So. Velut in scabiei medela, quæ fricando fit, ceterisque hujusmodi, haud alio pharmaco indigentibus. hanc passionem, pro dii immortales, voluptatemne, an dolorem potius nuncupabimus? Pro. Malum quiddam, o Socrates, mixtum hoc esse videtur. So. Non tamen Philebi gratia in hunc sermonem incidimus : sed quia, nisi hæ voluptates, et quæ hasce sequuntur, inspiciantur, nunquam ferme quod quæsitum nunc est, dijudicare valebimus. An non ad istarum cognatas pergendum est? Pro. Num eas inquis, quæ in mixtione communicant? So. Has ipsas. Sunt igitur mixtiones, corporis quidem ipsius in corporibus, animæ in anima. et dolores animæ et corporis voluptatibus mixtos reperiemus : eamque utrorumque commixtionem interdum voluptatem, interdum vero dolorem cognominatam. Pro. Quonam pacto? So. Ut ecce, cum quis in restitutione vel corruptione simul contraria patitur, algens sæpe calescit, et calens aliquando refrigescit : quærens, ut arbitror, id assequi, illud abjicere : quod utique dicitur, amaro dulce permixtum, cum difficultate rejectionis assistens, molestiam, ac deinde ferum congressum conficit. Pro. Præcipue verum est quod in præsentia dicitur. So. Nonne harum mixtionum quædam ex æquo utrinque, quædam ex alterutro excedente conflantur? Pro. Nihil prohibet. So. Dic igitur,

ex earum numero, quæ doloris plus quam delectationis continent, eas esse, quæ scabiem sequuntur et quæ titillationes : quando quod intus est, fervet atque tumescit, neque perfricando aut exagitando quis attingit, quod vero circa cutem est solum, diffundit. tunc sane illa ferentes ad ignem, et in contrarium ambiguitate quadam sæpenumero transmutantes inæstimabiles voluptates pariunt : aliquando contra, interioribus ad exteriorum molestias voluptatibus mixtas, in utram partem declinatio fiat, exhibent : ex eo quod commixta per violentiam diffundant, vel dispersa confundant, [47] simulque voluptatibus dolores admoveant. Pro. Vera narras. So. Nonne iterum, cum voluptas amplior secundum talia universa commiscetur, tunc portio doloris innexa titillat, et levi quadam tristitia afficit : atque iterum voluptatis uberior pars infusa, provocat, et interdum prosilire compellit, et omniformes colores, omnigenas figuras, omnimodos spiritus cum omni incitamento, et exclamationes cum insania parit? Pro. Summopere. So. Cogit præterea, o amice, de se, tum ipsum, vel tum alium, exclamare, quod his voluptatibus delinitus ac liquescens propemodum moritur : eoque magis ejuscemodi voluptates sectatur quisque, quo intemperantior quis et imprudentior est. atque has insuper summas oblectationes prædicat, et cum, qui iis deliciis totam vitam mulcetur, beatissimum arbitratur. Pro. Omnia, quæ apud multos in existimationem veniunt, o Socrates, collegisti. So. De voluptatibus, o Protarche, quæ in communibus corporis passionibus extrinsecus intrinsecusve miscentur, est dictum. De iis vero, quæ miscentur in anima, contraria quædam ad corpus conjiciuntur, voluptatem scilicet cum dolore et dolorem cum voluptate in unam mixtionem concurrere. Et hæc in superioribus percurrimus, quod quando exhauritur, repletionem cupit, et sperans gaudet, exhaustus angitur. Ista tunc quidem testimoniis minime confirmavimus : nunc vero dicimus, quod anima a corpore discrepante, in iis omnibus, quorum haud satis multitudo comprehenditur, mixtio una doloris et voluptatis emergit. Pro. Recte nimium loqui videris. So. Una præterea doloris voluptatisque congressio restat. Pro. Quænam? So. Quam sæpe ipsam in seipsa animam accipere diximus. Pro. Qua ratione istud asserimus? So. Iram, timorem, desiderium, lamentationem, amorem, æmulationem, invidiam, et hujusmodi reliqua, an non hæc omnia dolores quosdam ipsius animæ ponis? Pro. Equidem. So. Nonne dolores hujusmodi plenos miris quibusdam voluptatibus invenire licet? an forte in memoriam nobis illud reducere oportet, quod, quemadmodum apud Homerum accidit, virum vel prudentem irasci eo tamen pacto, ut ejus affectus dulcior melle sit jugiter distillante, sic contingat in vita, ut aliquando iræ dulcedo [48] misceatur, et voluptates in lamentationibus atque desideriis tristitiæ mixtæ sint? Pro. Nequaquam : verum sic ista, nec aliter accidunt. So. Quin etiam meministi, eos qui tragicis spectaculis adstant, dum delectantur, sæpe lugere? Pro. Memini. So. Et in comœdiis animi nostri affectum ad oblectationem simul atque mœrorem declinare sensisti? Pro. Haud satis adverti. So. Non enim facile est, o Protarche, affectum hujusmodi ubique comprehendere. Pro. Non certe, ut mihi videntur. So. Ipsum igitur tanto magis accipiamus, quanto est obscurior : ut in ceteris facilius quis voluptatis tristitiæque concursum percipere valeat. Pro. Dic jam. So. Invidiæ nomen, paulo ante inductum, utrum dolorem quendam significare censes, necne? Pro. Censeo. So. Invidus tamen proximorum adversis lætari deprehenditur. Pro. Vehementer. So. Malum quidem ignorantia est, et, ut nunc loquimur, stolidus habitus. Pro. Quidni? So. Ex his aspice, ridiculum ipsum quam naturam habeat. Pro. Dic modo. So. Est utique summatim depravatio quædam, habitus alicujus denominata. et ex omni genere improbitatis ea est, quæ contrariam conditionem habet, quam Delphica scripta præceperint. Pro. Inquis, o Socrates, præceptum hoc,

Nosce te ipsum? So. Aio. Oppositum huic esset, si forte præciperetur, Nullo modo te ipsum nosce. Pro. Esset. So. O Protarche, conare nunc id trifariam distribuere. Pro. Dic tu. ego enim nequeo. So. Ais ergo, me nunc istud dividere oportere? Pro. Aio equidem, et quod majus est, obsecro. So. Nonne quisque ex iis, qui se ipsos ignorant, secundum tria id necessario patitur? Pro. Quomodo? So. Primo enim secundum pecunias. opulentiorem quippe, quam sit, aliquando se ipsum existimat. Pro. Multi quidem ita decipiuntur. So. Plures etiam, qui majores formosioresque se putant, et quæcunque ad corpus attinent, supra quam veritas patiatur, habere. Pro. Plures profecto. So. Plurimi denique, qui animi dotes majores, quam habeant, habere se putant. Pro. Et maxime quidem. So. Quantum vero ad [49] virtutes animi pertinet, nonne vulgus, sapientiam prorsus sibi vendicans, plenum est contentionibus falsaque sapientiæ ipsius opinione? Pro. Quidni? So. Si quis ergo passionem hanc omnem malum quiddam vocarit, recte nimium appellabit. Pro. Maxime. So. Hoc iterum, o Protarche, bifariam partiendum, si debemus ridiculam invidiam cognoscentes, miram voluptatis et molestiæ mixtionem inspicere. Pro. Quomodo bifariam partiendum? So. Ita. Quicunque hanc falsam de se opinionem stulte præsumunt, quemadmodum et omnibus hominibus, sic et iis etiam accidat necesse est, ut quidam eorum robur ac potentiam in iis quæ profitentur, possideant, quidam vero nequaquam. Pro. Necessarium est. So. Hac ergo ratione distingue, quicunque ex iis imbecilles sunt, neque ulcisci injurias neque sibi ipsis opem ferre valent, merito ridiculi nuncupantur: qui vero possunt, terribiles et robusti et hostiles jure vocantur. Ignorantia enim potentum robustorumque hominum hostilis atque teterrima res est. hæc enim, et quæcunque ejus similia, proximis omnibus noxia. sin autem imbecillis ignorantia sit, ridiculorum naturam subit. Pro. Recte loqueris. attamen voluptatis dolorisque concursus nondum in iis nobis patuit. So. Livoris primum vim accipe. Pro. Dic. So. Tristitia quædam et lætitia injusta est? Pro. Necessarium hoc est. So. Adversariorum malis lætari nec injustum nec invidum est. Pro. Non. So. Malis autem amicorum lætari potius, quam tristari, nonne invidi est atque injusti? Pro. Est. So. Ignorantiam omnibus malam esse diximus. Pro. Et recte quidem. So. Amicorum igitur præsumptionem sapientiæ atque pulchritudinis, et quodcunque paulo ante diximus tribus in speciebus fieri, ridicula quidem cum imbecillia, odiosa vero cum valida: hunc, inquam, amicorum habitum nonne fatemur, cum quis habet innoxium aliis, esse ridiculum? Pro. Fatemur sane. So. Hunc quoque, cum ignorantia sit, malum esse? Pro. Certe. So. Lætamurne, an tristamur, dum hunc irridemus? [50] Pro. Lætamur plane. So. Voluptatem vero in amicorum malis. nonne a livore proficisci prædiximus? Pro. Certe. So. Nos igitur in amicorum rebus ridiculis subridentes, miscere voluptatem dolori, dum invidiæ lætitiam addimus, ratio ista concludit. livorem quippe tristitiam quandam animæ jamdudum esse constitit: derisionem vero lætitiam: simulque hæc eo in tempore congredi patuit. Pro. Vera loqueris. So. Ratio igitur nobis hæc dictat, nos non modo in ipsis spectaculis res gestas repræsentantibus et in aliis multis eodem pacto, sed in totius vitæ quadam veluti tragœdia atque comœdia, dolores voluptatibus immiscere. Pro. Impossibile est, ista tibi, o Socrates, non concedere, etiamsi quis alteri parti potissimum adstipularetur. So. Iram, desiderium, lamentationem, metum, amorem, æmulationem, invidiam, proposuimus, ceteraque hujusmodi: in quibus ea, quæ jam sæpe repetimus, cuire nos diximus reperturos. an non? Pro. Ita. So. Num advertimus, de lamentatione, ira atque invidia superiora pertractavisse? Pro. Quidni adverterimus? So. Multa igitur restant?

Pro. Multa. So. Ob quam vero potissimum causam mixtum in comœdiis affectum declarasse me tibi existimas? nonne fidei gratia? quia ipsa in amoribus timoribusque et aliis mixtio facilius ostendi potest. Quam tu ex te ipso dinoscens et quæ dicta sunt, servans, me dimitte: nec me cogas, ad illa singulatim ordine descendentem, in longum disputationem producere, verum simpliciter id accipito, et animam absque corpore, et absque anima corpus, et mutuum etiam utrorumque congressum in omnibus perturbationibus voluptatis et doloris habere concursum. Dic ergo, num me dimittas, aut ad multam noctem detineas. reor enim, te, si pauca quædam dixero, me dimissurum. nam horum omnium crastinum tibi sermonem polliceor. In præsentia vero ad judicium, quod Philebus instituit, pergere cupio. Pro. Præclare inquis, o Socrates: et iccirco quæ restant, utcunque tibi placuerit, enarrato. So. Secundum naturam quidem post mixtas voluptates necessitate quadam ad puras quodammodo deveniemus. [51] Pro. Recte nimium. So. Conabor equidem permutando nobis eas significare. Dicentibus, voluptates omnes dolorum sedationes esse, haud prorsus assentior. ceterum, ut dixi, iis quasi testibus utor ad ostendendum, plerasque videri, cum non sint, voluptates: nec non adversus eas, quæ cum ingentes multæque appareant, mixtæ tamen tristitiæ sunt, et in sedatione quadam ingentium dolorum circa corporis animæque defectum versantur. Pro. Quas denique voluptates veras, o Socrates, merito censere quis debet? So. Eas utique, quæ circa decoros colores atque figuras, et odores plerosque et harmonias consistunt: et quæcunque indigentias habent sensibus occultas ac sine molestia: repletiones vero patentes et suaves et tristitia vacuas exhibent. Pro. Qua ratione, o Socrates, ista sic dicimus? So. Certe quæ loquor haud statim perspicua sunt: verumtamen explicare conandum. Figurarum enim pulchritudinem, non ut plerique forsitan intelligerent, utputa animalium vel picturarum quarundam, dico: sed rectum quiddam et circulare: et ab iis ea, quæ tornis fiunt, plana vel solida, et quæ canonibus, id est, regulis atque angulis construuntur; si modo hæc tenes. Ista siquidem nequaquam ad aliquid aliud respicientia, quemadmodum cetera, pulchra dico, sed pulchra semper suapte natura, voluptates proprias nullo modo motuum delectationibus convenientes habentia. colores item eadem ratione pulchros atque gratos esse. Sed nunquid intelligimus, vel quid superest? Pro. Annitor equidem, o Socrates: verum ipse quoque lucidius explicare nitere. So. Dico præterea et vocum oblectamenta perspicua nimium atque suavia, unam aliquam puram penitus concinentia melodiam, ad nihil aliud comparata, sed natura perpulchra, et innatas afferentia voluptates. Pro. Hoc quoque verum est. So. Genus autem voluptatum odores sequentium minus divinum est. quod autem ipsis necessarii dolores nequaquam miscentur, et ubicunque et in quocunque id inesse contingit, hoc illis omne oppositum ponerem. Atque ita duas voluptatum species, modo intelligas, collegimus. Pro. Intelligo. So. Istis item disciplinarum [52] voluptates addamus: si et istæ famem discendi nequaquam continere videntur, neque propter disciplinarum aviditatem a principio dolores inferre. Pro. Assentior. So. Quid vero, si quis doctrina imbutus, inde obliviscatur, nonne tristitiam quandam sequi vides? Pro. Non natura quidem: sed quadam passionis cogitatione, cum quis orbatus propter indigentiam tristatur. So. Ceterum, o beate, nos in præsentia non opinionis, sed naturæ passiones tractamus. Pro. Vere asseris, quod doctrinæ oblivio absque tristitia fiat. So. Voluptates igitur disciplinarum, doloris expertes, nec multorum hominum, sed paucorum admodum esse fatendum. Pro. Fatendum procul dubio. So. Postquam voluptates puras ab impuris secrevimus, addenda est jam vehementibus voluptatibus immoderatio, remissioribus moderatio. easque etiam, quæ intensius, re-

missius, magnum, parvum, raro, crebro suscipiunt, ad infiniti genus, quod per animam corpusque secundum magis minusve discurrit, referre decet: quæ vero ista non capiunt, ad commensurati genus potius referendæ. Pro. Recte inquis, o Socrates. So. Post hæc id insuper circa voluptates instituendum. Pro. Quid istud? So. Utrum dicendum sit conferre ad veritatem purum ipsum atque sincerum, an vehemens, multum, magnum, sufficiens? Pro. Quid tibi vis, dum ista rogas, o Socrates? So. Nihil, o Protarche, in ipsa disceptatione voluptatis et scientiæ prætermittere vellem: siquidem utriusque illorum portio quædam pura, quædam impura est: ut utrumque purum in judicium veniens et mihi et tibi et istis denique cunctis ad judicandum se apertum expeditumque præbeat. Pro. Scite. So. Age igitur de omnibus, quæ genera pura vocamus, in hunc modum cogitemus, unum aliquod ex illis primum in medium inducentes. [53] Pro. Quid potissimum eliciemus? So. Album, si vis, primo genus consideremus. Pro. Volo equidem. So. Quomodo ita albi, et quæ puritas erit? Utrum quod maximum quiddam est ac plurimum? an quod ita sincerum, ut nihil in eo coloris alterius insit? Pro. Constat plane, quod præcipue sincerum est. So. Probe. nonne hoc verissimum, o Protarche, et pulcherrimum alborum omnium affirmabimus, non autem quod plurimum aut maximum? Pro. Recte. So. Si ergo quod parvum purumque album est, mixto multoque albo albius pulchriusque et verius esse dicamus, recte penitus asseremus? Pro. Recte procul dubio. So. Nunquid exemplis hujusmodi pluribus ad judicandam voluptatem egebimus? an potius hinc nosse sufficiet, quod universa voluptas parva quam magna, pauca quam multa, modo a dolore remota sit, suavior est et verior ac denique pulchrior? Pro. Exemplum id unicum sat est. So. Quid vero ad hoc? an audivimus, voluptatis quidem generationem semper, essentiam vero nunquam exsistere? modesti enim quidam et faceti viri hoc ferunt, eisque gratia habenda est. Pro. Quid tum? So. Visne id interrogando percurram? Pro. Dic, et interroga modo. So. Sunt igitur duo quædam: unum quidem secundum seipsum, alterum semper aliud appetens. Pro. Qua ratione? et quæ ista esse dicis? So. Hoc suapte natura summopere venerandum: illud vero deficiens. Pro. Exprime clarius. So. Vidimus sæpenumero pulchra quædam bonaque objecta, et quosdam insuper, qui ea nimium affectarent. Pro. Vidimus. So. Istis ergo duobus exsistentibus, duo quædam alia consimilia quære, per omnia quæcunque dicimus alteri tertium esse. Pro. Profer obsecro, Socrates, clarius adhuc, quod sentis. So. Nihil varium, o Protarche: sed jocamur. Dicimus autem, quod ex iis quæ sunt, aliquid semper est alterius gratia: aliquid vero, cujus gratia semper id, quod alterius gratia fit, efficitur. Pro. Vix tandem ob crebram repetitionem percepi. So. Forte etiam procedente disputatione clarius comprehendemus. [54] Pro. Quidni? So. Duo hæc altera iterum assumamus. Pro. Quænam? So. Alterum quidem omnium generationem, essentiam alterum. Pro. Equidem duo hæc abs te accipio, essentiam et generationem. So. Recte. Utrum autem horum alterius gratia dicimus? generationemne essentiæ gratia? vel essentiam, in quantum essentia nuncupatur, hoc est secundum id quod existit, gratia generationis? An percipis? Pro. Videor. Sed per deos quid me interrogas? So. Ejuscemodi aliquid, o Protarche, interrogo, num fabricatio navium navigii gratia sit? an contra navigium fabricationis navium? et de omnibus, quæcunque talia sunt, idem dico. Pro. Cur non ipse, o Socrates, tibi ipsi respondes? So. Nihil prohibet. attamen tu quoque concurre. Pro. Immo. So. Generationis gratia inquam, pharmaca et organa omnia omnemque materiam omnibus adhiberi: singulas autem generationes singularum essentiarum, universam denique universæ essentiæ gratia. Pro. Per-

spicue admodum. So. Nonne et voluptas, si quidem generatio est; alicujus essentiæ gratia necessario fiet? Pro. Quidni? So. Quod tale est, ut ejus gratia fiat, quod semper alterius gratia fit, in boni sorte locatur: quod vero alterius gratia, in aliam sortem, o vir optime, reducendum videtur. Pro. Necessarium id omnino. So. Quamobrem si voluptas generatio est, ad aliam quam boni sortem merito referemus. Pro. Merito certe. So. Nonne, ut in principio disputationis hujus prædixi, dicenti, voluptatis quidem generationem, essentiam vero nullam exsistere, habenda gratia est? constat enim hunc voluptatem bonum prædicantes penitus derisurum. Pro. Magnopere. So. Quin etiam iste idem eos, qui generationi impensius student, ridebit atque despiciet. Pro. Quo pacto, et quales ais? So. Eos, qui dum famem sitimque restinguunt, vel aliquid aliud ex iis, quæ generatio curat ac sedat, generatione lætantur, quasi ipsa voluptas sit: aiuntque, vitam se minime electuros, nisi sitiant et esuriant, atque aliis quæ ista sequuntur, afficiantur. [55] Pro. Videntur sane. So. Ejus autem quod fieri est, contrarium, destrui ipsum cuncti fatemur. Pro. Necessario. So. Corruptionem generationemque eligit, quisquis hæc expetit: non autem tertiam illam vitam, quam et lætitia et tristitia vacuam, intelligentiæ vero, quoad fieri potest, purissime compotem proposuimus. Pro. A ratione procul, o Socrates, erit, quicunque voluptatem nobis bonum asseverabit. So. Procul admodum: quandoquidem et hac præterea ratione ostendere licet. Pro. Qua? So. Cur enim non absurdum sit, cum nihil bonum decorumve sit, sive in corpore, sive in aliis ullis, præterquam in anima, in ea tamen solummodo voluptatem bonum vocare: fortitudinem vero, temperantiam, intelligentiam, ac reliqua, quæcunque bona sortitus est animus, minime? Ac præterea hominem voluptatis expertem, dolore vero affectum, malum tunc, dum dolet, asserere, licet omnium optimus sit: et eum contra, qui voluptatibus delinitur, quo magis gestit, eo virtute præstantiorem dicere? Pro. Hæc, o Socrates, omnia supra quam dici possit, absurda sunt. So. Ne tamen voluptatis universæ examinationem penitus persequi, mentem vero et scientiam prætermittere videamur: age jam, si quid sordidum adjacet illis, excutiamus, donec ad purissimam eorum naturam denique penetrantes, et ipsam inspicientes, ad ipsum judicium tum horum, tum voluptatis partibus verissimis, uti possimus. Pro. Scite. So. Nonne aliud nobis scientiam circa doctrinas, aliud circa educationem vel nutritionem exhibet? Pro. Sic est. So. In iis facultatibus primum, quæ manibus utuntur, investigemus, utrum in illis aliquid secundum scientiam magis, aliud minus insit: oporteatque aliquid purissimum, impurius aliquid arbitrari. Pro. Decet profecto. So. Præcipuas utique ex singulis discernendum. Pro. Quales, et quo pacto? So. Ut ecce, si quis ab omnibus artibus segregaret numerandi dimetiendique et ponderandi peritiam, vile quiddam, ut ita dicam, esset, quod uniuscujusque restaret. Pro. Vile profecto. So. Residuum quippe imaginatione quadam ac sensuum experientia et exercitatione conjecturisque [56] incederet, quas plerique artes vocant, cura et labore vim adeptas. Pro. Necessaria prorsus inducis. So. An non ubi musica iis plena est, concentum primo contemperat non mensura, sed diligentiæ potius conje tura: et universa ejus pulsandi facultas mensuram chordæ cujusque conjectura motæ perquirit. adeo ut obscuritatem plurimam mixtam habeat, stabilitatem vero perpaucam. Pro. Verissime. So. Quin etiam medicinam, agriculturam, gubernatoriam, militarem, similiter institutas esse reperiemus. Pro. Quam maxime. So. Architecturam vero mensuræ plurimæ et instrumenta, quibus frequentius utitur, ut perspicacem maxime, ita maxime præ multis facultatibus artificiosam efficiunt. Pro. Quonam pacto? So. In ipsa profecto navium et domorum con-

structione, multisque aliis ad lignarium fabrum quodammodo pertinentibus, utitur amussi regulaque, torno, circino, filo, perpendiculo, instrumento quoque ad dirigenda ligna idoneo. Pro. Recte admodum, o Socrates, inquis. So. Ponamus igitur eas quæ dicuntur artes, in ordine duplici : musicam quidem in operibus sectantes, perspicaciæ minoris participes : architecturæ vero pedissequas aliquanto majoris. Pro. Ponamus. So. Harum omnium perspicacissimas, quas paulo ante primas vocavimus. Pro. Numerandi peritiam, et quas cum illa supra junxisti, innuere nunc mihi videris. So. Prorsus. sed num, o Protarche, has iterum duplices affirmare, an aliter debemus? Pro. Quas inquis? So. Arithmeticam primo, nonne aliam vulgarium, aliam philosophantium? Pro. Quanam ratione quis partiens, aliam atque aliam arithmeticam asseret? So. Haud exigua discrepantia, o Protarche. Illi porro unitates inæquales eorum quæ secundum numerum sunt, dinumerant, veluti duos exercitus, boves duos, duo quæ minima, duo etiam quæ maxima : hi vero nunquam eos sequerentur, nisi quis partium unitatem aliam ab alia unitate nullo discrepantem posuerit. Pro. Quam optime loqueris, dum multam infers diversitatem eorum, qui circa numerum versantur : adeo ut decens sit, in duo quædam dividere. So. Quid vero computandi et dimetiendi secundum architecturam mercaturamve facultas, itemque secundum [57] philosophiam geometria ratiocinatioque diligens, utrum una quædam, an duæ potius artes? Pro. Priorem ego responsionem secutus, mea quidem sententia, duas esse ponerem. So. Probe. sed num intelligis, cujus gratia in medium hæc induximus? Pro. Forsitan. attamen quod nunc quæsitum est, explanare te velim. So. Disputatio nostra, quæ jamdiu proportionem quandam æqua divisionis conversione voluptatibus respondentem quærit, videtur mihi nunc non minus, quam ab initio, assecuta fuisse quod quærit, dum indagat, num sit scientia quædam alia scientia purior, quemadmodum voluptate voluptas. Pro. Constat, horum gratia ista tractata fuisse. So. Quid autem, nonne in superioribus aliam artem in alia esse repertum est, clarioremque aliam, et obscuriorem aliam? Pro. Maxime. So. In iis autem an non artem quandam ratio velut æquivocam proferens, et quasi unam innuens, rursus quasi duæ sint, inquirit, num perspicuitas puritasque illarum penes philosophantes, aut non philosophantes, exsistat? Pro. Et maxime quidem id inquirere mihi videtur. So. Quale huic responsum, o Protarche, reddemus? Pro. O Socrates, ad miram scientiarum differentiam declarandam descendimus. So. An non responsio facilis? Pro. Quidni? asseramus itaque, has artes longo intervallo a ceteris discrepare. ab iis præterea legitimorum philosophorum artes mirum in modum sinceritate et veritate circa mensuras numerosque differre. So. Sunto igitur ista ex tua sententia : nosque tibi credentes audacter importunis disputatoribus respondeamus. Pro. Quidnam? So. Duas arithmeticas esse ac duas metiendi artes, aliasque facultates harum comites plurimas, geminationem habentes hujusmodi, et in nomine uno communicantes. Pro. Demus secunda fortuna his, quos importunos vocasti, responsionem hanc, o Socrates. So. Hasne scientias quam maxime sinceras atque supremas asseveramus? Pro. Omnino. So. Veruntamen, o Protarche, nos disserendi facultas ipsa renueret, si quam ipsi aliam præferremus. Pro. Quam rursus hanc [58] dicere decet? So. Eam, quæ omnem modo inductam peritiam noscit. hanc enim, cum circa id quod est et vere est et semper eodem modo se habet, versetur, arbitror omnes quibus modo aliquid sanæ mentis adsit, longe omnium verissimam cognitionem esse protinus concessuros. Tu vero, o Protarche, quid sentis? Pro. Gorgiam sæpe audivi dicentem, persuadendi facun-

diam artibus cunctis præcellere : quippe quæ cuncta non vi, sed sponte sibi subjiciat ; longeque omnium artium optima sit. Nunc vero nec tibi nec illi adversari velim. So. Arma mihi videris dicere voluisse, verum pudore adductus prætermisisse. Pro. Sunto hæc, ut lubet. So. Egone in causa sum, ut minus bene acceperis? Pro. Quid? So. Nondum, o amice Protarche, quæ ars aut scientia omnes antecellat, eo quod maxima potissimaque et utilissima omnium, ex te quæsivi : verum quæ perspicuum, sincerum, verissimum contempletur, quamvis parva sit ac minime utilis. hoc profecto est, quod modo quærimus. At vide. nihil enim Gorgiam lacesses, si ejus arti utilitatis laudem præstantiamque concedas, ei vero, quam ipse modo narravi, facultati veritatis præcellentiam tribuas : quemadmodum supra de albo dixeram, quod licet parvum, si tamen purum esset, multo et impuro secundum veritatis excessum præstaret. Et nunc quidem et sufficienter discutientes, ne respiciamus in ullas disciplinarum vel commendationes vel commoda : sed si qua ex natura sua vis animi veritatem amare inducit, ejusque gratia cuncta peragere, hanc diximus perscrutantes, puritate mentis et sapientiæ, considerandum, an probabile sit, a disserendine scientia maxime possideri, vel aliam potius hac præstantiorem ista perquirere. Pro. Considero equidem, concedoque, difficile inveniri posse aliam vel artem vel scientiam veritati propinquiorem. So. Nunquid tale quiddam cogitans, ista modo dixisti? quod videlicet artes multæ, et quæcunque circa ista versantur, primo [59] quidem opinionibus utuntur, et quæ circa opiniones consistunt, ex instituto perquirunt : sive etiam quæ ad naturam spectant, indaganda quis putet, puta quæ circa mundum sunt, quomodo videlicet mundus factus est, quomodo patitur aliquid, quomodo agit, per omnem vitam scrutatur, fatemur hæc, an non? Pro. Utique. So. Nec circa ea, quæ semper exsistunt, sed quæ fiebant fiuntque et fient iste versatur. Pro. Vera loqueris. So. Num ex iis, quæ nunquam aut in præterito aut futuro aut præsenti eodem modo se habent, aliquid exactissima veritate perspicuum esse dicemus? Pro. Non licet. So. Etenim in iis, quæ nullam prorsus stabilitatem habent, quo pacto nos stabile quicquam assequeremur? Pro. Nulla, ut arbitror, ratione. So. Neque mens igitur, neque scientia ulla circa ista est, veritatem supremam habens. Pro. Consentaneum. So. Te igitur et me et Gorgiam atque Philebum valere sinamus : hoc autem ratione nunc asseramus. Pro. Quid istud? So. Quod illa nobis facultas firmitatem, puritatem, veritatem, sinceritatem continet, quæ circa ea, quæ semper eodem modo et simplicissima sunt, studet : aut quod secundo loco illis proximum. reliqua omnia posteriora dicenda. Pro. Vera nimium. So. Atqui illa nomina, quæ circa talia quædam pulcherrima omnium sunt, an non rebus quoque pulcherrimis assignanda? Pro. Par est. So. Mens et sapientia nomina sunt omnium pretiosissima? Pro. Sunt. So. Hæc igitur intelligentiis ejus, quod vere est, exactissima ratione perfecta atque tributa recte utique accommodantur. Pro. Prorsus. So. At quæ ipse in judicium supra produxi, non alia quam nomina hæc extiterunt. Pro. Haud alia. So. Ceterum si quis voluptatis et sapientiæ mixtionem nobis velut opificibus propositum esse, ex quibus et in quibus conflctur, dixerit, an sic merito comparabit? Pro. Et maxime quidem. So. Itaque deinceps miscere conandum. Pro. Conandum plane. So. Nonne hæc prius admonere præstabit? Pro. Quæ? So. Quæ et antea memoravimus. præclarum nempe proverbium illud, quo dicitur, [60] quæ pulchra sunt, et bis et ter repetenda esse. Pro. Quidni? So. Per Jovem. sic existimo superiora dicta fuisse. Pro. Quomodo? So. Philebus voluptatem inquit finem rectum cunctis animalibus esse, omniaque ad eam intendere oportere, atque id bonum ipsum universis exsistere : præterea duo hæc no-

mina, bonum et jucundum, eidem naturæ congruere. Socrates autem primum id esse minime inquit: utque duo nomina sunt, bonum atque jucundum, duas etiam differentes esse naturas. quin etiam sapientiam magis quam voluptatem boni participem esse. Nonne hæc, o Protarche, sunt quæ dicebantur? Pro. Maxime. So. Hoc quoque et tunc et in præsentia concessione dignum? Pro. Quale? So. Ipsius boni naturam hoc præcipue ab aliis discrepare. Pro. Quonam? So. Cuicunque hoc adest ex viventibus semper et omnino et undique, id nullo alio indiget, perfectamque sufficientiam continet. itane? Pro. Ita prorsus. So. An non ratione ipsa conati sumus, alterum seorsum ponentes ab altero, scilicet voluptatem seorsum a sapientia, atque converso, ne minimum quidem participet, sic in vitam cujusque respicere? Pro. Certe. So. Visumne tunc nobis ex his alterutrum sufficiens esse? Pro. Et quo modo id videri debuerit? So. Quod si quid forte tunc aberratum fuit, nunc saltem resumens aliquis rectius asseveret: memoriam, scientiam, sapientiam, veram opinionem; ejusdemque ideæ ponens, consideransque utrum absque istis aliquis vel se vel alium esse quoquo modo, aut fieri sit electurus, nedum voluptatem seu plurimam seu vehementissimam sine iis eligere debeat. Siquidem his privatus neque revera gaudere se opinabitur, neque qua conditione affectus sit, noscet, neque affectus ipsius memoriam per tempus aliquod reservabit. Eadem quoque de sapientia dicas: Num quispiam procul ab omni vel minima voluptate sapientiam adipisci, quam cum voluptatibus quibusdam malit: aut voluptates omnes sine sapientia potius quam cum sapientia quadam? Pro. Nullus, o Socrates. veruntamen nil opus est hæc totiens jam repetere. [61] So. Quapropter horum neutrum perfectum et omnibus expetendum ac penitus bonum. Pro. Neutrum. So. Aut igitur bonum ipsum perspicue, aut figuram ejus aliquam sumere decet: ut, quemadmodum diximus, cui potissimum secundæ sortes tribuendæ sint, videamus. Pro. Scite admodum loqueris. So. An non semitam ad bonum ipsum quandam ingressi sumus? Pro. Quam? So. Si quis hominem aliquem quærens, domum quam inhabitat, primum didicerit, adminiculum sane ad eum inveniendum ingens habebit. Pro. Quidni? So. Ita et nos præsens atque superior ratio monuit, ne in simplici vita, sed mixta bonum ipsum indagaremus. Pro. Omnino. So. Spes attamen certior, in eo quod pulchre mixtum, quam in opposito, nos quod quærimus reperturos. Pro. Certior sane. So. Misceamus igitur, o Protarche, diis ante voventes, sive Dionysius sive Vulcanus sive alius quispiam deorum sortitus est mixtionis officium. Pro. Ita prorsus agendum. So. Atqui nobis, tanquam vinum miscentibus quibusdam, fontes adstant. et melli quidem voluptatis fontem comparare quis potest: verum sapientiæ fontem sine vini vi sobrium, aquæ cuipiam acri atque etiam saluberrimæ. hos ergo liquores quam pulcherrime in unum confundere studeamus. Pro. Studendum certe. So. Dic age primum: si omnem voluptatem cum omni sapientia misceamus, num pulchre junxerimus? Pro. Forsitan. So. Verum minime tutum. quo tamen pacto securius misceamus, me nunc declaraturum confido. Pro. Dic quomodo. So. Patuitne in superioribus alia voluptas alia, rursusque scientia scientia esse sincerior? Pro. Patuit plane. So. Scientia quoque a scientiæ differens: et altera quidem circa illa quæ et oriuntur et occidunt; altera circa ea quæ neque fiunt neque intereunt, semperque secundum eadem eodem modo se habent. Atque hanc, ad veritatem ipsam respicientes, illa veriorem esse putamus. Pro. Recte admodum. So. Si utriusque portiones verissimas invicem connectamus, nunquid istarum mixtio sufficiens erit ad vitam nobis optabilissimam exhibendam? aut alio præterea quodam alterius rationis egebimus? [62] Pro. Mihi quidem sic

videtur agendum. So. Esto igitur nobis vir quidam sapiens, qui norit quid ipsa justitia sit, rationemque intelligentiæ comitem habeat, nec non reliqua cuncta, quæcunque sunt, similiter calleat. Pro. Esto sane. So. Num iste sufficienti scientia præditus erit, si circuli et sphæræ ipsius divinæ rationem teneat, humanam vero hanc sphæram et hos circulos prorsus ignoret, dum in architectura similibusque operibus canonibus, id est regulis circulisque utetur? Pro. Ridicula erit, o Socrates, cognitio nostra, si in divinis duntaxat versetur. So. Quid ais? num falsi canonis atque circuli impuram et instabilem artem inserere una et immiscere debemus? Pro. Necessarium hoc est, si modo quis nostrum vel viam, quæ ducat domum, reperturus sit. So. An vero et musicam, quam paulo ante diximus conjecturis imitationeque plenam a puritate procul abesse? Pro. Necessarium id quoque: si quidem vita nostra aliquando vita futura sit. So. Vis ergo, tanquam janitor turba pulsus atque coactus, ego nunc fores pandam, scientiasque omnes confluere jam et confundi sinam, cum pura passim deteriorem? Pro. Haud novi, o Socrates, lædi aliquem a scientiis aliis, qui primas habeat. So. Permitto jam, cunctas in Homeri receptaculum quadam valde poëtica mixtione confluere. Pro. Missæ sunt omnino. So. Rursus ad voluptatum fontem proficiscendum videtur. quando enim ipsas miscere cogitavimus, verarum tamen portiones primum nobis eductæ minime sunt: verum propter scientiæ totius amorem in idem concurrere scientias universas prius quam voluptates permisimus. Pro. Vera loqueris. So. Verum tempus jam urget, ut de voluptatibus consultemus, utrum omnes coacervandæ, an primæ duntaxat ac veræ sint admittendæ. Pro. Permultum ad securitatem interest, primas verasque admittere. So. Harum ergo commercium admittatur. at quid deinceps? si quæ necessariæ sunt, quemadmodum et ibi, hæ quoque in mixtionem excipiendæ? Pro. Quid prohibet? So. Necessarias igitur quoquo modo accipiamus. Si autem, quemadmodum [63] artes omnes nosse innocuum et conferens in vita esse constitit, ita nunc de voluptatibus constet, videlicet quod omnibus frui innoxium et utile sit, forte erunt omnes omnibus immiscendæ. quid ad hæc? Pro. Qua ratione de his loquemur? quid agemus? So. Non a nobis, Protarche, tale aliquid, sed ab ipsis voluptatibus scientiisque quærendum. Pro. Quid istud? So. O amicæ, (sive voluptates, sive alio quodam cognomento appellare vos deceat,) utrum eligitis cum omni sapientia congredi, an esse seorsum a sapientia? Reor equidem, hoc illas necessario responsuras. Pro. Quid? So. Quod, quemadmodum in superioribus dictum est, neque possibile multum neque utile est, genus alterum omnino seorsum ab altero esse. omnium vero generum optimum, si unum uni comparetur, nobis fore putamus genus ipsum, quo tum cetera omnia, tum etiam singulæ nostræ vires perfecte noscuntur. Pro. Et recte quidem respondisse illas merito confitebimur. So. Rursus igitur interrogandum restat mentem et sapientiam, cum in ipsa mixtione quodammodo voluptatibus egere dicamus, qualibus præcipue voluptatibus egeant. Pro. Merito. So. Nostra vero posthac interrogatio talis erit: Utrum præter illas voluptates veras conveniat vobis vehementissimarum ingentissimarumque voluptatum commercium? Forte sic illæ respondebunt: Non conveniunt, o Socrates, nobis hujusmodi voluptates. hæ namque nobis impedimenta innumerabilia præbent. animas siquidem, quas incolimus, voluptates furiosæ perturbant, nec adolescere nos permittunt, nostrasque progenies ut plurimum per negligentiam inferentes oblivionem omnino corrumpunt. Alias autem voluptates veras ac puras, quas ipse narrasti, ferme nobis domesticas arbitrare: ac præter istas illas insuper, quæ cum sanitate et temperantia ceterisque virtutibus capiuntur. Has enim, quæ virtutis, tanquam deæ cujusdam, pedissequæ sunt,

libenter admittimus, quæ vero cum dementia et alia improbitate congrediuntur, eas menti miscere absurdum est, quando quis velit, cernens quam pulcherrimam et concordem mixtionem atque temperiem, [64] in ea perdiscere, quid in homine et universo suapte natura sit bonum, quamve ideam ipsius exsistere divinandum. An non sapienter, et tanquam sui compotem ista mentem respondere et de ipsa et de memoria rectaque opinione dicemus? Pro. Omnino quidem. So. Atqui et hoc necessarium est: nec unquam aliter fieri posset. Pro. Quid istud? So. Cui veritatem non miscemus, nunquam id verum aut fieret aut factum esset. Pro. Quo enim modo? So. Nullo. verum si quid huic mixtioni ulterius deest, dicite quæso ipse una atque Philebus. mihi enim tanquam mundus quidam incorporeus, animato corpori pulchre dominaturus, sermo hic peractus fuisse videtur. Pro. Mihi quoque, o Socrates, idem videri scito. So. Nonne si boni ipsius, et hujus talis habitationis vestibulum nos nuper ingressos esse dicamus, forsitan recte quodam modo profitebimur? Pro. Mihi sane videtur. So. Quid in hujusmodi mixtione pretiosissimum atque maxime causa, quod constitutio ista omnibus gratissima sit, nobis esse videtur? Si enim id noverimus, disceptabimus inde, utrum voluptati vel menti cognatius ac propius in universo consistat. Pro. Scite. id enim ad judicium nobis propositum maxime conferet. So. Atqui nequaquam inventu difficile est, quæ causa sit, ob quam mixtio quæque vel plurimi vel minimi facienda sit. Pro. Quo pacto inquis? So. Nemo hoc ignorat. Pro. Quid hoc tandem? So. Quod quæcunque et qualiscunque mixtio mensuræ et commensurati naturæ minime particeps ex necessitate quæ mixta sunt, immo et se ipsam primo disperdit. neque enim temperies hæc est, sed tanquam intemperatus quidam passim fortuitusque concursus nobis accidere solet. Pro. Vera loqueris. So. Nunc quidem nos ipsius boni potentia, in naturam pulchri se transferens, clam fugit. mensura enim commensuratioque pulchritudo plane ac virtus ubique fit. Pro. Prorsus. So. Quin etiam veritatem diximus ipsis in ea temperie commisceri. Pro. Omnino. So. Quod nisi bonum ipsum una idea complecti possimus, [65] saltem una cum tribus, pulchritudine, commensuratione, veritate comprehendentes, dicamus id universum velut unum, causam eorum, quæ in mixtione sunt, esse, et propter hoc, tanquam quod bonum est, mixtionem fieri bonam. Pro. Recte nimium. So. Quisque jam, o Protarche, idoneus voluptatis et sapientiæ esse judex, utrum istorum optimo cognatius præstantiusque et apud homines et apud Deos esse contingat. Pro. Constat quidem: attamen ratione id quoque percurrere præstat. So. Secundum quodlibet igitur horum trium de voluptate et sapientia judicemus. videndum enim, utri unumquodque trium cognatius asseramus. Pro. Num de pulchritudine, veritate mensuraque loqueris? So. Certe. Primum igitur veritatem sume, Protarche, cumque sumpseris, ad tria jam respice, mentem, veritatem et voluptatem: et postquam diu mature consideraveris, tibi ipsi responde, utrum voluptas an mens veritati propinquior. Pro. Quid diuturna meditatione opus est? permultum, ut arbitror, interest. Voluptas enim maxime omnium temeraria. fertur enim de venereis voluptatibus, quæ ingentissimæ omnium æstimantur, quod pejerantibus illis dii prorsus ignoscunt, quasi pueri quidam sint, nullius intelligentiæ compotes. Mens autem aut idem est quod veritas, aut omnium certe simillima atque verissima. So. An posthac mensuram illam moderationemque considerandum restat, voluptasne an sapientia ejus sit capacior? Pro. Id quoque, quod nunc infers, exploratu perfacile est. Reor equidem, nihil voluptate ejusque exsultatione immoderatius inveniri posse: nihil contra mente et scientia moderatius. So. Præclare. veruntamen tertium quoque responde: Mensne pulchritudinis magis est particeps, an ipsa voluptas? quidve pulchrius? an mens

voluptate, an contra? Pro. Mentem quidem et sapientiam, Socrates, nemo unquam aut revera aut falso, deformem vel vidit vel aliquo pacto cogitavit, aut fuisse unquam aut esse aut deinde futuram. So. Recte. Pro. Si quem vero voluptates, præsertim maximas, persequentem advertimus, vel quod ridiculæ vel quod obscœnæ sint, [66] ipsi quidem erubescimus atque celamus, noctis tenebris talia concedentes, quasi sint diurni luminis indigna conspectu. So. Cunctis igitur, o Protarche, et per nuntios et voce præsenti declarato, quod voluptatis possessio neque primum est neque secundum bonum: sed primum circa mensuram et moderatum et opportunum et universa, quæcunque talia, sempiternam vocem approbationemque dixisse putandum. Pro. Apparet utique ex iis, quæ modo sunt dicta. So. Secundum deinde circa commensuratum et pulchrum, perfectum atque sufficiens, et quotcunque hujus ordinis sunt. Pro. Videtur. So. Tertium, ut ipse vaticinor, si mentem sapientiamque posueris, haud procul a veritate discedes. Pro. Forte. So. Quarta vero sunt, quæ ipsius animæ propria posuimus, scientiæ et artes opinionesque rectæ: quæ ideo tribus illis statim succedunt, quia bono sunt quam voluptas cognatiora. Pro. Forsitan. So. Quinto loco pone voluptates eas, quas expertes molestiæ definivimus, puras nominantes animæ ipsius scientias, sensus autem sequentes. Pro. Fortassis. So. In sexta vero progenie, inquit Orpheus, cantilenæ ornatum finite. Nostra quoque oratio in sexto judicio finiri videtur, unde nihil deinceps nobis aliud restat, nisi ut dictis caput adhibeamus. Pro. Decet profecto. So. Tertio jam orationem eandem, conservatori deo voventes, breviter perstringamus. Pro. Qualem inquis? So. Philebus quidem inquit, omnem penitus voluptatem nobis ipsum bonum esse. Pro. Tertium, o Socrates, modo nuncupasse videris orationem ipsam rursus repetere. So. Hoc ipsum, quod autem sequitur, audiamus. equidem, quod modo narravi, considerans orationem Philebi aliorumque innumerabilium, graviter ferens illique repugnans, mentem inquam longe admodum meliorem potioremque voluptate vitæ hominum esse. Pro. Dicta hæc sunt. So. Suspicatus tamen esse et alia multa, intuli, quod si apparuerit aliquid ambobus hisce præstantius, pro mente ipsa adversus voluptatem de secunda sorte pugnarem, voluptasque secundis etiam honoribus spoliaretur. [67] Pro. Hæc quoque dixisti. So. Præterea cum dixissem, bonum ipsum esse omnium sufficientissimum, neutrum ex iis tamen sufficiens esse constitit. Pro. Vera narras. So. Et cum in hac oratione mens et voluptas potestate sufficientiæ perfectionisque carere visæ fuissent, neutram esse bonum ipsum apparuit. Pro. Recte admodum. So. Quin etiam cum tertium quiddam utraque melius esse constiterit, mens utique longo quodam intervallo propinquior potiori superantique ideæ, quam voluptas, eluxit. Pro. Quidni? So. Ergo nonne quintum gradum ex ea sententia, quam præsens judicium protulit, voluptatis potentia sortietur? Pro. Videtur. So. Primum tamen voluptati locum boves darent et equi, et bruta denique universa, ex eo quod ejus illecebris mancipata sunt: quibus plurimi fidem præstantes, haud secus quam augures avibus, voluptates ad bene vivendum potissimas omnium arbitrantur: ferarumque amores locupletiores testes asserunt, quam amores eorum, qui in philosophica musa ratione vaticinantur. Pro. Verissima, o Socrates, te narrasse cuncti fatemur. So. Nonne ergo me jam dimittis? Pro. Exiguum adhuc quiddam restat, o Socrates: non debes tanquam defatigatus prius quam nos desistere: ego vero quæ restant, in memoriam tibi reducam.

THEAGES.

DEMODOCUS, SOCRATES, THEAGES.

[121] Indigebam, o Socrates, quædam privatim tecum communicare, si quidem otium adsit, vel si sit negotium, neque id magnum : velim tamen mea causa te otium agere. So. Equidem otiosus sum ; sed tui causa maxime. Si quid ergo dicere vis, licet. De. Vis ergo secedamus huc in proximam Jovis liberatoris porticum ? So. Ut lubet. De. Eamus ergo, o Socrates. Omnes quidem plantæ eodem se modo habere videntur, et quæ quidem ex terra oriuntur, et animalia omnia, et homines ipsi. enimvero in plantis facillimum hoc est nobis, qui terram colimus, præparare quidem omnia antequam plantemus, et ipsam etiam plantationem : postquam vero quod plantatum est, vivit, tunc cultus ipsius varius est et difficilis : eodemque modo et de hominibus videtur. Ex meis enim rebus cetera conjicio. Etenim hæc mihi mei filii sive plantatio, seu filii generatio appellanda sit, omnium facillima exstitit : educatio autem difficilis, et semper in timore, maximum metum sui causa subeunti. Et alia quidem multa de hoc dici possent : præcipue vero cupiditas, quæ huic nunc inest, vehementer me sollicitat. est enim non ingenerosa, verum talis, ut fallere possit. Cupit enim hic, o Socrates, ut ipse ait, sapiens effici. Et ut mihi videtur, populares quidam ejus æquales in urbem venientes suis sermonibus hunc vehementer incitaverunt, quos hic æmulari cœpit, et mihi jampridem molestus est, fas esse putans, me illius curam suscipere, ac pecuniam sophistæ alicui, qui ipsum sapientem reddat, præbere. Mihi autem pecuniarum minor est cura : verum hunc existimo [122] ob hoc ejus studium in periculum non mediocre incursurum. Hactenus igitur huic obstiti, consolans : sed postquam ulterius nequeo, operæ pretium fore duco, ut sibi obtemperem, ne sine me frequenter cum aliis vivens corrumpatur. Nunc autem ad hoc proficiscor, ut eum apud aliquem sophistarum sistam. Tu igitur peropportune nobis obviam factus es, quem quidem hac in re mihi consultorem maxime cupiebam. Itaque si quid habes, quod mihi in iis, quæ audisti, consulere queas, licet et expedit. So. Ceterum, o Demodoce, consilium res sacra dicitur : quod si unquam ullum aliud, hoc est in primis, de quo quæris. Non enim est divinius aliquid, de quo homo consulere queat, quam de institutione sui atque suorum. Primum igitur ego et tu conveniamus, quidnam putemus hoc esse, de quo consultamus ; ne sæpenumero ego quidem aliud illud

existimem, tu item aliud, ac deinde longe dissentiamus: ridiculi quidem existentes ambo, et ego qui do, et tu qui postulas consilium, cum in nullo invicem consenserimus. De. Recte quidem mihi dicere videris, o Socrates: itaque faciendum censeo. So. Atqui recte quidem ex parte, non tamen omnino dicebam recte: nam paulisper id muto: dubito enim, ne forte hic adolescentulus alia quædam, quam quæ nos rebamur, cupiat: quod si alia, nos quoque absurdius essemus de alio consultantes. Rectissimum igitur mihi videtur, ut initium hinc sumentes, ipsum, quid cupiat, interrogemus. De. Apparet id quod dicis optimum esse. So. Dic igitur mihi, quod pulchrum nomen est puero? quo nomine ipsum vocabimus? De. Theages, o Socrates. So. Pulchrum, o Demodoce, filio nomen imposuisti. Sed tu dic mihi, Theages, cupisne sapiens esse? ac dignum existimas esse, ut pater hic tuus virum inveniat, qui te sua consuetudine sapientem reddat? The. Cupio. So. Sapientes autem utrum vocas homines scientiam habentes, quæcunque illa sint, quæ scierint: necne? The. Scientes equidem. So. Quid igitur, nonne te pater edocuit, quæ hic nobilium virorum filii docentur? scilicet literas, citharam pulsare, palæstram et alia certamina? The. Docuit. So. Putas præterea [123] aliqua scientia indigere, de qua curam suscipere tui causa patrem deceat? The. Puto. So. Quæ est igitur ipsa? dic nobis, ut tibi gratificemur. The. Novit et iste, o Socrates, quoniam persæpe illi enarravi; sed de industria hæc nunc tecum loquitur, quasi nesciat, quæ cupiam: hoc enim modo et in aliis multis mecum pugnat, neque vult alicui me tradere. So. Atqui quæ hactenus adversus hunc abs te dicta sunt, testibus carent: nunc autem me adhibe testem, atque coram me denuo recense. Quænam est hæc sapientia, quam appetis? Age, si cuperes eam, qua homines navigia gubernant, et ego te rogarem, quanam, o Theages, sapientia indigens patri succenses, quod te apud aliquos, a quibus sapiens reddaris, sistere nolit? quamnam ipsam esse responderes? nonne gubernatoriam? The. Certe. So. Sin autem illius cuperes eruditum te fieri, qua currus reguntur, ac patri succenseres, ego vero interrogarem, quænam esset hæc sapientia, nonne aurigariam responderes? The. Utique. So. Quam igitur nunc cupis? Utrum illam quidem nosti, nomen autem ignoras? vel nomen etiam ejus habes? The. Et nomen equidem. So. Dic ergo, quid est. The. Quod aliud nomen huic congruere quis diceret, o Socrates, nisi sapientiam? So. Nonne etiam aurigaria sapientia est? an ignorantia tibi videtur? The. Nullo modo. So. An non sapientia? The. Sapientia. So. Qua ad quid utimur? num qua scimus equorum juga regere? The. Profecto. So. At gubernatoria nonne et ipsa sapientia est? The. Mihi quidem videtur. So. Num et ea est, qua naves gubernamus? The. Ea utique. So. Ea vero, quam nunc optas, quænam sapientia est? quidve illa scimus administrare? The. Mihi quidem videtur ea, qua scimus hominibus imperare. So. Num qua ægrotantibus? The. Minime. So. Ipsa enim medicina est, nonne? The. Est. So. At qua canentibus scimus in choris præcipere? The. Nequaquam. So. Musica enim est. The. Ita. So. Sed utrum illa, qua certantibus præcipere novimus? The. Nequaquam. So. Gymnastica enim est. The. Est. So. Verum qua quid facientibus, conare exprimere sic, quemadmodum in superioribus ipse narravi. [124] The. Mihi plane videtur ea, qua illis, qui sunt in civitate, præcipitur. So. Nonne in civitate etiam ægroti sunt? The. Sunt quidem; sed non istis solum dico, verum omnibus, qui in civitate versantur. So. Intelligo quam artem dicis. videris enim non eam, qua præesse novimus metentibus aut vindemiantibus aut plantantibus aut serentibus aut triturantibus: ipsa enim, per quam iis imperamus, agricultura est. The. Est. So. Neque rursus qua secantibus vel perforantibus vel po-

lientibus vel torno aliquid facientibus: nam hæc ad fabros pertinet. The. Certe. So. Verum fortasse, qua iis universis, et agricolis et fabris et artificibus omnibus, ac privatis cunctis mulieribusque et viris imperitamus, eam tu sapientiam dicis. The. Istam ipsam, o Socrates, jampridem dicere volebam. So. Potesne dicere, an Ægisthus, qui Agamemnonem apud Argos interfecit, his omnibus imperavit, quos dixisti, artificibus, privatis viris, mulieribusque universis, an aliis quibusdam? The. Non aliis, sed iis omnibus. So. Quid autem Peleus, Æaci filius, in Phthia nonne iisdem dominatus est? The. Eisdem. So. Periandrum vero Cypseli nonne audivisti apud Corinthios imperasse? The. Equidem. So. Nonne eisdem in ejus civitate dominatus est? The. Certe. So. Quid vero? Archelaum Perdiccæ, nuper in Macedonia imperantem, num iisdem existimas dominatum? The. Equidem. So. Hippiam autem Pisistrati, in hac urbe dominantem, quibusnam præfuisse arbitraris? nonne iisdem? The. Quidni? So. Bacis vero et Sibylla et Emedapus Amphilytus, quonam pacto tibi cognominandi viderentur? The. Non alio quam vatum nomine. So. Recte dicis. eodem modo conare, ut invenias, quo cognomine Hippiam et Periandrum propter eundem principatum nomines. The. Cur aliter quam tyrannos? So. Ergo quicunque cupit more istorum universis suis civibus imperare, tyrannidem appetit, seque tyrannum fieri? The. Ita videtur. So. Hanc tu optas? The. Videtur ex iis, quæ dixi. So. O sceleste, nobisne more tyranni præesse cupis? [125] ac jamdudum succenses patri, qui te ad aliquem tyrannidis præceptorem non miserit? Et te, Demodoce, nonne pudet, cum olim noveris, quid iste concupiscat? et si habuisses, quo ipsum mitteres, artificem illius sapientiæ, quam appetit, effecisses. deinde invides ipsi, nec vis mittere? sed nunc vides. Cum vero te coram me accusaverit, consultemus simul ego ac tu, est quo ipsum mittamus, ut propter alicujus consuetudinem sapiens tyrannus efficiatur? De. Per Jovem, o Socrates, consultemus. est enim, ut mihi videtur, consilio opus, et maximo. So. Sine, bone vir, interrogemus ipsum prius. De. Interroga. So. Quid si Euripide ad aliquid utamur, o Theages? Inquit enim ille, *Sapientes tyranni sapientum consuetudine*. Si quis ab Euripide peteret, qua in re sapientum consuetudine ais sapientes esse tyrannos? quemadmodum si cum dixisset, Sapientes agricolæ sapientum consuetudine, percontaremur, in quo sapientum, quid putas ipsum dicturum? an aliud, quam in re rustica? The. Nihil aliud. So. Eodem modo si dixisset, Sapientes coqui sapientum consuetudine; nosque interrogaremus, quanam in re sapientum, quid aliud responderet, quam in coquinaria? The. Id ipsum. So. Quid si dixisset, Sapientes certatores sapientum consuetudine; et nos in quo sapientum interrogaremus, nonne in certando responderet? The. Immo. So. Postquam autem dixit, *Sapientes tyranni sapientum consuetudine*, si interrogaremus illum, qua in re, o Euripides, sapientum, quid eum responsurum putas? The. Per Jovem, nescio. So. Vis tibi dicam? The. Ut lubet. So. Hæc sunt, quæ ait Anacreon ipsam Callicratem nosse. audisti carmen? The. Audivi. So. Quid igitur? hujusmodine viri consuetudinem cupis, qui particeps esset ejusdem artis, cujus et Callicrates Cyane nata, sciretque tyrannica, quæ Callicratem novisse poëta inquit; ut nobis et civitati tyrannus efficiaris? The. Jamdudum me mordes, Socrates, atque irrides. So. Quamobrem? nonne ais, hanc te sapientiam optare, qua cunctis imperes civibus? atqui hæc faciens, aliudne quam tyrannus esses? The. Optarem equidem omnium hominum, vel quam plurimorum tyrannide potiri, [126] quod idem de te ac ceteris omnibus arbitror; vel potius Deus esse. verum tamen non hoc appetere dicebam. So. Quid tandem est hoc, quod cupis? nonne civibus præesse? The. Non vi quidem, neque ut tyranni; sed volentibus, quem-

admodum alii in civitate rationis compotes homines. So. Dicis ergo, qualis Themistocles fuit et Pericles et Cimon, et quicunque alii in administratione rei publicæ floruerunt? The. Per Jovem, istos inquam. So. Quid vero? si nobilem effici equestrem expeteres, et in ea arte sapientem, ad quosnam ut hoc assequereris accederes, præterquam ad equestres? The. Ad nullos alios. So. Quippe ad hos ipsos, qui equestri arte pollerent, et qui equis tum nostratibus tum alienis quam plurimis uterentur. The. Scilicet. So. Eodemque modo si sapienter jaculandi artem adipisci cuperes, ad eos, qui optime jaculentur, et qui multis tam alienis quam propriis utuntur spiculis, proficiscereris. The. Mihi quidem videtur. So. Age itaque, postquam in civilibus eruditi vis, ad alios, ut in iis sapiens fias, accedendum putas, quam ad hos civiles homines, qui disciplina civili summopere valent, et utuntur ea tum patria tum aliarum civitatum et Græcarum et barbararum? an putas, ab aliis sapientiam consequi eorum, quæ isti soli cognorunt? The. Audivi, Socrates, sermones quosdam, quos tuos asserunt, civilium virorum filios nihilo meliores quam cordonum esse. et, mea quidem sententia, vera dicis. Insipiens ergo essem, si mihi persuaderem, aliquem istorum mihi suam sapientiam traditurum, qui filios quidem suos minime juvent, putaremque posse me ulla in re circa hæc cuiquam prodesse. So. Quomodo te, optime hominum, verteres, si, cum tibi filius esset, hæc tibi negotia præberet et ostenderet cupere in optimum pictorem evadere, tibi autem succenseret, quod nullam in eo pecuniam horum gratia consumere velles, hujus vero rei artifices pictores parvipenderet, neque ab eis aliquid vellet discere: vel tibicinas, tibicen effici volens; vel etiam citharœdos. haberes, ad quid eo utereris, vel quo alio illum mitteres, nolentem ab iis discere? The. Minime per Jovem. So. Nunc igitur eadem hæc adversus tuum [127] patrem faciens, mirarisne atque succenses, si dubitat ad quid te utatur, et quo te mittat, postquam Atheniensium in administranda re publica præstantissimorum cuicunque voles commendaturi sumus, qui tecum sine pretio versetur: et simul neque argentum eroges, et multo magis vulgo honoreris, quam si aliis congrediaris. The. Quid igitur, Socrates, nonne tu ex bonis viris es? Si me susceperis, sat habeo, neque alium quæram. So. Quid hoc dicis? De. Non male dicit, o Socrates, neque mihi quicquam hoc jucundius utiliusque, ut arbitror, esse posset, quam si huic tua consuetudo placeret, et tu cum eo versari velles: et profecto pudore impedior dicere, quam vehementer affectem. Itaque ambos vos rogatos velim, et te, ut velis hunc suscipere, et te, ne alium quam Socratem quæras, meque maximis curis, et formidine plenis, obsecro, liberetis; quoniam nunc vehementer timeo, ne hic cujuspiam alterius consuetudinem quærat, a quo deinde perdatur. The. Ne ulterius mihi timeas, mi pater, si huic persuadere potes, ut me suscipiat. De. Recte loqueris: et adversus te, o Socrates, omnis posthac sermo erit. Ego enim, ut brevissime loquar, me simul ac mea omnia vel carissima, quocunque indigeas, tibi libentissime tradó; si hunc Theagem susceperis, eique quoad poteris bene feceris. So. Equidem, o Demodoce, studium hoc tuum non admiror, si quidem existimas, maxime a me hunc juvari posse. non enim novi, cui rei majorem diligentiam, quisquis mentem habet, adhibere debeat, quam ut filium optimum reddat. Sed unde tibi hoc ita visum est, me videlicet tuum filium meliorem posse civem reddere, quam te ipsum? atque unde hic sibi persuasit, posse magis a me quam abs te ad hanc rem juvari? id enim vehementer admiror. Tu enim primum me senior es: deinde multis ac maximis apud Athenienses functus es magistratibus: neque alius magis quam tu a popularibus Anagyrasiis ac reliquis civibus honoratur. In me autem horum aliquid neuter vestrum videt. Verum si civilium virorum con-

suetudines Theages iste contemnit, alioxque quærit, qui adolescentes instruere profitentur, est hic Prodicus Chius et Gorgias Leontinus [128] et Polus Agrigentinus, aliique permulti : qui adeo sapientes sunt, ut urbes adeuntes nobilissimos et ditissimos juvenes ad se ipsos alliciant ; quibus licet quorumcunque civium volunt, grata familiaritate uti ; quibus persuadent priori relicta consuetudine cum ipsis congredi, magnum argenti pretium afferentes, et gratiam insuper maximam habentes. ex iis ergo decebat te ac filium tuum aliquem eligere. me vero ad id elegisse non convenit. nullam enim ex istis beatis et pulcris disciplinis profiteor : velim tamen mihi illas adesse. Verum semper nihil scire me dico, præter exiguam quandam amandi disciplinam. Hac utique disciplina apud quemlibet vehementior tum superioribus tum etiam præsentibus viris esse videor. The. Videsne, pater, Socratem hunc non multum familiaritatem meam recipere ? nam quantum ad me attinet, paratus sum, modo ipse velit : sed hæc omnia ille joco adversus nos dicit. Novi enim meorum æqualium, et aliquanto seniorum nonnullos, qui, cum antea nullius essent æstimationis, postquam familiaritate istius usi sunt, brevi omnium supremi illorum evaserunt, quorum infimi prius fuerant. So. Nosti, quale hoc sit, o Demodoci fili ? The. Novi, per Jovem, quod, si volueris, talis fiam, quales illi fuerunt. So. Non ita, o optime : sed hoc te fefellit, quale sit : ego autem tibi dicam. Adest mihi divina quadam sorte dæmonium quoddam, a prima pueritia me secutum : hoc enim vox est, quæ cum fit, semper ejus rei, quam facturus sum, dissuasionem demonstrat, provocat vero nunquam. Quod si quis amicorum mecum quandoque aliquid communicat, extatque vox, hoc illa dissuadet, neque facere sinit : cujus quidem rei vobis testes dabo. Charmidem, virum bonum, Glauconisque filium, noscitis. hic aliquando in Nemea stadio se exercitaturus, mecum communicabat. ac statim, ipso dicere incipiente, quod se exercitaturus esset, affuit vox : atque ego prohibui, sibi enarrans, quemadmodum dæmonii vox exstiterat, ne se exerceret. Tum ille, Fortasse, inquit, significat me victorem non evasurum : ego autem etsi victoria non sim potiturus, tamen hoc in tempore me exercens aliquid proficiam. atque ita locutus, certaturus abit. Operæ pretium igitur est percontari, quid sibi ex hoc certamine [129] contigerit. Si autem vultis Clitomachum, Timarchi fratrem, interrogare, quid sibi Timarchus dixerit, quando propemodum moriturus esset. ipse simul et Euathlus, stadii quidem excursor, qui illum fugientem suscepit, referet vobis, quid sibi tunc dixerit. The. Quidnam ? So. O Clitomache, inquit, equidem quamprimum moriturus venio, quoniam Socrati obtemperare nolui. quidve hoc inquit Timarchus, ego dicam. Quando surrexit ex convivio Timarchus et Philemon, Philemonidis filius, interfecturi Niciam Hiroscamandri, soli enim insidiarum ii conscii fuerant : Timarchus mihi dixit, Quid ais, o Socrates ? vos quidem bibite : me vero oportet alio exire : redibo autem paulo post, si occasio contigerit. Tum mihi affuit vox. itaque, Ne surgas, inquam ; solitum mihi a dæmone signum datum afferens. Quievit ille. Deinde paulisper commoratus ardebat iterum eundi cupiditate, dicens, Eo jam, Socrates. Et quia iterum vocem audivi, rursus illum cohibui ; donec ille tertio, latere me cupiens, clanculum, cum ego mentem alio divertissem, se subripuit : et sic profectus ea peregit, ex quibus in mortem incidit. Unde hæc eadem fratri suo dixerat, ut ego nunc vobis, se scilicet moriturum venire, quod mihi credere noluisset. Audietis præterea ab iis, qui in Sicilia sunt, quæ de exercitus conflictu prædixeram. Et præterita quidem ab iis, qui illa noverunt, audire licet. tentare vero dæmonii signum, si quid forte dicat, nunc etiam possumus. In expeditionem namque exiit Neonus, Cali filius. mihi autem signum affuit. Proficiscitur vero nunc cum Thrasylo, adversus Ephesum et

Ioniam militaturus. Ego autem illum existimo vel interfectum iri, vel in hujusmodi aliquid incursurum : et de alia negotiatione vehementer timeo. Hæc omnia tibi ideo dixi, quia potentia hæc hujus dæmonii in familiaritates eorum, qui mecum versantur, omnia potest. Multis enim adversatur, neque licet his auxilium ferri, qui mecum, invito dæmone, consuetudinem habent, quare impossibile est mihi, cum iis vivere. Multis autem hærere non prohibet : sed consuetudine nostra nihil omnino juvantur. Quibus autem faverit in ipsa familiaritate potestas dæmonii, isti sunt, de quibus ipse sensisti. brevi enim proficiunt. Sed eorum partim hoc beneficium [130] firmum habent atque durabile. plerique vero, quoad mecum sunt, mirifice pollent : at cum a me discesserint, rursus nihilo ab aliis differunt. Hoc quandoque accidit Aristidi, Lysimachi filio. Nam mecum commorans, brevi multum profecit. postea vero in militiam profectus est. rediens deinde offendit mecum esse Thucydidem, Mellissii filium. hic autem Thucydides pridie mihi adversarius in sermonibus quibusdam extiterat. Cum me salutasset, et quædam insuper allocutus esset Aristides, Thucydidem, inquit, o Socrates, audio gloriari, et in quibusdam tecum etiam concertare, tanquam aliquid sit. Est, inquam, ut dicis. Tum ille, Nonne meminit, inquit, antequam tibi adhæreret, tanquam mancipium se fuisse? Non videtur, inquam, per deos. At ego, inquit ille, ridiculus sum. Quidnam maxime, inquam? Quoniam priusquam hinc abirem, cum quovis disputare audebam, neque aliquo videbar in disserendo deterior, adeo ut cœtus præstantium virorum audacter adirem. Nunc autem contra fugio, quemcunque eruditum esse intelligo : adeo pudore abducor ob meam inscitiam. Utrum igitur, inquam, e vestigio te reliquit ipsa vis, an paulatim? Paulatim, inquit. Quando vero in te incessit? utrum accidit tibi aliquid a me discenti, an aliter? Dicam, o Socrates, rem quidem incredibilem, veram tamen. Nihil unquam a te, ut ipse scis, didici : proficiebam autem, quotienscunque tecum essem : etsi in eadem solum domo essem, non tamen in eadem parte domus : magis tamen, quotiens eadem in parte. Et mihi quidem videbar multo magis, quando in eadem parte existens, aliquid te dicentem intuebar, quam cum alio intuerer. sed longe magis proficiebam, cum apud te sedens, te tangebam. nunc autem omnis habitus ille defluxit. Est igitur, o Theages, hujusmodi nostra consuetudo. Si enim Deo gratum est, permultum quidem et brevi proficies : sin contra, minime. Vide igitur, ne tibi tutius sit, ab aliquo illorum erudiri, qui ipsi in sua potestate continent utilitatem, qua hominibus prosunt, quam a me fortuna quadam id assequi. The. Mihi quidem sic faciendum, Socrates, [131] videtur, ut consuetudine nostra dæmonium id tentemus. Quod si nobis annuerit, recte omnia : sin minus, quid agendum sit invicem consultabimus, utrum alteri cuipiam adhæreamus, vel hoc divinum, quod tibi insitum est, precibus et sacrificiis et alio quovis denique pacto, quo vates exponant, placere conemur. De. Nihil ad hæc, o Socrates, huic adolescenti repugnes : bene enim dicit Theages. So. Atqui, si videtur oportere sic agere, sic agamus.

AMATORES.

[132] Dionysii Grammatici ludum ingressus, juvenes quosdam vidi honestam præ se ferentes indolem, claris ortos parentibus ; cumque iis una eorum etiam familiares. Aderant autem duo quidam adolescentuli invicem contendentes : quæ vero esset illorum quæstio, haud satis adverteram. Verumtamen de Anaxagora vel Œnopide disceptare videbantur, circulos describentes, et inflexiones quasdam summo quodam studio manibus imitantes. Ego autem alterius illorum amicum, juxta quem sedebam, cubito tangens interrogavi, cur ita contenderent adolescentes, et num magnum quiddam esset et pulchrum, in quo tantum studium ponerent. Tum ille, Quid, inquit, magnum et pulchrum ? nugantur enim isti de his quæ sublimia sunt, et philosophantes garriunt. Hujus ego responsum admiratus, O adolescens, inquam, an turpe tibi philosophari videtur ? curve tum acerbe respondes ? Alter vero, (juxta enim assidebat æmulus quidam istius,) cum et me interrogantem et respondentem illum audisset, Non expedit tibi, Socrates, inquit, interrogare hunc, an turpe existimet esse philosophiam, necne. nonne intellexisti, ipsum in tumiditate quadam et crapula atque somnolentia universam ætatem egisse, ut credas aliud quicquam eum tibi responsurum, quam, quod turpe sit philosophia ? Erat autem iste in musica eruditus ; alter autem, quem carpebat, in gymnastica, Videbaturque mihi oportere alium, quem prius interrogaveram, missum facere, quoniam haud sane in disputando sed in agendo potius se ipsum demonstrabat expertum. interrogandum autem censui illum, qui sapientiorem se ostendebat, ut, si quomodo possem, ab eo utilitatem aliquam reportarem. Dixi igitur ad eum, in communi me quæstionem proposuisse : si autem tu putas melius isto te responsurum, illud idem te nunc interrogo, utrum videatur tibi philosophari pulchrum esse, an secus ? Hæc fere dicentes audierunt [133] adolescentes, atque omissa ea, quæ inter ipsos erat, contentione, ad ea, quæ disserebamus, audienda se ipsos silentio paraverunt. respondit autem ille mihi, et valde quidem ambitiose, Si quando, o Socrates, philosophari turpe esse ducerem, neque me hominem putarem, neque quemvis alium sic affectum. Innuens autem in æmulum dicebat hæc ea voce, ut amici exaudire possent. Hic ego, Pulchrum igitur tibi philosophari videtur ? Et maxime quidem, inquit ille. Quid ergo, inquam, num videtur tibi fieri posse, ut noscat quis, turpene aliquid sit, an pulchrum, nisi a principio, quid ipsum sit, noverit ? Non. Nosti igitur, inquam, quod est aliquid philosophari ? Novi equidem. Quid est ? Quid aliud, quam secundum dicta Solonis ? dicebat enim Solon, Senesco semper plurima discens. Et mihi quidem videtur semper sic oportere aliquid discere eum hominem, qui philosophus futurus sit, sive juvenis sive senior sit ; ut in vita quam plurima discat. Atque is primo visus est mihi aliquid dixisse. deinde mecum reputans, interrogavi, an sibi philosophia polymathia, id est multa discere videretur. Et ille, omnino, inquit. Existimas pulchrum aliquid solum esse philosophiam, vel etiam bonum ? Et bonum quoque. Utrum in philosophia id proprium inspicis, an etiam in aliis eodem pacto judicas ; ut verbi gratia, studium gymnas-

ticæ non modo pulchrum esse, sed etiam bonum? Tunc ille et valde ironice duo diversa protulit: Adversus hunc, inquit, dicatur, quod neutrum sit; adversus autem te, o Socrates, et pulchrum et bonum simul esse confiteor. Ergo in gymnasiis multum laborem existimas esse gymnasticæ studium? Et maxime quidem, inquit ille, quemadmodum in philosophando multa discere philosophiam puto. Atque ego, credisne gymnasticæ studiosos aliquid aliud appetere, quam ut eorum corpora bene se habeant? Id ipsum, inquit. Num multi labores bonam corporis habitudinem efficiunt? [134] Quonam pacto, inquit ille, ex paucis laboribus robustum corpus fieri potest? At deinceps mihi visus est gymnasticus ille provocandus esse, ut mihi ex peritia gymnasticæ auxilium ferret. illum deinde percontatus sum, Quid autem tu taces, o vir optime, hæc isto loquente? num et tibi videntur homines ex multis laboribus, an temperatis robur acquirere? Equidem, o Socrates, asserere ausim ex moderatis corpus bene sese habere. Unde, inquam? non virum vigilantem dico et esurientem et insuetam spinam habentem et curis extenuatum? Et cum hæc dixisset, delectati adolescentes arriserunt. alter autem ille erubuit. Tunc ego, Quid tu igitur? concedisne, nec parvos neque magnos labores habitudinem bonam corporis efficere, sed moderatos? an repugnas nobis, cum duo simus in disputatione concordes? Libenter quidem, inquit, huic repugnarem: atque adversus eum valerem id, quod proposui, defendere, etiamsi causam haberem minus validam. nullius enim pretii est. Verum tecum nihil decet præter opinionem contendere: sed confiteor, non multas, immo temperatas exercitationes bonum corporis habitum hominibus præstare. Cibi autem, inquam, multi, an moderati? Et cibi, ait. Præterea compuli eum, ut concederet reliqua omnia, quæ circa corpus versantur, temperata quidem prodesse quamplurimum, pauca vero vel nimia nunquam. Et ille moderata juvare confessus est. At quæ ad animam spectant, cum moderata adhibentur, conducunt, an potius immoderata? Moderata. Disciplinæ autem nonne ex iis sunt, quæ animæ adhibentur et conferunt? Consensit. Ex disciplinis itaque quæ temperatæ sunt, non quæ multæ, utilitatem afferunt? Concessit. Quem ergo interrogare merito conveniret, quales sunt labores atque cibi moderati ad corpus? In hoc tres una convenimus, medicum videlicet vel pædotrivem, id est exercitationis magistrum, interrogandum. Quem vero de spargendis seminibus, quot moderata sint? Agricultorem confessi sumus. At vero de semente et plantatione disciplinarum in anima, quemnam merito percontabimur, quales vel quantæ temperatæ sint. Verum deinceps cum ambiguitatis pleni essemus, [135] ego jocans inquam, Vultisne, postquam nos in hoc ambigui sumus, ab iis adolescentibus id quæramus? an forsitan erubescimus, quemadmodum procos inducit Homerus, nolentes alium quempiam præter se arcum intendere. Sed cum orationem meam graviter ferre viderentur, alia quadam via id investigare aggressus, inquam, Qualia esse debere conjiciemus, quæ oportet philosophum discere, cum neque omnia neque multa sequi debeat? Suscipiens vero sermonem sapientior ille, ait pulcherrimas atque maxime congruas animo disciplinas esse, ex quibus maximam quis gloriam in philosophia consequitur: maximam vero gloriam adipiscetur, si singularum artium peritus esse videatur: si minus omnium, plurimarum saltem, earumque præsertim, quæ æstimatione sunt dignæ: ea præ ceteris discens, quæ liberos homines decent, quæve intelligentiæ ratione, non manuum ministerio, perficiuntur. Tum ego, sic, inquam, dicis, quemadmodum in fabrica contingit? in qua fabrum quidem ministrum vel ad summum quinque aut sex minis emeres, architectum vero neque drachmarum decem millibus: nam per omnem Græciam rari admodum reperiuntur. nunquid tale aliquid ais? Ille me audiens, id ipsum se dicere

confessus est. Eum mox interrogabam, utrum possibile esset, duas eundem duntaxat artes hoc pacto, nedum permultas magnasque percipere. Ne ita me dicere putes, o Socrates, quasi philosophantem oporteat singulas artes ad summum prosequi, quemadmodum artifices ; verum, ut liberum virum eruditumque decet : ut potis sit percipere, quæ a quocunque artifice proferuntur, præ ceteris omnibus, qui præsentes sint ; et ipse præterea ita mente conjectare, ut semper ipse elegantissimus ac sapientissimus præsentium omnium in his, quæ in quaque arte dicuntur et fiunt, appareat. Atque ego (adhuc enim quorsum tenderet ambigebam) Intelligone, inquam, qualem dicis esse virum philosophum ? Videris enim mihi talem dicere, quales in certamine sunt pentathli, id est periti quinque certaminum, erga cursores vel peltastas, id est clipeatos jaculatores. Etenim illi a cursoribus vel peltastis in eorum certaminibus superantur atque secundum ordinem obtinent ; reliquorum vero athletarum primi atque victores. Tale aliquid forte dicebas philosophiæ studium præstare philosophis : ut ab iis, qui in quavis arte [136] supremi sunt, in eadem arte intelligentia superentur dumque secundum locum tenent, sequentes reliquos antecedant : ut philosophus in singulis facultatibus secundæ sortis existat. ejuscemodi mihi videris philosophantem virum ostendere. Recte, inquit, o Socrates, accepisse videris, quæ de philosopho dicta fuerunt, cum eum pentathlo comparaveris. Est enim procul dubio talis, ut nulli negotio servire penitus velit ; neque in aliqua re usque ad summum elaborare : ne propter unius exactam diligentiam in aliis omnibus facultatibus, quemadmodum artifices, omnino deficiat ; sed omnia mediocriter temperateque attingat. Post hanc illius responsionem cupiens planius nosse, quid diceret, interrogavi, bonos viros utilesne an inutiles esse arbitraretur. Utiles, inquit, o Socrates. Nonne si boni utiles, mali inutiles erunt? Consensit. Quid autem, philosophos viros utiles vel inutiles putas ? Ad hæc ille maxime omnium utiles esse philosophos asseveravit. Age igitur, dignoscamus, si tu quidem vera dicis, quomodo utiles nobis sunt isti secundæ sortis homines. manifestum enim est, quod singulis artem habentibus inferior est philosophus. Annuit. Age, inquam, si vel tu vel ex amicis aliquis tibi carissimus ægrotaret, utrum ad curam valetudinis philosophum illum secundarium domum induceres, an medicum ? Utrumque. Ne mihi dicas utrumque : sed utrum potius ? Nullus, inquit, ambigeret, quin medicum et magis et prius. Quid autem in navi fluctibus agitata, utrum te et tua gubernatori, an philosopho committeres ? Gubernatori equidem. Et in reliquis omnibus, donec artifex aliquis adsit, philosophus erit inutilis ? Apparet, inquit. Philosophus igitur nunc nobis inutilis est, cum artifices adsint. Confessi vero sumus, bonos quidem utiles esse, malos inutiles. Coactus est denique confiteri. Quid ergo post hæc abs te petam ? an forsitan inhumanum est, ultra perquirere ? Quicquid lubet, inquit. Nihil aliud peto, nisi ut iterum concedantur jam dicta. habent autem se in hunc modum. Confessi sumus philosophiam [137] bonum esse : et exstare philosophos ; atque ipsos philosophos bonos : bonos autem utiles, malos contra inutiles. Deinde concessimus, donec artifices adsunt, philosophos inutiles esse ; et artifices adesse semper. nonne concessa hæc sunt ? Sunt. Confitemur igitur, ut videtur secundum tuam orationem, si quidem philosophari est, esse scientem in artibus eo pacto, quo ipse dixisti, malos ipsos esse et inutiles, quamdiu inter homines artes sint. Verum non ita se habent, o amice : neque philosophari est circa artes studiose versari, nec multis negotiis incumbere, neque multa perdiscere ; sed aliud quiddam : siquidem existimarem et absurdum hoc esse, et mechanicos appellari eos, qui artibus incumbunt. Hoc autem modo planius intelligemus, an vera dicam, si hoc mihi respondes. Qui equos recte domare sciunt ? utrum qui illos meliores reddunt, an alii ? Qui

meliores. Quid autem canes, num qui illos meliores reddere, iidem et recte illos coercere sciunt? Omnino. Eadem ergo ars et illos meliores reddit et recte coercet? Eadem. Quid autem? utrum quæ et meliores facit et recte coercet, eadem cognoscit bonos et malos; an alia? Eadem, inquit. Voles igitur, inquam, idem de hominibus confiteri, quæ optimos reddit homines, eandem esse, quæ et recte cohibet, et qui boni sint, quive mali, cognoscit? Prorsus, inquit. Nonne, quæcunque unum, eadem et multos: et quæ multos, unum? Ita. Et in equis præterea ceterisque omnibus eodem modo? Eodem modo. Quænam scientia est, quæ intemperantes, et legum transgressores in civitate recte punit? nonne judiciaria? Prorsus. An vocas justitiam aliam quandam præter istam? Non aliam. Nonne qua scientia recte castigant et puniunt, eadem bonos ac malos dinoscunt? Eadem. Quicunque vero unum norit, plures quoque cognoscet? Cognoscet. At qui multos ignorat, ignorabit et unum? Consensit. Si ergo equus existens bonos ac malos equos ignoret, se ipsum etiam, qualis est, ignorabit? Concessit. Et si hos cum sit, haud noverit qui sint boni aut mali boves, sese etiam qualis ipse sit ignorare eum necesse est? Ita est, inquit. Eodem quoque modo si canis fuerit? Confessus est. Nunc vero cum homo quis existens ignoret [138] bonos homines et malos, nonne sui ipsius etiam ignarus erit, bonusne sit an malus? Annuit. Se ipsum ignorare, sapere est vel desipere? Desipere. Se ipsum itaque nosse, sapere est? Confiteor, inquit. Hoc igitur, ut videtur, et inscriptio, quæ in Delphis est, præcipit. Prudentiam scilicet et justitiam colere. Apparet. Hac eadem et recte cohibere scimus. Annuit. Qua ergo recte cohibere scimus, ea utique justitia est: qua vero et nos ipsos et alios dignoscere possumus, prudentia. Videtur. Eadem igitur est justitia atque prudentia. Apparet. Quin etiam civitates tunc optime gubernantur, cum injusti dant pœnas. Vera narras. Atque hæc civilis scientia est. Est, inquit. Quid vero, quotiens vir unus recte civitatem instituit, nomen illi conveniens nonne tyrannus et rex? Annuit. Nonne tyrannica aut regia arte gubernat? Immo. Hæ itaque facultates eædem ac superiores sunt. Videntur. Quid vero, cum vir unus domum recte disponit, quod huic nomen maxime congruit? nonne œconomus ac dominus? Convenit. Utrum et iste justitia bene regit familiam, an alia facultate? Justitia. Idem est igitur, ut apparet, rex, tyrannus, civilis, œconomus, dominus, prudens, justus: atque una quoque ars est, regia, tyrannica, civilis, dominica, œconomica, justitia atque prudentia. Videtur. Quid itaque? philosopho viro, quotiens medicus de ægrotantibus quicquam dixerit, turpe est non posse dicta illius assequi, neque ex se ipso aliquid conjectare: et quandocunque alius quisquam aliorum artificum, eodem pacto: cum autem judex aut alius quis eorum, quos paulo ante retulimus, non absurdum in his nec assequi dicta, neque per se ipsum conjicere? Quidni esset absurdum, o Socrates, in tantis rebus nihil habere quod consulat? Utrum igitur, inquam, et circa hæc philosophum ut pentathlum esse oportere dicimus, et secundas possidentem partes inutilem esse, donec aliquis ex superioribus adsit: vel primum quidem ipsum oportere domum suam nulli administrandam præbere, neque secundas in hoc partes tenere, sed ex se ipso omnia castigare juste dijudicantem, si quidem ejus familia recte administrari debeat? Assentiebatur ille mihi. Atque ego addidi: Si etiam sibi amicus aliquis vitæ suæ rationem, aut civitas aliquid decernendum, aut judicandum committat, essetne turpe, [139] o amice, secundum in iis esse aut tertium, neque ducem existere? Ita mihi videtur. Absit igitur, o vir optime, ut philosophari sit plurima discere, artesque tractare. Cum ista dixissem, sapiens quidem ille ex ante dictis rubore affectus tacuit: indoctus autem affirmavit sic esse. et ceteri omnes dicta laudarunt.

ALCIBIADES I.

SOCRATES, ALCIBIADES.

[103] O FILI Cliniæ, admirari te arbitror, quod cum primus ipse omnium amare te cœperim, ceteris desinentibus te diligere, solus in benevolentia persevero : et cum amici reliqui frequentiori consuetudine tibi quotidie molesti fuerint, ego tot annis ne minime salutaverim. Hujus autem rei causa non humanum quippiam, sed repugnantia quædam dæmonii fuit, cujus potentiam in sequentibus audies. Nunc vero cum non ultra repugnet, huc ita profectus sum. spero insuper, nec in posterum nobis adversaturum. superiori autem tempore considerabam, quo pacto erga tuos amicos te gereres. Qui quamvis multi essent atque superbi, nemo tamen ex illis fuit, quin abs te fastu superatus abierit. Quam vero ob causam [104] illos contempseris, explicabo. Ais enim, te nulla in re hominibus aliis indigere : quippe quæ tibi insunt, ita esse præclara, ut nec ad corporis nec ad animi bona cujusquam egeas. Existimas te in primis procero atque decoro corporis habitu plurimum excellere. atque id apud omnes constat. Nobilissimo præterea genere ortum te prædicas præ ceteris, qui in hac urbe sunt, civitatum Græcarum amplissima. ex paterno quidem latere amicos atque cognatos adesse quam plurimos et optimos viros, qui tibi omnia, cum opus fuerit, sumministrare possint : maternos quoque nec istis inferiores, neque etiam pauciores. Sed multo majorem iis omnibus auctoritatem afferre tibi ad res agendas Periclem Xanthippi filium, quem quidem pater tuus tutorem tibi fratrique reliquit. qui non in hac civitate solum, quæcunque vult, potest, sed in omni Græcia et in multis etiam ac latis barbarorum generibus. Adderem quoque amplissimas tuorum divitias : nisi te scirem in iis minime omnium gloriari. Horum omnium causa fastu elatus, familiares omnes superbia superasti : atque ipsi, utpote inferiores, tibi cesserunt. Neque vero ista te latuere. quamobrem neque me etiam fugit, admirari te, quo animo in benevolentia perseverarim, quamve spem de te conceperim, qui aliis te relinquentibus ipse solus omnium perstiti. AL. At istud forte nescis, o Socrates, te nunc me paulo prævenisse· venerat enim in animum mihi, ut te prior adortus hæc eadem te rogarem. Quidnam vis ? quid sperans me turbas, ut semper, ubicunque sum, observantissime adsis ? Revera enim quid sit consilium tuum admiror, illudque libenter audirem. So. Audies igitur hoc a me, ut decet, quamprimum : siquidem, ut ais, nosse et audire desideras, quid cogitem. ego enim tanquam exspectanti et auscultaturo id referam. AL. Et maxime quidem. dicas modo. So. Vide itaque. neque enim mirum videri

debet, si quemadmodum vix incepi, ita vix desinam. Al. O vir optime, dic jam. audiam enim. So. Dicendum est profecto. Arduum quidem est, cum eo, qui amicos ceteros superaverit, amicitiam consuetudinemque inire. audendum tamen sententiam meam exprimere. Equidem, o Alcibiades, si te cognovissem iis rebus, quas supra narravimus, esse contentum, vitamque illis tuam mancipavisse, jandiu, ut mihi quidem videor, benevolentiam erga te meam [105] deposuissem. Nunc autem alias quasdam tuas de te ipso cogitationes arguam : ut intelligas, quam ob causam, cum semel tibi mentem adhibuerim, nunquam destiti. videris mihi sane, si quis deus tibi dixerit, O Alcibiades, nunquid vivere vis ea sola possidens, quæ nunc habes? an statim obire, nisi præstantiora quidem assequi liceat? mortem potius electurus. At vero qua nunc spe vitam agas, aperiam. Putas enim, si mox in Atheniensis populi concionem ascenderis, quod quidem paucos post dies futurum existimas, Atheniensibus demonstraturum te majori dignum esse honore, quam aut Pericles sit aut alius quisquam fuerit eorum, qui superioribus seculis floruerunt : quod si ostenderis, maximæ apud cives tuos auctoritatis fore. Atqui si plurimum hac in urbe possis, omnium quoque Græcorum, atque etiam Barbarorum, quicunque eandem quam et Græci incolunt regionem, clarissimum te futurum : et si deus idem imperium Europæ concesserit, transire tamen in Asiam, et ibi rebus agendis præesse vetuerit : nondum electurus mihi videris cum his solis vitam degere, nisi nomen tuum atque potentiam, ut ita dicam, per omnia hominum genera propagaris. teque arbitror præter Cyrum ac Xerxem neminem memoria dignum existimare. Quod igitur hujusmodi spe nutriris, non conjecto equidem, sed certo scio. forte etiam et tu confiteberis, utpote tui conscius, me vera dixisse. Al. Quid hoc, o Socrates, ad eam rationem, quam assignare volebas, ob quam me nondum deserueris? So. Ego tibi dicam, o amice Cliniæ et Dinomaches fili. has cogitationes tuas ad optatum finem perducere absque me minime potes : usque adeo in te ac tua negotia me posse confido. Quapropter deum ipsum censeo non permisisse olim, me tecum disserere : atque ego exspectavi, donec ille permitteret. Ut enim tu speras civitati tuæ ostendere posse, omni te apud eam honore dignum esse, atque his demonstratis nihil adeo magnum restare, quod non statim conficere possis : sic et ipse plurimum apud te posse confido, cum primum ostendero, cunctis me digniorem esse : nec tutorem neque cognatum neque alium quempiam, præter unicum me, deo favente, tibi eam potentiam, quam desideras, traditurum. Quamdiu igitur eras junior, necdum in spem tantam veneras, mea quidem sententia, deus tecum disputare prohibuit, ne frustra contenderem. nunc vero [106] impulit. Nunc igitur audies. Al. Longe mihi nunc mirabilior videris, o Socrates, postquam loqui mecum cœpisti, quam dum tacitus me sequebaris : quanquam etiam tunc aspectu talis maxime videbaris. Si igitur utrum ego hæc mente versarem, necne, ut videtur, optime cognovisti, etiamsi minus verbis expressero, nihil jam negotii erat ulterius ad te persuadendum. Esto sane. si ergo hæc ipse maxime intendo, quonam modo per te consequar, nec sine te ista perficientur? potesne dicere? So. Interrogasne, an prolixum sermonem incepturus sim, quales audire solitus es? Neque vero id mei moris est. Veruntamen ostendere tibi possum, ut arbitror, hæc ita se habere, modo in hoc uno duntaxat mihi obsequi velis. Al. Nisi arduum quiddam exigas, concedo. So. Num difficile tibi videtur, ad interrogata respondere? Al. Nequaquam. So. Responde igitur. Al. Interroga. So. An te interrogem, ut cogitantem ea, quæ cogitare te dixi? Al. Esto, si placet : ut tandem quid feras, videam. So. Age utique, intendis, ut supra dixi, brevi adire Atheniensem populum, consulturus. Si tibi igitur mox ad concionem profecturo ego obvius dicerem, O Alcibiades, postquam

Athenienses de aliquo deliberare constituerunt, surrexisti et tu deliberaturus: utrum de iis quæ tu melius, quam isti, calles? quid responderes ad hæc? Al. Responderem sane, de iis quæ melius nossem. So. Quæ igitur nosti, de iis quoque es consultor bonus? Al. Quidni? So. Nonne hæc sola cognoscis, quæ ab aliis didicisti vel ipse per te invenisti? Al. Quænam alia? So. Est aliquid quod quandoque didiceris vel inveneris, cum nolles invenire vel discere? Al. Non est. So. Nunquid voluisti unquam inquirere sive discere, quæ te scire putabas? Al. Nunquam. So. Quæ nunc scis, fuit quandoque tempus, quando te ignorare putabas? Al. Necesse est. So. Atqui quæ didicisti, ferme et ipse cognovi. quod si quid me fugerit, dicas. didicisti enim, ut memini, literas, citharam pulsare, palæstram. nam inflare tibias noluisti. hæc sunt, quorum tu scientiam habes: nisi quid clanculum forte didiceris. puto autem, nec noctu neque diu exisse te domo nos latentem. Al. Nullos, præterquam horum trium, præceptores audivi. [107] So. An, quotiens Athenienses de literis consultabunt, quo pacto scribi debeant, ad consilium accedes? Al. Non per Jovem. So. At cum de lyra pulsanda? Al. Nullo modo. So. Neque de palæstris etiam in concione disceptare consueverunt. Al. Minime. So. Quando igitur et qua de re consultantibus? non enim cum de ædificiis? Al. Non certe. So. Ædificator enim melius, quam tu, consulet. Al. Ita. So. Neque tamen cum de vaticinio disceptabunt? Al. Nequaquam. So. Fatidicus enim hæc melius quam tu. Al. Melius. So. Seu parvus sive magnus; seu formosus sive deformis; vel generosus vel ignobilis. Al. Certe. So. Scientis enim officium est, non divitis, de unoquoque consulere. Al. Quidni? So. Atque ideo seu dives sit sive pauper ille, qui monet, nihil intererit apud Athenienses, quando deliberabunt, qua ratione cives recte valeant: sed quærent duntaxat ut medicus sit consultor. Al. Et merito. So. Quando igitur, et in qua causa idoneus consultor eris? Al. Quando de negotiis eorum deliberabunt. So. An cum de re navali quærent, quales oportet naves fabricare? Al. Non, o Socrates. So. Naves enim struere nescis. estne hæc causa, an aliud quiddam? Al. Nil aliud. So. At vero de quibus eorum negotiis dicebas? Al. Cum de bello, o Socrates, vel pace aut alio quopiam civitatis negotio. So. Num dicis cum disputabunt, quibuscum pax tractanda sit et adversus quos bellum gerendum, et quo pacto? Al. Profecto. So. Oportet autem, quibus operæ pretium est hæc indicere? Al. His ipsis. So. Et tunc solum quando melius? Al. Omnino. atque tamdiu, quamdiu præstat certe. So. Si ergo quærerent Athenienses, adversus quos palæstra vel pugnis certandum sit et quomodo, ipse melius quam gymnasii magister consuleres? Al. Gymnasii magister melius. So. Potes dicere, ad quid ille respiciens admonebit, quibuscum luctandum sit palæstra vel non, et quando et quo pacto? Tale aliquid dico, Nonne cum iis certandum, quibuscum operæ pretium est? Al. Cum iis utique. [108] So. Et quantum præstat? Al. Et quantum præstat. So. Et tunc, quando melius? Al. Prorsus. So. Quin etiam cantorem oportet pulsare citharam et saltare ad cantilenæ ipsius exemplar? Al. Oportet. So. Nonne tunc, quando melius? Al. Tunc certe. So. Et tantum, quantum melius? Al. Confiteor. So. Quid ergo? postquam ipsum melius in utrisque nominasti, et in pulsatione citharæ secundum cantilenam, et in palæstra: quid vocas in recto ad cantum sono melius? quemadmodum ego in palæstra voco gymnasticum. tu autem quid illud appellas? Al. Haud intelligo. So. Sed conare me imitari. equidem ipsum melius responderem id quod per omnia recte se habet. Recte vero se habet, quod secundum artem fit, nonne? Al. Id ipsum. So. Nonne ars gymnastica? Al.

Quidni? So. Id sane, quod melius in palæstra, vocavi gymnasticum. Al. Vocasti quidem. So. An non recte? Al. Mihi videtur. So. Age igitur et tu. decet enim te quoque recte disserere. Dic primum, quæ ars est, ad quam pertinet recte canere, sonare, saltare, universa hæc ars quomodo nuncupatur? nondum potes exprimere? Al. Nondum. So. Verum sic enitere. quænam hujus artis deæ? Al. Musasne, o Socrates, ais? So. Equidem. inspice jam, quod ab iis cognomentum ars illa nanciscitur. Al. Musicam dicere mihi videris. So. Dico utique. Quid igitur est, quod secundum hanc recte perficitur? quemadmodum modo in illa arte ego tibi, quod secundum artem recte fieret, gymnasticum vocavi, tu quoque in hac eodem modo quid ais? et quomodo fieri? Al. Musicum mihi videtur, et musice. So. Bene dicis. age jam et ipsum quod in bello melius, et in pace ipsum quod melius, quid nuncupas? quemadmodum in superioribus dixisti, in unoquoque meliori: in uno quidem quod magis musicum, in altero vero quod magis gymnasticum: conare in iis similiter ipsum melius pronunciare. Al. Non habeo quid dicam. So. At vero turpe est, si quis te de cibis asserentem, quod melior est iste quam ille, et quando, et quantus, deinde interroget, Quid ipsum melius nuncupas, o Alcibiades? habere in iis quid respondeas, quod videlicet salubrius; quamvis te medicum esse non profitearis: in illo vero, cujus te peritum esse gloriaris, [109] et tanquam eruditus consulturus assurgis, si desit tibi quod respondeas interrogatus, quid melius sit. nonne, inquam, turpe hoc est? Al. Turpissimum. So. Considera itaque et conare nobis ostendere, quorsum tendit ipsum melius in pace quibuscum oportet conficienda, et in bello etiam contra quos oportet? Al. Etsi inquiro, nequeo tamen id invenire. So. Animadvertisti, cum bellum gerimus, quid sit quod accusamus et quomodo nuncupemus illud, quo ad bellum incitamur? Al. Animadverti equidem, ad arma nos provocari, cum decepti sumus vel coacti vel aliqua re privati. So. Age, dicas, quo differt pati illa hoc vel illo modo? Al. Cum dicis hoc vel illo modo, intelligisne idem, ac si diceres juste vel injuste? So. Id ipsum. Al. Omnino quidem et secundum totum differt. So. Adversus quos ut bellum ineant, Athenienses hortaberis? num adversus injuriam inferentes, an juste agentes? Al. Durum est id, quod interrogas. nam si quis putaret justos etiam viros opprimendos, non tamen id tibi confiteretur. So. Non enim legitimum hoc, ut videtur. Al. Minime. So. Neque bonum apparet. in his ergo tu circa id quod justum est verba facies? Al. Necesse est. So. Ita quod melius interrogarem, in bello gerendo aut non gerendo, et quibuscum oportet vel non, et quando oportet vel non, oportet id quod justius est. an non? Al. Videtur. So. Utrum igitur, o amice Alcibiades, te præterit, quod hoc ignoras: vel si me inscio ad præceptorem profectus es, unde dijudicare didiceris quid justius et quid injustius; age et mihi hunc ostende, ut illi me discipulum atque hospitem reddas. Al. Mordes, o Socrates. So. Non per deum mihi et tibi amicum, quem jurejurando minime fallerem. sed si habes, dic quis est. Al. Quid si non habeam, nonne putas aliter me justa atque injusta posse dignoscere? So. Immo, siquidem inveneris. Al. An non censes invenisse me? So. Et maxime quidem, modo quæsiveris. Al. Deinde non credis, me quæsisse? So. Credo equidem, modo te ignorare putaveris. Al. An non fuit tempus, cum sic me haberem? So. Bene dicis. sed scis assignare nobis id tempus, quando non rebaris te justorum atque injustorum cognitionem habere? [110] age, superiori anno ista quæsisti, nec existimabas te scire, vel existimabas? Ac vera responde, ne frustra disputationes procedant. Al. Putabam scire. So. Tertio vero anno ante id tempus et quarto et quinto, nonne eodem pacto? Al. Eodem. So. Atqui ante hæc

tempora nonne eras puer? Al. Eram. So. Tunc sane novi, te cognoscere putavisse. Al. Quomodo novisti? So. Sæpenumero te puerum audivi, cum apud ludimagistros, atque alibi, in calculorum jactu ceterisque puerilibus studiis exercereris, tanquam de justis atque injustis minime dubitantem, verum audacter loquentem, de quocunque puero sermo incidebat, quod malus et injustus esset, et injuste ageret. Num vera loquor? Al. Quid me oportebat facere, cum quis injuria me afficeret? So. Tu, si te ignorare contigerit, utrum inferatur injuria, necne, tunc quæris quid agere te oporteat? Al. Per Jovem non ignorabam quidem, sed plane intelligebam, injuriam mihi fieri. So. Ergo putabas, etiam dum esses puer, justa et injusta dignoscere. Al. Et sciebam equidem. So. Quo in tempore inveneras? non enim in illo, cum te scire credebas. Al. Nequaquam. So. Quando igitur hæc ignorare putabas? considera. non enim id tempus invenies. Al. Per Jovem, o Socrates, quod dicam non habeo. So. Non ergo per inventionem ista cognoscis? Al. Non videor. So. Sed paulo ante neque per disciplinam etiam percepisse dicebas. quod si nec inveneris neque didiceris, quonam pacto et unde cognoscis? Al. Forte haud recte respondi, cum scire me per inventionem asserui. Id vero in hunc modum se habuit. Didici ipse quoque, ut arbitror, quemadmodum alii. So. Rursus in idem relabimur. dic nobis, a quo didicisti? Al. A vulgo. So. Non ad probatos refugis præceptores, cum ad vulgus te refers. Al. An non sufficiunt ad hæc docenda isti? Nonne etiam docere possunt, quæ pertinent ad talares ludos, et quæ non? etsi viliora ista sunt, quam justa. An non sic tu quoque putas? So. Puto. Al. Deinde nonne minora quædam, atque etiam nonnulla majora tradere possunt? So. Arbitror equidem. Al. Enimvero multa docere possunt meliora ludo talari. So. Quænam ista? [111] Al. Ut est Græce loqui. ab iis enim didici, nec præceptorem ullum habui præter istos, quos tu magistros haud satis probatos esse dicebas. So. O generose, hujus quidem rei vulgares homines idonei præceptores sunt, et merito in hac doctrina laudantur. Al. Cur? So. Quoniam habent quod bonos decet præceptores habere. Al. Quid hoc? So. Nonne scis, oportere eos qui aliquid docturi sunt, prius quam doceant, intelligere? Al. Quidni? So. Intelligentes autem consentire invicem, neque differre? Al. Ita. So. In quibus igitur dissentirent, ea scire illos assereres? Al. Minime. So. Horum ergo quomodo boni essent magistri? Al. Nullo modo. So. Videturne tibi dissentire multitudo, si quando interrogetur, quid lapis et quid lignum? an non in idem feruntur omnes, cum lignum volunt aut lapidem capere? atque eodem pacto in cunctis hujusmodi? Al. Intelligo ferme, quod tale quiddam Græcam locutionem esse dicis. nonne? So. Dico equidem. Atque iccirco in iis nonne conveniunt, ut diximus, et privatim et publice civitates invicem, neque dubitant, hæ quidem hoc, hæ vero aliud quiddam vocantes? Al. Non dubitant. So. Merito ergo istorum idonei præceptores essent. Al. Nempe. So. Itaque, si quem in his vellemus eruditum evadere, recte hunc in doctrinam multitudinis mitteremus. Al. Prorsus. So. Si autem nosse vellemus, non modo qui homines et qui equi sint, verum etiam qui ex illis maxime cursu valeant et qui non: nunquid vulgus erudire poterit? Al. Nequaquam. So. Sufficiens hæc tibi conjectura erit, quod nec sciant vulgares omnes, neque apti horum præceptores sint, quoniam de iis inter se nequaquam conveniunt. Al. Videtur. So. Quodsi intelligere cupiamus, non tantum qui sint homines, sed qui bene valeant vel ægrotent: nunquid multitudo docebit? Al. Non. So. Multitudinem ista docere non posse facile advertes, si discordes opiniones consideraveris. Al. Sane. So. De justis autem hominibus atque rebus multitudo [112] secum ipsa et cum aliis consentit?

Al. Minime per Jovem, o Socrates. So. At in iis magnopere discrepat? Al. Summopere. So. Arbitror nec vidisse te unquam nec audisse homines de sanis et ægrotis inter se adeo dissentire, ut ob ista bellum gererent seque invicem interimerent. Al. Nunquam. So. Ceterum de justis atque injustis quam acriter dissentiant, etsi ipse, ut arbitror, non vidisti, audisti tamen cum ex aliis multis, tum etiam ex Homero in Odyssea atque Iliade. Al. Omnino, o Socrates. So. Nonne igitur hæc omnia poëmata sunt de justi atque injusti discrimine? Al. Sunt. So. Pugnæque et interitus ob eandem profecto dissensionem inter Achivos Trojanosve fuerunt: eademque ratione inter procos Penelopes et Ulixem. Al. Vera refers. So. Reorque et inter Athenienses, Lacedæmonas atque Bœotios, qui prius in Tanagra, deinde in Coronia perierunt, ubi etiam pater tuus Clinias oppetiit, nulla alia de re quam de justi injustive differentia pugnam illam acerbissimam exstitisse. Al. Vera loqueris. So. Eos itaque dicemus illa scivisse, et quibus tam acriter concertarunt, ut de justo et injusto altercantes omnia extrema subirent? Al. Non videtur. So. Nonne in eos præceptores te refers, quos ipsemet ignorare consentis? Al. Videor. So. Quonam pacto conveniens est te justa et injusta cognoscere, in quibus sic aberras, nec didicisse ab aliquo videris neque per te etiam invenisse? Al. Ex iis, quæ tu dicis, non est consentaneum. So. Vides iterum, Alcibiades, hoc te non recte dixisse? Al. Quid? So. Quod me aiebas hæc dicere. Al. Quid autem? non ipse dicis me circa justa et injusta ignarum esse? So. Nequaquam. Al. Egone igitur? So. Tu, inquam. Al. Quonam modo? So. Sic intelliges. si te interrogem, utrum unum aut duo plura sint, respondebisne duo? Al. Duo. So. Quanto? Al. Uno. So. Uter nostrum erit, qui dicet duo uno plura quam unum? Al. Ego. So. Nonne ego interrogabam, tu respondebas? Al. Ita. [113] So. De iis ergo uter nostrum dicere videtur, num ego interrogans, an tu respondens? Al. Ego. So. Quid autem? si quæram, quot sunt in Socrate literæ, tu vero respondeas, uter nostrum erit qui dicet? Al. Ego. So. Age, dic uno verbo, quotiens interrogatio fit atque responsio, uter est qui dicit? interrogansne an respondens? Al. Respondens mihi videtur, o Socrates. So. Ego in superioribus semper interrogavi. Al. Semper. So. Tu vero respondisti? Al. Respondi. So. Quæ igitur dicta sunt hactenus, uter nostrum dixit? Al. Ex iis quæ concessa sunt, ego dixisse videor. So. Nonne dictum est, quod Alcibiades bonus Cliniæ filius justorum atque injustorum inscius, se scire putabat, eratque concionem Atheniensium ascensurus, ea consulens quæ nesciret? Sunt hæc vera? Al. Sunt. So. Euripidis illud nunc nobis, o Alcibiades, occurrit. Abs te quippe ista videris audisse, non a me: neque ego hæc, sed tu dixisti. me autem frustra accusas. Et profecto bene dicis. Furiosum enim quiddam aggredi, o vir optime, statuisti, docturus illa, quæ nescias neque discere cures. Al. Reor, o Socrates, Athenienses et alios Græcos raro, quænam justiora quæve injustiora sint, quærere. talia enim putant esse perspicua. his igitur omissis, quæ conducant agentibus, inquirunt. neque enim eadem esse justa et utilia puto. quin multis injuste agentibus injustitia profuit: alios contra juste agentes nil ipsa justitia juvit. So. Alia ergo justa erunt, alia conferentia: nunquid vero nosse putas, quæ utilia sunt hominibus, et quam ob causam? Al. Et quid prohibet, Socrates? nisi rursus exquiras, a quo didicerim aut quomodo ipse invenerim. So. Tale quiddam nunc agis: ac si quid non recte dicas, possitque id ostendi per eandem rationem, qua superiora: ipse tamen nova quædam existimes audienda novasque demonstrationes in medium adducendas, quasi priores discissæ et confractæ sint instar apparatuum atque vestium, quibus in scena utuntur; quibus quidem tu non amplius induaris, nisi quis aliud

quiddam purum immaculatumque afferat. Ego autem, missa faciens [114] sermonis tui præludia, nihilominus interrogabo, unde utilia didiceris, et quis magister fuerit: et reliqua cuncta quæ prius, una interrogatione requiram. Veruntamen eodem, ut arbitror, revolveris, neque ostendere poteris, qua ratione utilia, disciplinane an inventione cognoveris. Quando vero adeo deliciis deditus es, ut non libenter sermonem eundem gustaturus videare: hoc quidem dimitto, noscasne, an non, quid utile quidve inutile sit Atheniensibus. Utrum autem eadem sint justa et utilia, an diversa, cur non demonstras, aut ipse me interrogans, ut ego te, aut si placet, per te ipsum, tua tantum oratione discurrens? Al. Haud scio, o Socrates, an adversus te disputare valerem. So. At, o bone vir, concionem me in præsentia populumve esse puta. nonne illic te unicuique persuadere oportebit? Al. Oportebit. So. Nonne ejusdem est, posse uni seorsum aliquid demonstrare, nec non multis simul in iis, quæ cognoscit? sicut grammaticus unum pariter in literis ac multos erudit: et in numeris eodem modo quis poterit uni ac multis ostendere? Al. Certe. So. Hic autem est arithmeticus? Al. Est. So. Et tu ergo quæ pluribus, eadem uni persuadere potes? Al. Consentaneum est. So. Sunt autem hæc videlicet, quæ cognoscis. Al. Profecto. So. Hoc vero duntaxat differt rhetor qui apud populum loquitur, ab eo qui in hujusmodi congressu: quod ille simul universis, hic seorsum singulis persuadet. Al. Videtur. So. Age, cum ejusdem esse appareat, multis atque uni ostendere, meditare nunc coram me, atque enitere, ut ostendas mihi, quod justum est, aliquando non prodesse. Al. Contumeliosus es, o Socrates. So. Nunc per contumeliam demonstraturus sum tibi contraria eorum, quæ tu mihi non vis. Al. Dic. So. Responde modo interroganti. Al. Minime: sed tu ipse dicas. So. Nonne vis quam maxime persuaderi? Al. Prorsus. So. Si dixeris hæc ita se habere, an non eris maxime persuasus? Al. Mihi quidem videtur. So. Responde igitur. nam nisi a te ipso audieris justa omnia utilia esse, alteri dicenti non credes. Al. Non. sed jam respondendum est. nihil enim nociturum existimo. So. Vates profecto es. [115] verum dic: Justorum quædam conferre asseris, quædam minime? Al. Assero. So. Quid autem, horum partim esse pulchra, partim contra? Al. Quomodo istud interrogas? So. Utrum quispiam tibi aliquando visus sit turpia quidem facere, sed tamen justa? Al. Mihi nunquam. So. Omnia itaque justa etiam pulchra. Al. Ita. So. Rursus pulchra, utrum omnia bona, an partim bona, partim mala? Al. Arbitror equidem, o Socrates, nonnulla ex pulchris mala esse. So. Et turpia quædam bona? Al. Certe. So. Nunquid tale quiddam dicis, perinde ac si nonnulli, dum in prœlio amico vel propinquo cuidam opem ferre vellent, vulnerati perierint: qui vero debitum auxilium non præstiterunt, incolumes inde discesserint? Al. Et maxime quidem. So. Nonne auxilium hujusmodi pulchrum appellas, ubi quis servare conatur, quos oportebat? eaque fortitudo est? Al. Profecto. So. Malum vero vocas ob interitus ac vulnera? Al. Voco. So. An non est aliud fortitudo, aliud mors? Al. Aliud. So. Non ergo secundum idem pulchrum simul ac malum est, amicis opem ferre? Al. Non videtur. So. Vide itaque, utrum qua ratione pulchrum, etiam bonum sit, quemadmodum in iis. secundum fortitudinem enim concedis pulchrum esse auxilium ferre. ipsa autem fortitudo bonumne an malum? Sic vero considera: Utra eligeres adesse tibi, bona an mala? Al. Bona. So. Nonne maxima bona maxime notares: ac minime omnium his privari velles? Al. Quidni? So. Quid de fortitudine dicis? quanto illam pretio commutares? Al. Ne vivere quidem vellem, si timidus essem. So. Extremumne malum tibi videtur esse timiditas? Al. Mihi vero. So. Æque ac mori, ut vide-

tur. Al. Æque. So. Morti atque timiditati vita et fortitudo contraria sunt? Al. Sunt. So. Et hæc quidem maxime optares adesse tibi: illa minime? Al. Certe. So. An non ex eo, quod hæc optima, illa pessima esse censes? Al. Valde. So. Igitur auxilium ferre amicis in prœlio, pulchrum quidem vocabas secundum boni, id est fortitudinis actionem. Al. Videor sane. So. Secundum vero actionem mali, id est mortis, malum. Al. Mihi quidem videtur. So. An non congruum est, sic unamquamque actionem denominare? si enim eam, prout malum fert, malam appellas, contra prout fert bonum, [116] bonam vocare decet? Al. Videtur. So. Nonne etiam qua bonum, pulchrum: qua malum, turpe? Al. Maxime. So. Cum ergo dicis auxilium ipsum in bello pulchrum esse, sed malum: idem est ac si dixisses ipsum bonum quidem, malum tamen. Al. Vera mihi dicere videris, o Socrates. So. Nihil igitur pulchrum, quatenus pulchrum, malum est: neque turpe quicquam, quatenus turpe, bonum. Al. Non videtur. So. Præterea hunc in modum contemplare. Quisquis pulchre agit, nonne bene agit? Al. Utique. So. Bene autem agentes, nonne felices? Al. Quidni? So. An non felices propter bonorum possessionem? Al. Et maxime. So. Acquirunt autem hæc ex eo, quod pulchre ac bene agunt? Al. Certe. So. Igitur bene agere, bonum. Al. Quidni? So. Nonne pulchrum actio bona? Al. Certe. So. Idem itaque rursus apparet nobis pulchrum ac bonum. Al. Apparet. So. Quicquid igitur inveniemus pulchrum esse, idem quoque bonum exsistere hac ratione reperiemus. Al. Necesse est. So. Bona autem conferunt, necne? Al. Conferunt. So. Meministi, quid supra de justis confessi simus? Al. Reor, justa agentes necessarium esse pulchra facere. So. Pulchra vero agentes, nonne etiam bona? Al. Ita. So. Et bona prodesse? Al. Penitus. So. Justa igitur, o Alcibiades, utilia sunt. Al. Videtur. So. Hæc nonne ipse dixisti, ego autem interrogavi? Al. Apparet. So. Si quis igitur surgat, Atheniensibus vel Peparethiis consulturus, putans justa se et injusta dignoscere, dicatque scire se justa interdum esse mala, nonne ipsum irrideres, cum tu asseras eadem justa et utilia esse? Al. Per deos, o Socrates, quid dicam nescio, sed absurdo quodam modo habere me videor. nunc enim alia videntur mihi interrogante te, nunc alia. So. Ignoras, o amice, quænam hæc affectio sit? Al. Ignoro. So. Si quis te interrogasset, duosne an tres oculos habeas, mamusve duas an quatuor, aut aliud quiddam hujusmodi: putas illi te tum hoc tum illud, an idem semper responsurum fuisse? Al. Etsi de me ipso [117] jam vereor, puto tamen eadem responsurum. So. An non hujus causa est, quia cognoscis? Al. Arbitror. So. De quibus igitur invitus contraria respondes, constat illa te ignorare. Al. Consentaneum est. So. Nonne circa justa et injusta, pulchra et turpia, bona et mala, utilia et inutilia respondendo te errasse fateris? deinde non manifestum est, ob eam causam erravisse, quod ignoraveris? Al. Videtur mihi. So. Num ita res se habet? cum quis aliquid ignorat, illius animum circa id errare necesse est? Al. Quidni? So. Scisne, quo pacto in cœlum ascendas? Al. Minime per Jovem. So. Aberrat circa hæc opinio tua? Al. Non certe. So. Scis autem hujus causam, an me dicere mavis? Al. Dic. So. Quoniam cum nescias, non putas te scire. Al. Quomodo rursus id ais? So. Inspice tu quoque una mecum: Quæ nescis cognoscisque te ea nescire, num in illis laberis? quemadmodum de parandis obsoniis, nosti sane quod nescis? Al. Penitus. So. Utrum circa hæc opinaris, quomodo parare conveniat, atque erras? an potius scienti concedis? Al. Hoc pacto. So. Quid si navigares? nunquid opinareris et inquireres, quomodo gubernaculum esset ad internane an ad externa flectendum, atque utpote nescius aberrares? vel potius

gubernatori concedens, quietem ageres? Al. Gubernatori. So. Non igitur erras in iis quæ nescis, si nescire te noveris. Al. Non videtur. So. Cernis errores in actionibus esse ob hanc ignorantiam, quod qui nescit, scire se putat? Al. Quo pacto id ais? So. Tunc agere aggredimur, cum nosse putamus, quod agimus. Al. Ita est. So. Quodsi qui ignorantiæ suæ conscii sunt, aliis se committunt. Al. Quidni? So. Quapropter isti ex ignorantibus soli sine culpa vitam agunt, ex eo quod aliorum curæ se credunt. Al. Profecto. So. Quinam peccant? non enim scientes. Al. Non certe. So. Postquam neque scientes neque ex ignorantibus ii, qui ignorantiæ suæ conscii sunt, errant: quinam alii restant quam ii, [118] qui cum nesciant, scire se putant? Al. Non alii, sed isti. So. Hæc igitur ignorantia malorum causa est et vituperanda inscitia. Al. Nempe. So. Et quando circa maxima est, tunc deterrima atque turpissima. Al. Maxime. So. Num habes quicquam majus quam justum, bonum, utile? Al. Nequaquam. So. Nonne circa hæc errasse te asseris? Al. Assero. So. Quod si erras, nonne ex superioribus perspicuum est, quod non modo in maximis rebus inscius es, verum etiam, cum sis ignarus, scire te putas? Al. Videor. So. Papæ, o Alcibiades, quo pressus es morbo! hunc equidem nominare horresco. veruntamen, cum soli simus, dicendum est. In turpissima namque inscitia, o optime, versaris, ut ipse oratione tua de te arguis: quamobrem prius te ad civilia confers, quam sis gubernandi peritus. neque te solum morbus hic tenuit, verum etiam omnes, qui hanc rem publicam administrarunt, præter admodum paucos ac fortasse præter tutorem tuum Periclem. Al. Fertur, o Socrates, non casu quodam sapiens evasisse Pericles, quin multis ac sapientibus viris familiariter usus fuisse, Pythoclide in primis et Anaxagora: et nunc etiam tam grandis natu sapientiæ gratia Damone utitur. So. Num quem vidisti sapientem, qui in ea re, in qua ipse sapit, alium sapientem efficere non posset? veluti qui te in literis erudivit, ipse quidem erat sapiens, teque pariter reddidit sapientem: et eodem pacto quemvis alium poterat. Al. Profecto. So. Et tu quoque, eruditus ab illo, alium instruere poteris? Al. Potero. So. Similiter citharœdus et magister gymnasii. Al. Penitus. So. Optima igitur hæc conjectura est, quosdam aliquid nosse, cum alium quoque doctum ab ipsis ostendere possunt. Al. Mihi quidem videtur. So. Habes quem dicere possis a Pericle sapientem factum, a filiis incipiens? Al. Quid si Periclis filii stolidi nati sunt? So. At vero fratrem tuum Cliniam? Al. Quid Cliniam in medium adducis, hominem insanum? So. Postquam Clinias quidem furit, filii vero Periclis stolidi nati sunt, tibi quam causam adscribemus, propter quam te, cum talis sis, negligat? Al. Ego ipse, ut arbitror, in culpa sum, cum illi mentem non adhibuerim. So. Verum ex aliis [119] Atheniensibus vel hospitibus, dic quem vel servum vel liberum sapientiorem sua consuetudine fecerit: sicuti ego tibi ostendere possum propter Xenonis familiaritatem Pythodorum Isolochi et Calliam Calliadæ filios factos esse dignos sapientesque viros, quorum uterque centum minas Xenoni tradidit. Al. Per Jovem non habeo, quem dicam. So. Esto. quid ergo de te ipso cogitas? utrum qualis nunc es, et in posterum fore, an curari quodam modo? Al. Communi consilio opus est, o Socrates. etenim tua dicta intelligo, eisque assentior. nam qui rem publicam administrant, præter admodum paucos, ineruditi mihi quoque videntur. So. Quid tum? Al. Si periti essent, oportebat aggredientem cum illis pariter concertare, postquam didicisset ac se ipsum exercuisset, tunc demum tanquam ad athletas proficisci: nunc autem postquam et isti imperiti ad rem publicam accesserunt, quid exercitatione opus est mihi? quid studio disciplinæ? novi enim, quod naturæ dotibus longe hos superabo. So. Papæ, quidnam, o optime, dixisti?

quam indignum indole tua ac reliquis, quæ tibi adsunt! Al. Quorsum hæc, o Socrates? So. Graviter enim fero ob mutuam inter nos benevolentiam. Al. Quidnam? So. Quod dignum putaveris adversus homines, qui hic sunt, fore tibi certamen. Al. Adversus quos igitur? So. Decetne, ut id quærat vir, qui tanti se facit? Al. Quid ais? nonne adversus istos mihi certamen? So. Si pugnaturam triremem gubernare statueres, satisne tibi esset, tuis connautis in gubernatione præstare? aut hoc existimares quidem adesse oportere, respiceres autem ad strenuos adversarios, non, ut nunc facis, ad propugnatores tuos: quibus te tantum oportet excellere, ut non contra illos pugnandum existimes, sed eos potius parvi pendens, ceu ministris adversus externos hostes utaris: si quidem revera egregium aliquod facinus edere velis, te ac re publica tua dignum? Al. At id quidem cogito. So. Quam dignum est, ut sat tibi factum putes, si sis tuorum militum præstantissimus, non autem respicias ad hostium duces, qua ratione illis excellas, conjectans ad eos semper, et contra illos te muniens? Al. Quos dicis, o [120] Socrates? So. Nostin urbem nostram cum Lacedæmoniis ac magno Persarum rege undique bellum gerere? Al. Vera dicis. So. Nonne, cum habeas in animo, hujus civitatis dux fieri, recte senties, si putaveris adversus Lacedæmoniorum Persarumque reges certamen te subiturum? Al. Vera dicere videris. So. Non, o bone vir: sed ad Midiam coturnicum nutritorem te decet inspicere et alios hujusmodi, qui civilia tractare similiter aggrediuntur, adhuc serviles, ut mulieres dicerent, habentes in animo pilos ob rusticam imperitiam, necdum illos abjicientes, verum adhuc barbariem redolentes: atque ita affecti prodeunt, adulaturi civitati, non autem imperaturi. ad istos, inquam, intueri te decet, ac te ipsum negligere, neque discere, quæcunque ad eruditionem pertinent, cum sis tantum certamen aditurus: neque te in quibus oportet exercere, et quæ sunt præparanda, parare, atque ita institutum civilem administrationem capessere? Al. O Socrates, vera mihi dicere videris. arbitror tamen Lacedæmoniorum duces regemque Persarum nihilo ab aliis discrepare. So. At, o vir optime, animadverte, quæso, qualis hæc sit opinio tua. Al. Qua in re? So. Num existimas te ipsum diligentius curaturum, si illos tanquam formidaveris potentesque censueris, an si minime eos timueris? Al. Si potentes illos existimavero. So. An censes, tui ipsius curam in aliquo tibi posse nocere? Al. Nullo modo: at contra, maxime juvare. So. Unum quidem hoc inprimis tantum malum ista tua opinio continet. Al. Vera dicis. So. Secundum vero, quod falsa est: atque id ex veri similibus adverte. Al. Quomodo? So. Utrum consentaneum est, meliores esse naturas in nobili genere, quam ignobili? Al. Manifestum, quod in generoso. So. Nonne bene nati, si bene etiam nutriantur, ita demum ad virtutem perveniunt? Al. Necesse est. So. Consideremus itaque, illis nostra comparantes: primum quidem, utrum Lacedæmoniorum Persarumque reges ignobiliori, quam nos, genere orti videantur. An ignoramus illos quidem ab Hercule, hos autem ab Achæmene genus ducere? Herculis autem et Achæmenis origo in Persem Jovis filium reducitur. [121] Al. Et nostrum quidem, o Socrates, in Eurysacem: Eurysacis in Jovem. So. Atqui nostrum, o generose Alcibiades, in Dædalum etiam: Dædalus autem in Vulcanum Jovis filium. Verum istorum majores, ab iis incipientes, reges sunt ex regibus usque ad Jovem: illi quidem Argorum et Lacedæmonis, isti vero Persidis semper; sæpe etiam, ut et nunc, Asiæ. Nos autem superioresque nostri privati. Quod si te oporteret progenitores ac patriam Eurysacis ostendere Salamina, vel Æaci etiam prioris Æginam Artaxerxi Xerxis filio, quos te risus reportaturum putas? sed vide, ne generis dignitate, ac etiam educatione illis inferiores simus. Nunquid audisti, quanta sit Lacedæmonio-

rum regum dignitas? quorum uxores publice observantur ab Ephoris i. e. præfectis, ut, quoad fieri potest, rex non ex alio latenter, quam Heraclidarum genere oriatur. Persarum vero rex adeo excellit, ut nemo suspicetur regem ex alio quam ex ipso genitum esse. quamobrem regis uxor non ab alio quam metu custoditur. Postquam vero natus est primogenitus, qui succedit in regno, primo quidem eum diem omnes, qui sub regno sunt, celebrant: atque ita in posterum quotannis natalem regis diem sacris ac festis omnis Asia colit. cum vero apud nos quis nascitur, ne vicini quidem, ut ait Comœdus, sentiunt, o Alcibiades. Deinceps nutritur puer, non a quavis nutrice, verum ab eunuchis, qui reliquorum circa regem optimi videantur: quibus et alia, quæ spectant ad curam pueri, demandantur, ac præcipue ut natum quam pulcherrimum reddant, componentes membra ejus atque dirigentes. atque hæc facientes magno in honore habentur. Cum autem pueri septimum ætatis annum impleverunt, ad equestris artis magistros proficiscuntur, deinde in venationem tendunt. Anno vero quartodecimo puerum suscipiunt hi, quos regios pædagogos appellant. sunt ii profecto electi ex omnibus Persis ætate sua præcipui quatuor, sapientissimus, justissimus, temperatissimus atque fortissimus. [122] quorum primus magicam Zoroastris Oromasii filii docet. est autem illa deorum cultus. atque idem tradit instituta regia. Secundus admonet, ut in omni vita sit verax. Tertius, ne ulla cupidine superetur, ut liber vivere consuescat, ac revera rex, imperans primum iis, quæ in se sunt, nec ulli serviens. Quartus denique impavidum illum et intrepidum reddit, ne quando quippiam metuens servus fiat. Tibi autem, o Alcibiades, Pericles instituit pædagogum Zopyrum Thracem, omnium servorum suorum ob senium inutilissimum. Narrarem præterea tibi reliquam educationem et disciplinam adversariorum tuorum, nisi prolixitatem vererer. quin etiam satis hæc sunt ad cetera, quæ ex iis sequuntur, ostendenda. Tuæ vero aliorumve Atheniensium generationis, educationis et disciplinæ nulli, ut ita dicam, propinquorum cura est, nisi forte amici id curent. Si autem divitias deliciasque et vestium luxuriosum ornatum, unguentorumque odores ac ministrorum sequentium turbam, aliamque Persarum mollitiem considerare volueris, ipse tecum tui gratia erubesces, sentiens quanto sis illis inferior. Rursus si respicere velis ad Lacedæmoniorum temperantiam, modestiam, facilitatem, mansuetudinem, magnanimitatem, moderationem, compositionem, fortitudinem, constantiam, tolerantiam, victoriæ cupiditatem et amorem gloriæ: puerum te in iis omnibus judicabis. Si quid rursus opulentiæ tribuis, et in hac putas aliquid esse, neque hæc a nobis silentio prætereatur. Modo enim sentias, ubinam sis, et Lacedæmoniorum divitias intuearis, cognosces profecto nos ab illis longe admodum superari. quicquid enim agrorum aut sui aut Messaniæ possident, nemo utique dubitaret, quin amplitudine et ubertate ac servorum tam aliorum quam Heliconum frequentia, et equorum præterea aliorumque pecorum, quæ fert Messania, copia nostros exsuperet. Ceterum hæc omnia in præsentia omitto. Auri vero et argenti apud Lacedæmonas copia tanta, quantam ne universa quidem reliqua Græcia possidet. multa enim jam secula infertur quidem illuc ex universa Græcia, sæpe etiam ex Barbaria: effertur autem nusquam. sed re vera, quemadmodum apud Æsopum [123] vulpes leoni dixit de ferarum vestigiis, sic et nummorum vestigia ingredientium Lacedæmonem tuta quidem videntur in pulvere: egredientium vero nusquam apparent. unde conjectare licet Lacedæmonios auri atque argenti Græcorum omnium esse ditissimos. quin etiam rex illorum pecuniosissimus est. ex iis enim maxima pars ad ipsum pervenit. tributum præterea regi pergrande impenditur. Et res quidem Lacedæmoniorum quoad reliquos Græcos amplæ: quoad vero Persas regesque Persarum angustæ. Retulit quippe nobis vir

quidam gravis, unus ex iis, qui ad Persarum regem profecti erant, se quandoque integrum pæne diem, latam ac fertilem peragrasse provinciam, quam incolæ uxoris regiæ Zonam appellant. esse quoque aliam, nomine Calyptram i. e. ornatum capitis muliebrem : atque ita multas alias regiones pulchras ac fertiles ad ornatum reginæ referri nominaque singulis locis a singulis ornamentis imposita. Quamobrem, opinor, si quis diceret Amistridi Xerxis quidem uxori, regis autem matri, Dinomaches filium in animo habere cum suo pugnare : cum Dinomachi ornatus adsit forte quinquaginta minarum ; filio vero agri plethra in Erchiasis minus quam trecenta : eam admiraturam, qua re fretus Alcibiades audeat cum Artaxerxe pugnare. reorque illam arbitraturam, hunc virum in nulla alia re, nisi diligentia sapientiaque, confisum id aggredi : hæc quippe sola apud Græcos æstimatione digna existere. Quod si forte audiret Alcibiadem istum certamen tantum inire, primo quidem nondum integros viginti annos natum : deinde omnino indoctum, nec amico suo obedientem, dicenti prius discendum exercendumque, quam tantum regem invadat : arbitror illam admiratione concitam interrogaturam, quidnam sit, quo adolescens iste confidat. Cui si responderemus, pulchritudine, proceritate, nobilitate, divitiis, animo te fidere : nos, o Alcibiades, insanire putaret, hæc apud suos omnia potiora conspiciens. Eodemque modo Lampidonem Leotychidæ filiam, [124] Archidami vero uxorem, Agidis autem matrem, qui omnes reges exstitere, miraturam, cum norit qualia circa se sunt, te tam male instructum filio suo non dubitare bellum indicere. Atqui nonne turpe videtur, si hostium mulieres rectius de nobis sentiunt, quam nos ipsi, quemadmodum contra illos nos ipsos accingere debeamus? Ceterum, o beate, mihi parens, et illi, quod in Delphis est, epigrammati, Nosce te ipsum : quoniam ii sunt adversarii nostri, non quos ipse rebaris : quos quidem nulla re alia, nisi industria et arte, superare possumus, quibus profecto si inferior fueris, gloria quoque apud Græcos et Barbaros tibi deerit : quam sic ardenter videris appetere, ut nemo unquam aliquid ardentius concupiverit. Al. Quam igitur curam adhibendam censes, o Socrates? An potes ostendere? mihi enim supra quam dici possit, vera dixisse videris. So. Possum quidem. verum communi consilio opus est, qua ratione quam optimi efficiamur. ego enim non te tantum, verum etiam me disciplina indigere dico. nam unum solum est, quo a te differo. Al. Quid? So. Curator meus melior est et sapientior quam tuus Pericles. Al. Quis hic, o Socrates? So. Deus, o Alcibiades, qui me vetuit ante hunc diem tecum disserere : cui credens assero te per nullum alium, nisi per me, claritatem consecuturum. Al. Jocaris, o Socrates. So. Forsitan : vera tamen loquor, quod ambo curatione indigemus : immo homines universi, ceterum nos quamplurimum. Al. Quod quidem ego indigeam, haudquaquam mentiris. So. Neque etiam, quod ego ipse. Al. Quid igitur agendum? So. Nec hæsitandum, neque etiam mollitiæ indulgendum est, o amice. Al. Non decet, o Socrates. So. Non certe : sed simul considerandum. Verum dic mihi, an optimi esse volumus? Al. Certe. So. In qua facultate? Al. Qua videlicet viri boni. So. Quanam in re boni. Al. In rebus agendis. So. In quibus? num in equestri negotio? Al. Non. So. Ad equestres enim iremus. Al. Profecto. So. Nunquid in navis gubernatione dicebas? Al. Nequaquam. So. Ad nautas enim iremus. Al. Iremus. So. In quo ergo negotio, et quorum hominum officio? Al. In iis, quæ clari bonique Atheniensium viri agunt. So. Claros [125] ac bonos prudentesne an imprudentes appellas? Al. Prudentes. So. In quo quisque prudens, in eodem bonus? Al. Certe. So. Imprudens autem malus? Al. Malus. So. Calceorum sutor prudens ad calceorum opus? Al. Prorsus. So. Bonus ergo ad hæc? Al. Bonus.

So. Quid vero in vestibus conficiendis, nonne cerdo iste imprudens? Al. Ita. So. Malus ergo ad hæc? Al. Ita. So. Idem itaque secundum hanc rationem bonus atque malus erit. Al. Videtur. So. An dicis viros bonos malos etiam esse? Al. Nequaquam. So. Quos tandem bonos vocas? Al. Eos, qui in civitate præesse possunt. So. Non tamen equis? Al. Non certe. So. At hominibus? Al. Hominibus. So. Num hominibus ægrotantibus? Al. Non. So. An forte navigantibus? Al. Non iis dico. So. Metentibusne? Al. Neque istis. So. Aliquidne vel nihil facientibus? Al. Facientibus. So. Quid tandem facientibus? id mihi declara. Al. Commercia, inquam, agentibus, atque invicem mutuo se utentibus, quemadmodum nos in civitatibus vitam agimus. So. Nunquid imperare eos dicis hominibus, qui hominibus utuntur? Al. Aio. So. An gubernatoribus, qui remigibus utuntur? Al. Non. So. Hæc enim gubernatoriæ facultatis virtus est. Al. Est. So. Fortasse imperare dicebas tibicinibus, qui canentibus præsunt choreisque utuntur. Al. Neque istis. So. Hoc namque ad facultatem chori magistram pertinet. Al. Omnino. So. Quid denique vocas imperare posse hominibus, qui utuntur hominibus? Al. Præesse hominibus communicantibus invicem in rei publicæ administratione atque commerciis. So. Quænam hæc ars est? quemadmodum si te iterum interrogarem, quæ facultas efficit, ut præesse sciamus in navigando communicantibus? Al. Gubernatoria. So. Communicantibus autem in cantu, ut paulo ante dicebatur, quæ scientia præesse docet? Al. Quam tu nuper aiebas, chori disciplina. So. In re publica vero communicantibus, quam scientiam vocas? Al. Bonum consilium, o Socrates. So. Num tibi videtur gubernatorum ars carere consilio? Al. Minime. So. Est ipsa quoque bonum consilium. Al. Mihi sane videtur. [126] So. Ad navigantium salutem. Al. Recte loqueris. So. Quod vero bonum consilium vocas, ad quidnam spectat? Al. Ad meliorem civitatis institutionem ejusque salutem. So. Quanam re præsente vel absente melius disponitur atque servatur? ceu ipse me rogares, quo præsente aut absente bene se habent corpora: responderem utique, sanitate præsente, morboque remoto. Idem et tu existimas? Al. Idem. So. Quod si idem quæras de oculis, eadem ratione respondebo, pulsa cæcitate, adhibito visu. et aures curari fugata surditate, admoto vero auditu. Al. Recte. So. Civitas autem quo remoto quove adhibito melior fit ac melius instituitur? Al. Mihi quidem videtur, o Socrates, quando amicitia est inter cives: odia vero et seditiones absunt. So. Amicitiam vocas consensionem an dissensionem? Al. Consensionem. So. Per quam artem civitates circa numeros consentiunt? Al. Per arithmeticam. So. Privati vero an non propter eandem? Al. Nempe. So. Et unusquisque secum ipse? Al. Certe. So. Per quam artem quisque secum ipse consentit de palmo et cubito, uter ex iis major sit? nonne per metiendi peritiam? Al. Quidni? So. Nonne etiam privati invicem atque civitates? Al. Immo. So. Et de ponderibus eodem pacto? Al. Assentior. So. Consensio igitur, quam dicebas, quænam est? circa quid? quæ ars illam præstat? etenim ista consensio talis est, ut insit rei publicæ et privato unicuique ad se ipsum et ad alios. Al. Consentaneum. So. Quæ igitur est? ne pigeat respondere, at prompte enarra. Al. Reor equidem esse amicitiam et consensionem, qua pater ac mater filium, et frater fratrem, et uxor virum amantes consentiunt. So. Putasne, o Alcibiades, virum cum uxore circa lanificium convenire, imperitum cum perita? Al. Nequaquam. So. Neque oportet quidem. muliebris enim hæc disciplina est. Al. Profecto. So. Quid vero, mulier cum viro circa opus [127] militare conveniet, cum id haudquaquam didicerit? Al. Minime. So. Virile enim id rursus esse diceres. Al.

Equidem. So. Sunt ergo disciplinæ quædam mulierum, quædam virorum, secundum orationem tuam. Al. Quidni? So. In iis itaque mulieribus cum viris consensus est nullus. Al. Nullus. So. Neque amicitia igitur: si quidem amicitia consensio quædam est. Al. Non videtur. So. Ideoque, quatenus mulieres officia sua exercent, non amantur a viris. Al. Non apparet. So. Neque viri etiam a mulieribus, dum virilia tractant. Al. Non. So. Non ergo tunc optime civitates instituuntur, cum singuli operibus suis incumbunt. Al. Ego tamen id, o Socrates, arbitror. So. Quomodo hoc ais, amicitia sublata? qua præsente confessi sumus bene constitui civitates, aliter vero contra. Al. Atqui mihi videtur ob hoc inter homines consistere amicitiam, quod quisque suum officium exsequatur. So. Non tamen id paulo ante dicebas: nunc autem quo pacto rursus ais, consensione adhibita amicitiam fieri? An potest circa hæc consensus exsistere, quorum ii quidem periti, ii vero imperiti sunt? Al. Fieri non potest. So. Justane an injusta faciunt, cum singuli quæ ad se attinent, exsequuntur? Al. Justa profecto. So. Juste igitur agentibus civibus in civitate, non est amicitia. Al. Necessarium hoc itidem videtur, o Socrates. So. Quam itaque dicis amicitiam sive consensionem, circa quam nos sapientes et consultores esse oportet, ut boni viri simus? neque enim percipere possum, quænam sit, aut in quibus exsistat: cum ex oratione tua interdum in eisdem inesse, nonnunquam ab eisdem abesse videatur. Al. Per Deos, o Socrates, neque ipse quidem quid dicam, intelligo: videorque jamdiu me ipsum latuisse, cum me turpissime habeam. So. Confidere decet. Nam si hoc demum animadvertisses annos quinquaginta natus, arduum sane foret te ipsum curare: nunc vero in ea es ætate, qua id advertere decet. Al. Quid igitur hoc advertentem facere oportet? So. Responde ad ea, quæ interrogabo te, Alcibiades, quod si feceris, ac Deus voluerit, si qua modo fides meis est vaticiniis adhibenda, tu simul et ego melius habebimus. Al. Ita erit, quod ad me respondentem attinet. So. Age, quid est se ipsum curare, ne sæpe [128] nos ipsos lateamus, non curantes nosmet, cum id agere opinemur. Et quando id homo agit, num quotiens suorum, totiens et sui curam habet? Al. Mihi quidem videtur. So. Quid? num pedes tunc quis curat, cum eorum, quæ pedum sunt, sibi cura est? Al. Non intelligo. So. Dicisne esse aliquid ipsius manus, quemadmodum annulus est? Al. Dico equidem. So. Num alterius membri, quam digiti, annulum esse censes? Al. Minime. So. Et pedis calceum eodem modo? Al. Ita. So. Cum calceorum curam habemus, tunc pedum nobis cura est? Al. Haud satis te teneo, Socrates. So. Quid vero, o Alcibiades, vocasne aliquid rectam alicujus curationem? Al. Voco. So. An non, cum quid melius fit, tunc ejus rectam curationem esse dicis? Al. Dico. So. Quæ ars calceos meliores efficit? Al. Cerdonica. So. Cerdonica igitur calceorum curam habemus? Al. Hac ipsa. So. Nunquid et pedes etiam cerdonica? vel ipsa potius, qua pedes reddimus meliores? Al. Illa. So. Pedes autem meliores, nonne qua et reliquum corpus? Al. Videtur. So. Hæc nonne gymnastica? Al. Maxime. So. Ergo gymnastica pedes curamus, cerdonica vero illa quæ pedum sunt. Al. Prorsus. So. Et gymnastica quoque manus, annularia vero illa, quæ sunt manuum. Al. Sic est. So. Et gymnastica corpus, textoria autem et aliis facultatibus ea quæ corporis sunt. Al. Omnino. So. Alia igitur arte unumquodque; alia, quæ illius sunt, curamus. Al. Videtur. So. Non ergo cum sua quis, tunc etiam se curat. Al. Nullo pacto. So. Non enim eadem ars, ut videtur, quæ nos et quæ nostra curat. Al. Non apparet. So. Age itaque, quanam arte nos ipsos curare possumus? Al. Non habeo quod dicam. So. At hoc tamen inter nos convenit, quod non qua nostrorum aliquid melius efficimus, nos curamus: verum qua nos ipsos ad meliorem frugem

ducimus. Al. Vera narras. So. Nossene unquam possemus, quæ ars meliorem facit calceum, nisi calceum ipsum noverimus? Al. Fieri nequit. So. Neque etiam quæ annulum efficit meliorem, ignorantes annulum. Al. Verum. So. Sciemusne unquam, qua arte meliores evadamus, quamdiu nos ipsos ignoraverimus? [129] Al. Nunquam. So. Utrum facile quiddam sit, se ipsum cognoscere, ac ridiculus fuerit, qui templo Apollinis id inscripsit? an potius arduum quippiam, nec cujusvis hominis opus? Al. Mihi quidem, o Socrates, aliquando visum est facile hoc et cujusvis officium esse: nonnunquam vero omnium difficillimum. So. Sed sive facile hoc sit, o Alcibiades, sive difficile, nobis sane sic se habet, ut ipsum intelligentes, etiam qua ratione curandi simus, intelligamus: ignorantes vero, contra. Al. Est, ut dicis. So. Age, quomodo ipsum quod ipsum inveniemus? forte vero sic quid simus ipsi invenire poterimus: at hoc ignorantes, nunquam. Al. Recte loqueris. So. Attende ergo per Deum, cum alione, quam mecum tu nunc disputas? Al. Tecum. So. Et ego nonne tecum? Al. Et tu mecum. So. Socrates igitur est, qui disputat. Al. Est. So. Alcibiades vero, qui audit. Al. Ita est. So. Nonne sermone vel ratione Socrates disputat? Al. Quidni? So. Disputare autem et sermone vel ratione uti, idem quodammodo vocas? Al. Idem. So. Utens autem et quo utitur, nonne aliud? Al. Quomodo dicis? So. Quemadmodum cerdo incidit quidem circulari et semicirculari organo, atque aliis instrumentis. Al. Est, ut dicis. So. Nonne aliud quiddam est qui dividendo utitur, alia vero quibus utitur? Al. Quidni? So. Item aliud citharœdus, aliud quocum citharam pulsat? Al. Aliud. So. Hoc paulo ante interrogabam, an utens et quo utitur, semper aliud esse videatur. Al. Videtur. So. Cerdonem incidere dicimus instrumentis tantum, an etiam manibus? Al. Et manibus. So. Et iis ergo utitur. Al. Utitur. So. An non et oculis utens coria incidit? Al. Prorsus. So. Utentem vero aliud quiddam ab iis, quibus utitur, esse concessimus. Al. Concessimus. So. Cerdo igitur et citharœdus aliud quiddam sunt, quam oculi et manus, quibus utuntur. Al. Apparet. So. Nonne toto corpore homo utitur? Al. Penitus. So. Aliud utique utens et quo utitur. Al. Sic est. So. Homo ergo est a suo corpore aliud. Al. Videtur. So. Quid est igitur homo? Al. Ignoro. So. Scis esse id, quod corpore utitur? Al. Scio. [130] So. Aliudne utitur ipso quam anima? Al. Nil aliud. So. An non imperans? Al. Imperans. So. Quin etiam neminem hoc aliter æstimaturum puto. Al. Quidnam? So. Quin ex tribus unum aliquid homo sit. Al. Ex quibus? So. Aut animam videlicet, aut corpus, aut totum ipsum ex utrisque compositum. Al. Cur non? So. Veruntamen id quod imperat corpori, hominem esse confessi sumus. Al. Confessi sumus. So. Quid igitur homo? num sibi ipsi corpus imperat? Al. Nullo modo. So. Subjici enim illud diximus. Al. Certe. So. Non est igitur hoc quod quærimus. Al. Non, ut videtur. So. At utrumque simul forsitan corpori dominatur, atque id homo est? Al. Forte. So. Immo minime omnium. nam altero illorum non dominante, nulla conjectura est, ut simul utrumque dominetur. Al. Recte loqueris. So. Cum vero nec corpus nec simul utrumque sit homo, restat, ut arbitror, aut nihil omnino hominem esse, aut si quid est, nihil aliud esse quam animam. Al. Prorsus. So. Adhucne liquidius monstrari tibi oportet, animam esse hominem? Al. Non per Jovem: hæc enim sufficere mihi videntur. So. Et si non in integrum hæc discussa sunt, mediocriter tamen inducta in præsentia sufficiunt. nam tunc demum penitus comprehendemus, cum invenerimus, quod nunc, quia latiorem speculationem requireret, prætermisimus. Al. Quid istud? So. Quod paulo ante sic est dictum, quod prius considerandum sit ipsum quod ipsum. nunc

vero pro eo, quod quidem est Ipsum quod ipsum, consideravimus ipsum unumquodque quid est. Idque forte sufficiet. nihil enim in nobis ipsis principalius esse, quam animam, dicere possemus. Al. Non certe. So. Nonne decens est ita putare, me scilicet ac te conspirare invicem, anima ad animam utentes sermonibus? Al. Et maxime quidem. So. Hoc itaque erat, quod paulo ante dicebamus, quod Socrates cum Alcibiade disputat, oratione utens, non ad personam tuam, ut apparet, sed ad Alcibiadem verba dirigens. hoc autem anima est. Al. Mihi sane videtur. So. Animam igitur nosse jubet, qui præcipit. Nosce te ipsum. [131] Al. Videtur. So. Quicunque igitur corpus cognoscit, sua quidem, non se ipsum, novit. Al. Sic est. So. Atque ideo nullus medicus, ut est medicus; neque gymnasticus, ut gymnasticus, sese novit. Al. Non, ut videtur. So. Multo minus agricolæ aliique opifices se cognoscunt. neque enim se neque sua, sed remotiora quædam secundum artes suas considerant: iis enim intendunt, quibus corpus curatur. Al. Vera narras. So. Quare si prudentia est se ipsum cognoscere, nullus istorum secundum suam artem est prudens. Al. Non, ut videtur. So. Ob hoc mechanicæ artes istæ, non autem boni viri disciplinæ videntur. Al. Prorsus. So. Nonne rursus quicunque corporis curam habet, sua quidem, non tamen se ipsum, curat? Al. Apparet. So. At vero cui pecuniæ curæ sunt, nec se nec sua, sed quæ procul a suis sunt, curat. Al. Videtur. So. Non ergo suis indulget, qui pecunias cumulat. Al. Recte. So. Quisquis etiam corpus Alcibiadis amavit unquam, non Alcibiadem ipsum, sed quæ Alcibiadis essent, amavit. Al. Vera loqueris. So. Qui vero te amat, amat animum. Al. Necessario sequi ex ratione tua videtur. So. Nonne tui corporis amator, cum primum species deflorescit, abiens deserit? Al. Apparet. So. At vero qui animum tuum diligit, nunquam deserit, donec ad meliorem frugem perveniat. Al. Consentaneum. So. Hanc ego ob causam te minime desero, verum in amicitia persevero, reliquis senescente corpore abeuntibus. Al. O quam bene facis, mi Socrates! ne in posterum me deseras, obsecro. So. At enitere, ut quam pulcherrimus fias. Al. Conabor. So. Sic se tua res habet: nec fuit unquam nec est, ut opinor, Alcibiadis Cliniæ filii amator ullus præter unum, et illum quidem amabilem, Socratem Sophronisci et Phænaretæ filium. Al. Vera dicis. So. Nonne dixisti me aliquantulum prævenisse, eum te salutatum venissem? nam statuisse te, ut prior me ipse conveniens interrogares, quamobrem solus ego te non reliquerim. Al. Sic erat. So. Hæc procul dubio causa, quoniam amator tui solus eram, ceteri vero tuorum. tua sane labuntur tempore, tu autem nunc primum florescis: [132] ac deinceps quidem, nisi ab Atheniensi populo corrumparis, ac turpior evadas, nunquam te deseram. id enim vehementer timeo, ne amator populi factus, nobis corrumparis. multi enim et ingenui quidem apud Athenienses id passi sunt. nam bene personatus est magnanimi Erechthei populus. sed illum nudatum contueri oportet. adhibe igitur hanc, quam dico, cautionem. Al. Quam? So. Exue illum prius, o beate, ac disce quæcunque scienda sunt, antequam tractentur civilia, ut rem publicam adeas, ferens tecum alexipharmacum i. e. medicinam prohibentem mala, ne quid adversi aliquando patiaris. Al. Bene mihi dicere videris, o Socrates. verum conare jam nobis exponere, qua ratione nosmetipsos curemus. So. Nonne satis jam a nobis in superioribus definitum est? Quid enim simus, convenienter supra conclusimus. timebamus enim, ne in hoc decepti nos ipsos forsitan lateremus, alicujus alterius, non nostri curam habentes. Al. Est, ut dicis. So. Deinde concessum est, animæ curam habendam semperque ad ipsam respiciendum. Al. Manifestum est. So. Corporum vero pecuniarumque curam aliis reliquendam. Al. Quidni? So. Quo-

nam igitur pacto ista perspicue nosceremus, postquam hoc intellecto nos quoque ipsos intelligemus? an forte per deos ipsam inscriptionem Delphicam recte monentem, cujus supra mentionem fecimus, nondum intelleximus? Al. Quidnam animadvertens sic ais, o Socrates? So. Dicam tibi, quod suspicor hanc inscriptionem nobis consulere. neque vero passim ejus exemplar, sed in visu solum inveniri posse videtur. Al. Quomodo id ais? So. Contemplare tu quoque: Si oculo nostro quemadmodum homini consuluisset, Vide te ipsum: quomodo id admonuisse arbitraremur? nonne ut in illud inspiceret oculus, ex cujus intuitu se ipsum visurus esset? Al. Constat. So. Consideremus itaque, in quid potissimum intuentes, illud simul ac nos ipsos videremus. Al. In specula et alia hujusmodi. So. Recte loqueris, sed oculo, quo videmus, an non inest hujusmodi quiddam? Al. Valde. So. Num advertisti, quod facies hominis in oculum intuentis in oppositi visu relucet velut in speculo? quam supremam [133] vocamus pupillam, simulacrum inspicientis exsistens. Al. Adverti. So. Oculus igitur ita demum se ipsum cernit, cum in oculum inspicit, in idque præterea intendit, quod oculi optimum est, et quo oculus ipse videt. Al. Apparet. So. Si autem in aliud quoddam hominis membrum respexerit, vel in quodvis aliud, præterquam id cujus hoc est simile, haudquaquam se ipsum percipiet. Al. Verum. So. Oculus ergo cum se ipsum visurus est, in oculum respicere debet, atque in eum oculi locum, in quo virtus est oculi. is autem visus atque pupillæ acies est. Al. Sic est. So. Eodem pacto et anima, o amice Alcibiades, si se ipsam noscere vult, in animam intueatur, in eumque præcipue locum animæ, in quo inest virtus animæ, sapientia, et in aliud, cujus hoc est simile. Al. Mihi quidem videtur, o Socrates. So. Num reperire possumus quippiam in anima divinius illo, circa quod intelligentia sapientiaque versatur? Al. Nequaquam. So. Id igitur animæ divini simile est, in quod sane quis intuens, et omne divinum, Deum scilicet et sapientiam cernens, sic se ipsum prorsus agnoscet. Al. Apparet. So. Se ipsum vero cognoscere, prudentiam esse concedimus. Al. Prorsus. So. Si autem nec nos ipsos cognosceremus nec prudentes essemus, possemusne nostra seu mala sive bona nosse? Al. Quomodo hoc fieri posset, o Socrates? So. Impossibile tibi forte videtur, quenquam non cognoscentem Alcibiadem, tamen quæ Alcibiadis sunt, quod Alcibiadis sint, cognoscere? Al. Impossibile per Jovem. So. Nec nostra, quod nostra sint, nisi prius nos ipsos? Al. Nullo modo. So. Si nostra ignoremus, nec ea, quæ nostrorum sunt, intelligemus? Al. Non, ut videtur. So. Non igitur recte omnino consensimus, cum supra quosdam esse assereremus, qui se ignorantes, sua tamen dignoscerent. Atqui nec ea etiam, quæ suorum. hæc enim cuncta dignoscere unius atque ejusdem artis officium esse videtur, se ipsum scilicet, et quæ sua sunt, et quæ suorum. Al. Videtur. So. At qui sua ignorat, ignorat et aliena. Al. Cur non? So. Num igitur, si aliena, etiam quæ civitatum sunt, ignorabit? Al. Necesse est. So. Nunquam ergo hic vir civilis esset. Al. Non certe. So. Nec œconomicus etiam. [134] Al. Neque hoc. So. Nec quod agit, intelliget. Al. Minime. So. Ignorans autem, nonne errabit? Al. Maxime. So. Qui vero errat, an non male aget et privatim et publice? Al. Quidni? So. Male agens, nonne miser? Al. Et maxime quidem. So. An vero et ii, quibuscum hæc agit? Al. Et isti quoque. So. Nemo itaque felix esse potest, nisi sapiens bonusque sit. Al. Nemo. So. Sequitur, ut mali homines miseri sint. Al. Apprime. So. Non ergo qui dives fit, sed qui prudens, miseriam vitat. Al. Videtur. So. Quamobrem nec mœnibus nec navibus triremibusque atque navalibus, o Alcibiades, nec multitudine nec amplitudine sine virtute civitas ad felicitatem indiget. Al. Non profecto.

So. Si recte civitatem gubernaturus es, virtute imbuendi sunt cives. Al. Quidni? So. Num dare quis potest aliis, quod ipse non habet? Al. At quomodo? So. Ergo virtute prius ornatus ipse debet esse, quicunque non sibi tantum ac suis, sed reipublicæ etiam, et iis, quæ ad eam spectant, imperaturus est. Al. Vera dicis. So. Nec igitur principatus neque licentia quodlibet faciendi, aut tibi aut rei publicæ, verum justitia potius et prudentia comparanda. Al. Apparet. So. Juste enim ac prudenter agentes et tu simul et tua res publica Deo gratum opus efficietis. Al. Decens est. So. Et quemadmodum supra diximus, in divinum splendorem intuentes agetis. Al. Videtur. So. Quin etiam illuc respicientes, vosmet vestraque bona perspicue discernetis. Al. Certe. So. Nonne sic recte atque bene agetis? Al. Agemus. So. Enimvero fidejubere paratus sum, vos, si ita vixeritis, felices fore. Al. Locuples certe fidejussor. So. Contra, si injuste vixeritis, despicientes in tenebras divinitatis expertes, consimilia istis opera, ut consentaneum est, efficietis, vos ipsos penitus ignorantes. Al. Videtur. So. Cui enim, o amice Alcibiades, potestas adest, quodcunque libuerit conficiendi, mente vero captus est, quidnam conveniens est illi contingere, seu privatus ille quidem, sive res publica sit? veluti si ægrotanti cuidam libera licentia sit, rationem medici non habenti, sed tanquam [135] tyrannidem exercenti, ut nemo eum absterrere valeat: quid illi eventurum est? nonne verisimile est, ut corpus corrumpatur? Al. Vera loqueris. So. Quid vero, si in navi apud quempiam omnis licentia sit, quodcunque videatur agendi, mente tamen et gubernandi peritia careat, num cernis, quæ sibi et sociis eventura sint? Al. Opinor equidem, illum se ipsum una atque socios perditurum. So. Nonne igitur omni rei publicæ omnique imperio et dominationi, ubi virtus deest, contingit, ut male agat? Al. Necesse est. So. Non ergo tyrannis, optime Alcibiades, aut nobis aut rei publicæ paranda est, sed virtus, modo felices esse verimus. Al. Vera dicis. So. Ceterum antequam virtus adsit, præstat viro, non modo puero, regi a meliore, quam regere. Al. Apparet. So. Nonne quod melius est, idem et pulchrius? Al. Sic est. So. Quod pulchrius, decentius? Al. Quidni? So. Decet itaque malum servire, melius enim est. Al. Decet. So. Servilis ergo pravitas. Al. Apparet. So. Liberalis autem virtus. Al. Ita est. So. Nonne, o amice, servitus fugienda? Al. Maxime quidem, o Socrates. So. Advertis, quomodo te nunc habeas? utrum liberaliter an contra? Al. Et maxime quidem, ut mihi videor, hoc sentio. So. Nostine, quo pacto id quod nunc te occupat, fugare queas? nolim enim istud in claro homine nominare. Al. Novi equidem. So. Quomodo igitur? Al. Si ipse volueris, o Socrates. So. Haud recte loqueris, Alcibiades. Al. At quomodo dicendum est? So. Si Deus voluerit. Al. Dico equidem, atque hoc insuper addo, quod periclitabimur figuras invicem commutare, tuam quidem ego induens, tu autem meam. fieri enim non potest, quin ego te deinceps ducam, tu autem a me ducaris. So. O generose, nihilo igitur meus in te amor a ciconia differt, si posteaquam prope te velut in nido amorem alatum foverit, ab illo iterum nutriatur. Al. Profecto sic se res habet: et incipiam hinc jam justitiam meditari. So. O quam te velim perseverare! timeo autem, naturæ tuæ diffidens, hujusque civitatis robur intelligens, ne id me simul, ac te vincat.

MENEXENUS.

SOCRATES, MENEXENUS.

[234] E FORO venis, Menexene? an unde? MEN. E foro, o Socrates, et a senatu. So. Quid tu ad senatum? An forte quia disciplinæ philosophiæque finem adeptum jam et satis profecisse te putas, majora posthac aggredi studes; nobisque senioribus ipse adeo junior imperare: ut familia vestra semper, sicut solita est, aliquem nobis exhibeat consultorem? MEN. Si ipse permittis, o Socrates, consulisque, operam dabo: sin contra, nequaquam. Nunc vero iccirco ad consilium profectus sum, quoniam audiveram eligendum esse aliquem, qui laudibus defunctos ornet. nam, ut scis, inferias facturi sunt. So. Audivi equidem. sed quem potissimum elegerunt? MEN. Nullum: nam in crastinum distulerunt. arbitror autem Archinum vel Dionem electum iri. So. Videtur, Menexene, apud plurimas gentes præclarum esse in bello occumbere. etenim qui sic e vita migrat, funere et sepulcro magnificentissimo honoratur. et sive pauper quis ita decedat, laudatione non caret; sive etiam vilis quispiam et ignavus, rursus a sapientibus viris extollitur: qui non frustra ac temere, sed mature composita et consulta oratione tam egregie laudant, ut dum et quæ adsunt et quæ non adsunt, [235] de aliquo prædicant, verborum elegantia auditoribus animos, quasi præstigiis veneficiisve quibusdam, surripiant atque subducant. Civitatem quoque interim, ut lubet, exornant, et eos qui in armis occubuerunt; majorumque retexunt nostrorum originem: nos quoque ipsos adhuc viventes extollunt. Quapropter ego quidem, Menexene, ab illis elatus, generose admodum affici soleo: cumque illis passim aures præbeo, mirifica suavitate demulceor, statimque me majorem, generosiorem, pulchriorem quam antea reputo. ac sæpenumero hospites aliqui mecum hæc audiunt, egoque erga illos e vestigio præstantior quam antea reddor. nempe et illis idem, quod mihi, videtur accidere, tam erga me quam reliquam civitatem. nam ab oratore persuasi, mirabiliorem quam prius civitatem existimant. Atque gloriosa hæc venustas mihi triduum ultra permanet. adeo concinna oratio canoraque vox oratoris ore demanans auribus meis infunditur, ut vix tandem quarta post die vel quinta mei ipsius reminiscar, et ubinam gentium sim, agnoscam. ac tunc demum me fuisse deceptum animadverto, cum me ante putaverim in beatorum insulis constitutum: usque adeo rhetores apud nos ingeniosi sunt. MEN. Semper adversus rhetores jocaris, o Socrates. Nunc autem suspicor, ne illi qui eligetur, desit dicendi facultas. subita namque obtigit optio. quamobrem cogetur forte, quisquis dicturus erit, ex improviso quodammodo verba facere. So. Nunquid, bone vir, singulis istorum sunt orationes compositæ? quin neque arduum est, de his rebus absque meditatione dicere. Si enim oporteret vel in Peloponneso Athenienses, vel Peloponnesiacos Athenis orare, facundo tunc oratore opus esset, qui et persuaderet et probaretur. quando autem apud eosdem se quis exercet, quos et laudat, facile ejus verba laudantur. MEN. Facilene istud existimas, Socrates?

So. Equidem. Men. An speras eloqui posse te, si opus fuerit, et consilio eligaris? So. Quid mirum, Menexene, me ad dicendum sufficere, qui magistram haudquaquam imperitam in Rhetorica nactus fuerim, quæ et alios multos eloquentes reddidit oratores, et unum Græcorum omnium præstantissimum, filium Xanthippi Periclem? Men. Quænam ista? nunquid Aspasiam dicis? So. Et hanc dico, et filium Metrobii Connum. hi namque duo præceptores mihi sunt, [236] Connus quidem Musicæ, Aspasia vero Rhetoricæ. Ita igitur eruditum virum nihil mirum est in his eloquentem esse. Quin immo et si quis etiam deterius quam ego doctus fuerit, Musicam quidem a Lampro, Rhetoricam vero ab Antiphonte Rhamnusio, is tamen poterit Athenienses inter ipsos Athenienses laudando, sic eloqui, ut ejus ab auditoribus probetur oratio. Men. Quidnam habes, quod in medium afferas, si te verba facere oportuerit? So. Ex me quidem fortasse nihil. sed heri Aspasiam ipsam audivi funebrem de his orationem dictantem. audiverat enim, quæ et ipse dicebas, Athenienses aliquem electuros esse, qui de his orationem haberet. deinde partim mihi ex improviso transegit, quæ dicenda forent, partim meo quidem judicio præmeditata exponens, funebrem orationem contexuit, quam dixit Pericles, reliquias quasdam ex illa componens. Men. Nunquid recordareris, quæ dicebat Aspasia? So. Equidem, nisi injurius sim. ab ea namque edidici, parumque abfuit, quin propter oblivionem plagis illa me cæderet. Men. Cur non refers? So. Vereor, ne magistra mihi subirascatur, si orationem illius ediderο. Men. Nullo pacto, Socrates. verum gratificare mihi, seu Aspasiæ sive cujuslibet alterius orationem dicere placet: dicas modo. So. Fortasse me ridebis, si senex adhuc jocari tibi visus fuero. Men. Absit, o Socrates. dic amabo. So. Mos tibi gerendus est. ferme namque si nudatum me saltare juberes, quandoquidem soli sumus, obsequerer. Sed audi jam. Hunc enim in modum, ut arbitror, loqui cœpit, sumens ab ipsis defunctis exordium. Opere quidem ipso decentia his apud nos exhibita sunt, quæ jam assecuti iter fatale agunt, tam publice a civitate, quam privatim a suis, magnifico sumptu et frequenti concursu sequentium honorati. verborum præterea laudationem addi lex jubet: ac profecto ita decet. Bene siquidem rebus gestis, ex ipsa verborum exornatione, ad eos qui gesserunt apud auditores memoria perennis splendorque provenit. Ea vero opus est oratione, quæ defunctos satis laudet, superstites benigne moneat: filios eorum fratresque ad virtutis ipsorum imitationem hortetur: parentes autem et majores alios, si qui supersunt, consoletur. Quæ igitur nobis talis erit oratio? vel unde [237] potissimum præclaros laudare viros incipiemus, qui viventes virtute propria suos mirifice delectavere, et pro salute viventium offerre se morti non dubitarunt? Videtur itaque mihi oportere secundum naturam, ut boni effecti sunt, ita eos laudare. Boni autem ideo provenerunt, quia ex bonis traxerunt originem. Quapropter generosam primo illorum stirpem laudemus: deinde educationem et disciplinam. postremo narremus, ita ab eis fuisse res gestas, ut maxime decebat eos, qui essent ex talibus oriundi, et ita postmodum educati. Prima quidem generis horum laus est, quod majorum origo haud peregrina fuit; neque successores hos ita hic reliquit, velut inquilinos novosque homines, ex advenis genitos: sed indigenas ac revera in patria habitantes viventesque, et nutritos non a noverca quidem, ut alii, sed ab ipsa matre ipsorum regione, quam habitarunt: in qua et nunc conduntur vita functi, ipsis videlicet in visceribus ejus, quæ peperit eos et nutriit et excepit. Par est enim, matrem ipsam ante omnia honorare. nam ita maxime horum genus excolitur. Est autem regio hæc non solum nobis, sed omnibus hominibus celebranda, cum aliis multis de causis, tum ex hoc præcipue, quia diis carissima est. Quod testatur deorum de hac inter se concertatio. Ea vero

quæ a diis laudata est, cur non a cunctis hominibus collaudetur? Altera ejus laus erit, quod eo tempore, quo tellus omnia animalia omnigena producebat, feras et pascentia omnia, terra duntaxat nostra ad hæc sterilis erat agrestibusque animalibus vacua. proprie vero ex omnibus animantibus hominem genuit, qui ceteris intelligentia præstat, solusque jus ac deos animadvertit. Quod vero hæc regio horum nostrosque majores progenuit, hinc evidentissime licet cognoscere: quia omne quod gignit, alimentum conveniens genito continet. Quo plane discernitur mulier illa, quæ peperit, ad ea quæ infantem simulando supposuit. nam quæ peperit, lacte abundat ad ejus quod genitum est alimoniam, alia vero nequaquam. Tellus itaque nostra materque perspicuum argumentum præbet, quod homines procreaverit. nam et sola et prima tunc pabula humana porrexit, [238] tritici hordeique fruges, quibus commodissime genus hominum alitur, utpote quæ vere animal id produxerit. Potens autem de terra, quam de muliere, conjectare id licet. neque enim terra mulierem conceptione partuque, sed terram mulier imitatur. Hujusmodi vero pabulum sine invidia non hominibus solum abunde, verum etiam brutis subministravit. Post hæc oleum, laborum subsidium, natis suis suppeditavit. nutritis autem adultisque filiis principes præceptoresque deos induxit: quorum nunc prætermittenda sunt nomina. Neque enim nos latet qui vitam nostram munierint, tam artium inventione ad quotidianum victum spectantium, quam traditione peritiaque armorum ad regionis ipsius custodiam. Ita majores horum geniti atque educati rem publicam instituerunt: quam paucis perstringere decet. Res enim publica hominum educatio est, bona quidem bonorum, contrariorum vero contraria. Quod ergo in præclara republica enutriti sunt nostri majores, declarandum est: per quam et illi hi boni viri, ex quibus sunt qui e vita migrarunt. eadem namque respublica quondam et nunc, optimatum videlicet gubernatio, sub qua et his temporibus ac ferme semper ex eo tempore degimus. eam quidam popularem vocant, alii aliter, utcunque placet. Est autem revera hæc optimatum, cum quadam auctoritate populi, gubernatio. semper enim nobis reges sunt, alias generis successione, alias electione creati: sed auctoritatis civitatis plurimum apud populum, qui semper his, qui optimi judicantur, magistratus impertit: ubi neque parentum debilitate vel paupertate vel ignobilitate quisquam rejicitur, neque contrariis de causis honoratur, ut in aliis civitatibus fieri solet. sed hæc est summa: Quicunque sapiens aut bonus habetur, dominatur et imperat. Causa nobis gubernationis hujusmodi ex æquo generatio est. Aliæ siquidem civitates sunt ex variis dissimilibusque generibus constitutæ: quo fit, ut inæquales sint et gubernationes, tyrannides paucorumque potentiæ. In quibus ita homines vivunt, ut se invicem partim dominos, partim servos existiment. nos autem [239] nostrique una ex matre omnes, fratres invicem geniti, haud arbitramur invicem nos dominos et servos esse: sed generationis æqualitas nos inducit, ut et legis quæramus æqualitatem, neque rei prorsus ulli, nisi opinioni virtutis prudentiæque, cedamus. Quapropter et nostri et horum parentes et hi honeste creati, et in omni libertate nutriti, multa atque præclara facinora apud omnes gentes notissima privatim et publice ediderunt, existimantes libertatis gratia tam adversus Græcos pro Græcis aliis, quam adversus barbaros pro cunctis Græcis, esse pugnandum. Enimvero quo pacto in bello se gesserint Argivi quondam adversus Cadmios, et Heraclidæ adversus Argivos, cum Eumolpus et Amazones, ac etiam cum his superiores regionem invaderent, breve esset pro dignitate referre, et poëtæ virtutem illorum eleganter Musica celebrantes in omnes gentes divulgaverunt. Quare si nos eadem nudo sermone repetere nunc aggrederemur, forte videremur illis esse secundi. Hæc igitur ob hanc causam arbitror dimittenda, quandoquidem

pro dignitate jam satis celebrata videntur. Quæ vero nondum, ut rerum dignitas exigit, a poëtarum aliquo decantata sunt, necdum tamen oblivione deleta sunt, hæc nobis prædicanda nunc arbitror, ut et nos ea laudemus, et adjuvemus provocemusque alios ad eadem odis aliisque carminibus, ut decens est, exornanda. Eorum autem, quæ dico, prima hæc exstant. Persis profecto, cum Asiæ imperarent et Europæ dominarentur, obstiterunt regionis hujus homines, hinc quidem oriundi, nostri autem progenitores : quorum meminisse virtutemque laudare et oportet in primis et decet. eam namque nosse oportet, si quis sufficienter laudaturus sit res ab illis eo in tempore gestas, quo Asia omnis tertio jam regi servierat, respicere. quorum primus Cyrus magnitudine quadam animi cives suos Persas in libertatem redigens, simul dominos Medos subjecit, totique Asiæ usque ad Ægyptum imperavit. Filius autem ejus Ægypto quoque et Libyæ, quousque penetrare dabatur. Tertius Darius, pedestri pugna usque ad Scythas extendit imperium : navali autem mari et insulis est dominatus. quo factum est, ut repugnare illi nullus auderet. [240] Animi quidem hominum omnes servili quadam formidine abjecti jam erant : adeo multæ, frequentes et bellicosæ gentes sub Persarum imperio tenebantur. Nos autem Eretriensesque incusans Darius, quod Sardibus insidiaremur, et hanc belli occasionem nactus, quingenta hominum millia classibus misit, naves vero trecentas : hisque Datim præfecit, atque illi mandavit, ut captivos ad eum Eretriensesque et Athenienses duceret, si caput illi suum carum esset. Ille navibus advectus Eretriam, ubi viri non pauci erant, ac præterea in rebus bellicis inter Græcos eorum temporum illustrissimos numerabantur, triduo eos captivos fecit ; neve ulli esset fugiendi locus, omnem regionem sic exploravit. Nempe ad fines Eretriæ profecti milites ejus, et ex mari in mare sese extendentes, discurrentesque junctis invicem manibus, universam regionem protinus percurrerunt, ut regi referre possent, neminem illos subterfugisse. Eadem sententia ex Eretria Marathonem descenderunt, utpote quod illis ad id aptissimum erat, ut Athenienses una cum Eretriensibus quasi sub eodem jugo ducerent captivos. His autem partim quidem ita peractis, partim vero tentatis, nullus Græcorum, præter Lacedæmonios, Eretriensibus Atheniensibusve succurrit. Et ii sequenti post pugnam die venerunt. ceteri autem omnes perterriti sunt, ac bene secum agi putantes, si periculum præsens evaderent, quieverunt. Ex hoc intueri licet, quanta illorum virtus fuerit, qui in Marathone barbarorum impetum sustinuerunt, ac totius Asiæ superbiam domuerunt. primi sane de barbaris triumpharunt : et exemplo reliquis ostenderunt Persarum vim haud inexpugnabilem esse : immo vero et multitudinem omnem et divitiarum copiam virtuti parere. Eos equidem viros non modo nostrorum corporum genitores, sed et libertatis tum nostræ tum omnium, qui in hujusmodi habitant continenti, auctores arbitror exstitisse. his namque exemplis provocati posteriores Græci, in sequentibus bellis pericula omnia pro salute sua subire non dubitarunt, discipuli profecto illorum, qui in Marathone Persas profligavere. Primam itaque palmam oratione illis tribuere decet : secundam vero [241] iis, qui circa Salaminam Artemisiumque hostes prœlio navali vicerunt. Multa nempe ab his viris gesta narrare possemus, quanta pericula terra marique imminentia sustinuerint devicerintque. Quod autem præ ceteris egregium puto, nunc eferam. nam quod restabat post bellum Marathonicum, perfecerunt. Siquidem qui in Marathone certarunt, hoc tantum Græcis demonstraverunt, quod terrestri pugna pauci quidem Græci multorum impetum barbarorum frangere possent : maritima vero victoria adhuc incerta : existimabanturque Persæ in maritimis prœliis et multitudine et divitiis arteque et robore inexpugnabiles esse. Hoc itaque in his, qui tunc navibus pugnavere, laude dignum

est, quod metum Græcis insitum penitus depulerunt, feceruntque ne amplius navium virorumque numerum pertimescerent. Utrisque his factum est, tam in Marathone terra pugnantibus, quam mari postea circa Salaminam, ut reliqui Græci et docerentur et provocarentur, ab illis quidem terra, ab his autem mari, ad prœlia contra barbaros intrepide committenda. Tertium assero quod in Platæis gestum est, et numero et virtute, salutis Græciæ causam exstitisse. Commune vero id jam est Lacedæmoniis et Atheniensibus facinus. igitur omnes hi Græciam in summis nobis et a posteris laudabuntur. Post hæc multæ insuper Græcorum urbes adhuc sub barbaris conveniebant: rex autem minabatur Græcos se iterum invasurum. Decet profecto illos commemorare, qui superiorum operibus salutis extremam manum imposuerunt, cum omnem ex mari barbariem depulissent. hi vero fuerunt, qui circa Eurymedontem classe pugnarunt, et in Cyprum militaturi se contulerunt: itemque in Ægyptum navigavere, plurimasque alias terrarum oras peragrarunt. horum meminisse oportet, his gratia est habenda, quod regem perterritum coëgerunt de salute sua cogitare potius quam ad Græcorum perniciem insidias tendere. Atque id bellum per omnes urbes diffusum fuit, dum Græci [242] se ipsos omnesque linguæ ejusdem homines adversus barbaros tutarentur. Pace vero demum confecta, honorataque civitate, contigit ei, quod solet ab hominibus in eos, quibus prospere res succedunt, oriri: primo quidem æmulatio, ab æmulatione deinde invidia, quæ hanc civitatem invitam in bellum cum Græcis gerendum traxit. Post hæc inito bello, in Tanagra congressi sunt, pro libertate Bœotiorum adversus Lacedæmonios concertantes. cumque incertus pugnæ esset eventus, quod postea secutum est, rem ipsam aperuit. plerique sane aufugerunt, destituentes Bœotios, quibus auxilium allaturi convenerant: nostri autem die tertia in Œnophytis potiti victoria, eos qui injuste fugerant, juste reduxerunt. Hi utique primi post bellum Persicum, Græcis gratia libertatis auxiliati contra Græcos, viri quidem præclari et libertatis auctores his, quibus opem tulerant, his in monumentis, honorati a civitate, priores sunt positi. His vero peractis, cum increbresceret bellum, Græcique omnes sumptis armis regionem devastarent, urbique non dignam gratiam redderent; eos nostri navali prœlio superarunt, et eorum duces Lacedæmones comprehenderunt: quos quamvis jugulare liceret, dimiserunt pacemque firmarunt; existimantes, adversus ejusdem generis homines ad victoriam usque pugnandum, neque ob propriam civitatis indignationem Græcorum communionem penitus dissolvendam, sed adversus barbaros ad necem usque certandum. Hos itaque laudare viros decet, qui hoc bello peracto hic jacent: quoniam ostenderunt inanem esse illorum suspicionem, si qui Atheniensium virtuti diffisi opinentur in primo contra barbaros bello alios quosdam præstantiores Atheniensibus exstitisse. Ili enim, cum omnis Græcia seditionibus agitaretur, ipsique viros ceteris Græcis præstantiores bello superatos comprehendissent, declaraverunt eos seorsum se vincere, quibuscum communiter barbaros expugnaverant. Tertium post pacem hanc bellum improvisum et grave exortum est, in quo cum multi fortesque viri occubuissent, hic conduntur. quorum multi circa Siciliam plurimis sunt potiti victoriis pro salute [243] Leontinorum, quibus jurejurando astricti opem ferebant: quo fœdere ad ea loca navigaverant. cum vero diuturna esset navigatio, ac interim rerum discrimine penuriaque civitas premeretur, neque illis posset succurrere, negatis subsidiis res eorum haud prospere successerunt. quorum hostes belloque adversarii majorem temperantiæ virtutisque laudem, quam amici aliorum, habent. Multi præterea navali bello per Hellespontum die una omnes adversariorum naves ceperunt, plurimasque alias devicerunt. Bellum vero iccirco insperatum durumque vocavi, quia nullus existimasset reliquos omnes

Græcos contra civitatem tam acerrimo studio contentionis accendi, ut regem illum barbarum infensissimum, quem una nobiscum expulerant, rursus per legatos ad bellum Græcis inferendum irritare non dubitarent, et universos tum Græcos tum barbaros, ad hanc urbem obsidendam colligere. ubi præcipue potentia virtusque civitatis hujus effulsit. nam cum existimarent eam jam succubuissè, navesque obsessæ circa Mitylenen essent, ipsi auxilium laturi sexaginta naves ingressi, viri quidem sine controversia fortes, hostes profligarunt, liberarunt amicos, et in sortem incidentes indignam, ex mari non aliter recepti hic jacent: quorum semper cum laude meminisse decet. Nam illorum virtute non modo tunc ex navali certamine, sed reliquo etiam prælio victoriam reportamus. etenim propter illos tantam est nostra civitas gloriam consecuta, ut nunquam expugnari posse nec ab omnibus quidem hominibus crederetur. quod certe haud procul a veritate est judicatum. neque enim aliorum insidiis viribusque, sed propria dissensione devicti sumus. nempe nunc etiam ab illis sumus invicti. sed ipsi nos expugnavimus, nobis ipsis offensionem succubuimus. Post hæc tempora pacatis omnibus, cumque aliis pace confecta, intestina nobis seditio coorta est, in qua se ita gesserunt, ut si fatis decretum esset homines seditionibus agitari, nemo videatur aliter ægrotare patriam optaturus. Nam ex Piræo et urbe quam benigne atque domestice præter ceterorum Græcorum opinionem cives invicem convenerunt! bellumque adversus eos, qui Eleusine erant, concitum quam moderate transegerunt atque sedarunt! [244] Horum profecto omnium alia nulla est causa, præter veram ipsam cognationem, quæ amicitiam firmam atque cognatam non sermone, sed re, his hominibus indidit. Oportet autem eos etiam, qui hoc in bello mutuis vulneribus conciderunt, memoria colere, et utcunque possumus, inter se eos conciliare, votis sacrificiisque pro illis qui superavere peractis, quandoquidem et nos conciliati sumus. neque enim improbitate inimicitiisque, sed infelicitate quadam, manus invicem conseruerunt. Horum vero testes sumus ipsi superstites. nam cum illis genere conjuncti simus, mutuo damus veniam et recipimus, si quid vel in alium intulimus vel perpessi sumus ab alio. Deinde cum in summa rerum tranquillitate quiesceret civitas, barbaris quidem ignoscebat, quod infestati ab illa fortiter repugnaverant: Græcis autem indignabatur, quia pro acceptis beneficiis injuriam quandoque retulerant, dum societatem cum barbaris inirent, navesque quibus fuerant servati, diriperent, dissiparentque muros, quibus nos mœnia eorum, ne corruerent, quandoque defendimus. Instituit itaque civitas haud ultra tueri Græcos, si quando vel a Græcis vel a barbaris opprimerentur. Cum vero nos in hac essemus sententia constituti, putarentque Lacedæmonii nos libertatis tutores jacere, opusque eorum fore posthac, ut alios subjugarent, hæc egerunt. Quid multis opus est verbis? neque enim vetera, neque multorum hominum gesta dicerem quæ sequuntur. Neque nos latet, perterritos Græcorum primos, Argivos, Bœotios, Corinthios, auxilium civitatis hujus imploravisse. quodque omnium divinissimum est, rex ipse tanta est indigentia pressus, ut non aliunde quam ex hac civitate, quam omni studio diruere conatus fuerat, salutem suam tutari posse confideret. Enimvero si quis hujus civitatis captum incusare voluerit, hoc duntaxat objicere poterit, quod misericordia nimis afficitur, diligentiusque sublevat succumbentes. Ea siquidem tempestate tolerare non potuit, quodve instituerat ultra servare. Decreverat sane nullis unquam eorum, a quibus injuriam accepisset, succumbentibus opem ferre. mutavit tamen propositum et auxilium præstitit. Unde Græcos [245] liberavit a servitute, ita ut liberi vixerint, donec ipsi se invicem subjugarunt. Regi vero succurrere ausa minime. verebatur enim triumphos ex Marathone, Salamina, Platæis, antea reportatos. sed cum sine-

ret exsules et voluntarios adjutores illi favere, sine controversia eum quoque servavit. Structis autem muris fabricatisque navibus belloque suscepto, quando coacta est bellum gerere, pro Pariorum salute contra Lacedæmonios dimicavit. Metuens vero civitatem rex, postquam Lacedæmonios viderat navale bellum renuere, et iccirco desistere volens, requisivit Græcos qui in continenti erant, quos prius ipsi Lacedæmonii exhibuerant, si propugnandum foret nobiscum ceterisque belli sociis, arbitratus hoc sibi negatum iri, quo tergiversandi occasionem nancisceretur. ubi a propugnatoribus sociisque aliis est deceptus. namque exhibere illi voluerunt, convenerunteque jurejurando adhibito Corinthii, Argivi, Bœotii, ceterique belli socii, si daret pecunias, ut eos illi, qui in continenti erant, Græcos traderent. soli vero nos neque tradere neque jurare tunc ausi sumus. usque adeo mos civitatis hujus generosus, liber, constans, integer, et natura barbaris est infensus : propterea quod homines hi absque ulla barbarorum commixtione puri integrique sunt Græci. neque enim miscentur nobiscum Pelopes aut Cadmii aut Ægyptii Danaive aliique permulti, natura quidem barbari, lege solummodo Græci : sed ipsi Græci duntaxat, nulla prorsus infecti barbarorum confusione, perseveramus. quæ quidem puritas odium huic civitati adversus genus alienum ingenuit. Soli rursus purique ex hoc perseveravimus, quod opus turpe profanumque perpetrare noluimus, Græcosque barbarorum manibus tradere. Ad hæc igitur descendentes, ex quibus primo superati fuimus, favente deo, felicius quam tunc bellum posuimus. nam retinentes naves, muros nostrasque colonias, a bello liberati sumus : adeo libenter et hostes ipsi destiterunt. Viros tamen fortes hoc quoque in bello amisimus, partim apud Corinthum regionis asperitate et angustia interceptos, partim proditione apud Lechæum profligatos. Insignes [246] quoque viri, qui et regem liberavere, et ex mari Lacedæmonios expulerunt. quos ego equidem in memoriam vobis reduco. vos autem viros hujusmodi collaudare celebrareque decet. Atque opera quidem hæc virorum hic jacentium, ceterorumque omnium, quicunque pro patria obierunt, quæ relata sunt, multa sunt atque præclara : sed quæ restant, plura admodum præstantioraque sunt. atqui dies multi vix noctesque sufficerent, si quis omnia complecti voluerit. His ergo memoria repetitis, unumquemque virum oportet natos horum assidue exhortari, ut tanquam in bello majorum suorum ordinem servent, neque per ignaviam aufugiant. Equidem, o virorum præstantium filii, vos ipse et in præsentia exhortor, et in posterum, quemcunque vestrum nactus fuero, admonebo semper et cohortabor, ut quam optimi evadere contendatis. Nunc quoque par est vobis referre, quæ nobis patres vestri finxerunt mandaruntque posteris prædicare, si quid paterentur, cum foret periclitandum. Recensebo igitur vobis in præsentia, quæ ex illis ipsis audivi, quæve ipsi nunc vobis, si facultas daretur, libenter præciperent. Conjecturam equidem ex illis quæ quondam dicebant efficio. Existimate vero, nunc quæ referam, illos ipsos audire loquentes. hunc autem in modum exorsi sunt : Quod ex præclaris parentibus orti estis, o filii, præsentia vobis testantur. profecto, cum nobis liceret turpiter vivere, honeste emori maluimus, quam vos ceterosque posteros infamiæ cuiquam subjicere, ac parentibus nostris superioribusque dedecori esse, putantes homini suos dedecoranti non esse vivendum. ei namque neque in vita neque post mortem amicum aliquem esse vel hominum vel deorum. Oportet igitur vos, verborum nostrorum memores, si quid aliud exercetis, cum virtute exercere, scientes absque virtute exercitationes et possessiones omnes turpes malasque esse. divitiæ namque splendorem afferunt nullum eas cum ignavia possidenti. neque enim sibi hic, sed alteri parat possidetque divitias. Neque forma corporis atque robur, timido ac pravo cum insunt, decorem præstant. eum namque dedecent, notiorem efficiunt, igna-

viam patefaciunt. Præterea scientia quævis remota justitia aliaque virtute, [247] non sapientia, sed calliditas esse videtur. Quorum causa et primo et postremo atque per omnia, omni studio diligentiaque contendite, ut et nos et majores nostros virtutis gloria superetis. alioquin scitote, si vobis virtute præstemus, victoriam hanc nobis dedecus allaturam : sin superemur a vobis, felicitatem. Ita vero maxime nos quidem superabimur, vos autem superabitis, si ea ratione vitam instituetis, ut majorum gloria non abutamini, neque eam, ut ita dixerimus, expendatis erogetisque : scientes, viro aliquid esse se existimanti nihil turpius posse accidere, quam se ipsum honorandum non propriam ob virtutem, sed propter gloriam superiorum præbere. Gloria enim parentum natis præclarus est magnificusque thesaurus : uti vero pecuniarum honorumque thesauro, et hunc ad posteros non transfundere, propriæ possessionis gloriæque defectu, turpe, et a viri generositate penitus alienum. Si igitur hæc exercueritis, vitæ demum fatis exactis cari ad nos filii caros parentes proficiscemini. sin autem neglexeritis hæc et improbi evaseritis, nemo vos libens excipiet. Natis quidem nostris hæc sint dicta. Patres autem nostros ac matres, si cui nostrum supersunt atque consolatione indigent, consolari oportet, quia deceat facile quæcunque acciderint ferre : neque cum illis una deplorandus est casus. lamentationibus enim aliorum non indigebunt : satis enim sors tristitiæ illis inferet. Mederi profecto lenireque oportet, et in primis illud commemorare, quod maxima eorum, quæ exoptare solent, exaudientes dii jam tribuerunt. neque enim immortales sibi filios dari, sed bonos et illustres optabant. cujus quidem voti compotes effecti sunt, quod maximum existimandum est bonum. Omnia vero mortali viro ad votum in vita succedere, haud facile est. Atqui si sortem forti animo tolerabunt, videbuntur revera fortium filiorum parentes, ipsique fortes esse. sin autem dolori succumbent, suspicionem hominibus inferent, ne forte aut parentes nostri minime sint, aut qui nos laudibus efferunt, mentiantur. At horum neutrum evenire oportet : immo vero laudatores nostros re ipsa præcipue illos esse, ostendentes se revera parentes viros esse virorum. Enimvero vetus illud proverbium, Nihil nimis, scite dictum videtur. Nam qui ita se comparavit, ut ex se ipso pendeant omnia, quæ ad beatitudinem conferunt, vel quam proxime ad hoc accedit, [248] neque ex aliis pendet hominibus, quibus vel bene vel male agentibus sua quoque mutari cogantur, hic optime vitam instituit : hic temperans est, hic fortis, hic prudens : hic sive pecunias nanciscatur ac filios, sive amittat, proverbio semper parebit. nunquam enim nimis aut lætitia exultabit aut dolore dejicietur, propterea quod ipsi pareat. Tales esse et nostros debere judicamus et volumus. atqui et in præsentia nos ipsos tales penitus exhibemus, haud certe perturbatos vel nimio metu perterritos, si nunc vita decedere nos oporteat. Oramus quoque patres nostros ac matres, ut similiter affecti vitam futuram agant, scientes, quod non lamentationibus ejulationibusque maxime nobis gratificabuntur : verum, si quis est his, qui defuncti sunt, sensus viventium, ita maxime nobis molesti futuri sunt, si se ipsos perdiderint et inique sortem tulerint : sin autem moderate ac leviter, nobis summopere obsequentur. nostra porro eum jam finem habebunt, qui hominibus est pulcherrimus : quamobrem collaudanda sunt potius quam deflenda. Profecto si uxores nostras filiosque tuebuntur et nutrient, et his incumbent, ita maxime casus oblivioni mandabunt, pulchriusve et rectius nobisque gratius vitam agent. Hæc igitur nostro nomine nostris prædicare sufficiet. Civitati vero mandamus, ut parentum nostrorum filiorumque curam habeat, et hos quidem honeste erudiat, illorum senium digne foveat. Cognovimus certe vos, etiamsi hæc minime præceperimus, optime curaturos. Hæc igitur, o filii defunctorum atque parentes, ut moneremus,

illi mandarunt: ego vero, quantum possum, diligentissime moneo, eorumque nomine obsecro, juniores quidem, ut præclaras suorum res imitentur; seniores autem, ut de se optime sperent. nempe senectutem vestram privatim publiceque alemus, et quemcunque ex illorum progenie nacti fuerimus, summa benevolentia complectemur. Civitatis vero providentiam ipsi minime ignoratis, quæ statutis legibus parentes et filios eorum, qui in bello interiere, [219] tutatur, et ante alios cives summo magistratui talium committit curam, ne ulla prorsus injuria parentes horum afficiantur. Filios autem educat ipsa, studetque, ut illis ignota sit orbitas. nam ipsa parentis gerit vicem, et dum pueri sunt: et cum ad maturam ætatem venerunt, ad officia sua transmittit, omni armatura fulcit, patris studia ostendit et memorat, dum paternæ virtutis tribuit instrumenta: ac simul auspicii gratia jubet tunc primum domum paternam ingredi filium, quasi imperaturum et armis cum robore fulctum. Eos præterea, qui decesserunt e vita, honorat, cæremonias quotannis lege decretas communiter cunctis instaurans, quæ privatim unicuique proprie peragi solent. Gymnica item certamina equestriaque instituit, musicæque ludos varios adhibet. Ac profecto, quoad defunctos spectat, heredis et filii subit conditionem: quoad filios, patris: quoad parentes ceterosque hujusmodi, curatoris: omni diligentia semper omnibus providens. Quarum rerum animadversione, quæ acciderunt, æquo animo ferre debetis. nam hoc pacto et mortuis et viventibus eritis gratiores, facileque curabitis, et facile curabimini. Nunc vero vos, ac ceteri omnes, qui communiter secundum legem eos, qui naturæ cesserunt, jam lugubribus expiationibus prosecuti estis, abite. Hic est, o Menexene, Aspasiæ Milesiæ sermo. Men. Per Jovem, o Socrates, beatam dicis Aspasiam, si, cum mulier sit, tales potest orationes componere. So. At, si minus credis, sequere me: dicentem ipsam audies. Men. Sæpenumero cum Aspasia fui, Socrates, et qualis sit, novi. So. Cur igitur eam non veneraris? cur non habes propter hanc orationem illi gratiam? Men. Ingentem equidem, o Socrates, habeo gratiam mulieri huic, seu viro, quisquis tibi orationem hanc tradidit: ac præ ceteris multis narranti gratiam habeo. So. Bene quidem. Sed ne me prodas, ut deinceps multas ejus præclarasque de civilibus rebus orationes tibi recenseam. Men. Confide. non prodam. referas modo. So. Fiet ut postulas.

HIPPIAS MAJOR.

SOCRATES, HIPPIAS.

[281] O SAPIENS et pulcher Hippias, quam raro Athenas accedis! HIP. Non datur, o Socrates, otium. nam Elienses cives, quotiens cum externis gentibus aliquid est tractandum, mihi præ ceteris legationes committunt, idoneum me judicem ac nuntium existimantes eorum, quæ apud singulas civitates dicuntur. Quamobrem sæpe et ad alias urbes, sæpius etiam et de maximis rebus Lacedæmonem legatus accessi. quo fit, ut hæc loca, quod ipse quærebas, minus frequentem. So. Hoc certe, o Hippia, sapientis perfectique viri proprium est. Tu quidem privatim, multis ab adolescentibus acceptis pecuniis, ad plura etiam prodesse illis, quam quæ acceperis, vales: atque iterum publice patriam tuam tueri, ut decet eum, qui non contemnendus vulgo, sed summo in pretio sit habendus. Ceterum quænam, o Hippia, causa, quod prisci illi, qui sapientum cognomen adepti sunt, Pittacus atque Bias, et qui Thaletis Milesii tempore, quive deinceps usque ad Anaxagoram, sapientiæ studio floruerunt, vel omnes vel plurimi civilibus actionibus abstinuere? HIP. Quid aliud putas, o Socrates, illos continuisse quam imbecillitatem ingenii, cum non possent utraque, privata et publica, prudenter administrare? So. An quemadmodum ceteræ artes incrementum tempore susceperunt, adeo ut nostri temporis artifices superioribus longe præcellant: ita et facultatem vestram, studium videlicet Sophistarum, crevisse dicendum, ac veteres sapientiæ studiosos, si vobiscum comparentur, viles admodum exstitisse? HIP. Recte omnino loqueris. So. Ergo si hodie Bias in vitam resurgeret, a [282] vobis irrideretur: quemadmodum ipsum Dædalum sculptores aiunt, si reviviscens talia fabricaret, qualia quondam, ex quibus sibi gloriam comparavit, ridiculum fore. HIP. Sic se res habet, ut ais, o Socrates. veruntamen priscos homines præferre semper recentioribus consuevi, ut et viventium invidiam et defunctorum indignationem vitarem. So. Probe, o Hippia, et sentire et loqui mihi videris. ego quoque testari possum, te vera loqui. nam revera vestra facultas adaucta est, vimque suscepit ad publica una cum privatis administranda. Gorgias siquidem iste, Leontinus Sophista, huc patriæ legatus accessit, utpote qui esset in civilium rerum gubernatione Leontinorum omnium præstantissimus: ubi ad populum concionari præclare judicatus est, deinde privatim disputans, et cum juvenibus versatus, multas in hac urbe pecunias cumulavit. quin etiam, si audire vis, amicus noster Prodicus et sæpe alias publicis muneribus functus est, et nuper ex Chio insula veniens, cum publice in consilio dixisset, summopere probatus est: et privatim disserens, juvenesque erudiens, pecunias innumeras est lucratus. E priscis autem illis nullus unquam dignum putavit argenti mercedem sequi, aut propriam sapientiam in cœtu diversorum hominum ostentare: adeo inepti et ignavi erant, eosque, quanti argentum sit, latebat. Sed uterque illorum, quos modo retuli, plus argenti sapientia sua, quam alius quivis artifex ex qualibet arte cumulavit: idemque Protagoras ante illos effecit. HIP. Nihil, o Socrates, egregium hac in re nosti. nam si videres, quantum ego argenti lucratus

sum, obstupescerес. Mitto alia. verum in Siciliam quandoque profectus, ubi tunc Protagoras habitabat summoque in honore habebatur, me admodum senior, brevi plus quam centum et quinquaginta minas collegi, et ex regione quadam angusta, Inyca nomine, plus quam minas viginti: cumque domum rediissem, patri dedi: quod quidem tam ille, quam reliqui cives, vehementer admirati sunt. enimvero me plures ferme pecunias, quam duos alios simul, quoscunque vis, Sophistas congregasse existimo. So. O rem præclaram! potissimum, Hippia, id argumentum est, quanto et [283] tu et alii hujus seculi sapientes veteres superatis. nam prima quanta inscitia Anaxagoræ fuisse videtur? cui contra ac vobis contigit. amplum quippe patrimonium neglexisse dissipasseque dicatur: adeo stulte philosophabatur: deque ceteris illorum temporum sapientibus alia quædam hujusmodi tradunt. Quapropter optimam hanc attulisse conjecturam videris, quod sapientes nostri superioribus præstent: multique in hoc consentiunt, sapientem inprimis sibi ipsi sapere oportere. hujus autem hæc est summa, ut argentum plurimum acquiratur. Et de iis satis. hoc autem mihi dicas, cum multas urbes adieris, ubinam potissimum lucratus es? num Lacedæmone, quo frequentius es profectus? Hip. Non, per Jovem, o Socrates. So. Quid ais? nunquid minimum? Hip. Immo nihil penitus unquam. So. Monstrum est, quod dicis, o Hippia, dictuque mirabile. Responde ad hæc: utrum sapientia tua illos, qui tecum versantur discuntque, meliores ad virtutem efficere possit, necne? Hip. Et maxime quidem. So. Nunquid Inyciorum civium filios meliores reddere potuisti, filios autem Spartanorum minime? Hip. Absit. So. An forte Siculi meliores fieri student, Lacedæmones negligunt? Hip. Immo et Lacedæmones idem affectant. So. Num pecuniarum defectu tua consuetudine caruerunt? Hip. Nequaquam. divites enim sunt. So. Cum igitur sapientiam affectarent, et suppeterent facultates, tuque illos voti compotes reddere posses, cur non inde locupletissimus rediisti? an forte ipsi Lacedæmones melius, quam tu, filios suos erudiunt? Vis ita dicamus? ac tu consentis? Hip. Nullo modo. So. Utrum juvenibus Lacedæmone persuadere non potuisti, ut tibi adhærentes magis proficerent ad virtutem, quam si cum suis vixerint? an parentes inducere non potuisti, ut tibi filios potius, quam diligentiæ suæ, committerent, si modo filiorum curam haberent? neque enim adeo invidebant filiis, ut optimos evadere nollent. Hip. Equidem invidisse non arbitror. So. Nunquid Lacedæmon bonis legibus instituta est? Hip. Bonis profecto. So. In hujusmodi vero gubernationibus [284] virtus maxime omnium honoratur. Hip. Maxime quidem. So. Tu autem hanc aliis tradere, præ ceteris hominibus optime nosti. Hip. Prorsus, o Socrates. So. Qui facultatem equestrem egregie docere potest, nonne in Thessalia magis, quam in reliqua Græcia, coleretur, lucrareturque plurimum, similiterque et alibi, ubicunque hæc ars in pretio est? Hip. Consentaneum id quidem. So. Qui ergo potis est præclarissimis virtutis præceptis juvenes instituere, cur non Lacedæmone summopere honoretur, ibique innumeras affatim pecunias cumulet, ac similiter in quacunque civitate Græcorum virtus maximi æstimatur? At forte in Sicilia magis et in Inycia, putas, ista credere debemus, Hippia. si tu jusseris, credendum est. Hip. Non est, o Socrates, mos patrius Lacedæmoniis, mutare leges, neque præter consuetudinem filios educare. So. Quid ais? Lacedæmonibus haud patrium est recte agere, sed aberrare? Hip. Nunquam id ego assererem. So. Recte vero agerent, si melius, non si deterius juvenes erudirent? Hip. Recte. verum peregrinas disciplinas lex illorum non admittit. alioquin si quis unquam alius ibi quandoque disciplinæ gratia lucratus esset, scito me plurimum fuisse lucraturum. Lætantur ergo, cum me audiunt, atque laudant: sed, ut dicebam, lex illorum peregrina

vetat. So. Legem, o Hippia, perniciem civitatis, an salutem, vocas? Hip. Conditur, mea quidem sententia, utilitatis gratia lex: nonnunquam tamen obest, si male sit posita. So. Nonne ut maximum quoddam civitati bonum legem condunt latores legum? legeque sublata, cum iniquitate simul vivere in civitate non possumus? Hip. Vera loqueris. So. Quotiens igitur a bono aberrant hi, qui leges ferre nituntur, a legitimo legeque discedunt. Quid ad hæc? Hip. Exacta quidem ratione sic se res habet, o Socrates: non tamen sic homines nominare consueverunt. So. Utrum, o Hippia, qui cognoscunt vel qui ignorant? Hip. Vulgus. So. Qui verum cognoscunt, vulgus sunt? Hip. Nequaquam. So. At vero qui sapiunt, hi, quod utilius est, magis legitimum, quam quod inutile, revera omnibus hominibus esse censent. nonne fateris? Hip. Fateor equidem, ita revera esse. So. An non ita est, ut scientes existimant? Hip. Prorsus. So. Præstat autem, ut tu ais, Lacedæmonios disciplina tua, [285] licet peregrina, quam patria imbui. Hip. Et vera loquor. So. Quin etiam quæcunque utiliora sunt, magis legitima dicis? Hip. Dixi equidem. So. Ergo secundum rationem tuam magis e lege est, ut Lacedæmoniorum filii ab Hippia, quam a parentibus, doceantur: quandoquidem tu magis, quam illi, revera prodesses. Hip. Prodessem procul dubio, Socrates. So. Præter legem igitur agunt Lacedæmonii, cum tibi filios suos erudiendos, auri oblata mercede, non tradant. Hip. Assentior equidem. videris enim pro me dicere. quamobrem repugnare tibi non decet. So. Bonarum legum expertes Laconas esse invenimus, et in rebus quidem maximis, cum tamen melioribus legibus quam reliqui Græci uti videantur. Te vero quando potissimum laudant, Hippia, et quibus rebus audiendis præcipue delectantur? an videlicet cum illa narras, quæ ipse egregie nosti, astra cœlestesque progressus? Hip. Nullo modo hæc sustinent. So. Num geometriæ sermo illos oblectat? Hip. Minime omnium. nam pauci admodum ex illis, ut ita dicam, numerare sciunt. So. Longe igitur abest, ut ratiocinationes computationesque libenter audiant. Hip. Longe, per Jovem. So. Nunquid illa, quæ tu acutissime omnium hominum intelligis, literarum syllabarumque distinctiones, rhythmorum harmoniarumque naturas? Hip. Quas, o bone vir, harmonias ac literas? So. At quæ tandem ista sunt, quæ audientes illi lætantur, teque laudant? tu saltem referas, postquam ego invenire non possum. Hip. Stirpem heroum atque hominum, et antiquarum urbium constructiones, ac summatim omnem antiquitatis historiam attente audiunt. Quocirca illorum causa ediscere, meditarique hujus generis omnia coactus sum. So. Quam bene tecum actum est, o Hippia, quod Lacedæmonii moleste ferant, si quis nostros principes incipiens a Solone recenseat. alioquin eorum nominibus ediscendis fatigari te oportuisset. Hip. Quid fatigari, Socrates? semel audiens quinquaginta nomina, memoriter repetam. So. Probe loqueris. sed ego te memoria pollere non adverteram. Quapropter Lacedæmonios te merito delectari, tanquam multarum rerum [286] perito, jam intelligo, teque perinde uti, ac aniculis pueri, ad confabulandi jucunditatem. Hip. Per Jovem, o Socrates, nuper ibidem de pulchris studiis, quibus incumbere juvenem decet, edisserens admirationi fui. Exstat enim de iis a me composita luculenta quædam oratio, quæ præcipue verborum elegantia pollet. forma vero et principium orationis ejusmodi est: Postquam capta est Troja, Neoptolemus Nestorem interrogavit, quæ sint pulcherrima studia, quibus incumbens juvenis vir illustris evadat. Cui respondens Nestor multa et pulchra præcepta recenset. Hanc equidem orationem ibi ostendi, et hic quoque tertia hinc die in Phidostrati ludo, atque insuper alia multa auditu digna, ostensurus sum. Eudicus enim, Apimanti filius, me rogavit. Quare da operam, ut tu quoque adsis, et alios tecum du-

cas, quicunque dicenda audiendo judicare sciant. So. Fient ista, si Deus voluerit, Hippia. in præsentia autem breve quiddam de hoc ipso responde : nam opportune me admonuisti. nuper enim, o vir optime, cum in sermone quodam alia ut pulchra laudarem, alia vituperarem ut turpia, hanc quispiam in medium dubitationem induxit, me valde contentiose sic interrogans : Unde, o Socrates, pulchra turpiave cognoscis ? potesne, quid pulchrum sit, definire ? Ego autem ob ignaviam meam hæsitavi, neque, quod accommodate responderem, habui. atque ex cœtu hominum abiens, mecum ipse iratus sum, ruditatemque meam vehementer vituperavi : ac minatus sum, cum primum quempiam vestrum, qui sapientiam profitemini, obvium haberem, conaturum me id audire ac discere, et diligenter præmeditatum ad eum, qui rogaverat, reversurum, ut rursus eadem de re pugnarem. Quapropter nunc tu, ut dicebam, peropportune venisti. Doce, obsecro, me, quid ipsum pulchrum est : conare, inquam, diligentissime omnem respondendo rem aperire, ne iterum redargutus irridear. nosti enim perspicue : idque exiguum quiddam est e multis, quæ tu calles. Hip. Exiguum, per Jovem, Socrates, et nullius, ut ita dicam, pretii. So. Facile itaque discam : neque ullus ulterius me refellet. Hip. Nullus certe. vile namque et rude studium [287] meum esset. So. Per Junonem, bene loqueris, Hippia, si virum illum capiamus. verum ne tibi impedimento sim, imitatus illum, te respondente rationes resumam, ut me magis exerceas. ferme enim in resumendis sermonibus quoquo peritus sum. Si ergo nihil tua interest, repetere cupio, ut vehementius firmiusque perdiscam. Hip. Repete, ut lubet. nam, ut modo dicebam, non ardua quæstio est : sed ad difficiliora te respondere docerem, ut nemo te refellere possit. So. O quam bene loqueris ! ac postquam tu jubes, ejus ipse personam indutus, te interrogare aggredior. Si illi sermonem tuum de pulchris disputantem officiis ostendisses, cum primum finem dicendi fecisses, de nullo alio prius, quam de pulchro, quæsisset. mos enim iste suus : et in hunc modum interrogasset : O Eliensis hospes, nonne justitia justi sunt, quicunque justi ? Responde, quæso, Hippia, tanquam percontante illo. Hip. Justitia profecto. So. An non aliquid hæc ipsa justitia est ? Hip. Prorsus. So. Et sapientia sapientes sunt, quicunque sapiunt ? et bono similiter bona omnia, quæ bona sunt ? Hip. Quid prohibet ? So. Sapientiam vero et bonum secundum se esse oportet. nam si ipsa non essent, alia per illa nunquam talia fierent. Hip. Sic est. So. Nonne et pulchra omnia ipso pulchro sunt pulchra ? Hip. Pulchro certe. So. Estne igitur ipsum pulchrum ? Hip. Est procul dubio. sed quorsum ? So. Hic ille statim quæret : Dic, hospes, quid hoc ipsum pulchrum est ? Hip. Num qui ista interrogat, audire indiget, quid est pulchrum ? So. Non mihi videtur : sed aliud quiddam est ipsum pulchrum. Hip. Quid hoc ab illo differt ? So. Nihilne tibi videtur ? Hip. Nihil certe. non enim differt. So. Constat autem te melius nosse. considera tamen : non quæ res pulchra est, ille petit, sed quid ipsum pulchrum est. Hip. Intelligo jam, o bone vir : et quod ipsum pulchrum est, respondebo adeo, ut nunquam redarguar. Si verum dicere oportet, scito, Socrates, virginem pulchram ipsum pulchrum esse. So. Præclare, o Hippia, et decore admodum respondisti. nunquid ergo, si hoc respondero, ad interrogata responsum erit, et recte, [288] neque refellar ? Hip. Qua te ille ratione corripiet, si quod omnibus videtur, et de quo audientes singuli pro te testabuntur, responderis ? So. Eia quam belle. sed mecum ipse, o Hippia, quod dicis animadverto. Ille siquidem ita quodammodo percontabitur : Age, responde mihi, o Socrates, quid est ipsum pulchrum, quod si sit, hæc omnia, quæ pulchra dicuntur, per ipsum pulchra sunt ? Ego autem respondebo : Si pulchra virgo ipsum pulchrum est, propter quod hæc pulchra fiunt.

Hip. Putasne illum te reprehendere ulterius ausurum, quasi non pulchrum sit, quod dicis? vel, si forte ausus fuerit, non ab omnibus irrisum iri? So. Quod quidem audebit, o vir mirifice, certo scio: utrum vero ausus ridiculus evasurus sit, res ipsa ostendet. quæ tamen ille inferet, tibi dicere cupio. Hip. Dic jam. So. Quam lepidus es, o Socrates! dicet. Pulchra equa, nonne pulchrum? quam in oraculo Deus ipse laudavit. Quid ad hæc, o Hippia? pulchram equam nonne pulchram esse fatebimur? nam quo pacto, quod pulchrum est, esse pulchrum negabimus? Hip. Vera narras, o Socrates: recte quippe Deus cecinit. pulcherrimæ enim equæ apud nos nascuntur. So. Addet ille post hæc: Lyra pulchra, nonne pulchrum? Hip. Ita. So. Quæret iterum, (novi enim ejus morem) O vir optime, pulchra olla, an non pulchrum? Hip. Ha Socrates, quis adeo rudis est, ut in re seria tam vilia nomina misceat? So. Talis ille est, o Hippia. non enim comptus jucundusque, sed sordidus, nihilque aliud præter veritatem curans. attamen respondendum illi est, et ego præfabor. Si olla a bono figulo ficta sit æqualis et rotunda, satisque cocta, quales sunt ollæ quædam utrinque auritæ atque perpulchræ, quæ sex patinas capiunt: si de tali, inquam, olla interroget, respondendum, pulchram exsistere. quomodo enim, quod pulchrum est, non esse pulchrum assereremus? Hip. Nullo pacto, o Socrates. So. An non et ollo, rogabit, illa pulchra pulchrum? responde, amabo. Hip. Sic esse arbitror. pulchrum quoque vas hoc est, cum ex arte est fictum: sed totum hoc, si cum equa et virgine aliisque speciosis omnibus comparetur, tali cognomento indignum est. So. En, [289] Hippia, jam intelligo, quid interroganti illi, qui petit, objiciendum sit: O vir, ignoras, quam scitum sit illud Heracliti, Speciosissima simiarum deformis est, cum alio genere animalium comparata? nec non ollarum pulcherrima turpis est, si cum virginum genere conferatur, ut sapiens Hippias judicavit. Nonne sic, Hippia? Hip. Recte nimium respondisti. So. Audi. deinceps enim scio sic inferet: Quid si quis genus virginum, o Socrates, cum Deorum genere conferat, nonne idem patietur, quod et olla collata cum virgine? an non formosissima virginum deformis esse videbitur? nonne Heraclitus, quem tu in testimonium adduxisti, hoc idem tradit, hominem scilicet sapientissimum ad Deum simiam apparere, quoad sapientiam et formam et alia omnia? Confitebimur, Hippia, speciosissimam virginem, cum Deorum genere comparatam, esse deformem? Hip. Quis huic, Socrates, contradixerit? So. Si hæc admittamus, ridebit illico, et in hunc modum me iterum compellabit: Recordaris, Socrates, quid interrogatus fueris? At ego: Recordor equidem me interrogatum fuisse, quid ipsum pulchrum sit. Tum ille dicet: Interrogatus, quid pulchrum sit, respondes, quod non magis pulchrum quam turpe esse contingit, ut tu ipse fateris. Ita videri dicam? Dic, quidnam tu, amice, mihi respondendum consulis? Hip. Hoc ipsum. So. Quin etiam, quod ad Deos genus hominum pulchrum minime sit, concedet. Sin autem ab initio te, dicet ille, rogassem, quid pulchrum turpeque est, et tu mihi eadem, quæ in præsentia, respondisses, recte quidem? præterea, num tibi ipsum pulchrum, quo decorantur omnia pulchraque apparent, quotiens illa species adest, virgo videtur esse vel equa vel lyra? Hip. Si id ille quæsiverit, Socrates, facillime respondebitur, quid ipsum pulchrum sit, quo cetera omnia decorantur, cujusve præsentia pulchra videntur. Ineptissimus nempe homo est, nihilque præclaræ quæstionis inducit. si enim tu illi responderis, pulchrum ipsum, quod quærit, nihil aliud esse, quam aurum, hæsitabit profecto, neque te confutare tentabit. constat enim apud omnes, cuicunque hoc adest, licet turpe illud antea visum fuerit, pulchrum videri auro perornatum. So. Nescis, Hippia, quam molestus vir ille sit, quamve difficile dicentibus assentiatur.

Hip. Quid tum? quod recte dicitur, concedat necesse est. [290] hoc enim si respuerit, ludibrio omnibus erit. So. Atqui responsionem hanc non modo non accipiet, sed acriter me mordebit. O inflate vir, dicet, Phidiam rudem artificem putas? Et ego illi, ut arbitror, nullo modo putare me dicam. Hip. Et recte quidem. So. Recte procul dubio. postquam vero peritum artificem Phidiam esse concessero, hæc insuper addet: Existimas, id, quod pulchrum vocas, Phidiam ignorasse? At ego quid maxime dicam? Tum ille: Quoniam Minervæ oculos non aureos fecit, neque reliquum vultum, neque pedes, neque manus, (quandoquidem, si aurea fuissent, pulcherrima exstitissent) sed eburnea reddidit. in quo certe propter inscitiam aberravit, cum ignoraret aurum esse, cujus præsentia pulchra omnia fiunt, quibuscunque adhæret. Quid ad hæc, Hippia? Hip. Nihil arduum. recte enim fecisse fatebimur. nam eburneum quoque pulchrum est. So. Sed ille: Cur non pupillas etiam oculorum eburneas fecit, sed lapideas, inveniens, quoad fieri potuit, lapidis cum ebore similitudinem? Num pulchrum lapidem pulchrum esse, o Hippia, respondebimus? Hip. Immo certe, cum decens est. So. Cum vero non decens, turpe fatendum, necne? Hip. Fatendum sane, cum minime decet. So. His adjiciet ille: O vir sapiens, ebur et aurum nonne, cum decent, pulchra omnia reddunt? contra vero, cum dedecent? Renuemusne, an potius admittemus? Hip. Fatebimur plane, quicquid aliquid decet, pulchrum efficere. So. Hic ille inferet: Utrum decet pulchræ ollæ, de qua supra diximus, plenæ bonorum leguminum, auream tudeculam addere an ficulneam? Hip. Proh Hercules, qualem hominem narras! Cur non ejus nomen profers? So. Haud agnosceres hominem, licet nomen audires. Hip. Veruntamen in præsentia indoctum illum esse cognosco. So. Curiosus nimium est, o Hippia. Ceterum quid dicemus? utram potius e duabus tudeculis legumini et ollæ congruere? an ficulneam? suaviorem quippe odorem præstat; neque collidens frangensque ollam diffundet legumina, nec aqua ignem exstinguet, neque comesturos homines pretioso privabit obsonio. contra vero aurea tudecula. quamobrem videtur mihi [291] ficulnea magis decere quam aurea: nisi tu contradixeris. Hip. Decet sane magis: quamvis ego cum homine talia perquirenti minime disputarem. So. Probe nimirum, o amice. tibi enim talibus nominibus uti non convenit, cum tam specioso amictu calceisque ornatus sis, et inter omnes Græcos sapientia polleas: me autem nihil prohibet, quo minus cum illo verser. me igitur ante erudias, meique gratia respondere digneris. Ille namque sic deinde perget: Si ficulnea decet magis quam aurea, nonne pulchrior? Hip. Pulchriorem respondebis, o Socrates, postquam quod decet, pulchrius quam quod dedecet, es confessus. So. Nunquid, Hippia, confitendum, ficulneam pulchriorem esse quam auream? Hip. Vis tibi dicam, Socrates, quomodo pulchrum definiens, prolixis cum sermonibus alienabis? So. Quidni velim? modo tamen prius mihi dixeris, utram e duabus illis tudeculis decentiorem pulchrioremque exsistere respondendum sit. Hip. Atqui, si vis, illam, quæ ex ficu est, pulchriorem esse responde. So. Nunc jam dicas, quod paulo ante inceptabas. hac enim responsione, qua ipsum pulchrum aurum esse aio, nihilo pulchrius, ut arbitror, aurum quam lignum ficulneum apparebit. Nunc denuo quid ipsum pulchrum asseris? Hip. Dicam equidem. requirere namque mihi videris tale quiddam pulchrum respondere, quod nunquam alicui turpe videri queat. So. Omnino, o Hippia, et nunc recte accipis. Hip. Audi jam. scito, Socrates, si quis habeat, quod adversus hoc inferre valeat, autumare me nihil unquam penitus laudaturum. So. Dic, per Deos, cito. Hip. Aio equidem, semper apud quemlibet et ubicunque pulcherrimum esse, ut sanus aliquis sit, dives et honoratus inter Græcos usque ad senectutem: et sicut parentes

suos defunctos egregio funere decoravit, sic a filiis suis præclare atque magnifice sepeliatur. So. Hui, hui, o Hippia, quam mirifice et excellenter, et ut te decet, dixisti. per Junonem, valde te amo, quia mihi videris summa cum benevolentia pro viribus auxiliari. Virum tamen illum nondum comprehendimus: sed nunc effusius nos, mihi crede, ridebit. Hip. O ineptum risum! cum enim nihil adversus ista proferre valeat, rideat autem, se ipsum ridebit, [292] præsentibusque omnibus ipse ludibrio erit. So. Forte sic se res habet. forte etiam ex hac responsione, ut ego vaticinor, non solum illudere me audebit. Hip. Quid ultra? So. Si baculum habuerit, neque ego statim fugero, cædere me conabitur. Hip. Quid ais? an tuus ille dominus? si tibi injuriatus fuerit, non dabit pœnas? an injusta vestra civitas, cædereque se mutuo cives permittit? So. Nullo modo. Hip. Nonne igitur punietur, si te injuste percusserit? So. Non injuste quidem, o Hippia, si talia responderem, sed jure mihi videtur. Hip. Mihi quoque, quando quidem et tu hæc putas. So. Vis tibi dicam, quam ob causam me talia respondentem verberibus dignum putem? An tu me prius quam judices verberabis, vel rationem admittes? Hip. Grave hoc esset, o Socrates, si non admitterem. sed qua ratione id ais? So. Dicam eodem modo, quo et paulo ante, imitatus illum, ne coram te verba, quibus ille mecum utitur, proferam, dura nimium et absurda. Nam sic me procul dubio alloquetur: Dic age, o Socrates, injuste cædi illum censes, qui dithyrambum tantum inconcinne pronuntians, tam procul a proposita quæstione abierit? At ego, Quonam pacto? interrogabo. Tum ille: Quia oblitus es, quæsitum fuisse ipsum pulchrum, quod omnia, quibuscunque inest, pulchra efficit, lapidem, lignum, hominem, Deum, actionem denique omnem et disciplinam. hoc ipsum, o vir, pulchrum quid est, perquiro. tu vero non magis audisti me, quam si lapis coram assedisses, et molaris quidem, nec aures neque cerebrum habens. Quod si ego perterritus ad hæc ita respondeam, num graviter feres, Hippia? Hip. Quonam modo? So. Sic, inquam. Hoc tamen Hippias pulchrum esse dixit: quamvis ego illum, ut tu me nunc, interrogassem, quod omnibus pulchrum semperque exsistit. Quid ais? an moleste feres, si hæc dixero? Hip. Certo scio, o Socrates, quod dixi, omnibus esse pulchrum, et ita videbitur. So. An et erit? dicet ille. semper enim pulchrum? Hip. Omnino. So. Nonne et erat? interrogabit. Hip. Et erat. So. Ad hæc ille: Et nunquid Eliensis hospes inquit Achilli pulchrum esse, post genitores suos naturæ concedere? et avo illius Æaco, aliisque, quicunque ex Diis nati sunt, [293] et ipsis denique Diis? Hip. Quid hoc? Macariæ, Herculis filiæ, ad expiandum scelus sacra facito. profanæ enim sunt, o Socrates, hujusmodi quæstiones. So. Quid vero? percontante alio hæc asserere non valde profanum? Hip. Forsitan. So. Forte igitur tu is es, ille dicet, qui cuilibet ac semper pulchrum esse dicis, a filiis funere honorari, parentibus parentare. An non ex omnibus unus Hercules erat, aliique, quos antea memoravimus? Hip. At vero non Diis dicebam. So. Nec heroibus etiam, ut videris. Hip. Non certe, quicunque Deorum filii fuerunt. So. Illis vero, qui non Deorum? Hip. His ipsis. So. Ergo secundum sermonem tuum ex heroum numero Tantalo quidem et Dardano atque Zetho grave, profanum et turpe est: Pelopi vero aliisque similiter genitis pulchrum. Hip. Ita mihi videtur. So. Ad hæc ille: Tibi ergo videtur, quod in superioribus non dicebas, sepelire parentes, a filiis sepeliri, quandoque et quibusdam turpe contingere; immo impossibile esse, hoc omnibus esse pulchrum. Quamobrem similiter hoc atque superiora illa, scilicet virgo et olla, afficitur: atque etiam ridicule magis, aliis pulchrum est, aliis minime. Quocirca sic me ille corripiet: Nondum hodie potes, o Socrates, quid ipsum, de quo quæritur, pulchrum sit, expri-

mere? Et merito me ita jurgabit, dum sibi talia respondebo. Talis est ut plurimum disputatio nostra. Quandoque vero, tanquam imperitiam meam et inscitiam miseratus, ipse mihi occurrit, interrogans, utrum tale quiddam pulchrum ipsum esse mihi videatur, vel de quovis alio disputetur. Hip. Quomodo id ais, o Socrates? So. Dicam. O beate Socrates, inquit, ita respondere talia desine. inepta quippe sunt, et facile refelluntur. Sed adverte, num tale quiddam ipsum pulchrum appareat, quod nos supra tetigimus, cum aurum diceremus, quibus decens est, esse pulchrum; contra, quibus minime: atque alia omnia, quibus ipsum decens ejusque natura competit, pulchra fieri. Vide igitur, num hoc ipsum pulchrum sit. Ego autem ista passim concedere consuevi. nam quid objiciam, non invenio. Tibi vero decorum, ipsum pulchrum esse videtur? Hip. Omnino, o Socrates. So. Caveamus, ne in aliquo decipiamur. Hip. Cavendum certe. So. Vide itaque. decorum id vocamus, [294] quod adveniens videri pulchra singula facit, quibus adest, vel quod esse efficit, vel ex iis neutrum? Hip. Mihi quidem videtur. So. Utrum quod apparere pulchra facit, perinde ac si quis deformis, amictu calceisque decoris ornatus, pulchrior appareat? Nonne si decorum ea, quibus inest, pulchriora quam sint videri faciat, quatenus decorum est, deceptio quædam circa pulchrum decorum esset; neque esset hoc, quod quærimus, Hippia? Illud quippe quæsivimus, quo res omnes pulchræ pulchræ sunt: quemadmodum omnia magna excessu magna sunt. hæc enim omnia magna sunt: atque etiamsi non videantur, excedant tamen, magna esse necesse est. Sic et pulchrum quæsivimus, quo pulchra sunt omnia, sive appareant sive non, quid esset? decorum quidem non est: pulchriora enim, quam sint, videri facit, in quantum decorum est, ut ipse aiebas: qualia vero sunt, videri non sinit. Quod autem pulchra esse facit, quemadmodum paulo ante dicebam, sive appareant sive non, quid est dicendum. hoc nempe quæritur, si modo pulchrum quæritur. Hip. Atqui decorum, o Socrates, et esse et apparere pulchra, cum adest, efficit. So. Igitur impossibile est, quæ revera pulchra sunt, non videri pulchra, dum adest, quod videri facit. Hip. Impossibile. So. Confitebimur hoc, o Hippia, omnia revera pulchra instituta et studia existimari etiam pulchra ab hominibus? vel contra, ignorari, adeo ut de his homines privatim et publice acerrime pugnent? Hip. Ignorari potius, o Socrates, arbitror. So. Non tamen ignorarentur, si, ut pulchra sunt, ita pulchra etiam apparerent: apparerent autem, si decorum pulchrum esset, neque esse solum, sed videri etiam pulchra cogeret. Quamobrem, si decorum est, quod pulchra facit esse, est utique, quod quærimus, pulchrum, non tamen id, quod videri cogit: sin autem videri duntaxat decorum efficit, nequaquam pulchrum ipsum est, quod petimus. esse namque illud compellit. Apparere autem simul et esse, neque pulchra neque aliud quicquam efficere idem potest. Eligamus jam, utrum decorum esse putemus, quod videri pulchra, vel quod esse facit. Hip. Quod videri, o Socrates, arbitror. So. Papæ, quam longe nos Hippia, ipsius pulchri cognitio fugit, postquam decorum aliud quiddam præter ipsum pulchrum esse apparuit. Hip. Per Jovem, o Socrates, mihi quidem absurde nimium. [295] So. Ceterum, o amice, nondum dimittamus. neque enim omnem abjeci spem, quid sit pulchrum inveniendi. Hip. Omnino sperandum, o Socrates. neque enim inventu difficile. mihi quippe conscius sum, quod si paulisper ad me ipsum in solitudine me reciperem, exactius tuis, quam exprimi possit, tibi id explicarem, ut nihil ultra requireres. So. Heu, ne alta id voce dicas, o Hippia, ne indignatum longius nos effugiat. non vides, quantum nos hactenus fatigaverit? verum nihil dico tu, enim, cum solus eris, facile, ut puto, invenies. Sed age, per Deos, me præsente invenias: et, si vis, ut hactenus, ita deinceps una mecum perquire. si inveniemus, bene erit. sin minus, ego quidem mea sorte

contentus ero : tu vero, postquam abieris, facile invenies. si tamen nunc inveniamus, haud amplius tibi molestus ero, quid tecum ipse excogitaveris, flagitans. In præsentia vero considera, num tibi id pulchrum esse videatur. attende, obsecro, diligenter, ne delirem. Hoc utique pulchrum esto, quod utile est. cujus quidem rei hinc maxime conjecturam facio : pulchri oculi sunt, non qui impotes videndi, sed qui potentes et utiles ad videndum. Hip. Certe. So. Et universum corpus ita pulchrum dicimus, aliud ad cursum, aliud ad luctam. itemque animalia omnia, ut pulchrum equum gallumque et coturnicem : et apparatus omnes, atque vehicula, tum terrestria tum maritima, naves atque triremes : instrumenta quoque omnia tam ad musicam quam ad artes alias pertinentia : item, si vis, studia atque leges : singula hæc eadem ferme ratione pulchra vocamus, respicientes scilicet, qua conditione unumquodque natum vel fabricatum vel locatum est, quodve utile est, et qua ratione utile, et ad quid utile, et quando utile, pulchrum esse dicentes : quod vero secundum hæc inutile, turpe. An non idem tibi quoque videtur, o Hippia? Hip. Mihi vero. So. Probe igitur nunc dicimus, præ ceteris omnibus quod utile est ipsum, pulchrum esse. Hip. Probe admodum, o Socrates. So. Nonne, quod efficere aliquid potest, ad id utile est, ad quod et potens? impotens contra inutile? Hip. Prorsus. So. Potentia ergo pulchrum, impotentia turpe. Hip. Maxime. nam et alia nobis omnia sic esse testantur, [296] et civilia præcipue : quoniam in civitate sua atque re publica potentem esse omnium est pulcherrimum ; impotentem vero turpissimum. So. Præclare loqueris. sed nunquid ob hanc ipsam rationem sapientia pulcherrimum omnium, insipientia contra turpissimum? Hip. Tu vero quid putas? So. Siste parumper, o dulcis amice. nam de eo, quod dicimus, suspicor atque timeo. Hip. Quid metuis, Socrates? nonne scite dicta hæc sunt? So. Velim equidem : sed mecum hoc animadverte, utrum quis unquam, quod neque scit neque potest, efficiat. Hip. Nequaquam. quo enim pacto, quod nequit, ageret? So. Qui delinquunt et mala agunt efficiuntque ignari, si hæc non potuissent, nunquid egissent? Hip. Minime. So. At vero potentia possunt, quicunque possunt. non enim impotentia. Hip. Non certe. So. Possunt autem omnes facere, quæ faciunt? Hip. Procul dubio. So. Mala vero multo plura, quam bona, omnes homines statim ab ineunte ætate per omnem vitam agunt, neque sponte delinquunt. Hip. Vera loqueris. So. Quid porro? hanc potentiam, atque hæc utilia, quæ ad malorum exsecutionem conducunt, num pulchra vocabimus? an longe aliter? Hip. Longe absunt a pulchro, o Socrates. So. Non ergo potens nobis et utile, ut videtur, ipsum pulchrum exsistit. Hip. Immo, si modo bona possit, ad eaque conferat. So. Illud igitur reprobatum est, quod potens et utile simpliciter pulchrum sit. sed nunquid hoc erat, o Hippia, ad quod animus noster respiciebat? ipsum scilicet potens et utile ad bonum conficiendum pulchrum esse. Hip. Mihi quidem videtur. So. Hoc conducibile est, an non? Hip. Valde. So. Sic utique pulchra corpora, pulchra instituta legum, et sapientia, et alia, quæ paulo ante retulimus, omnia ex eo pulchra sunt, quo conducibilia sunt. Hip. Constat. So. Conducibile itaque ipsum nobis pulchrum esse videtur. Hip. Maxime omnium. So. Atqui conducibile est, quod bonum efficit. Hip. Id ipsum. So. Efficiens autem nihil aliud est quam causa. Hip. Nihil. So. Ergo boni causa pulchrum est. [297] Hip. Est profecto. So. Aliud vero est causa, aliud id, cujus causa est. neque enim causa ipsius causæ causa esse potest. quod hinc maxime conjectare licet : Nonne causam efficientem esse constitit? Hip. Plane. So. Ab efficiente vero effectum fit, non efficiens. Hip. Verum est. So. Aliud efficiens, aliud effectum. Hip. Aliud certe. So. Non ergo causa ipsius causa est, sed ejus, quod ab ipsa efficitur.

Hip. Sic est. So. Itaque, si pulchrum boni causa est, a pulchro fit bonum : et ob hanc causam, ut videtur, prudentiam aliaque pulchra omnia exoptamus, quia opus, quod ex his gignitur, id est bonum, exoptandum est. unde per ea, quæ invenimus, pulchrum ad bonum ideam patris cujusdam habere videtur. Hip. Omnino quidem. præclare enim loqueris. So. Num et hoc præclare, quod neque pater filius est, neque filius vicissim pater? Hip. Et hoc. So. Enimvero nec causa effectum est, nec effectum causa. Hip. Vera loqueris. So. Per Jovem, o vir optime, neque pulchrum bonum est, neque bonum pulchrum. an tibi ex his, quæ dicta sunt, fieri posse videtur? Hip. Non mihi, non per Jovem. So. Placet nobis istud, et asserere volumus, quod neque pulchrum bonum neque bonum pulchrum? Hip. Non, per Jovem, non mihi placet. So. Per Jovem, mihi quoque, o Hippia, nihil minus ex his, quæ dicta sunt, placet. Hip. Ita sane videtur. So. Haud amplius igitur sermo ille, ut supra, egregius esse videtur, quo id pulchrum asserebatur, quod conducibile utileque et potens ad bonum aliquod efficiendum. immo, si possibile est, absurdior judicandus quam superiores illi, quibus virginem et singula, quæ supra narravimus, pulchrum ipsum nuncupabamus. Hip. Apparet. So. Equidem, o Hippia, quo me vertam nescio : hæsito enim et ambigo. tu vero num forte quid habes? Hip. In præsentia minime : sed, ut alias dixi, si mecum animadvertero, inventurum me aliquid certo scio. So. At videor mihi ob intelligendi ardentem aviditatem moram tuam nequaquam toleraturus. Sed ecce, nunc aliud quiddam mihi in mentem venit. Attende, obsecro, utrum quod nos delectat, (non de qualibet voluptate loquor, sed de illa, quæ per visum atque auditum) utrum, inquam, tale quiddam pulchrum sit vocandum. nam quo pacto repugnare possumus, [298] cum pulchri homines variique apparatus, picturæ et figmenta pulchra, intuentes nos delectent? cantus quoque pulchri et voces universaque musica, sermones et confabulationes similiter nos afficiant? Quapropter si audaci illi pertinacique homini responderemus, pulchrum esse, quod per visum auditumque delectat, nonne audaciam ejus reprimeremus? quid putas? Hip. Nunc mihi, o Socrates, quid ipsum pulchrum sit, scite dictum videtur. So. Quid vero? studia pulchra ac leges propterea pulchra dicemus, quod per visum auditumque jucunda sint, an alia quadam specie contineri? Hip. Hæc ita forte, o Socrates, etsi hominem latent. So. Per Canem, o Hippia, non illum, quem ego maxime omnium vererer, quotiens delirarem aut aliquid dicere profiterer, cum nihil dicerem. Hip. Quem dicis? So. Socratem Sophronisci filium, qui nihilo magis mihi concederet, ut hæc indiscussa facile judicarem, quam ut scire putarem, quæ nescio. Hip. Atqui mihi quoque, postquam ipse dixisti, aliud quiddam id, quod ad leges attinet, esse videtur. So. Quiesce aliquantum, o Hippia. nam in eandem circa pulchrum ambiguitatem incidisse videmur, in quam paulo ante, dum putamus quiddam certi nos habere. Hip. Quo pacto id ais, Socrates? So. Dicam equidem, quod mihi videtur, ut, si quid veri dico, inspiciamus. hæc profecto, quæ ad studia legesque pertinent, forte non extra sensum videndi et audiendi existere viderentur. Verum sustineamus hunc sermonem, qui asserit, quod his sensibus gratum est, esse pulchrum, nec leges in medium producamus. At si quis nos interroget, sive is quem retuli, sive quivis alius, in hunc modum : Quid, o Hippia atque Socrates, id duntaxat jucundum, quod sensibus duobus percipitur, pulchrum esse censetis? quæ vero ceteros sensus suavitate perfundunt, cibos, potus, Veneris actus aliaque hujusmodi, pulchra esse non dicitis? An forte neque dulcia hæc, neque in sensibus, præterquam in audiendo videndoque, voluptatem aliquam ponitis? quid, inquam, o Hippia, respondebimus? Hip. Magnas quoque inesse aliis sensibus voluptates assentiemur. So. Sed ille, Qua de

causa, dicet, cum non minus, quam aliæ, voluptates istæ sint, pulchri eas cognomento privatis? Quoniam, respondebimus, [299] nemo est, qui nos non rideat, si dicamus, non dulce comestionem esse, sed pulchrum: suavemque odorem non suave esse, sed pulchrum. Veneris quoque motus dulcissimum quiddam esse, quilibet nobiscum pugnabit: oportet autem, si quis hoc potiatur, ita potiri, ut lateat, quasi visu turpissimum sit. Cum hæc dixerimus, Hippia, ille forsitan respondebit: Intelligo equidem, quod jamdudum vos pudor impedit, quo minus voluptates hujusmodi pulchras denominetis, quia hominibus non videantur. ego vero non id quærebam, quod vulgo pulchrum videtur, sed quod pulchrum ipsum est. at illi nos id repetemus, pulchrum esse, quod jam posuimus, partem scilicet eam jucundi, quæ per oculos auresque delinit. Tu vero, Hippia, quo te vertes? an forte quid aliud inferemus? Hip. Non alia, præter hæc, o Socrates, respondendum. So. Præclare dicitis, inferet ille. Si ergo solum, quod per visum auditumque gratum advenit, pulchrum est; quod per alium sensum delectat, minime pulchrum. Confitebimurne? Hip. Confitebimur. So. Ille vero sic iterum: An quod per visum jucundum, per visum et auditum jucundum est? et quod per auditum jucundum, per auditum et visum etiam? Ad hæc nos: Nullo modo, quod per alterum est, per utrumque esset. hoc enim quærere nobis videris. Nos vero diximus, quodvis e duobus his jucundis ipsum per se pulchrum esse, et similiter ambo. nonne sic respondendum? Hip. Sic prorsus. So. Nunquid a jucundo jucundum, eo ipso, quod jucundum est, differt? haud quæro, utrum major minorve sit voluptate voluptas aut magis ac minus: sed utrum ex pluribus voluptatibus una quædam hoc ipso ab alia differat, quod hæc quidem voluptas sit, illa minime. Nobis quidem non videri dicemus. Hip. Non videri plane. So. Hic ille inferet: Nonne propter aliud quiddam, quam propterea quod voluptates sint, has potissimum voluptates e numero omnium elegistis, tale quiddam in utrisque inspicientes, quod videlicet naturam quandam habent ab aliis differentem, ad quam profecto respicientes, pulchras esse illas asseveratis? neque enim visus voluptas iccirco pulchra est, quia per visum fit. nam si illius pulchritudinis hæc esset causa, nullo modo, quæ per auditum fit, pulchra esset, cum per visum nequaquam efficiatur. Nos autem vera illum dicere confitebimur? Hip. Confitebimur sane. So. Neque [300] rursus auditus voluptas ex eo pulchra, quia per auditum fiat? alioquin, quæ per visum percipitur, pulchra non esset, quippe cum non eadem sit cum illa, quæ per auditum efficitur. Eum virum, qui ista dicit, o Hippia, vera loqui fatebimur? Hip. Vera nimirum. So. Verumtamen utræque, inquiet, pulchræ sunt, ut dicitis. Dicimusne? Hip. Dicimus certe. So. Habent igitur commune quiddam atque idem, quod eas pulchras efficit, quodve ambabus communiter inest, et unicuique proprie. neque enim aliter ambæ pulchræ essent, et qualibet. Age, mihi, tanquam illi, responde. Hip. Ita mihi, ut ais, videri respondeo. So. Si enim voluptates istæ aliquid ambæ susciperent, quod non earum quælibet pateretur, nunquam hujusmodi passione pulchræ exsisterent. Hip. Sic est, o Socrates. qui enim fieri potest, ut, quod neutra illarum patitur, ambæ perpetiantur? So. Non tibi videtur? Hip. Atqui et rerum istarum et locutionum hujusmodi penitus imperitus essem. So. Jucunde quidem, o Hippia. ceterum ego forte periclitor videri mihi aliquid intueri, quod ita se habere, ut tu ais, minime possit: video autem nihil. Hip. Non periclitaris, o Socrates: sed nimium despicis. So. Enimvero hujus generis permulta mihi in mentem veniunt, quibus fidem non præsto, quoniam non probantur abs te, qui argenti plus studio sapientiæ, quam ceteri nostri temporis, cumulasti. Ego autem, o amice, utpote qui nihil unquam lucratus sum, cogito, ne mecum forte joceris, ex

industriaque deludas: adeo mihi multa videntur. Hip. Nemo melius, quam tu, intelliget, Socrates, utrum jocer, necne, si ista, quæ tibi occurrunt, proferre cœperis. nihil enim dicere videberis, quoniam nunquam reperies, quod nec ego patiar neque tu, ambos perpeti. So. Quomodo inquis, Hippia? forte tu aliquid dicis, quod ego minus intelligo. verum ausculta me; quod sentio, planius explicabo. Mihi quidem videtur, quod neque contingit me esse, neque sum, neque tu similiter, hoc ambos pati nos posse: item alia, quæ ambo patimur, neutrum nostrum exsistere. Hip. Monstra rursus afferre videris, o Socrates, et magis certe, quam paulo ante. Attende modo: Si ambo justi essemus, nonne et singuli? vel si injustus uterque, [301] nonne et ambo? aut si sani ambo, an non uterque? et si quilibet nostrum laborat in aliquo, vel vulneratus est vel percussus, sive aliud quidvis passus fuerit, nonne idem ambo perpetimur? præterea, si aurei vel argentei vel eburnei, ac etiam, si vis, generosi aut sapientes aut honorati, vel senes vel juvenes, aut aliud quidvis humanum ambo essemus: nonne omnino necessarium esset, hoc quemlibet nostrum esse? So. Omnino quidem. Hip. Ceterum ipse, o Socrates, res ipsas integras non consideras, neque illi, quibuscum disputare es solitus: pulsatis illico pulchrum, et aliud quodcunque disputandum suscipitis: atque iccirco ita vos latent magna et universa corpora, continuam essentiam ex natura sortita. Et nunc adeo circa hæc te veritas fugit, ut putes esse passionem aliquam vel essentiam, quæ circa ambo quædam versetur, circa vero singula minime: atque vicissim, quæ circa singula quidem sit, circa ambo vero nequaquam. adeo irrationales, temerarii, inepti, fatui estis. So. Talia quidem nostra sunt, Hippia: non qualia quis optaret, ut trito proverbio fertur, sed qualia esse possunt. sed ipse semper admonendo nos juvas. etenim priusquam nos in his admoneres, quam stolide affecti essemus, adhuc tibi clarius aperiam, si, quæ de his sentimus, retulero, dicamne? Hip. Scienti, Socrates, referes. novi enim omnem eorum, qui in disputando versantur, conditionem. veruntamen si cupis, enarra. So. Cupio equidem. Enimvero ita rudes eramus, antequam tu hæc diceres, ut de me ac te opinaremur, quod uterque nostrum unus sit; neque tamen ambo id simus, quod quisque nostrum. non enim unus, sed duo sumus. adeo fatui eramus. Nunc vero abs te didicimus, quod si duo ambo sumus, duo similiter utrumque nostrum esse necesse est: et si unus uterque, unum pariter ambos. Impossibile enim est, universali et continua essentiæ ratione secundum Hippiam, aliter se habere. sed quod ambo erant, idem et singula: et contra, quod singula, pariter ambo. Nunc igitur a te persuasus hic sedeo. prius tamen, o Hippia, id mihi memora, utrum unus ego tuque simus, vel tu duo, et ego duo. Hip. Quid ais, Socrates? So. Hæc ipsa, quæ dico. vereor enim aperte coram te loqui. nam mihi succenses turbasque, quando dicere aliquid tibi ipsi videris. [302] Simul autem mihi dicas, nonne uterque nostrum unus est, et unum esse est passus? Hip. Omnino. So. Quod si unus, impar quoque. an non unum impar existimas? Hip. Equidem. So. Num et ambo, cum simus duo, impares sumus? Hip. Nequaquam. So. Sed pares ambo? Hip. Pares. So. Nunquid ex eo, quod ambo pares, par etiam uterque nostrum? Hip. Minime. So. Non ergo necesse est omnino, ut modo dicebas, quæcunque ambo, singulos, et quæcunque singuli, ambos esse. Hip. Non in rebus hujusmodi, sed in his, quæ ipse supra narravi. So. Sat habeo, Hippia. nam ista sufficiunt, postquam alia sic, alia aliter se habere videntur. Dixi equidem, (si recordaris, unde sermo hic est ortus) voluptates per visum et per auditum non hoc pulchras esse, quod quævis earum habet, ambæ nequaquam; vel quod ambæ, sed singulæ minime: immo eo, quod et ambæ habent et singulæ: et iccirco ambas et singulas pulchras

esse, et tu concessisti, et ego hac de causa, per illam ipsam essentiam, quæ ambas sequitur, ambas esse pulchras, si modo pulchræ sunt, censui; per eam vero, quæ alteram deserit, minime. et nunc quoque idem existimo. Verum mihi tanquam a principio dicas, si voluptates, quæ per visum et quæ per auditum fiunt, ambæ et singulæ pulchræ sunt, quod ipsas pulchras efficit, nonne ambas et singulas sequitur? Hip. Prorsus. So. An ex eo, quod singulæ atque ambæ sunt voluptates, pulchræ sunt? vel hac ratione aliæ quoque voluptates non minus pulchræ? nihil enim minus voluptates illas esse constitit. meministin'? Hip. Memini. So. Sed quia per visum et auditum fiunt, iccirco pulchras esse illas est dictum. Vide, num vera loquar. sic enim, ut memini, diximus, pulchrum esse, quod jucundum, non quidem per sensus quoslibet, sed quod per visum duntaxat atque auditum. Hip. Sic prorsus. So. Nonne passio hæc ambas sequitur, singulas minime? non enim singulæ illarum, quemadmodum supra diximus, per ambas sunt: sed ambæ quidem per ambas, singulæ minime. est ita? Hip. Est. So. Non ergo hoc singulæ pulchræ sunt, quod non singulas sequitur. quod enim ambo dicitur, non sequitur singula. Quamobrem ambo illa vocare pulchra secundum suppositionem licet: singula vero nequaquam. an aliter dicimus? nonne hoc necessarium est? [303] Hip. Videtur. So. Dicendumne, ambo quidem pulchra esse, singula vero nequaquam? Hip. Quid prohibet? So. Hoc mihi, amice, obstare videtur, quod quædam sic adesse aliis judicata sunt, ut, si ambobus adsunt, adsint et singulis: et contra, si singulis, et ambobus. Talia vero erant, quæ tu narrasti? Hip. Erant certe. So. Quæ autem ego retuli, minime: e quorum numero erat, quod ambo dicitur et quod singula. estne ita? Hip. Est. So. Utrum tibi videtur, o Hippia, ex his, quæ ipse exposuisti, pulchrum esse? ut, si ego robustus et tu, ambo robusti. item si ego justus et tu, ambo: et contra, si ambo, et singuli. Vel nihil prohibet ita contingere, ut in ipsis paribus et imparibus accidit: ubi ambo aliquando paria sunt, imparia singula, et aliquando paria: nec non singula interdum talia sunt, ut exprimi nequeant, ambo queant, et interdum nequeant? aliaque hujus generis plurima, quæ mihi occurrere dixeram. Quorum in numero pulchrum ponis? num ita tibi de hoc, ut mihi, apparet? nimis enim absurdum esse mihi videtur, ut ambo pulchri simus, non singuli: vel contra singuli pulchri, non ambo, aut aliud quodlibet talium. Itane ipse eligis, ut ego? an illo potius modo? Hip. Sic equidem. So. Recte agis, Hippia, ut a longa inquisitione nos liberemus. Si enim ex his est pulchrum, haud amplius, quod per visum et auditum delectat, pulchrum erit. ambo namque pulchra facit, singula minime. hoc autem impossibile, ut inter nos convenit. Hip. Convenit certe. So. Impossibile igitur, quod visum et auditum jucundum, pulchrum esse. nam si id pulchrum esset, impossibile aliquid sequeretur. Hip. Vera hæc sunt. So. Hic contentiosus ille dicet: Exponite iterum a principio, postquam istud vos fefellit, quid esse pulchrum hoc dicitis, quod ambabus voluptatibus inest, propter quod istas præ ceteris honorantes pulchras vocatis? Necessarium mihi videtur, o Hippia, ut respondeamus, quod innoxiæ sunt præ ceteris voluptatibus, atque optimæ, tam ambæ quam singulæ. An tu aliquid aliud habes, quo ab aliis differant? Hip. Nihil. revera enim optimæ sunt. So. Tum ille: Hoc igitur pulchrum esse dicitis, conducibilem voluptatem? Videri equidem, respondebo. tu vero? Hip. Et ego. So. Ille vero ad hæc: Nonne conducibile est, quod bonum efficit? efficiens autem et effectum aliud esse constitit. unde eodem relabimur. neque enim bonum pulchrum esset, neque pulchrum bonum, [304] si quidem aliud unumquodque illorum esset. Ita esse nos illi, si sapiemus, illico respondebimus. nefas enim est, recte

loquenti non assentiri. Hip. Quid tu aliud, Socrates, cuncta hæc esse ducis, quam imminutiones quasdam concisionesque sermonum, ut ante dixi, in minima resolutas? Illud vero pulchrum et multi faciendum est, ut quis valeat, præclara oratione habita in judicio vel consilio vel alio conventu publico, ad quem verba fiunt, auditoribus persuasis, non minima quædam, sed maxima præmia reportare, sui ipsius, rerum suarum amicorumque salutem. Hæc sane, omissis minutis his quæstiunculis, complecti decet, ne demens esse videaris, dum deliramenta et nugas, ut modo, pertractas. So. O amice Hippia, tu quidem beatus es, qui nosti, quibus studere hominem decet, et ipse abunde, ut asseris, studuisti. Me vero mira quædam fortuna detinet: quippe qui aberro semper atque mendico. Quotiens autem inopiam meam sapientibus vobis ostendo, verbis rursus a vobis objurgor. objicitis enim continuo, quæ et tu nunc objecisti, me scilicet stolida, exilia et nihili facienda tractare. demum, cum persuasus a vobis eadem, quæ et vos, profero, optimum esse eleganter orare in judicio, et alio quovis cœtu, et ad votum peragere, rursus nonnulli e nostris, et ille vir, qui me semper redarguit, graviter increpant. proximus ille vir mihi genere est et una mecum habitat. Ergo cum primum domum ingressus sum et ille me talia dicentem audit, interrogat, quid non erubescam de pulchris operibus disputare, cum adeo manifeste circa pulchrum redargutus sim, quod, ipsum pulchrum quid sit, ignorem. Inquit enim, Qua ratione intelliges, quæ oratio pulchre composita sit, quæ non, aut aliam quamlibet actionem pulchram esse, vel turpem, dum pulchrum ipsum quid est ignoras? et quando ita affectus es, vivere te quam mori præstare putas? Contingit itaque mihi, quod modo dicebam, ut et a vobis et ab illo male audiam. Sed forte operæ pretium est hæc omnia tolerare. neque enim id absurdum, si quid lucratus fuerim. tantum vero, Hippia, consuetudine utrorumque profeci, ut proverbium illud, dicens pulchra difficilia esse, intelligere mihi jam videar.

CLITOPHON.

SOCRATES, CLITOPHON.

[406] Nuper mihi retulit quidam Clitophontem, Aristonymi filium, loquentem cum Lysia, Socratis quidem consuetudinem vituperare, Thrasymachi vero laudare magnopere solitum. Cli. Quisquis ille, o Socrates, fuerit, haud recte narravit, quæ de te cum Lysia sum locutus. nam in quibusdam laudavi te, in quibusdam minime. Postquam vero aperte succenses mihi, quamquam dissimulas, te nihil curare, libentissime ego ipse tibi illa referam : præsertim cum soli simus : ne adeo te despici putes. Forte enim nunc non recte audisti : quocirca infensior mihi redditus es, quam deceat. At si ipse mihi potestatem libere loquendi dederis, libentissime rem tibi narrabo. So. At turpe nimium esset, si te, prodesse [407] mihi volentem, non tolerem. Constat enim, ubi intellexero, qua malus, qua bonus sim, deteriora declinaturum esse pro viribus, meliora prosecuturum. Cli. Audi igitur. Equidem tecum versatus, sæpenumero, Socrates, vehementer obstupui, dum te loquentem audirem, mihique visus es præclarissime omnium dicere, quoties objurgans homines, veluti e machina tragica Deus, subito exclamares, Quonam ruitis, homines? nescitis, quo feramini, neque opportunum quidquam agitis, qui omni studio pecuniis cumulandis incumbitis, filios autem, quibus eas relicturi estis, negligitis, neque, ut illis juste uti sciant, eos justitiæ præceptoribus commendatis, qui doceant justitiam, si doceri potest, et, si exercitatione ac consuetudine comparanda est, diligenter exerceant. Neque vos etiam ipsos curastis unquam. Sed cum videatis, literas, musicam et gymnasticam vos filiosque vestros ad sufficientiam consecutos, quam virtutis disciplinam perfectam existimatis, deinde nihilominus circa pecunias pravos esse, cur non præsentem educationem contemnitis? cur non quæritis aliquos, qui vos ab hac in musica dissonantia liberent? Etenim propter hoc delictum socordiamque magis, quam propter pedis ad lyram dissonam motionem, et frater adversus fratrem, et civitas adversus alias civitates, immoderata et discordi seditione suborta feruntur, et commisso prœlio extrema patiuntur et inferunt. Vos autem dicitis, non propter ruditatem inscitiamque, sed sponte injustos esse eos, qui sunt injusti : rursusque asserere non dubitatis, injustitiam turpem esse rem, Deoque odiosam. Quam igitur ob causam hoc tantum malum sponte quis eligit? Respondetis, hominem superatum voluptatibus id subire. Nonne superari, præter voluntatem est, quandoquidem ex voluntate est superare? Quapropter injuste agere, præter voluntatem esse, omnino ratio convincit. Diligentiorem itaque curam, quam solet, adhibere, et viros omnes privatim et publice civitates decet. Quoties ista, Socrates, audio te dicentem, mirum in modum delector ac laudo, idemque facio, cum ea, quæ sequuntur, ausculto. Addis enim, eos, quicunque corpus quidem exercent, animum vero negligunt, quod natura subjectum est, colere; spernere vero, quod imperat. Item unicuique usum ejus rei, qua uti

nescit, relinquere. Illi vero, qui oculis, auribus, toto corpore nescit uti, præstare neque videre, neque audire, neque aliter uti corpore, quam uti. Similiter et in artibus. [408] Quicunque enim lyra propria uti nescit, patet, ut ipse ais, quod neque alterius lyra scit uti : et qui aliena nescit uti, nescit et sua : eademque est de ceteris instrumentis et possessionibus ratio. Atque eo tandem præclare tibi sermo procedit, ut inferas, qui nescit anima uti, præstare huic, ut otium agat anima, neque vivat, quam ut vivat, et sui juris in agendo ipse sit. Quem si qua necessitas cogit vivere, melius huic esse, ut servus vitam ducat, quam liber. Est autem hoc, tanquam navis, ita cogitationis gubernacula committere alteri cuiquam, qui gubernatoriam humanæ vitæ adeptus sit disciplinam, quam sæpe tu, Socrates, politicam vocas, eandemque judiciariam et justitiam. His ergo sermonibus, aliisque ejusmodi multis atque præclaris, virtutem asserentibus posse doceri, suique ipsius inprimis suscipere curam jubentibus, nunquam ferme adversatus sum, neque, ut arbitror, in posterum adversabor. Perutiles enim ipsos existimo, plurimumque ad exhortationem valere, et ad homines quasi dormientes excitandos conducere. Adhibui itaque mentem, ut qui essem reliqua auditurus : percontatus sum non te primum, o Socrates, sed æquales tuos, vel contubernales, vel socios, vel quomodocunque aliter affectos tibi oportet dicere : horum, inquam, eos ante alios, qui primi apud te habentur, interrogavi, quis post hæc sermo potissimum sequeretur : ac more tuo, quodammodo ita præfatus quæstionem exposui : O viri optimi, quo pacto, inquam, Socraticas ad virtutem hortationes accipere deinde debemus? an quasi solum hoc exstet, prodire vero ad opus, remque perficere, minime? Atqui nostrum et hoc per omnem vitam erit officium, eos, qui nondum satis incitati sunt, provocare, atque ita semper invicem exhortari? An potius et Socratem, et nos ipsos, cum non negemus hoc ipsum agendum esse, sic inquirere decet : Quid posthac? unde justitiæ studium incipiemus? Si quis nos ad curandum corpus hortans, tanquam pueros, qui nequaquam advertunt, curam ejus gymnasticam atque medicinam esse, objurget, quod te tritico, et hordeo, et vitibus semper cogitemus, deque omnibus, quæ corporis gratia quærimus, artem vero et industriam, qua bonus corporis habitus fiat, nullam inquiramus, cum tamen sit aliqua : forte illum rogaremus, quas artes circa cultum corporis [409] esse dicat. atque ille, ut arbitror, responderet, medicinam atque gymnasticam : eodem pacto nunc, quam artem circa animæ virtutem versari censeamus, respondeat, quisquis peritissimus horum sibi videtur. Respondit ergo ad hæc, artem hanc, quam ex Socrate audivisti, nullam aliam, nisi justitiam esse, scias. Tunc ego, Non solum, inquam, mihi nomen adducas, sed ulterius sic exponas. Medicina porro ars quædam dicitur. ab hac duo fiunt : nam et medici ex medicis efficiuntur, et sanitas reparatur. Alterum horum haud amplius ars aliqua est : artis autem docentis perceptæque opus, quam dicimus sanitatem. Ab architectura similiter duo fiunt, ædificium videlicet et architectura · illud quidem opus, hæc autem doctrina. Justitiæ quin etiam esto, justos alios facere, quemadmodum superiores singulos artifices. Sed opus alterum, quod nobis vir justus efficere potest, quid esse dicemus? declara. Respondit alius quidem, ut arbitror, conferens : alius, decens : alius, conducibile : alius, utile. At ego respondens objeci, in singulis artibus eadem hæc nomina esse : cumque recte quid fit, utilia, conducibilia, et alia hujus generis illic fieri dicique. Illud vero artis cujusque proprium, ad quod hæc respiciunt. quemadmodum in arte fabrili quod bene, pulchre, decenter se habere dicitur, illuc tendit, ut ex lignea materia apte supellectilia fiant : quæ quidem ars minime sunt, sed artis opus. Dicatur similiter et justitiæ ipsius opus. Hic quidam

ex tuis familiaribus, Socrates, respondit, et bellissime quidem loqui visus est. Opus justitiæ proprium, inquit, quod nullius alterius facultatis est, amicitiam in civitatibus parere. Ille rursus interrogatus, amicitiam esse bonum quoddam asseruit, malum vero nunquam. Cum vero interrogaretur de puerorum brutorumque benevolentiis, quas amicitias communiter appellamus, amicitias esse eas negavit, quippe cum sæpius obsint, quam prosint : dixitque, illas falso amicitias nuncupari : veram autem amicitiam esse procul dubio consensionem. Cum autem quæreretur, utrum assensionem illam vocaret opinionis, an scientiæ concursum : opinionem quidem contemsit, quia concursus opinionum multi inter homines ac noxii sunt : amicitiam vero bonam omnino opusque justitiæ esse concesserat. Quare idem dixit esse consensionem et scientiam, non opinionem. Cum vero huc loquendo delati essemus, ambigui auditores adversus illum [410] protinus inclamarunt, quod eodem sermo revolveretur : quoniam et medicina sit consensio quædam, et artes reliquæ, et circa quid versantur, declarare queant. At vero tua hæc, quam dicis, justitia, vel consensio, quo tendit ignorat, quodve opus sit, latet. Eadem abs te tandem quæsivi, Socrates : tu vero statim justitiæ opus esse dixisti, prodesse amicis, inimicos lædere. Deinde vero visus tibi est vir justus nunquam lædere quemquam, sed prodesse in omnibus unicuique. Hæc non semel tantum, o Socrates, aut bis tentata sunt : sed cum diu supplex vos secutus fuerim, denique defessus sum, existimans, te ad inflammandos homines, ut studium virtutis capessant, ceteris esse vehementiorem. E duobus vero alterutrum necesse est. aut enim eatenus tantum vales, ultra vero nihil, quod quidem in quavis arte contingere potest : ceu in arte gubernatoria fieri potest, ut, qui gubernare nescit, excogitaverit aliquas ejus artis laudes, quibus ad eam homines provocet, quasi dignissima sit : et in ceteris artibus eodem modo. Idem fortasse tibi quis tribuet, quasi nihilo magis justitiam ipsam cognoscas, etsi præclare eam laudas. Ego autem non sic existimo. e duobus enim alterum inquam : aut nescire te arbitror, aut nolle mecum communicare. Quamobrem ad Thrasymachum, ut opinor, me conferam, et alio, quocunque potero, speraveroque a dubitationibus liberari. Neque vero alio me conferrem, si velles ipse exhortationibus istis quandoque facere finem. Porro quemadmodum si me jam satis ad curam corporis, quæ gymnasticæ est, incitasses, post exhortationem hujusmodi aperires mihi, qualis mei corporis esset affectio, et quali curatione indigeret : ita in præsentia facito. pone, Clitophonem tibi concedere, ridiculum esse, ut in aliis rebus quis studium ponat ; animam vero, cujus gratia in ceteris laboratur, negligat, et alia, quæcunque post hæc sequuntur, et dicta modo sunt, retulisse me puta. Obsecro te, Socrates, ne aliter facias, ne, quemadmodum nunc, ita et posthac coram Lysia ceterisque hominibus, partim quidem laudare te, partim vero vituperare necesse sit. Ei namque, qui nondum ad virtutem sit provocatus, conferre te plurimum asseram : persuaso autem contra, impedimento esse te propemodum, quo minus ad virtutis finem perveniens, beatus efficiatur.

DE REPUBLICA LIB. I.

SOCRATES, GLAUCO, POLEMARCHUS, THRASYMACHUS, ADIMANTUS, CEPHALUS.

[327] Descenderam heri in Piræum una cum Glaucone Aristonis filio, ut et deam precarer et celebritatem spectarem, quonam modo acturi essent, quæ tunc primum agebant. Pulchra igitur mihi patria pompa visa est : sed nihilominus, ut videbatur, decens fuit ea, quam Thraces mittebant. Cum vero et preces egissemus et spectaculo interfuissemus, in urbem regrediebamur. Aspexerat autem procul nos redeuntes domum Polemarchus Cephali filius, servulumque currentem nos sistere jussit. a tergo igitur veste me apprehendens servus, Jubet vos, inquit, Polemarchus manere. Egoque ad eum conversus, ubinam ipse esset, interrogavi. At te pone sequitur, inquit. verum exspectate. Exspectabimus, respondit Glauco. Ac paulo post Polemarchus venit, unaque Adimantus Glauconis frater, et Niceratus Niciæ filius, et alii complures, qui a pompa venire videbantur. Igitur Polemarchus, Videmini, inquit, o Socrates, tanquam recedere velitis, ad urbem accedere. Non male, inquam, conjectas. Videsne, inquit, quot sumus ? Quidni ? Aut ergo his fortiores esse vos oportet, aut manere. Unum hoc subticetis, inquam, vos videlicet permissuros abire nos, si persuaserimus dimittendos esse. Nunquid possetis, ait, persuadere non audientibus ? Nequaquam, respondit Glauco. Perinde itaque tanquam audituri non simus, inquit, deliberate. Tunc Adimantus, Nescitis [328] vespere facibus cursuque equorum deæ fore ludendum ? Equorum cursu ? inquam. novum hoc certe. facesne gestantes vicissim illas sibi invicem tradent, equisque certabunt ? an ita dicis ? Ita prorsus. quare aut, addidit, potentiores sitis necesse est, aut hic maneatis. His Polemarchus tradidit : Nocturna præterea sacra peragent digna certe conspectu. surgemus enim post cœnam, eaque sacra spectabimus, aderimusque illic inter multos familiares, et confabulabimur. sed manete, neve aliter facite. Atque Glauco, Videtur, inquit, manendum esse. Verum si videtur, inquam, sic facere oportet. Profecti igitur sumus domum Polemarchi, ibique reperimus et Euthydemum et Lysiam Polemarchi fratres, Thrasymachum Chalcedonium, Charmetidem Pæanieum, et Clitophontem Aristonymi filium. erat et intus pater Polemarchi Cephalus, valde quidem senex, ut mihi videbatur : diu namque eum non videram. sedebat autem coronatus in quodam cervicali et sede. in aula enim sacrificaverat. Consedimus igitur juxta eum, plerisque sedibus in orbem dispositis. quam primum itaque me contemplatus Cephalus salutavit, dixitque : O Socrates, raro admodum ad nos accedis in Piræum descendens. oporteret autem. nam si ego in robore eo adhuc essem, ut in urbem venire possem, minime opus esset, ut tu huc ad nos, sed nos ad te tenderemus. nunc autem te huc crebro adventare decet. profecto, quanto magis me corporis voluptates deficiunt, tanto cupiditas confabulandi et voluptas, quam ex ea re capio, augatur. hoc igitur age,

et una cum istis juvenibus huc ad nos veni, tanquam ad amicos apprime familiares. atqui, inquam ego, o Cephale, valde quidem delector senilibus sermonibus. videtur enim mihi audire ab his oportere, qui viam aliquam jam perfecerint, quæ et nobis fortasse peragenda erit, quam aspera et difficilis vel quam facilis sit et pervia. atque ex te libenter audirem, quidnam de hac re sentias, cum huc ætatis perveneris, quod in limine senectutis esse poëtæ aiunt, utrum difficultatem vitæ, vel quomodo ipsum enunties. Ego tibi per Jovem, inquit, dicam, o Socrates, [329] quod mihi videtur, sæpe convenimus plerique ferme æquales, antiquum illud servantes proverbium. plurimi ergo nostrum in eo cœtu lamentantur, voluptatum, quibus in juventute frui licuit, desiderio affecti, et rem veneream et convivia ceteraque generis ejusdem recordati, graviterque ferunt, tanquam maximis privati rebus: et tunc quidem se bene vixisse affirmant, nunc autem ne vivere quidem. nonnulli etiam domesticorum convicia contumeliasque deplorant, et in hoc senectutem maxime accusant, tanquam maximorum sibi causam malorum. mihi vere hujusmodi homines haud jure senectutem ut horum causam culpare videntur. nam si hæc causa esset, et ego eadem essem passus et reliqui omnes, qui ad id ætatis devenerunt. verum ego etiam multos non ita affectos inveni. et cum Sophocle nonnunquam fui poëta: qui cum a quodam, quonam pacto in venereis se haberet, interrogaretur, et an posset mulieribus admisceri, cui ille recte respondit: Bona verba quæso o amice. libentissime hæc, tanquam furiosum agrestemque dominum, aufugi. Perbelle igitur et tunc ille respondisse mihi visus est, et nunc non minus. omnino enim ab hujusmodi rebus in senectute multa pax inest et libertas. quando enim deferbuerunt jam cessaveruntque libidines, omnino hoc Sophocleum accidit. nam a multis dominis, et his insanientibus, liberamur. Sed et horum, o Socrates, et eorum quæ adversus familiares dicuntur, una quædam causa est, non senectus sed mores hominum. nam si modesti et faciles sint, haud nimis senectus his laboriosa contingit: sin contra, et senectus et juventus, o Socrates, his difficilis. Tunc ego mirifice his, quæ dicebat, delectatus, pluraque audire cupiens, ita eum ad reliqua provocavi: O Cephale, existimo profecto multos, cum ita dicas, minime hæc admittere, verum putare facile senectutem ferre te propter divitias potius quam propter mores, divitibus, enim multa solatia adesse dicunt. Vera, inquit, dicis. non enim admittunt, et dicunt quidem aliquid, non tamen quantum dici posset. verum illud Themistoclis pulchre se habet, qui Seriphio cuidam sibi per contumeliam objicienti, quod non propter se ipsum sed ejus patriam tantam esset gloriam [330] consecutus, ita respondit: Equidem si ipse Seriphius essem, in eadem gloria viverem: tu vero si Atheniensis, minime. Idem quoque adversus eos, qui cum non sint divites, graviter senectutem ferunt, dici potest, quod neque vir ipse modestus inique senectutem ferret cum paupertate, neque immoderatus cum divitiis facile. Utrum autem, inquam ego, ex his, quæ habes, plura tibi a majoribus relicta sunt quam acquisivisti, an contra? Nonnihil acquisivi, inquit, o Socrates. medius enim in pecunia exstiti inter patrem et avum. avus nempe meus Cephalus tantundem fere, quantum nunc mihi est, accipiens supra id multum accumulavit· Lysanias autem pater minores etiam eas opes, quam nunc sunt, effecit. ego autem sat habeo, si non minores istis relinquo, sed aliquantulo majores quam accepi. Hæc ego ideo interrogavi, inquam, quoniam mihi videbaris non multum divitias admirari. quod quidem plurimum ii faciunt, qui eas non peperere: qui autem illas paraverunt, duplo magis quam alii amant. quemadmodum enim et poëtæ poëmata sua et filios patres diligunt, eodem modo qui acquisivere pecunias, illis student tanquam operi suo, non ad usum necessitatemque, ut alii. ex quo difficilis eorum est familiaritas, cum

nihil aliud præter divitias laudare velint. Vera, inquit, narras. Et valde quidem, inquam ego. sed hoc etiam mihi declara: quid boni maxime ex divitiarum possessione te existimas consecutum? Quod, inquit, non multis forte persuaderem, si dixerim. certo scias, o Socrates, quod postquam eo devenit aliquis, ut brevi jam moriturum se opinetur, incidit in eum timor et cura quædam eorum, quæ in superiori vita neglexit. etenim fabulæ, quæ de inferis dicuntur, quemadmodum eos, qui injuste egerunt, pœnas illic dare oporteat, irrisæ hactenus, movent tunc animum, ne forte veræ sint suspicantem. atque ipse, sive propter senectutis debilitatem, seu quod alteri vitæ propinquior illa acutius inspicit, sollicitudinis et timoris plenus redditur, atque reputat examinatque, si quem injuria aliqua affecerit. qui ergo invenerit multas ejus in vita iniquitates, ex ipso somno, tanquam pueri, frequenter excitus extimescit, et pessima in spe vivit. qui autem [331] nullius injuriæ sibi conscius est, huic jucunda spes semper adest, optima senectutis nutrix, quemadmodum Pindarus ait. scite namque ille, o Socrates, istud cecinit: *Quicunque videlicet juste sancteque vitam exigit, dulcis cum spes comitatur cor nutriens senectutemque fovens, quæ maxime hominum volubilem gubernat animum.* Bene igitur et apprime mirandum dicit. ad hæc ego existimo pecuniæ possessionem plurimi faciendam esse, non cuivis homini, sed modesto et æquo. plurimum ad id confert pecuniarum possessio, ut quis illuc intrepidus proficiscatur, cum neque invitum quempiam circumvenerit, neque mentitus fuerit, neque debeat vel votas deo victimas vel pecunias homini. habet præterea et utilitates alias, ac sane permultas. sed si unum uni conferatur, o Socrates, non minimum ego ponerem ad hoc homini mentem habenti, immo plurimum conferre pecunias. Egregie loqueris, inquam, o Cephale. hoc autem ipsum, justitiam scilicet, utrum ita simpliciter veritatem dicimus esse, et reddere quod quis acceperit? vel hæc eadem facere alias justum, alias injustum est? quod hinc apparet. unusquisque enim diceret, si quis ab amico sanæ mentis arma acceperit, idemve insanus repetat, non oportere ea reddi, neque justum esse eum, qui reddat, vel rursus homini sic affecto vera omnia dicat. Recte, inquit, loqueris. Non ergo hæc est justitiæ definitio, vera dicere et deposita reddere. Recte nimium dicis, o Socrates, sermonem subjiciens Polemarchus inquit, si quid credere decet Simonidi. Hic Cephalus, Sermonem vobis trado, inquit. nam sacra me curare oportet. Nunquid Polemarchus, inquam, tibi heres est? Et ille quidem arridens, Est profecto, inquit: et simul ad sacrificandum discessit. Dic, inquam, igitur, sermonis heres, quid recte dici de justitia a Simonide asseris? Quod, ait, justum est debitum unicuique reddi. atque hæc dicens recte loqui videtur. Atqui non facile, inquam, est fidem Simonidi abnegare. sapiens enim et divinus vir. verum quod dicit, tu fortasse intelligis, o Polemarche, ego autem ignoro. manifestum enim est non hoc eum dicere, quod paulo ante dicebamus, scilicet depositum alicui non sano reposcenti reddere. atqui debitum quodammodo est hoc, quod depositum est. [332] nonne? Po. Certe. So. Reddendum autem: neque tamen tunc, quando aliquis non sanus repetat. Po. Vera dicis. So. Aliud igitur quam hoc dicit Simonides, quando justum esse asserit debitum reddere. Po. Aliud per Jovem. amicis enim putat amicos bene facere debere, non autem male. So. Intelligo equidem, quod minime debita redderet ille, qui ei, a quo depositum accepisset aurum, redderet, si quidem retributio et receptio noxia foret, amici autem essent, qui recipit et qui reddit. nonne sic dicere affirmas Simonidem? Po. Sic prorsus. So. Quid autem? inimicis reddendum est quod debitum? Po. Omnino quod illis debetur. debetur autem inimico, ut arbitror, ab inimico quod convenit, malum videlicet aliquid. So. Ergo poëticis velaminibus significavit Simonides quid justum sit. judi-

cabat enim, ut apparet, justum esse tribuere quod cuique convenit. hoc autem debitum appellavit. verum quid putas ipsum dicturum, si quis cum roget, O Simonides, quænam facultas, et quibus, et quid tribuens debitum et conveniens, medicina vocatur? quid nobis responsurum existimas? Po. Nempe quæ corporibus medicamenta, cibos, potiones. So. Atque eodem pacto si idem percontetur, Quæ ars, et quibus, et quid præstans debitum et conveniens, coquinaria nominatur, quid illi potissimum respondebit? Po. Quæ suavia obsoniis condimenta. So. Age itaque, quæ ars, et quibus, et quid tribuens justitia nuncupabitur? Po. Si ante dicta sequi oportet, ea est justitia, quæ amicis utilitates, inimicis detrimenta reddit. So. Ergo bene amicos, male inimicos afficere justitiam dicit. Po. Ita mihi videtur. So. Quis maxime potest morbo laborantes amicos bene afficere, inimicos autem contra, et ad bonam valetudinem et ad malam? Po. Medicus. So. Quis autem navigantes, ad maris periculum? Po. Gubernator. So. Justus vero in qua actione et ad quod opus maxime potest amicis prodesse, inimicis nocere? Po. Impugnando et propugnando, ut mihi quidem videtur. So. Non ægrotantibus, o amice Polemarche, medicus est inutilis. Po. Verum dicis. So. Non navigantibus gubernator. Po. Certe. So. Num igitur non pugnantibus justus inutilis erit? Po. Haud hoc admitto equidem. So. Utilis igitur et in pace justitia. [333] Po. Utilis. So. Agricultura quoque in pace utilis. nonne? Po. Et hæc. So. Ad fructuum perceptionem. Po. Sane. So. Et coriaria. Po. Utique. So. Ad structuram videlicet calceorum. Po. Plane. So. Quid autem de justitia? ad quem usum aut quæstum eam in pace utilem dices? Po. Ad commercia, Socrates. So. Commercia vero dicis communicationes? vel aliud quid? Po. Istud ipsum. So. Num igitur justus bonus et utilis erit in digerendis talis communicator? an ille, qui talo ludit? Po. Ille profecto. So. Atqui in laterum lapidumve structura melior et utilior socius ipso architecto justus erit? Po. Minime. So. Sed in qua communione justus melior erit, quam citharista, communicator: quemadmodum citharista justo in pulsandis chordis utilior? Po. In argento, ut mihi videtur. So. Non tamen, o Polemarche, ad utendum argento, quando oporteret equos vendi argento vel emi. tunc sane mango utilior esset. an non? Po. Apparet. So. Et quando navigium, faber navis sive nauta? Po. Videtur. So. Ad quem igitur communem usum auri vel argenti justus aliis est utilior? Po. Quando id deponere volumus et salvum esse, o Socrates, cupimus. So. Nunquid dicis, quando nihil oportet ipso uti, sed condere? Po. Prorsus. So. Quando igitur inutile est argentum, tunc utilis in ipso justitia? Po. Apparet. So. Et quando falcem oportet custodiri, justitia utilis est et privatim et publice: quando autem uti, vinearum cultura? Po. Patet. So. Dices præterea, cum clypeum et lyram opus est custodire, non autem in usum promere, utilem esse justitiam? quando autem uti his volumus, tunc disciplinam armorum et musicam esse utilem? Po. Necesse est. So. Atque de aliis omnibus similiter est dicendum: justitiam scilicet in usu rerum inutilem esse; quando vero non utimur, esse utilem? Po. Apparet. So. Non multo igitur studio, o amice, digna est justitia, si tantum sit ad inutilia utilis. verum hoc consideremus. Nonne qui aptissimus ad percutiendum est in pugna sive pugili seu quavis alia, idem quoque et ad cavendum? Po. Prorsus quidem. So. Num igitur et morbum quicunque vitare et occultare poterit, idem et inferre valebit? Po. Mihi quidem videtur. So. Atqui exercitus [334] ipsius idem optimus est custos, qui hostium et consilia et alias actiones furatur. Po. Sic est profecto. So. Cujuscunque ergo quis aptus est custos, ejusdem et fur est aptus. Po. Apparet. So. Ergo si maxime servare argentum poterit justus, poterit et furari. Po. Ita ratio

indicat. So. Fur itaque aliquis esse justus apparuit: viderisque ab Homero didicisse. ille enim Autolycum maternum Ulixis avum admiratur, eumque affirmat præ ceteris et furto et jurejurando valere. Videtur igitur justitia et secundum Homerum atque Simonidem furatoria quædam facultas esse ad emolumentum quidem amicorum, detrimentum inimicorum. nonne ita dicebas? Po. Minime per Jovem. sed nondum novi, quid dixerim. Hoc enim mihi adhuc videtur, prodesse amicis justitiam, inimicis obesse. So. Amicos autem dicis tu esse, utrum eos qui unicuique boni utilesque videntur? vel qui sunt, etsi non videantur? et inimicos eodem modo. Po. Decens est amare quidem, quos bonos et utiles quis putet; odisse autem, quos malos et inutiles arbitretur. So. Nonne in hoc aberrant homines, ut videantur multi sibi boni et utiles esse, cum mali sunt et inutiles, multi autem contra? Po. Aberrant certe. So. Istis igitur boni quidem inimici, mali autem amici. Po. Valde quidem. So. Attamen justum tunc istis malos quidem juvare, bonos autem lædere. Po. Apparet. So. Atqui boni quidem justi sunt, talesque ut nihil perpetrent injuste. Po. Vera loqueris. So. Secundum vero sermonem tuum eos, qui nulla injuria afficiant, justum est lædere. Po. Minime, o Socrates. prava enim hæc oratio. So. Justum ergo eos qui injuriantur lædere, justos vero juvare. Po. Probabilior hæc oratio quam superior. So. Continget ergo multis eorum, qui in judicandis amicis errarunt, justum esse ut amicos lædant (mali enim quandoque amici adsunt), atque item ut inimicis prosint, cum quandoque sint boni. atque ita contraria dicemus eorum, quæ proferri a Simonide dicebamus. Po. Ita prorsus accidet. sed retractemus: videmur enim non recte amicum inimicumque posuisse. So. Quid hac positione damnas, Polemarche? Po. Quod diximus amicum esse eum, qui bonus et utilis. So. Quomodo id in præsentia corrigemus? Po. Amicum dicemus eum, qui bonus utilisque et videatur et sit: eum vero, qui videatur quidem, sed non [335] sit, videri quoque amicum, non tamen amicum esse. Atque eadem ratio de inimico erit. So. Amicus igitur, ut videtur, hac ratione bonus erit, inimicus autem malus. Po. Prorsus. So. Jubes nos addere justo aliquid ad ea, quæ dicebamus? dicebamus porro justum esse amico prodesse, inimico nocere. nunc autem vis dicamus justum esse, ut amicum qui bonus est, juvemus, inimicum qui malus est, contra lædamus? Po. Perpulchre mihi quidem hoc pacto dici videtur. So. Est igitur viri justi aliquem hominum lædere? Po. Decet sane pravos et inimicos lædere. So. Detrimento affecti equi melioresne an deteriores fiunt? Po. Deteriores. So. Num ad canum virtutem, an ad equorum potius? Po. Ad equorum. So. Nonne et canes læsi deteriores ad canum, non ad equorum virtutem, efficiuntur? Po. Necessario quidem. So. Homines itaque, o amice, detrimento affectos nonne pejores ad virtutem hominum judicabimus? Po. Omnino. So. Atqui justitia nonne humana virtus est? Po. Est plane. So. Necesse itaque erit læsos homines injustiores fieri. Po. Videtur. So. Possuntne musici ipsa musica aliquos musicos reddere? Po. Nequaquam. So. Nunquid et equites equestri, ab equestri peritia alienos? Po. Non licet. So. An justi viri justitia ipsa injustos? et ad summam, virtute ipsa boni malos facere possunt? non certe. non enim caloris existimo opus esse frigidum aliquod reddere, sed contrarii. Po. Sic est. So. Neque siccitatis humidum, sed contrarii. Po. Valde quidem. So. Neque igitur boni lædere est, sed ejus contrarii. Po. Videtur. So. Justus autem bonus? Po. Omnino. So. Non igitur justi opus est, o Polemarche, nocere vel amico vel alteri cuiquam: sed contrarii ejus, injusti. Po. Verissima loqui videris, o Socrates. So. Si quis ergo justum esse dixerit debita cuique tribui, deberi autem intellexerit inimicis ab

justo damna, amicis utilitatem, haudquaquam sapiens judicandus. neque enim vera hæc. constitit namque nullo modo justum esse quenquam lædere. Po. Fateor equidem. So. Pugnabimus itaque una ego ac tu, si quis hoc asserat vel Simonidem vel Biantem dixisse vel Pittacum vel aliquem alium sapientum beatorumque virorum. Po. Equidem pugnare tecum una adversus eum paratus sum. So. Sed nosti, [336] cujus mihi esse hæc sententia videatur, qua justum asseritur prodesse amicis, inimicis obesse? Po. Cujusnam? So. Periandri esse existimo vel Perdiccæ vel Xerxis vel Ismenii Thebani, aut alterius cujusdam opulenti viri, maxima se posse putantis. Po. Vera nimium loqueris. So. Postquam hoc minime apparet aut justitia esse aut justum, quid aliud hoc esse quis dixerit? Thrasymachus autem sæpius disputantibus nobis contradicere concupiverat, sed a præsentibus, qui nos audire desiderabant, prohibitus acquieverat. postquam vero finem dicendi fecimus atque ego hæc dixi, non ulterius se continuit: verum se ipsum colligens, tanquam fera quædam in nos impetum fecit, quasi nos protinus discerpturus. Itaque ambo, ego atque Polemarchus, exterriti sumus. ille vero exclamavit, Quæ vos nugæ hactenus, o Socrates, occuparunt? quidve invicem insanitis, vobis ipsis succumbentes? quod si revera nosse cupis justum quid sit, ne interroga solum, neve vincere concupisce reprehendendo, postquam tibi responsum fuerit, animadvertens facilius esse interrogare quam respondere: sed tu ipse responde, quid esse justum existimes. neque mihi dicas, quod decens sit, neque quod utile, neque proficuum, neque conducibile, neque conferens: verum plane et perspicue mihi edissere, quidnam dicas. neque enim admittam, si hujusmodi nugas induxeris. Hæc ego audiens exterritus sum, et ipsum aspectans perhorrui: atque, ut arbitror, nisi prior eum aspexissem quam ipse me, mutus penitus evasissem. nunc quando oratione ipsa exasperari cœpit, respexi ad eum prior: quocirca respondere illi potui, subtremiscensque dixi, O Thrasymache, ne nobis sævias. si enim in sermonis investigatione lapsi sumus egoque et hic, pro certo habeto invitos errasse nos. profecto si aurum rimaremur, nunquam sponte ita succumberemus invicem inquirendo, ut inventionem impediremus. quare ne existimes, cum in præsentia justitiam perscrutemur, rem auro multo pretiosiorem, usque adeo invicem nos ignave concedere, ut non omni studio annitamur, quo ipsam plane comperiamus. sed, ut puto, eam assequi non valemus. quapropter nostri [337] multo magis vos sapientes misereri decet quam urgere. Tunc ille hæc audiens, valde sardonice profuseque risit, et, O Hercules, inquit, hæc illa solita est Socratis ironia. verum hæc ego cognovi, atque prædixi, quod tu respondere quidem nolles, sed ironia potius utereris, et denique omnia faceres potius quam interroganti cuiquam responderes. Sapiens, inquam, es, o Thrasymache: recteque nosti, quod si quem interrogares, quot duodecim sunt, interrogansque prædiceres, Ne mihi dicas, amice, duodecim esse bis sex, neque ter quatuor, neque sexies duo, neque quater tria: alioquin minime hujusmodi nugas admittam: nemo tibi sic interroganti responderet. At si tibi dixerit, Quomodo, o Thrasymache, dicis, ne respondeam eorum, quæ prædixisti, quicquam? utrum, o mirabilis vir, neque etiamsi horum aliquid est duodecim, illud respondeam, sed alienum quiddam a vero? vel quo pacto id ais? quid tu illi ad hæc? Thra. Quam hoc illi simile? So. Nihil prohibet. quamvis enim simile non sit, si tamen interrogato illi simile videatur, putasne illum minus ex hoc, quod sibi videbitur, responsurum, sive nos interdicamus sive non? Thra. Sic et tu facies? et aliquid eorum, quæ interdixeram, respondebis? So. Haudquaquam admirarer, si inquirenti mihi sic videretur. Thra. At si ego aliam responsionem de justitia demonstravero præter omnes istas, istisque meliorem, qua te dignum pœna putabis?

So. Quanam alia quam ea, quæ convenit ignoranti? convenit autem, ut a docto discat. et ego igitur hoc pati me dignum existimo. Thra. Quam facetus. verum præter hoc, quod disces, pecuniam etiam tribues. So. Cum videlicet aderit. Glau. Immo vero adest pecunia. dic jam, Thrasymache: neque enim deerit argentum. quin etiam nos omnes pro Socrate isto spondemus. Thra. Ita prorsus existimo, [338] ut suam Socrates servet consuetudinem, nihil respondeat, sed respondentis orationem accipiens reprehendat. So. Quonam pacto, vir optime, respondere quis posset, primo quidem qui neque sciat neque scire se prædicet: deinde si quid de his existimet, tamen a viro non mediocris auctoritatis prohibitus sit, quæ existimat, dicere? Sed te magis æquum est dicere. profiteris enim scire, licetque tibi disserere. gere igitur mihi morem, neque invideas Glauconem istum aliosque docere. Hæc ego cum dicerem, Glauco ceterique hoc idem ipsum orabant. eratque manifestum, Thrasymachum maxima cupiditate dicendi affici, ut se ostentaret: arbitrabatur enim habere optima quæ responderet. verum simulabat instare, ut ego responderem. tandem vero concessit: Hæcque, inquit, Socratis est sapientia, ipsum quidem nolle docere, sed ab aliis discere nullamque gratiam inde referre. Quod ego ab aliis discam, vera, inquam, dicis: quod autem gratiam non referam, procul est a vero. persolvo enim, quam possum. possum autem laudare tantum; argentum vero non habeo. quanta vero indulgentia istud efficiam, si quis mihi bene dicere videatur, intelliges mox, cum responderis. existimo enim te bene dicturum. Audi igitur, inquit ille. affirmo equidem justum nihil aliud esse quam quod potentiori utile. Cur non laudas? scio, noles. So. Si quidem didicero prius quid dicas. nunc autem nondum novi, cum dicis justum esse, quod potentiori est utile, quid velis inferre, Thrasymache. Neque enim tale quid dicis: Si Polydamas nobis fortior athleta sit, et illi quidem conferat bovilla ad corpus, hunc cibum esse et nobis illo debilioribus utilem simul et justum. Thra. Molestus nimium es, o Socrates, atque hac accipis dicta, qua depravare maxime sermonem possis. So. Haud est ita, vir optime. sed tu planius hoc enarra. Thra. An ignoras civitatum has quidem a tyrannis, illas vero a populo, nonnullas ab optimatibus gubernari? So. Novi equidem. Thra. Nonne in quavis civitate id plus potest, quod imperat? So. Quidni? Thra. Fert autem leges principatus quisque ad suam semper utilitatem: popularis quidem gubernatio populares, tyrannica vero tyrannicas: in ceterisque similiter accidit. ponentes autem leges, ostendunt id justum esse his qui subjecti sunt, quod sibi sit utile: atque hoc transgredientem puniunt tanquam injustum et contra leges agentem. Hoc igitur est, vir optime, quod ego dico, [339] in cunctis civitatibus idem esse justum, quod illi principatui conferat. principatus autem ubique, utpote potentior, dominatur. Quare constat recte colligenti, ubique idem hoc esse justum, quod potentiori conducat. So. Nunc demum, quid dicas, intelligo. verum autem idne sit, tentabo perdiscere. Utile quidem et tu respondisti justum esse, Thrasymache, quanquam mihi, ne id responderem, interdixeras. accedit autem illud ultra utile quod dictum est potentiori. Thra. Exigua forsitan hæc additio. So. Nondum manifestum, magnane sit an parva: sed quod hoc investigandum sit, an vera dicas, perspicuum est. postquam justum esse conferens quiddam ego confiteor, et tu addis potentiori conferens, ego autem ignoro, considerandum erit. Thra. Considera. So. Faciam jam. ac mihi dicas, parere dominantibus justum esse asseris? Thra. Equidem. So. Utrum qui imperant in civitatibus quibuscunque, sine errore sunt semper, an errant quandoque? Thra. Errare interdum possunt. So. Nonne igitur cum leges ferre aggrediuntur, partim recte ferunt, partim vero non recte? Thra. Sic existimo. So. Recte autem ferunt, cum sibi utilia statuunt: non recte, cum contra? itane, an aliter dicis?

Thra. Ita prorsus. So. Quæ vero tulerint, observanda sunt ab his qui subjacent: atque id est justum. Thra. Quidni? So. Non solum itaque secundum sermonem tuum justum est id agere, quod conducat potentiori: sed contra quoque, quod obsit. Thra. Quid ais? So. Quod et tu, mihi quidem videor. verum diligentius inquiramus. Nonne jam convenit inter nos principes nonnunquam ea imperare, quæ ab eorum utilitate aberrent? atque etiam quæcunque ipsi imperent, justum esse, ut qui subjecti sunt observent? nonne hæc inter nos convenere? Thra. Ita, ut opinor. So. Putato igitur inutile imperantibus et potentioribus facere, justum esse, abs te esse concessum: quando quidem imperantes ea, quæ sibi mala sunt, ex inscitia imperant, tu autem justum esse affirmas hæc facere quæ ab illis imperantur. Nonne tunc, o sapientissime Thrasymache, contingit justum esse contrarium facere ejus, quod tu dicebas? quod enim potentioribus inutile est, subjectis quodammodo imperatur. Hic [340] Polemarchus, Per Jovem, inquit, manifestissima hæc sunt, o Socrates. Tunc Clitophon, Ita prorsus, si tu testis accesseris. Po. Sed non opus est testibus. ipse enim Thrasymachus confitetur principes nonnunquam, quæ sibi non conducant, imperare: quæ quidem perfici ab inferioribus justum sit. Cli. Nam facere, quæ a principibus imperantur, justum esse posuit, o Polemarche, Thrasymachus. Po. Etenim potentiori utile, o Clitophon, justum esse posuit. hæc autem utraque ponens, confessus est rursus quandoque potentiores, quæ sibi utilia non sunt, inferioribus imperare. ex his autem concessionibus sequitur, ut non magis quod potentiori utile, quam quod inutile, justum sit. Ad hæc ait Clitophon, At potentiori utile vocabat Thrasymachus, quod sibi conferre potentior existimarit: idque agendum esse subjectis atque esse justum. Sed Polemarchus, Non sic, ait, est a Thrasymacho dictum. Nihil, inquam, refert, o Polemarche. quod si nunc ita dicit Thrasymachus, sic et nos accipiamus: et tu mihi dic, o Thrasymache, hocne est quod justum dicere volebas, potentiori utile: scilicet quod ipsi utile videatur, sive conferat sive non conferat? itane? Thra. Minime. Sed tu putasne me illum, qui aberret, potentiorem vocare cum peccat? So. Existimabam te sic dicere, quando principes non esse omnino extra errorem, sed peccare quandoque confitereris. Thra. Sycophanta profecto es in sermonibus, Socrates, siquidem circa ægrotantes aberrantem statim medicum appellas, quatenus errat: vel computatorem, cum in ratione ponenda peccat, secundum hunc errorem. sed, ut existimo, ita loqui consuevimus, quod medicus et rationis supputator et grammaticus errat. arbitror tamen nullum istorum, quatenus est id, quod appellamus unumquemque, peccare. Quare secundum exactam rationem, quando et tu ad vivum resecas, nullus artifex peccat. quisquis enim peccat, deficiente scientia peccat, in quo sane non est artifex. quapropter artifex vel sapiens vel princeps nullus peccat, tunc cum princeps est: sed quivis diceret et medicum peccasse et principem peccasse. hujusmodi igitur aliquid respondisse me tibi existimato. Illud vero exacta ratione dicendum, principem, [341] quatenus princeps est, non peccare: non peccantem autem, quæ optima sibi sunt, imperare. hoc vero his, qui sub imperio ejus sunt, faciendum est. Quamobrem, ut a principio dicebam, justum esse aio, quod potentiori conducit, facere. So. Num tibi videor, o Thrasymache, sycophantæ instar calumniari? Thra. Et maxime quidem. So. Putas me ex composito rationem ut de pravo, te ita interrogare ut modo interrogabam? Thra. Atqui penitus hoc novi. sed nihil proficies. neque enim me tuæ latent insidiæ: neque cum lateant, vim verbis inferre valebis. So. Minime hoc aggrederer, o beate. Sed ne quid tale rursus nobis accidat, distingue, utrum principem et potentiorem dicas secundum vulgus an secundum exactam rationem, quod et tu paulo ante dixisti: cujus utile, cum potentior sit, justum est ut a subjectis efficiatur. Thra. Exactissi-

ma equidem ratione imperantem dico. Perverte hæc tuis istis, si potes, cavillationibus, Socrates. equidem nulla in re abs te superor : neque enim poteris. So. Putasne me adeo furere, ut leonem tondere audeam et adversus Thrasymachum insidias tendere? Thra. Nunc jam aggressus es, cum tamen nihil assequi possis. So. De his satis dictum fuerit : sed mihi dicito, Qui recta ratione est medicus, quemadmodum paulo supra ipse dicebas, utrum pecuniarum conquisitor an ægrotantium est curator? atque de eo dicas, qui revera sit medicus. Thra. Morborum certe curator. So. Gubernator autem, qui revera sit gubernator, nautarum princeps est an nauta? Thra. Nautarum princeps. So. Nihili existimo hoc esse faciendum, quod in navi naviget, neque nautam esse vocandum. non enim propter navigationem gubernator appellatur, sed propter artem ipsam nautarumque principatum. Thra. Vera loqueris. So. Nonne istorum cuique aliquid utile est? Thra. Est prorsus. So. An non ad hoc tendit ars, ut quod utile sit cuique, investiget atque præbeat? Thra. Ad hoc ipsum. So. Nunquid unicuique arti est aliquid aliud utile, quam ut sit quam maxime absoluta? Thra. Quomodo istud interrogas? So. Quemadmodum si me rogares, an corpori satis sit esse corpus, an cujuspiam alterius rei indigeat, responderem omnino indigere. et propter hoc ars quidem medicinæ nunc inventa est, quoniam corpus debile et infirmum est, neque sibi sufficit. ut ergo huic utilitatem afferat, ipsa ars est inventa. sed num tibi videor vera dicere? Thra. Vera [342] prorsus. So. Quid autem? ars ipsa medicinæ vel alia ars per se quidem ita debilis sit, ut aliqua virtute indigeat, quemadmodum oculi visu auresve auditu : propter quod in ipsis opus sit aliqua arte, quæ investiget præbeatque quæ ad hæc eadem conferant? Utrum et in ipsa arte inest defectus aliquis, et indiget unaquæque ars alia arte, quæ ipsi quod utile sit, consideret : et illa item alia indiget alia, ita ut in infinitum procedatur? vel quæque sibi ipsa quod conducat prospicit? vel neque se ipsa neque alia indiget ad investigandum, quod adversus defectum ejus conferat? neque enim defectus neque error ullus ulli arti inest : neque decet artem utilitatem quærere, nisi illi rei, cujus est ars. ipsa autem integra et inviolata semper est, quatenus quæque tota et immaculata, qualis est, perseverat ipsa. Tu igitur illi ratione sincera et exacta considera, sicne an aliter se res habeat. Thra. Sic certe. So. Ergo nec medicina medicinæ prospicit, sed corpori. Thra. Ita est. So. Neque equestris equestri, sed equis ; neque alia ulla ars sibi ipsi : non enim indiga est : sed illi cujus ars est. Thra. Sic apparet. So. Atqui, o Thrasymache, præsunt artes et dominantur illi, cujus sunt artes. Hoc ille, quamvis ægre, tamen concessit. Nulla ergo scientia, inquam, utilitatem potentioris inquirit aut præcipit, sed imbecillioris et ejus cui imperatur ab ea. Neque hoc ille negabat, sed parabat ad hæc pugnare. Tunc ego alia his addens, Nullus medicus, inquam, eo quod medicus est, medico conferre studet aut in eo aliquid præcipit, sed ægrotanti. est enim concessum, qui vere quidem medicus est, eum esse dominum corporum, non pecuniarum cumulatorem. nonne id est concessum? Consensit. Nonne et exactum gubernatorem navis nautarum principem esse, non nautam? Et hoc. Haud igitur gubernator talis ac princeps id inquirit et præcipit, quod ipsi gubernatori conferat, sed quod nautis, qui ab eo reguntur. Hæc quoque ille ægre confessus est. Atque hic ego : Neque alius ullus, inquam, Thrasymache, in aliquo principatu et facultate imperans, quatenus princeps est, quod sibi conferat, cogitat aut præcipit, sed quod subjecto conducat : et quæ dicit quæque facit, cuncta ad illius utilitatem decoremque dicit et facit. [343] Cum huc deventum esset, omnibusque pateret definitionem justi in contrarium decidisse, Thrasymachus non respondit quidem, ut debuit, sed, Dicito, inquit, o So-

crates, est tibi nutrix? Quidnam? respondere, inquam, decebat magis quam talia quærere. Quoniam, inquit, te negligit, et oppletas tibi nares non emungit, cum tamen indigeas, qui neque pecudum neque pastoris cognoscis officium. Cur istud, inquam? Quia putas, inquit, opiliones vel bubulcos pecudum boumve bonum considerare, pascereque et colere ad aliud respicientes quam ad dominorum et ipsorum utilitatem. et illos, qui in urbibus, ut decet, præsunt, aliter ad eos, qui sub illis sunt, existimas respicere, quam tanquam pastor ad oves: et aliud cogitare noctes atque dies, quam unde utilitas ad ipsos proveniat. Atque adeo procul abes ab justo justitiaque, et injusto item et injustitia, ut ignores justitiam justumque alienum esse bonum, ac revera præsidentis et potentioris emolumentum, detrimentum vero proprium obedientis et subditi: injustitiam vero contra ignavis justisque hominibus dominari: qui autem parent, facere quæ imperanti potentiorique conducunt, illumque obsequio beatum reddere, sibi autem ipsis non consulere. Considerare profecto sic decet, o ignavissime Socrates, justum virum omnino minus injusto habere. primum quidem in mutuis commerciis, cum aliquid contrahunt justus una atque injustus, in finienda societate semper minus reportare justus quam injustus reperietur. cum vero in rebus publicis aliqua tributa conferenda sunt, justus plus confert quam sui æquales, injustus autem minus. quando autem aliquid inde accipiendum est, justus nihil, injustus multa reportat. præterea si quando magistratu quodam uterque fungitur, si nulla alia justo jactura contingit, hæc saltem illi non deest, ut res domesticæ deterius per negligentiam disponantur, ex publico autem nihil, propterea quod justus sit, lucretur. accedit ad hæc, quod domesticos et familiares sibi infensos reddit, cum illis obsequi nulla in re ultra justum velit. Injusto vero omnia contra eveniunt; dico autem, quod et supra, ut præ ceteris ubique lucretur. Hunc ergo considera, si vis judicare, [344] quanto magis conferat privatim sibi injustum esse quam justum. Facillime autem disces, si ad extremam perveneris injustitiam, quæ injuste agentem felicissimum efficit, eos contra, qui afficiuntur injuria ac neminem injuste lædere volunt, infelicissimos. Est autem hæc tyrannis, quæ non paulatim, sed simul omnia aliena usurpat, et clam et vi, et sacra et sancta, et privata et publica. si quis vero in aliqua istorum parte deliquerit deprehensusque fuerit, mulctatur et opprobrio subjacet maximo. Etenim sacrilegi, fures, latrones, surreptores et omnino per singulas quasdam partes peccantes ab hujusmodi criminibus nominantur. Sed postquam aliquis ultra hujusmodi rapinas pecuniarum etiam cives ipsos in servitutem suam redegit, non jam tam probrosis notatur vocabulis, sed et beatus et felix vocatur, non a civibus suis tantum, verum etiam ab omnibus, qui eum audiunt nequitiam omnem adimplevisse, non enim ideo vituperant injustitiam quicunque eam vituperant, quod eam facere, sed quod perpeti metuant. Hoc igitur pacto, o Socrates, injustitia omnibus suis partibus absoluta robustius quiddam est, liberalius et regalius quam justitia: utque ab initio dicebam, id quod potentiori confert, justum est: injustum vero sibi ipsi utile est et conferens. Hæc cum dixisset Thrasymachus, abire jam mente conceperat, postquam, quemadmodum balnei custos, sermonem plurimum maximo cum impetu auribus nostris infuderat. non tamen hoc permiserunt qui aderant, verum coëgerunt et permanere et afferre eorum, quæ dixerat, rationem. egoque in primis vehementer rogabam: O beate Thrasymache, quali sermone jacto abire festinas, prius quam abunde vel doceas vel discas, sitne hoc ut dicis, an secus. An forte putas parvam quandam rem te aggressum esse definire, non autem rationem vitæ, quam si quis nostrum acceperit, quam optime vivat? Thra. An ego putem istud aliter se habere? So. Videris nempe nullam de nobis curam suscipere: neque cogitare, utrum pejus vivamus an melius id nescientes

quod tu te scire affirmas. Sed, o bone vir, libenter hoc nobis ostende. neque enim male locaveris beneficium, quod nobis, qui tot simus, contuleris. Dicam equidem, quod sentio : nequaquam [345] mihi persuades injustitiam majus quam justitiam lucrum afferre, etiamsi omnis sibi licentia præbeatur, ut quæcunque cupit, efficiat, esto injustus aliquis, possitque injuriam facere vel furtim vel vi, non tamen mihi suades majus esse in ipsa injustitia quam justitia lucrum, qua quidem in sententia non ego tantum fortasse, sed alius aliquis nostrum est. persuade itaque nobis, beate vir, non recte justitiam pluris quam injustitiam fecisse. Thra. Quomodo amplius persuadebo, si his, quæ modo dicebam, non es persuasus ? quidnam ulterius faciam ? an in animum tibi sermonem impingam ? So. Minime per Jovem. sed hoc primum velim, ut dictis maneas : vel si quid immutare vis, hoc palam facias, neve nos decipias. Nunc autem vides, Thrasymache, ut superiora iterum resumamus, quod cum primo verum medicum definisses ægrotantium curatorem, deinde non ita sincere pastorem definiendum putasti, ut, quatenus pastor est, dumtaxat custodiat : immo pascere ipsum oves, quantum est pastor, arbitratus es non ad ovium utilitatem, sed ad voraginem potius, non tanquam pastorem, sed convivam, qui vesci debeat ; vel pecuniæ studiosum, qui sit venditurus. Profecto pastorali arti nihil aliud curæ est, quam utid, quod custodit, se optime habeat, nam ipsi, quatenus vera pastoralis facultas est, nihil deest, quo minus sufficiens sit et optima. Sic ego putabam necesse esse nos confiteri, unumquemque principatum, in eo quod principatus sit, nullius alterius bonum prospicere, nisi ejus, quod sub illo sit et ab eo curetur, sive privatus et sive publicus. tu autem principes in civitatibus, qui vere principes sint, volentesne magistratibus fungi putas ? Thra. Nequaquam puto, sed certe scio. So. Quid vero ? alios principatus nonne nosti neminem volentem accipere, sed præmium ex his requirere, quasi nulla sibi ex imperio tali, sed subjectis potius sit utilitas proventura ? [346] Dic age, nonne quaslibet inter se artes diversas ex eo dicimus, quod diversam inter se habent potentiam ? neque mihi, vir felix, præter opinionem respondeas, ut aliquid perficiamus. Thra. Hoc ipso videlicet alteram. So. An non utilitatem unaquæque propriam nobis aliquam præbet, et non communem cum alia ? quemadmodum medicina quidem sanitatem, gubernatoria in navigando salutem, aliæque similiter. Thra. Prorsus quidem. So. Nonne et pretium mercenaria ? hæc enim illius potentia. an medicinam tu et gubernatoriam eandem vocas ? vel si quidem velis absolutius definire atque distinguere, quemadmodum statuisti, etiamsi quis navem gubernans sanus efficiatur, eo quod sibi navigatio conferat, nihilo magis tamen ob hoc gubernatoriam ipsam medicinam vocabis ? Thra. Non certe. So. Neque etiam, ut arbitror, mercenariam, si quis mercenarius ipso ministerio sanus efficiatur. Thra. Neque hanc. So. Quid autem ? medicinam mercenariam, si quis medicans quæstum faciat ? Thra. Minime. So. Nonne et utilitatem cujuslibet artis propriam quandam esse concessimus ? Thra. Esto. So. Si quam igitur utilitatem communiter nanciscuntur omnes artifices, patet quod communi quodam uno eodemque utentes, ex eo utilitatem hujusmodi nanciscuntur. Thra. Videtur. So. Dicimus autem artifices mercedem accipientes, utilitatem consequi ex eo quod mercenaria arte utuntur ? Thra. Quid tum ? So. Non igitur a sua arte cuique utilitas hæc, scilicet præmii acceptio, provenit : sed si volumus diligenter inquirere, medicina quidem sanitatem parit, mercenaria quæstum ; et architectura ædificium, quæstuaria vero hanc secuta mercedem ; et reliquæ omnes similiter : suum porro quæque opus perficit, et confert illi ad quod est inventa. Si autem præmium ipsi nullum detur, num artifex utilitatem ab arte aliquam accipit ? Thra. Nullam. So. An igitur neque etiam prodest tunc, cum gratis operatur ? Thra.

Ego quidem existimo. So. Nonne igitur, o Thrasymache, sicut jam manifestum est, nulla ars nullusque magistratus sibi quidem utilitatem parit, sed, quemadmodum in superioribus dicebamus, quod subjecto confert, parat et imperat, inferioris illius commodum semper, non superioris, inspiciens. Ob hæc itaque ego nuper, o care Thrasymache, dicebam neminem volentem imperium suscipere, et alienorum malorum ultrro emendationem aggredi, sed præmium quærere: quoniam qui [347] ex arte recte acturus sit, nunquam in suum agit commodum, secundum ipsius artis imperium, sed ad inferioris utilitatem. Quamobrem, ut videtur, præmium ponendum est his, qui libenter gubernaturi sint, seu argentum sive honor, sive pœna, nisi imperium capiant. Glau. Quomodo istud ais, o Socrates? Equidem duo præmia novi: mulctam vero quam dicas, et quomodo in mercedis parte ponas, non novi. So. Ergo optimorum præmium ignoras, cujus gratia imperant optimi viri, quotiens admittunt imperium. an te latet, et ambitiosum esse et avarum probro haberi atque esse? So. Novi equidem. So. Hac ergo de causa neque pecunia neque honore ducti boni homines imperare volunt. neque enim aperte pecuniam magistratus præmium accipientes mercenarii vocari volunt, neque clanculum, fures. neque rursus honoris causa: non enim ambitiosi sunt. Oportet igitur necessitatem illis imponi et mulctam, si impellendi sunt ut velint magistratum accipere. Quamobrem videtur turpe haberi, ut quis sponte ad imperandum accedat neque exspectet necessitatem. maxima vero mulctarum est administrationi malorum subjici, nisi ipse acceperit rei publicæ gubernaculum. hanc utique pœnam timentes, magistratus capere probi homines mihi videntur, si quando capiunt: et tunc ad eos accedunt non tanquam ad bonum aliquod, neque tanquam ex his voluptatem aliquam capientes, sed tanquam ad rem necessariam, cum neque melioribus neque similibus se committere valeant. Quippe si bonorum virorum exstaret civitas, in ea, ut arbitror, haud aliter non imperandi gratia pugnaretur, quam nunc certetur imperandi cupiditate: ibique pateret, revera legitimum principem non sui ipsius, sed ejus qui sub ipso est, commoditatem respicere. Quare unusquisque, qui non amens sit, potius eliget alium sibi prodesse, quam, dum aliis ipse consulit, sese negotiis implicare. Hoc igitur ego Thrasymacho nullo pacto concedo, justum quidem esse potentioris utilitatem. verum hoc deinceps considerandum, multo autem mihi majus videtur esse, quod nunc Thrasymachus dicit, cum injusti vitam meliorem vita justi esse affirmet. Tu itaque, o Glauco, utrum istorum tanquam verius eligis? Glau. Justi vitam potiorem existimo. So. Audisti, [348] quot paulo ante injustæ vitæ bona Thrasymachus numerabat? Glau. Audivi equidem: non tamen assentior. So. Visne illi monstremus, si quo modo possumus, vera eum minime dicere? Glau. Quidni velim? So. Si orationem contrariam orationi illius objicientes, quasi comparatione quadam proposita, enumeremus, quot insuper bona qui justus sit consequatur, ac ille rursus conferat sua, oportebit ut tertius aliquis enumeret iterum metiaturque bona, quotcunque utrique in utroque collegimus, atque ita judicibus quibusdam altercationem hanc dirimentibus opus erit. Sin autem, quemadmodum nuper cœpimus, alternis concessionibus adductis in medium rem ipsam discutiamus, oratores ipsi nos simul et judices erimus. Glau. Sic est omnino. So. Uter tibi modus magis placet? Glau. Iste. So. Age igitur, o Thrasymache, responde nobis a principio. Affirmas tu quidem extremam injustitiam extrema justitia utiliorem esse? Thra. Affirmo equidem, et rationem attuli. So. Quid ad hoc? nunquid istorum unum virtutem, alterum vitium vocas? Thra. Quidni? So. Nonne justitiam quidem virtutem, injustitiam autem vitium? Thra. An istud fateri, vir lepide, mihi convenit, qui injustitiam prodesse dicam, justitiam minime? So. Quid ergo? Thra. Contrarium. So. An forte

justitiam vitium appellabis? Thra. Non, sed valde generosam stultitiam. So. Injustitiam ergo nequitiam vocas? Thra. Ne istud quidem: at bonum consilium sagacitatemque. So. Num injusti viri, Thrasymache, prudentes ac boni esse tibi videntur? Thra. Quicunque videlicet civitates injuria afficere possunt et nationes sibi subjicere. tu autem me fortasse loqui putas de his, qui loculos clanculum subripuerint. prosunt et hæc quidem, si lateant, sed æstimatione digna non sunt: immo quæ paulo ante dicebam, plurimi facienda. So. Equidem, quod vis, intelligo. sed admodum miror, si in parte virtutis et sapientiæ injustitiam ponas, in contrariis vero justitiam. Thra. Omnino sic pono. So. Durius hoc jam, o amice, neque amplius inventu facile, quod quis dicat. si enim conducere quidem injustitiam posuisses, vitium tamen vel turpe quoddam esse ipsam confessus esses, quemadmodum alii quidam, aliquid ad hæc secundum ea, quæ existimantur, dicere possemus. nunc autem perspicuum est dicturum esse te et pulchrum et robustum quiddam injustitiam esse, ceteraque illi daturum omnia, quæ nos [349] justitiæ tribuimus, quandoquidem et in virtute et in sapientia ponere eam non dubitasti. Thra. Verissima profecto vaticinaris. So. Non tamen desistendum est inquirere disputando, quoad te putem, quæ cogitas, dicere. mihi namque videris, Thrasymache, in præsentia minime cavillari, sed quæ tibi vera videntur, afferre. Thra. Quid tua refert, sive id videatur mihi, sive non videatur, cum rationem meam non confutes? So. Nihil certe. sed hoc præterea mihi responde: an justus videatur tibi plus justo habere velle? Thra. Nullo pacto. non enim urbanus esset, ut nunc, et simplex. So. Quid autem? plusne justa actione? Thra. Neque justa etiam actione. So. Injusto autem utrum dignum putaret plus habere, idque justum existimaret, vel contra? Thra. Existimaret utique dignumque putaret, sed non posset. So. Atqui ego istuc non interrogo: sed utrum justo quidem plus habere neque dignum putet neque velit justus, injusto autem contra. Thra. Sic est profecto. So. Quid autem injustus? an æquum censet plus habere et justo et actione justa? Thra. Quidni? cum omnibus plus habere se dignum existimet. So. Num igitur et injusto homine injustaque actione injustus plus habebit, et certabit, ut in habendo omnes exsuperet? Thra. Vera hæc sunt. So. Sic itaque dicimus: justum quidem simili non plus habere velle, plus autem dissimili, injustum vero utroque plus accipere velle. Thra. Recte dixisti. So. Atqui prudens et bonus injustus ipse est, justus autem neutrum. Thra. Recte et istud. So. Ergo prudenti et bono similis est injustus, justus autem minime? Thra. Quid obstat, quo minus qui talis, talibus quoque similis sit, qui vero non talis, similis non sit? So. Ais belle. Talis igitur est uterque ipsorum, quales hi quibus similis est. Thra. Et quid aliud? So. Sit ita sane. sed dicas, Thrasymache, utrum musicum aliquem voces, aliquem vero non musicum? Thra. Equidem. So. Utrum istorum prudentem, utrum imprudentem? Thra. Musicum sane prudentem, expertem musicæ imprudentem. So. Nonne in quibus prudentem, in eisdem et bonum: in quibus imprudentem, et malum? Thra. Nempe. So. Eodemque pacto de medico dicemus? Thra. Eodem. So. Videtur tibi, vir optime, cum musicus vir lyram temperat, velle in intensione et remissione chordarum musicum virum exsuperare, vel dignum putare, ut eo plus assequatur? Thra. Minime. So. Expertem vero musicæ superare contendit? Thra. Necesse est. So. Quid medicus? [350] in quantitate dicesne plus assequi, quam aut medicus alter aut res ipsa cupit? Thra. Nequaquam. So. Plus autem quam medicinæ artis imperitus? Thra. Procul dubio. So. Universas denique contemplare scientias et inscitias, si quis tibi videtur, qui

quidem scientiam habeat, plus sumere velle vel dicendo vel faciendo, quam alter sciens : non autem eadem ad actionem eandem, quæ et ille, qui ipsi similis est. Thra. Forte sic se res habeat necesse est. So. Quid autem indoctus? nonne plus docto sibi assumere vellet, atque etiam indocto? Thra. Fortasse. So. Sed doctus nonne sapiens? Thra. Concedo. So. Sapiens autem nonne bonus? Thra. Et istuc etiam. So. Bonus ergo et sapiens non volet plus sibi, quam sui similis, vendicare : plus tamen, quam dissimilis et contrarius, volet. Thra. Videtur. So. Malus autem et indoctus tam simili quam dissimili sibi plus arrogabit. Thra. Apparet. So. Nonne injustus, Thrasymache, plus usurpare contendit quam vel similis vel dissimilis? an non ita dicebas? Thra. Dicebam equidem. So. Justus autem simili quidem non plus volet, sed dissimili. Thra. Fateor. So. Est itaque similis justus quidem sapienti et bono, injustus autem et malo et inscio. Thra. Apparet. So. Atqui concessimus talem utrumque esse, qualis sit is cui similis est uterque. Thra. Concessimus plane. So. Justus itaque nobis bonus esse sapiensque apparuit : injustus autem indoctus et malus. Hæc omnia concessit Thrasymachus : non tamen ea facilitate, qua ego nunc refero, sed vix atque pertractus plurimo cum sudore : erat quippe tunc æstas. et vidi ego tunc primum, quod nunquam antea videram, erubescentem Thrasymachum. Cum igitur constitisset justitiam et virtutem esse et sapientiam, injustitiam vero vitium et inscitiam : Maneat, inquam, hoc ita nobis. dicebamus autem validum ac potens quiddam injustitiam esse. nonne meministi, Thrasymache? Thra. Memini equidem. sed mihi quæ nunc dicis, non placent, habeoque quid adversus ea dicam : quod si adducerem, certe novi me concionari te esse dicturum. Quare aut sine me dicere, quæ velim : aut si tu interrogare vis, interroga. ego autem tibi, veluti aniculis fabellas narrantibus, assentiar et annuam et abnuam. So. Nullo pacto præter sententiam tuam. Thra. Ut tibi in omnibus gratificer, postquam non sinis loqui, an quid aliud vis? So. Nihil per Jovem, si istud feceris. sed facito : ego autem interrogabo. Thra. Interroga jam. So. Hoc interrogo nunc, quod et paulo ante, ut ordine suo in sequenti sermone consideremus, [351] quomodo se justitia adversus injustitiam habeat. dictum enim est potentiorem atque robustiorem esse injustitiam quam justitia. Thra. Nunc autem quid novi affers? So. Si quidem sapientia et virtus est justitia, facile, ut arbitror, apparebit robustius esse quam injustitia : quandoquidem injustitia inscitia est. nec ullus hoc ignoraret. verum non ita simpliciter agere cupio, sed hac via considerare. Civitatemne aliquam affirmares injustam esse, et alias civitates velle injuste in servitutem redigere servasque sub se multas habere? Thra. Cur non? immo vero hoc summopere faciet illa, quæ præstantissima erit et quæ ad extremam pervenerit injustitiam. So. Intelligo equidem, quod tua hæc erat oratio. sed hoc circa ista considero, utrum hæc, quæ præstantior fit civitas civitate, absque justitia hanc sit potentiam habitura, vel necesse sit ut habeat cum justitia. Thra. Si quidem, ut tu paulo ante dicebas, justitia ipsa sapientia est, necesse est cum justitia : sin autem ut ego, sine justitia. So. Responsionibus tuis, o Thrasymache, valde delector, quoniam non modo annuis et abnuis, sed et præclare respondes. Thra. Ut tibi gratum faciam. So. Facis tu quidem bene. sed in hoc quoque gratificare mihi, et dicito : An censes civitatem aliquam vel exercitum seu latrones sive fures, vel alium quemvis cœtum hominum injuste aliquid una aggredientium, perficere posse quicquam, si injuria invicem se affecerint? Thra. Nequaquam. So. Quid autem, si ab injuria abstinuerint? nonne magis? Thra. Prorsus. So. Seditiones namque, Thrasymache, injustitia,

inimicitias contentionesque parit: justitia vero concordiam et amicitiam. nonne? Thra. Esto: ne a te dissentiamus. Po. Bene agis, vir optime. sed mihi et hoc dicito. Si hoc injustitiæ opus est ubicunque insit, odium gignere: nonne inter liberos et servos si fuerit, efficiet ut invicem odia atque contentiones exerceant, nulloque pacto possint aliquid ex communi concordia facere? Thra. Omnino. So. Quid autem? si inter duos hæc insit, nonne dissentient inter se, insequenturque odiis, et inimici erunt et sibi et justis? Thra. Erunt sane. Po. Sin autem in uno insit, o mirifice vir, injustitia, nonne ipsius potentiam dissipabit? vel nihil minus habebit? Thra. Nihil minus habeat. So. Nonne talem aliquam vim habere videtur, ut cuicunque insit sive civitati sive genti sive exercitui sive alteri cuilibet, primo quidem impotens [352] reddat id, cui inest, aliquid secum agendi, propter dissensionem atque discordiam: deinde inimicum efficiat ipsum et sibi et contrario cuilibet, atque justo? nonne ita? Thra. Ita. So. Atqui et in uno si fuerit, hæc eadem faciet omnia, quæ ad naturam suam sequuntur. primum quidem impotentem agendi eum reddet, cum secum ipse dissentiat neque sibimet constet: deinde et sibi et justis faciet inimicum. an non? Thra. Certe. So. Justi autem, o amice, sunt et dei? Thra. Sint. So. Ergo deis inimicus erit, Thrasymache, vir injustus; justus autem amicus. Thra. Explere, Socrates, pro libidine orationis epulo. non enim tibi adversabor, ne istos mihi infensos reddam. So. Age itaque, reliqua convivii adhibe, quemadmodum paulo ante respondens. Constat profecto sapientiores, meliores potentioresque ad agendum justos esse, injustos autem ne invicem quidem tractare quicquam posse. verum quod dicimus validissime in commune simul aliquid conficere illos posse, qui omnino injusti sunt, haud omnino verum est. non enim abstinerent invicem ab injuria, si prorsus injusti essent. sed liquet in ipsis esse justitiam quandam, quæ ipsos ita afficiat, ut se invicem lædere nolint simul atque alios: per quam agunt, quæcunque agunt. Impulsi autem sunt ad injuste agendum, injustitia cum semimali essent. nam qui ad summum nequitiæ et injustitiæ pervenerunt, perficere omnino nihil possunt. Hæc quidem quod ita se habeant, non autem ut tu supra ponebas, intelligo. Utrum autem et melius vivant justi quam injusti, et feliciores sint, quod quidem postea considerare proposueramus, considerandum est. et, ut mihi quidem videtur, hoc ex his, quæ diximus, sequitur. sed tamen melius considerandum. non enim de re quadam vili spernendaque, sed quonam modo vivendum sit, habetur oratio. Thra. Considera jam. So. Ecce considero. dic igitur: opusne equi tibi aliquid esse videtur? Thra. Mihi quidem. So. Num hoc quidem diceres et equi et alterius cujuslibet opus, quod vel solo illo vel maxime quis expleret? Thra. Haud intelligo. So. Attende: sic forte intelliges. Aliane re quam oculis vides? Thra. Minime. So. Quid vero? aliane audires quam auribus? Thra. Nequaquam. So. Ergo hæc horum opera recte diceremus. Thra. Recte. So. Possesne [353] gladio et scalpello et multis aliis vitis palmites amputare? Thra. Quidni? So. Verumtamen non ita commode, ut falce ad usum hunc fabricata. Thra. Est, ut dicis. So. Ergo nonne hoc istius opus esse dicemus? Thra. Dicemus profecto. So. Existimo melius te nunc tenere, quæ paulo ante dicebam, cum interrogarem, an id cujusque opus esset, quod vel solo illo vel melius quam ceteris efficitur. Thra. Intelligo jam: idque mihi cujusque opus esse videtur. So. Nonne et virtus tibi esse cuique videtur, cui aliquod opus ascribitur? Revertamur igitur ad priora. Oculorum dicimus esse opus aliquod? Thra. Certe. So. Ergo nonne et virtus oculorum est? Thra. Et virtus. So. Et aurium opus? Thra. Et aurium. So. Est ergo et virtus? Thra. Est. So. Nonne de reliquis omnibus eodem

modo dicendum? Thra. Eodem. So. Nunquid oculi opus suum pulchre aliquando exercerent, virtutem propriam non habentes, sed pro virtute vitium? Thra. At quomodo? cæcitatem namque fortasse pro visu dicis. So. Quæcunque illorum sit virtus. nam ad præsens non id quæro: sed utrum propria virtute recte suum opus exerceant, vitio vero non recte. Thra. Vera loqueris. So. Nonne et aures, sua privatæ virtute, male suum opus exercebunt? Thra. Male. So. Idemne sentimus de reliquis omnibus? Thra. Idem. So. Age et hæc præterea contemplare. Estne animæ aliquod opus, quod nulla re alia faceres, veluti curare, imperare, consulere et alia generis ejusdem? nunquid hæc alteri rei quam animæ jure tribuere possemus, diceremusque ipsius propria esse? Thra. Nulli alteri. So. Quid autem ipsum vivere? an non animæ opus esse dicemus? Thra. Maxime. So. An non et virtutem quandam animæ esse dicimus? Thra. Dicimus. So. Nunquid anima quandoque, o Thrasymache, propria virtute privata, opera sua bene explebit? vel nullo modo poterit? Thra. Non poterit. So. Necesse est igitur malam animam male imperare atque curare, bonam vero hæc omnia bene facere. Thra. Necesse. So. Concessimusne virtutem animæ justitiam esse, injustitiam vitium? Thra. Concessimus. So. Justa ergo anima justusque vir bene vivet, injustus autem male. Thra. Ita secundum rationem tuam apparet. [354] So. Qui autem bene vivit, beatus est et felix: qui male, contra. Thra. Quidni? So. Igitur justus felix est, injustus miser. Thra. Sint. So. At miserum esse non prodest, prodest autem esse felicem. Thra. Procul dubio. So. Nunquam igitur, o beate Thrasymache, conducibilius erit injustitia quam justitia. Thra. His epulis crassatus fueris in Dionysiis, o Socrates. So. Apud te quidem comedi, Thrasymache, postquam mitior mihi effectus es difficilisque esse cessasti. Non tamen abunde vesci contigit: atque id mea quidem causa potius quam tua. nam quemadmodum epularum avidiores homines incontinentesque rapiunt semper quodcunque in convivio superfertur, gustantque illud, antequam prioribus dapibus satis vescantur: ita et ipse, ut mihi videor, priusquam invenirem, quod principio fuit propositum, quid ipsum videlicet justum sit, eo prætermisso ad considerandum me contuli, utrum pravitas sit et inscitia, sive sapientia virtusque. Ac postremo incidente oratione illa, quæ asserebat conducibiliorem injustitiam esse quam justitiam, non me continui, quin ab illo ad hoc descenderem. Quapropter mihi in præsentia ex hac disputatione contingit, ut nihil norim. quando enim justum quid sit ignoro, nullo pacto sciam, virtusne sit an contra, atque utrum qui id possidet, beatus sit vel non beatus.

LIBER II.

[357] Hæc cum dixissem, a disputatione liberatum me esse putabam: verum hoc proœmium fuit. Glauco enim et semper alias vir certe ad omnia fortissimus, et tunc quidem Thrasymachi tanquam defatigati concessionem non suscepit; sed dixit: O Socrates, utrum, nobis persuasisse videri cupis, an revera persuadere, quod omnino præstet justum esse quam injustum? So. Ego quidem, si in mea optione esset, revera persuadere mallem. Glau. Minime facis, quod vis. dic porro, videturne tibi hujusmodi aliquid esse bonum, quod quidem eligeremus, haud certe quæ ex eo sequantur cupientes, sed ipsum gratia ipsius amantes? quemadmodum gaudere

et voluptates, quæcunque sine nocumento sunt, et quæ in posterum nihil præter gaudium allaturæ sint eas habenti. So. Mihi sane videtur esse aliquid tale. Glau. Quid autem? estne aliquid, quod et ipsum gratia ipsius et eorum, quæ ab eo fluunt, amemus? quemadmodum sapere, videre, valere. hæc enim hujusmodi propter utrumque eligimus. So. Certe. Glau. Tertium autem aliquid vides genus boni, in quo est exerceri, male valentem curari, medicationemque et pecuniariam exercere? hæc utique laboriosa fatemur esse, prodesse autem nobis: et ipsa quidem sui gratia nunquam expeteremus, sed quæstus et aliorum, quæ ab eis proficiscuntur, gratia. So. Est hoc plane genus tertium. Quid tum? Glau. In quonam istorum justitiam ponis? So. Mea quidem sententia in pulcherrimo, [358] quod tam propter se ipsum quam propter ea quæ efficit, ab eo qui beatus sit futurus, expetitur. Glau. Haud ita multis videtur, sed laboriosi generis esse, quod quidem propter præmia et honores et gloriam sit expetendum, propter se ipsum autem tanquam difficile, fugiendum. So. Novi equidem istuc multis videri. quocirca jampridem a Thrasymacho, quasi tale quiddam sit, vituperatur: injustitia vero laudatur. sed ego hebes sum, ut videor. Glau. Age itaque et me audi, si tibi quoque hæc videantur. Thrasymachus nempe prius quam oporteret, tanquam serpens carminibus delinitus abs te fuisse videtur. mihi autem nondum ex sententia demonstratio utriusque evenit. cupio enim audire, quid sit utrumque et qualem vim habeat ipsum secundum se ipsum exsistens in animo: præmia vero et quæ ex ipsis proveniunt, mittere. Sic igitur faciam, si et tibi placet. renovabo equidem Thrasymachi orationem, et primum dicam, quale quid justitiam esse dicant et unde exortam fuisse velint. secundo loco omnes, quicunque justitiam colunt, invitos quodammodo eam sequi, tanquam rem necessariam, sed non bonam. tertio merito id agere. multo ergo melior injusti vita quam justi, ut tradunt. Mihi quidem, o Socrates, non ita videtur. ambigo tamen plerumque, quia obtundor quotidie Thrasymachum aliosque innumeros audiens, orationem vero pro ipsa justitia, quod melior quam injustitia sit, ex nullo adhuc audivi, ut vellem. cuperem quippe justitiam ipsam secundum se ipsam audire laudatam. maxime vero ex te hoc me arbitror auditurum. Quapropter dicam latius, injustam vitam laudans; dicendoque ostendam tibi, quonam maxime modo audire te velim vituperantem quidem injustitiam, justitiam vero laudantem. sed vide, an hoc tibi placeat. So. Maxime omnium. de qua enim re quis sanæ mentis libentius et audiat et dicat? Glau. Præclare loqueris. Enimvero quod primum de hoc dicere pollicitus sum, jam audi, quale sit et unde sit orta justitia. Natura quidem dicunt injuriam facere bonum esse, injuria autem affici malum: sed longe plus mali esse in patiendo injuriam quam boni in inferendo. quamobrem postquam vicissim injuriam et intulerint et acceperint, et utrumque gustaverint, qui nequeunt vitare [359] illud, id consequi, operæ pretium fore ducunt, ut ita invicem componant, ut neque inferri neque accipi possit injuria. hincque volunt originem habuisse leges constitutionesque, et nominata esse præcepta legum legitima atque justa. Hanc itaque justitiæ originem et substantiam esse volunt, quæ media quodammodo sit optimum inter et pessimum, quando quidem optimum est inferre injuriam nec dare pœnas, pessimum vero pati nec ulcisci posse. Justum ergo horum in medio constitutum amari non tanquam bonum, sed ex imbecillitate injuriandi, tanquam injuriarum inferendarum obstaculum. eum sane, qui hoc efficere possit vereque sit vir, cum alio pacisci nunquam decernereque, ne ultro citroque injuria inferatur: alioquin insaniret. Hæc est, o Socrates, natura justitiæ atque hujusmodi, et ex talibus, ut ferunt, progenita. Quod autem qui justitiam servant inviti id agant, cum ex imbecillitate injuriam inferre

nequeant, plane perspiceremus, si tale quiddam animo fingeremus : si utrique licentiam largiremur, quodcunque liberet, agendi, et justo pariter et injusto ; deinde pone sequeremur, explorantes quo rapiat utrumque libido. inveniremus profecto justum plus habendi aviditate compulsum ad eadem se, atque injustum, conferre. hoc siquidem natura omnis, ut bonum, expetit : lege autem ac vi ad æqualitatem servandam ducitur. Erit autem licentia ista, quam dico, talis, istis si detur, qualem aliquando ferunt fuisse Gygi Lydi progenitori. fuisse enim ipsum ferunt mercenarium pastorem ejus, qui tunc Lydis imperabat. magna autem imbrium tempestate exorta motaque terra ferunt terram hiatum fecisse in ea regione, ubi ille armenta pascebat. quæ cum vidisset, mirabundus in hiatum descendit, conspexitque et alia, quæ fabulantur, miranda, et equum æneum concavum ; et per fenestram cadaver in alvo equi animadvertit, majus quidem humana forma. hoc nihil habebat aliud præter aureum digito anulum : quo sublato abiit. ac paulo post ad pastoralem pervenit conventum, in quo legatus de rebus peculii ad regem per singulos menses referendis creandus erat : juxtaque alios assedit. acciditque, ut cum forte gemmam introrsum ad manum verteret anuli quem a cadavere arripuerat, subito a nullo conspiceretur aliique de illo tanquam absente loquerentur. [360] admiratus ergo gemmam rursus extrorsum convertit, quo facto rursus apparuit. hoc ille animadvertens, diligentius periculum fecit, utrum hanc anulus vim haberet : atque ita illi compertum fuit, quod versa ad se gemma a nemine videretur, versa autem ad alios conspicuus fieret. quod quidem expertus, curavit ut legatus ad regem una cum aliis mitteretur : profectusque uxorem ejus stupravit et de rege interficiendo cum ea consilium iniit ; quo cæso regnum assumpsit. Si igitur duo tales anuli essent, alterumque justus, injustus alterum possideret ac ferret : nullus profecto esset, ut videtur, adeo adamantinus, ut in ipsa justitia permaneret et ab alienis abstinere vellet, cum liceret illi ex foro intrepide, quodcunque vellet, arripere, ingredique alienas domos, et clanculum pro libidine cuique congredi, et pro arbitrio quemlibet interficere, et ex carcere solvere, et alia, quasi par deo sit, inter homines pro arbitrio facere. hæc igitur cum uterque faceret, nequaquam alter ab altero in agendo differret, sed ambo eodem tenderent. Quæ quidem maxima apud omnes esse potest conjectura, neminem volentem, immo invitum esse justum ; quasi id secundum se et privatim non sit bonum ; quoniam ubicunque injuste agere quisque se posse confidit, agit protinus. prodesse enim quisque privatim multo magis existimat injustitiam quam justitiam : recteque sentit, quisquis ita judicat, ut sermonis hujus perhibent auctores. Quod si quis hujusmodi facultatem nactus velit ab injustitia abstinere neque aliena tangat, infelicissimus omnium et stolidissimus apud eos, qui hoc adverterent, putaretur : laudarent tamen illum palam, vicissim se decipientes, quia maxime timent, ne afficiantur injuria. Atque hæc quidem ita sint dicta. Vitam vero utriusque, justi videlicet et injusti, ita plane dijudicabimus, si justissimum virum seorsum et injustissimum distinguemus : aliter vero nequaquam. Sit autem hæc discretio talis, ut nihil auferamus injustitiæ ab injusto, neque quicquam ab justo justitiæ : sed perfectum utrumque in suo studio ponamus. primum igitur injustus, tanquam optimi artifices, faciat : videlicet quemadmodum gubernator summus vel medicus, quæ in arte sua confici possunt et quæ non possunt, sentit, et illa quidem aggreditur, ista relinquit : [361] et si qua præterea in re peccaverit, corrigere potest : ita et injustus, recte injurias aggrediens, lateat, si maxime injustus futurus est ; sin autem deprehensus fuerit, iners existimandus est. extrema enim injustitia est, justum videri eum, qui non sit justus. danda est igitur injustissimo extrema injustitia, neque auferenda : sed permittendum ut is, qui injuste multa pa-

travit, apud omnes justi habeat opinionem : et si qua in re peccarit, corrigere possit ; sitque ad persuadendum idoneus, si quid de ipso mali facinoris nuntiatur, et ad vim, si opus fuerit, inferendam fortitudine et robore opumque et amicorum copia. Cum hunc talem finxerimus, juxta ipsum virum ponamus justum, simplicem hominem et ingenuum, qui secundum Æschylum non videri sed esse bonus studeat. removenda quippe ab eo justitiæ omnis opinio, ne justus cuiquam videatur. si enim videbitur justus esse, aderunt sibi honores et præmia. incertum igitur erit, justine an honorum munerumque gratia talis sit. privandus itaque rebus omnibus præterquam justitia, atque ita ponendus, ut superiori contrarius sit : cum nihil agat injuste, injustissimus esse credatur ; ut quasi quodam examine ad justitiam sit probatus, ex eo quod nec infamia nec his rebus, quæ eam sequuntur, a proposito suo dimoveatur, sed usque ad mortem immobilis perseveret, dum per omnem vitam injustus existimatur, est tamen justus : ut cum utrique ad extremum pervenerint, hic quidem justitiæ, ille autem injustitiæ, judicetur, uter eorum sit beatior. So. Papæ, quam vehementer, o amice Glauco, utrumque virum, quasi statuam quandam, in judicium manifestum inducis. Glau. Quam maxime possum. Cum ergo talis uterque sit, nihil jam, ut arbitror, difficile narratu est, qualis utrumque vita expectet. dicendum igitur, quod si asperius aliquid dicatur, ne existima me, Socrates, hæc dicere, sed eos, qui præ justitia injustitiam laudant. Dicent enim, quod ita affectus justus cædetur, torquebitur et vincula patietur : eruentur illi oculi, [362] atque demum omnia mala perpessus suspendetur, atque cognoscet non esse sed videri justum concupiscendum esse. Æschyli autem carmen rectius intelligi poterat de injusto. dicent profecto injustum, utpote veritati consona sectantem neque ad opinionem hominum viventem, appetere quidem non videri sed esse injustum, *profundum sane sulcum et frugiferum mentem habentem, ex quo gloriosa germinent consilia.* primum quidem magistratus capere in sua civitate, cum justus appareat : deinde, quam velit, uxorem ducere, et suas, cui velit, locare : cum quibuslibet congredi communicareque : atque ad hæc omnia utilitatem capere, quæstum facientem, cum inferre injuriam minime vereatur : in certaminibus tum publicis oblivisci, tum privatis superiorem evadere, plusque emolumenti quam adversarios inde excerpere : atque hinc effici divitem ; unde et prosit amicis et inimicis obsit, deos autem donariis et sacrificiis magnifice colat, et multo melius quam justus conciliare sibi possit quemlibet vel hominum vel Deorum. ex quo consentaneum esse volunt, ut Deo carior sit quam justus. Hac ratione aiunt, o Socrates, et apud Deos et apud homines melius injusto vitam institutam esse quam justo. Hæc cum dixisset Glauco, egoque ad hæc respondere aliquid cogitarem, frater ejus Adimantus, Nondum, inquit, o Socrates, satis de hac re dictum. So. Curnam ? Adi. Id utique dictum non est, quod maxime dici oportuit. So. Frater adesto viro, ut habet proverbium. quare tu, si quid hic reliquit, adjuva : quanquam me, quæ dicta sunt ab isto, convincere possunt, atque efficere ut defendere justitiam nequeam. Adi. Nihil dicis. audi et hæc præterea. decet enim et contrarias rationes inducere earum, quas hic attulit, quibus laudatur quidem justitia, injustitia contra vituperatur : ut manifestius fiat, quod mihi Glauco velle videtur. Præcipiunt sane patres filiis, atque omnes, qui curam aliquorum habent, oportere justum esse, [363] non propter se ipsam justitiam laudentes, sed propter eos, qui inde sequuntur, honores : ut qui justus habetur, ex ea opinione magistratus et connubia, et quæcunque de eo, qui justus existimatur, paulo ante dicebat Glauco, assequatur. enimvero gloriæ illi præmium quoddam in primis inducunt, nam inferentes Deorum approbationes,

summa referre possunt a Diis beneficia, sanctis viris collata. quod generosus Hesiodus Homerusque testantur. ille enim justis Deos facere perhibet, ut *quercus in ramis altioribus glandes ferant, in mediis apes, et oves lana onerentur*, multaque alia generis ejusdem bona. His similia dicit et alter. *Quemadmodum enim*, inquit, *probo regi, quique Dei similis sit, bonum conferat nomen: ferat terra nigra triticum atque hordeum, pomis graventur arbores, fecundæ pecudes facile pariant, mare pisces subministret.* Musæus item atque ejus filius excellentiora etiam bona justis ab ipsis Diis tribui voluerunt. apud inferos enim agentes, ipsosque in sanctorum conviviis collocantes, coronatos faciunt magna semper in voluptate ebrios vivere, existimantes pulcherrimum virtutis præmium æternam ebrietatem. Qui autem longiora his præmia a Diis dari volunt, filios dicunt posterosque justi fidelisque viri genus suum per secula propagare. His et hujusmodi justitiam laudant: profanos vero atque injustos cœno quodam apud inferos obruunt, et aquam cribro ferre cogunt. viventes etiam infamia notant. ac demum quæcunque supplicia eorum narrabat Glauco, qui justi sunt et videntur injusti, eadem insuper injustorum enarrant, alia vero non habent. Laus igitur et vituperatio sic utrorumque se habent. Præter hæc considera, Socrates, aliam quandam de justitia injustitiaque orationis speciem, et privatim et a poëtis inductam. [364] omnes enim uno ore canunt bonum quid temperantiam et justitiam esse, difficile autem et laboriosum: intemperantiam vero et injustitiam jucundum quidem et facile comparatu, opinione tantum legeque turpe. Utiliora quin etiam justis injusta ut plurimum vulgo dicunt. et malos quidem divites potentesque facile honorant, privatimque ac publice beatos appellant: eos autem contemnunt, qui imbecilles et pauperes sunt, quamvis concedant ipsos meliores ceteris esse. Horum vero omnium maxime mirandi de Diis et virtute sermones circumferuntur: Deos plurimis bonis hominibus infelicem vitam dedisse, malis autem contra. vates insuper et arioli ad januas divitum accedentes, persuadent vim habere a Diis sacrificiis et carminibus acceptam purgandi per celebritates et oblectamenta quædam, si quod scelus ab his aut eorum majoribus patratum fuerit: et nocendi parvo etiam sumptu, cuicunque velint inimicorum, et justo pariter et injusto. asserunt quippe, tum blandimentis quibusdam, tum vinculis se Deos inducere, ut sibi in his omnibus obsequantur. Ad hæc omnia poëtarum afferunt testimonia, partim quod facile labamur in vitium:

> Mortales vitium penitus labuntur in omne
> præcipites, quoniam facilis via ducit ad ipsum,
> hoc quia vel nobis jam tum nascentibus hæret.
> virtutem ante ipsam Di proposuere laborem,
> difficilesque vias cunctis adeuntibus illam:

partim quod Deus precibus nostris muneribusque flectatur, Homerum adducunt testem, qui inquit, *Exorabiles convertibilesque et Dei sunt, et hos quidem sacrificiis, votis, libationibus et homines, cum peccaverint, precantes vertunt.*

> Sunt faciles superi, precibus flectuntur, et idem
> sacrorum nidore pio placantur ab ipsis
> nimirum votis hominum, quæ, si quis in illos
> errarit, veniam rogitans concepit in aris.

Libros autem circumferunt Musæi et Orphei, Lunæ et Musarum filiorum: secundum quos sacra celebrant, persuadentes non privatis solum, verum etiam civitatibus, solutiones et purgationes scelerum per sacrificia cum ludorum oblectamentis fieri, et viventibus [365] et defunctis: quas quidem Teletas, id est expiationes vocant, quæ

nos ab illis, quæ illic mala sunt, liberent. sacrificiis autem prætermissis gravia nos manent. Hæc omnia, o Socrates, talia ac tanta de virtutis vitiique præmiis, quoad Deos et homines pertinet, dicimus. Quid putamus acturos hæc audientes animos eorum juvenum, qui solertes ingenio sunt, et ad omnia dicta commode celeriterque conversi ex se ipsis deliberare possunt, qualis aliquis existens et quorsum tendens quam optime vitam agat? Consentaneum est, juvenem talem Pindari illud animo volvere: Utrum justitiæ conscendam alta mœnia, an obliquas doli vias ingrediar, meque ita fulciens vitam agam? Ea enim, quæ dicta sunt, mihi quidem, si justus sim, non tamen appaream, nihil prodesse dicunt, labores autem et pœnas certas esse. injusto vero, opinionem justitiæ assecuto, vita divina adesse dicitur. Nonne igitur, postquam existimatio hæc justitiæ, ut sapientes tradunt, veritatem cogit ac violat, et ad beatitudinem est præcipua: ad eam omnino tendendum est? Induere itaque imaginem oportet justitiæ, et quandam præ se ferre virtutis adumbrationem, a tergo vero illam sapientis Archilochi vulpem astutam ac variam trahere. At dixerit forte quispiam haud facile esse, ut malus quis semper lateat. Nos vero respondebimus nihil magnum esse facile. verumtamen si beati esse volumus, hac eundum est, qua rationum vestigia ducunt. etenim ut nostra improbitas occulta permaneat, conjurationes societatesque inibimus. adsunt quin etiam persuasionis magistri, qui sapientiam concionatoriam et judicialem tradunt: ex quibus partim persuadebimus, partim cogemus, ut dum nobis plura arrogamus, pœnas minime persolvamus. Sed Deos quidem neque latere neque cogere possibile est. Verum si non sunt vel humana non curant, haud nobis curandum est, ut eos lateamus. sin autem sunt et curant humana, nos non aliunde id novimus vel audimus quam ex multorum sermonibus et ex poëtis genealogiam ipsorum scribentibus. iidem vero ipsi perhibent posse Deos precibus, sacris et muneribus flecti. quibus vel utrumque credendum est vel neutrum. si ita credendum, et injuste agendum, atque ex ipsa rapina Diis sacrificandum. [366] justi enim si simus, illæsi a Diis erimus: sed quæstus, qui per injustitiam comparantur, respuemus. injusti autem divitias parabimus, sceleribusque patratis illos precibus flectentes a pœna liberabimur. Sed enim apud inferos pœnas dabimus eorum, quæ hic injuste commiserimus, vel nos vel nati natorum. At, o amice, dicere quadam ratione licebit: supremæ pro peccatis commissis expiationes multum possunt, exorabilesque Dii sunt, ut maximæ civitates dicunt. et Deorum filii, poëtæ prophetæque Deorum, hæc ita se habere testantur. Ergo quæ ratio ulterius nos inducet, ut præ summa injustitia justitiam eligamus: quandoquidem, si injustitiam sub adulterina specie honestatis occultaverimus, et apud Deos et apud homines omnia nobis ad votum succedent, et viventibus et defunctis, quemadmodum multorum excellentiumque virorum testatur oratio? Ex omnibus jam dictis, o Socrates, quis crediderit eum hominem justitiam servaturum, cui sit aliqua vis aut fortunæ aut opum aut corporis aut generis? ac non potius subrisurum, si laudari eam audiverit? Quin immo si quis falsa ostendat, quæ diximus, recteque norit justitiam optimum esse, vehementer ignoscet neque irascetur injustis, cum intelligat, nisi quis divina quadam natura iniquitatem oderit vel doctrina abstinuerit ab injustitia, neminem sua sponte esse justum, sed præ timiditate vel senectute vel alia quadam imbecillitate vituperare injustitiam, cum eam exsequi nequeat. Quod quidem satis ex eo patet, quoniam ut primum quis potestatem adeptus est, primus pro viribus agit injuste; horumque omnium alia nulla est causa, quam ea, unde hæc omnis oratio mihi et huic, o Socrates, adversum te profecta est: quoniam ex vobis, o mirifice Socrates, quicunque laudes justitiæ profitemini, a priscis illis heroibus incipientes, de quibus aliqua exstat memoria usque ad nostros homines, nullus unquam aliter laudavit justitiam

vel injustitiam vituperavit, quam ad gloriam muneraque vel pœnas respiciens, quæ ab illis proficiscuntur. Ipsum vero utrumque suapte natura quid agat in habentis animo latens Deos et homines, nullus unquam vel in poëmatis vel alio sermone ad sufficientiam enarravit: quod videlicet injustitia sit maximum malorum omnium, quotcunque sustineat animus; justitia vero maximum bonum. Si [367] enim sic ab omnibus vobis fuisset a principio dictum et nobis ab ipsa pueritia persuasum, non invicem cohiberemur, ne quid in alium ageremus injuste, sed unusquisque sui ipsius custos esset, timens ne injuste agens maximo malo adhæreret. Hæc, o Socrates, hactenus. forte vero et plura Thrasymachus aut aliquis alius de justitia et injustitia, utriusque transvertens vim, diceret, et onerose admodum, ut mihi videtur. Sed ego, nihil abs te celari volens, cupiensque ex te audire contrariam, orationem protraho. Ne ergo nobis solum ostendito justitiam injustitia præstantiorem esse: sed quomodo ipsa per se afficiens utraque animum, hæc quidem malum, illa bonum sit. opiniones autem auferas, ut etiam Glauco jusserat. si enim non abstuleris utrinque veras, falsas autem apposueris: non justum dicemus laudare te, sed id quod justum videatur: neque injustum vituperare, sed quod videatur injustum: jubereque injustum injustitiam occultare, assentiente Thrasymacho, justum quidem alienum bonum, potentiori conferens: injustum autem ipsum conferens atque utile, imbecilliori tamen inutile. Postquam igitur assensus es, justitiam in his bonis annumerari, quæ et propter illa quæ sequuntur, et multo magis ipsa propter se sunt expetenda, videlicet videre, audire, sapere, bene valere: et quæcunque alia bona suapte natura fecunda sunt et pretiosa, non opinione constant: hoc utique ipsum lauda in ipsa justitia, quod per se ipsa habentem juvat, cum injustitia lædat. Opiniones autem et præmia aliis laudanda relinque. nam ego quidem alios sustinerem, quotiens ita justitiam laudarent vel vituperarent injustitiam, ut opiniones et præmia laudare vel vituperare viderentur: te autem minime, nisi forte tu jusseris, quoniam omnem vitam nulla in re alia quam in hac speculatione consumpsisti. Ne igitur nobis solum oratione ostende præstantiorem injustitia justitiam esse: sed quonam modo utraque ipsarum sui participem afficiens, sive lateat sive non lateat Deos et homines, hæc quidem bonum sit, illa malum. Hæc ego cum audissem, quamvis et alias semper Glauconis et Adimanti ingenium adamassem, tunc tamen vehementer admiratus sum, [368] dixique: Non male in vos, o filii illius viri, principium elegorum carminum amator Glauconis inscripsit: qui, cum in Megarensi prælio fortiter pugnavissetis, *O filii*, inquit, *Aristonis, inclyti viri divinum genus.* Hoc bene dici, o amici, videtur. divine enim affecti estis, si non estis persuasi injustitiam justitia meliorem esse, cum adeo pro ipsa abunde loquamini. Videmini autem mihi persuasi non esse. conjecturam capio ex vestris moribus: quoniam secundum orationem ipsam vobis minime credidissem. Quo autem magis credo, eo magis, quo me vertam, ambigo. nam quomodo adjuvem, nescio. videor quippe non posse. illud autem signum est, quod ea, quibus ego supra adversus Thrasymachum sufficienter ostendisse putabam injustitia meliorem esse justitiam, non admisistis. neque rursus quomodo nunc succurram, invenio: veritus ne forte impium sit, ut, qui justitiam coram vituperari intelligit, subterfugiat; neque pro ejus defensione verba faciat, quamdiu spirare et loqui conceditur. præstat itaque pro viribus suffragari. Tunc Glauco et ceteri omnes rogarunt, ut omni ope auxiliarer, neque disputationem relinquerem, sed perscrutarer, quid esset utrumque quæve revera utriusque utilitas. Dixi igitur, ut mea erat opinio, quæstionem hanc, quam aggredimur, non esse contemnendam, sed hominis acute cernentis opus, ut mihi videtur: ac postquam nos aliter non valemus, perinde investi-

gandam esse justitiam, ac si quis non acute cernentibus literas parvas procul que positas legendas mandasset; deinde animadvertisset aliquis easdem literas esse alibi in majori quodam loco majores, atque inde operæ pretium censuisset, ut eas primo legentes ita demum minores, si eædem sunt, considerarent. Ita prorsus, Adimantus ait. sed quid tu simile in hac de justitia inquisitione vides, o Socrates? So. Ego tibi dicam. Dicimusne justitiam hominis unius esse? dicimus totius civitatis? Adi. Plane. So. Atque civitas nonne major uno viro? Adi. Major. So. Fortasse igitur justitia amplior in majori inest, faciliorque est cognitu. Quare, si vultis, prius [369] quæremus in civitatibus quidnam sit: idque deinde in singulis considerabimus, majoris ipsius similitudinem in minoris idea contemplantes. Adi. Scite loqui videris. So. Si civitatem oratione constitutam inspiceremus, justitiam quoque ejus et injustitiam videremus. Adi. Forte. So. Quo facto spes erit facilius cognoscendi, quod quærimus. Adi. Maxime. So. Opus est igitur istud efficere. nam non parva res, ut arbitror. considerate itaque. Adi. Ecce consideramus. sed tu ne aliter facito. So. Fit utique civitas, ut existimo, quandoquidem nullus nostrum ex se ipso sufficiens est, sed multorum indiget. an vero tu putas aliud exstitisse civitatibus constituendis initium? Adi. Nullum aliud. So. Sic itaque se invicem accipiunt homines aliumque ad alium usum asciscunt, cum multis indigeant et multos in habitationem unam congregant communicatores adjutoresque: quem cœtum civitatem nos appellamus. nonne? Adi. Omnino. So. Impertiunt ergo vicissim sua, et aliena vicissim accipiunt, conducere sibi vicissitudinem hanc existimantes. Adi. Ita prorsus. So. Age, jam constituamus oratione nostra a principio civitatem. Faciet autem ipsam, ut videtur, indigentia nostra. Adi. Quidni? So. Prima vero et maxima omnium indigentia est præparatio victus, ut et simus et vivamus. Adi. Certe. So. Habitationis secunda. Tertia vestitus et hujusmodi. Adi. Est, ut dicis. So. Age igitur. sed quonam modo civitas ad hanc præparationem sufficiet? an non unus erit agricola, ædificator alius, alius textor? nunquid et coriarium ibidem annumerabimus, vel aliquem alium rerum ad corporis usum pertinentium curatorem? Adi. Maxime. So. Erit itaque ipsa civitas saltem ex quatuor aut quinque viris. Adi. Apparet. So. Quid igitur? unumquemque istorum oportet suum opus aliis communicare? videlicet agricolam unum victum quatuor præparare, et in quadruplo tempus et laborem in agricultura consumere, atque aliis communicare? an potius, aliorum cura neglecta, quartam sibi soli partem comparare, præparationem videlicet alimentorum [370] in quarta temporis parte? reliquarum autem partium temporis unam in construenda domo, aliam in vestitu, aliam in calceis conficiendis conterere: neque curiose aliis rem suam communicare, sed ipsum sibi sine alterius auxilio providere? Adi. Forte hoc modo, o Socrates, facilius esset quam illo. So. Minime per Jovem: absurdum enim. nam te loquente considero nasci nos quidem non admodum similes, sed differentes invicem, singulosque ad singula opera promptos natura produci. an non tibi videtur? Adi. Mihi vero. So. Quid autem? ageretne melius aliquis unus omnes simul artes, vel singuli singulas? Adi. Singuli singulas. So. Atqui et hoc manifestum esse existimo, quod si nobis in alio quodam negotio occupatis opportunitas alicujus operis præterit, ejusdem perit et actio. Adi. Patet. So. Non enim quod faciendum est, facientis otium expectare vult: sed necessitas cogit facientem, opus ipsum observata semper occasione prosequi. Adi. Necesse est. So. Ex his patet singula fieri et plura et melius et facilius, quando singuli singula secundum naturam occasione servata ab aliis cessantes efficiunt. Adi. Sic est omnino. So. Pluribus igitur, o Adimante, opus est civibus quam quatuor ad ea, quæ diximus,

comparanda. non enim agricola, ut videtur, sibi aratrum conficiet, si commodum operi futurum est, neque ligones et rastros neque alia instrumenta, quibus agricultura indiget : neque rursus ædificator ; multis enim et huic opus est. idemque de textore et coriario dicendum erit. nonne? Adi. Idem. So. Fabri igitur lignarii et ferrarii, aliique hujusmodi plures artifices, nostri in eo oppido concives facti, frequentius ipsum efficient. Adi. Vera loqueris. So. Sed nondum satis amplum hoc esset, nisi ipsis bubulcos et opiliones et pastores alios adderemus, ut et agricolæ ad arandum boves haberent, et architecti jumentis ad convectandam materiem uterentur, textores autem et coriarii pellibus ac lanis. Adi. Haud sane parva esset civitas, quæ omnia hæc haberet. So. Atqui constituere civitatem in eo loco, in quo advectionibus non indigeat, ferme impossibile est. Adi. Impossibile certe. So. Indigebit igitur et aliis, qui ex alia urbe importent, quibus hæc indigeat. Adi. Indigebit. So. Vanus autem esset minister, nihil adducens earum rerum, quibus indigent hi, a quibus affert ea, quorum sua civitas [371] indiget. vacuus enim rediret. nonne? Adi. Videtur. So. Oportet igitur non solum ea confici, quæ illi civitati sufficiant : sed qualia et quot iis, quibus illa indiget. Adi. Oportet sane. So. Pluribus igitur agricolis et aliis artificibus nobis opus est in civitate. Adi. Pluribus certe. So. Et aliis insuper ministris, qui et importent et exportent singula. isti autem mercatores sunt. an non? Adi. Sunt. So. Mercatoribus igitur indigebimus. Adi. Certe. So. Et si quidem maritima mercatura erit, multis etiam opus erit, qui maritimæ mercaturæ periti sint. Adi. Multis plane. So. Quid autem in ipsa civitate? quomodo inter se impertient ea, quæ singuli operantur? cujus impertitionis gratia communicationem induximus civitatemque construximus. Adi. Patet, quod emendo et vendendo. So. Forum itaque nobis et nummus in commerciis ex hoc permutationis gratia instituetur? Adi. Omnino. So. Num igitur ferens in forum agricola aliquid ex his quæ facit, vel aliquis alius artifex, si non eodem in tempore veniat, quo et illi quibuscum est hæc permutaturus, cessabit ab opere, in foro consistens? Adi. Nullo modo. sed sunt, qui, cum hoc animadvertant, se ipsos ad hoc ministerium præparent. in civitatibus enim recte institutis id agunt homines quidam imbecilles corpore et ad aliud opus inutiles : qui illic constituti circa forum partim quidem argento commutant cum his qui aliquid vendituri sunt, partim res dant pro argento his qui empturi. So. Hæc ergo necessitas nobis cauponum genus in urbe procreat. An non caupones eos vocamus, qui se in foro ad venditionem emptionemque constituunt? qui vero ad alienas urbes migrant, mercatores? Adi. Procul dubio. So. Sunt et alii præterea, ut arbitror, ministri, qui, cum huic societati parum animi viribus conferre possint, robur corporis sufficiens ad labores habent. isti ergo roboris usum vendentes, quia ipsum præmium mercedem appellant, mercenarii nuncupantur. nonne ita? Adi. Ita prorsus. So. Repletio itaque civitatis et mercenarii sunt. Adi. Videtur. So. Nunquid, o Adimante, ita jam a nobis adaucta est civitas, ut sit perfecta? Adi. Forte. So. Utinam in ipsa justitia erit et injustitia, et cui simul innata atque insita ex his rebus, quas tractavimus? Adi. Equidem, [372] o Socrates, nescio, nisi forte consistat in mutuo quodam usu eorum, quæ diximus. So. Forsitan bene dicis. considerandum tamen, neque desistendum. Et primum quidem intueamur, qua ratione victu utentur, qui ita instituti sunt cives. an non cibos parabunt et vinum et vestes et calceamenta et domos? æstate quidem ut plurimum sine veste et sine calceis erunt, hieme autem vestibus et calceis sufficienter ornati. nutrientur autem, ex hordeo et frumento farinam conficientes, et partim quidem pinsendo, partim congerendo, placentas panesque super calamis aut puris frondi-

bus imponentes, in lectisque ex herbis factis, milace atque myrto, discumbentes comessabuntur ipsi et eorum filii, vini pocula sumentes, coronati et Deos laudantes, jucunde simul vivent : nec ultra censum filios generabunt, caventes et paupertatem et bellum. Glau. Sine obsonio, ut videtur, convivas fecisti. So. Verum dicis. oblitus enim hoc eram, quod quidem habituri essent obsonium, sal videlicet et oleas et caseum et porrum : præterea olera quasi agrorum pulmenta suscipient. et bellaria ipsis addemus ficuum, cicerum et fabarum : et baccas myrti, et faginas glandes prunis torrebunt, modeste bibentes : sicque quiete et salubriter viventes ad senectutem usque aliam ejusmodi vitam posteris suis relinquent. Glau. Si suibus, o Socrates, civitatem instituisses, quænam alia ipsis cibaria præparasses? So. Quid ergo agendum, o Glauco? Glau. Quod multi solent, super thoris discumbendum, nisi misere velimus vivere, epulisque ex mensa vescendum, obsoniisque et bellariis, quibus his temporibus utuntur. So. Age, Glauco : intelligo enim nos in præsentia considerare non quomodo civitas commode fiat, sed quomodo deliciosa civitas. forte igitur non male se habebit. Hanc enim intuentes forsitan deprehendemus, ubinam justitia et injustitia civitatibus innascantur. vera utique mihi civitas esse videtur, quam diximus, tanquam sana. verum si vultis, civitatem quoque turgidam consideremus : nihil enim prohibet. Hæc profecto, ut videtur, [373] quibusdem nequaquam sufficient ; atque hic victus non placebit : sed et thori addentur et mensæ et alii apparatus et vasa et obsonia unguentaque, et vaporationes, scorta, aromata, condimenta oblectamentaque, et hæc omnia profuse. neque solum ea, quæ supra retulimus, necessaria ponenda sunt, domus, vestes et calcei : sed addenda rursus pictura et varietatis artificia, aurum et ebur ceteraque ejusdem generis omnia. nonne? Glau. Omnino. So. Nonne igitur majorem civitatem oportet constitui? illa enim sana non amplius sufficiens est, sed mole quadam et multitudine replenda est eorum, qui non amplius necessitatis causa in civitatibus sunt : quales sunt venatores omnes et mimi imitatoresque partim circa figuras atque colores, partim circa musicam, poëtæ scilicet eorumque ministri, rhapsodi recitatoresque carminum, actores, cantores, saltatores, operarii, et apparatuum instrumentorumque variorum artifices, tum aliarum rerum, tum earum quæ ad muliebrem ornatum pertinent. quin etiam ministris pluribus indigebimus. an non opus esse tibi videtur pædagogis, nutricibus, educatoribus, tonsoribus ceterisque ornandi ministris? his præterea, qui obsonia et culinam parent? præterea et subulcis egebimus. hæc enim nobis in priori civitate non erant : non enim erat opus. in hac autem et hac et aliis escis compluribus ex animalium carnibus indigebimus corporibus. an non? Glau. Quidni? So. An non et medicis indigebimus multo magis ita viventes, quam ut antea dicebamus? Glau. Valde quidem. So. Atqui et regio, quæ tunc eos homines sufficienter alebat, parva erit. an quomodo dicimus? Glau. Est, ut dicis. So. Nonne igitur de finitimorum regione nobis aliquid usurpabimus, ut satis agri habeamus ad pascendum atque arandum : et finitimi quoque de nostra, si et illi ad cumulum divitiarum se conferent infinitum, necessitatis terminos excedentes? Glau. Longe necesse erit, o Socrates. So. Pugnabimus ergo? vel quid agemus? Glau. Pugnabimus. So. Atque nondum dicimus, quid aut mali aut boni bellum afferat : sed hoc solum, quod originem bellorum invenimus : ex quibus, cum eveniunt, et publice et privatim magnæ urbem calamitates invadunt. Glau. Sic prorsus accidit. So. Igitur et majore civitate opus est ad exercitum maximum comparandum, [374] qui ob ea, quæ dicta sunt, incurrentibus hostibus obvius sit. Glau. Nonne isti sufficiunt, quos narravimus? So. Non : si tu atque nos omnes recte superiora concessimus,

cum urbem constituentes in hoc convenimus, impossibile esse unum plures artes bene exercere. Glau. Vera loqueris. So. Certamen bellicum non artificiosa facultas est? Glau. Est, et maxime quidem. So. Nunquid igitur de coriaria magis quam de bellica est curandum? Glau. Minime. So. Prohibuimus autem, ne coriarius opera simul aggrederetur agricolæ vel textoris vel architecti, et in sua duntaxat arte versari præcepimus, ut opus ipsius quam optime nobis conficeretur: singulisque aliis singula pro cujusque ingenio tribuimus, ut quisque id unum, ad quod natura ducit, aggrediatur, otiumque a ceteris agens et temporis opportunitate servata optime illud efficiat. An vero parum quid interest, utrum bellica recte peragantur necne? an forte usque adeo facile hoc studium, ut possit quis bellicosus simul vir esse et agricola vel coriarius vel aliquis alius artifex? lusor autem talorum vel alearum nullus quidem idoneus esset, ni a pueritia studium illi arti adhibuisset sedulusque incubuisset? et scutum quidem accipiens, vel alia quædam militaria arma et instrumenta, uno die idoneus miles erit in quovis certandi genere: aliorum autem instrumentorum nullum aliquem artificem faciet vel athletam, neque utile erit illi, qui in eo studio peritus non fuerit et sufficienter exercitatus? Adi. Pretiosa admodum instrumenta essent. So. Nonne quanto majus custodiæ opus est, tanto majori otio indigebit, arteque et exercitatione majori? Adi. Ita existimo. So. Nonne et natura ad studium ipsum idonea? Glau. Quidni? So. Nostrum igitur erit officium, ut videtur, quoad fieri possit, diligere, quæ et quales naturæ sint ad urbem custodiendam idoneæ. Glau. Nostrum plane. So. Per Jovem, non humile negotium sumpsimus: non tamen est formidandum, quatenus vires suppetunt. [375] Glau. Non certe. So. Existimasne differre naturam generosi canis et generosi adolescentis ad custodiam agendam? Glau. Quorsum hæc? So. Utrumque ipsorum sagacem oportet esse ad sentiendum, et velocem deinde ad insequendum, ac demum robustum, cum assecutus fuerit, ad pugnandum capiendumque. Glau. Opus certe est omnibus istis. So. Atqui audax et fortis sit oportet, si quidem bene pugnaturus sit. Glau. Quidni? So. An vero fortis erit et audax, qui iracundus non sit, sive equus sive canis seu quodvis aliud animal? an non animadvertisti inexpugnabilem invictamque esse iram? qua præsente anima omnis intrepida ad omnia est et invicta? Glau. Animadverti. So. Manifestum est, qualem corpore custodem esse oportet. Glau. Manifestum. So. Quin etiam qualem et anima, scilicet iracundum. Glau. Et hoc. So. Quomodo ergo, o Glauco, asperi non erunt adversus se invicem civesque alios, cum tali natura præditi sint? Glau. Haud facile istud, per Jovem. So. Verumtamen oportet erga suos mansuetos, adversus autem hostes immites esse. alioquin haud exspectabunt, donec ipsos alii perdant, sed ipsi se ipsos perdent. Glau. Sic accidet. So. Quid igitur faciemus? ubinam mansuetum simul et iracundum ingenium reperiemus? contraria namque iracundæ natura mitis apparet. verum qui utro horum carebit, custos bonus non erit. hæc autem in unum congredi non posse videntur: atque ita sequitur, ut bonus custos inveniri non possit. Glau. Videtur, ut dicis. So. Tunc sane dubitans, mecumque ipse animo superiora revolvens, Merito, inquam, dubitamus, amice. nam ab ea, quam supra induximus, comparatione digressi sumus. Glau. Quo pacto id ais? So. An non invenimus tales quasdam esse naturas, quales minime putaveramus, habentes hæc simul in se contraria? Glau. Ubinam? So. Hoc utique et in aliis animalibus videre licet, et non minime in eo custode, cum quo nostrum custodem comparabamus. nosti enim generosi canis hunc a natura morem esse, ut adversus familiares et notos mitissimus sit, contra vero adversus ignotos. Glau. Novi certe. So. Ergo neque impossibile est

neque præter naturam, quod quærimus, talem videlicet esse custodem. Glau. Sic apparet. So. An videtur præterea tibi opus esse, ut, qui futurus sit custos, ad ferocitatem illam addat ut natura philosophus sit? Glau. Quomodo istud ais? non enim [376] intelligo. So. Atqui et hoc in canibus intueri licet: quod quidem in bestia dignum admiratione sit. Glau. Quale istud? So. Quem enim ignotum viderit, graviter fert, etsi nihil mali ab eo sit perpessus: noto autem blanditur, quamvis nihil boni ab eo susceperit. an nondum hoc admiratus es? Glau. Haud valde hucusque animadverti: quod autem hoc facit, manifestum est. So. At enim videtur hic naturæ ipsius affectus ingenuus ac vere philosophus. Glau. Qua ratione? So. Quoniam aspectum nulla re alia amicum et inimicum discernit, quam quod hunc quidem novit, illum autem ignorat. nonne igitur merito dicendum erit discendi cupidum atque studiosum, quod cognitione et ignorantia discernit domesticum ab extraneo? Glau. Erit. quidni? So. Porro discendi studiosus et philosophus idem. Glau. Idem. So. Cur igitur audacter non ponamus et in homine, si quidem adversus familiares et notos mitis futurus est, philosophum ipsum esse et discendi cupidum oportere? Glau. Ponamus. So. Philosophus igitur et iracundus et velox et robustus natura erit, qui civitatis custos optimus est futurus. Glau. Sic est omnino. So. Talis itaque custos sit. At quo pacto nutrientur a vobis erudienturque custodes? atque hæc consideratio nunquid vobis conferet ad id, cujus gratia consideramus omnia, comperiendum, quomodo scilicet in civitate justitia insit et injustitia? Id certe cogitandum est, ne forte vel necessaria dimittamus vel supervacua prosequamur. Adi. Reor equidem disceptationem hanc summopere ad id, quod nobis propositum est, conducere. So. Ita et ipse per Jovem, o amice Adimante, existimo. non igitur desistendum, neque etiamsi hæc longiora essent. Adi. Non certe. So. Age itaque, quemadmodum in fabulis otium agentes confabulantesque, oratione hos homines instruamus. Adi. Nempe sic decet. So. Quæ igitur erit disciplina? num difficile erit invenire meliorem illa, quæ hactenus longo tempore est inventa? est autem hæc ad corpus quidem pertinens gymnastica, ad animum musica. Adi. Est plane. So. An non a musica eruditio hæc prius quam a gymnastica incipere debet? Adi. Certe. So. Cum musicam dicis, sermones etiam ponis, necne? Adi. Pono. So. Orationis autem species duæ, vera et falsa. Adi. Ita est. So. Erudiendus utique in utraque custos futurus, [377] priusque in falsa. Adi. Haud intelligo, quid dicas. So. Nescis, quod pueris fabulas prius narramus? hæc autem, ut simpliciter dicam, falsa sunt, licet quædam etiam veridica judicentur. prius autem fabulis ad pueros quam gymnasiis utimur. Adi. Est, ut dicis. So. Hoc ergo volebam. cum dicerem attingendam esse prius musicam quam gymnasticam. Adi. Probe. So. An nescis omnis operis maximum quid principium esse? præsertim juveni et tenero cuique: maxime enim tunc formatur induiturque figura, quam quis unicuique imprimere velit. Adi. Omnino quidem. So. An adeo facile permittemus quaslibet fabulas a quibuscunque formatas audire pueros, animisque imbibere opiniones ut plurimum contrarias illis, quas, cum adoleverint, habere illos debere existimamus? Adi. Nullo modo id permittemus. So. Primum igitur, ut videtur, fabularum fictoribus præsidendum, et, si quam bonam fabulam fecerint, eligendum, reliquas autem abjiciendum. Quas denique elegerimus, per nutrices et matres pueris narrandas curabimus, ut ipsorum animi fabulis multo magis informentur quam corpora manibus. Ex his vero, quas nunc recensent, multæ erunt abjiciendæ. Adi. Quales? So. In majoribus plane minores videbimus. oportet enim eandem figuram esse eandemque potentiam et majorum pariter et minorum, an non censes? Adi. Censeo equidem.

verum quas majores appelles, nequaquam intelligo. So. Quas Hesiodus et Homerus reliquique poëtæ scripserunt. hi namque hominibus falsas fabulas effinxere, quæ quotidie circumferuntur. Adi. Quas fabulas dicis? quidve in ipsis damnas? So. Quod et primo et maxime damnari oportet, præsertim cum aliquis non bene mentitur. Adi. Quid istud? So. Quando quis verbis male fingit, quales Dii et heroës sint: instar pictoris nulla ex parte similia figurantis ad ea, quæ imitari conatur. Adi. Atqui talia merito vituperantur. verum quomodo dicimus et quæ apud eos talia reperimus? So. Primum quidem et maximum et da maximis rebus mendacium, quod non probe mentitus est Hesiodus, quando gesta illa a Cœlo fingit, additque quemadmodum Saturnus eum punivit; [378] quæve egit Saturnus recenset, et quæ a filio perpessus est. Quæ quidem etsi vera essent, non tamen putarem tam aperte ad homines mentis inopes adolescentesque proferenda, sed tacenda potius. sin autem necessitas esset loquendi, in arcanis audienda paucis, non porcum sacrificantibus, sed pretiosam quandam raramque victimam, ut quam paucissimos audire contingat. Adi. Profecto duri sunt hi sermones. So. Neque dicendi, o Adimante, in civitate nostra. neque dicendum juveni audienti, quod, qui iniquissima facinora perpetrat, nihil mirum committat: aut qui peccantem patrem supplicio afficit, non multum prævaricetur: immo faciat, quod primi maximique Deorum efficiunt. Adi. Non per Jovem; nam neque mihi quidem digna hæc videntur, quæ dicantur. neque omnino, quod cum Diis Dii bellum gerant, insidientur et pugnent. neque enim vera: siquidem oportet futuros apud nos civitatis custodes turpe putare inter se invicem dissidere. quare nec ullo pacto narrandum illis gigantum bellum, prœliave permulta Deorum et heroum cognatis suis proximisque indicta: sed, si quo pacto persuasuri sumus nullum unquam civem civi adversatum esse, neque esse hoc sanctum, talia quædam potius et pueris statim et adolescentibus a senioribus aniculisque narranda sunt, cogendique poëtæ ut ad hæc fabulas suas dirigant. vincula autem Junoni a filio indita, projectionemque Vulcani a patre, cum ille matri verberatæ subvenire vellet, aut Deorum pugnas, quotcunque Homerus scripsit, minime in civitatem recipere debemus, sive per allegoriam dicta hæc sint, sive sine allegoria. non enim adolescens hæc dignoscere potest; sed quæ in ea ætate opinionibus accipiuntur, altius inhærere difficillimeque eradicari consueverunt. Quorum forte gratia danda omnino est opera, ut hæ fabellæ, quas primas audient, optime institutæ ad virtutem sint. Adi. Non est procul a ratione, quod dicis. verum si quis interroget, hæ quæ sint et cujusmodi fabulæ, quidnam dicemus? So. O Adimante, poëtæ quidem nos [379] in præsentia neque ego neque tu sumus, sed civitatis institutores. hos autem nosse oportet figuras, in quibus fingere poëtæ fabulas debeant: quas si excesserint, fabulæ hujusmodi admittendæ non sunt: neque tamen ad civitatis institutores pertinet fabulas fingere. Adi. Recte loqueris. sed hoc mihi declara, quales istæ circa theologiam figuræ? So. Tales quædam: qualis ipse Deus est, talis semper est describendus, sive carminibus describatur sive cantibus sive etiam tragœdia. Adi. Ita decet. So. Nonne bonus et ipse Deus est et ita dicendum? Adi. Procul dubio. So. Atqui nullum bonum noxium est. Adi. Nullum, ut arbitror. So. Quod innoxium est, nunquid nocet? Adi. Nequaquam. So. Quod non nocet, nunquid malum facit? Adi. Neque istud quidem. So. Quod autem nihil mali facit, nullius mali est causa? Adi. Nullius. So. Item, nonne conducibile bonum est? Adi. Prorsus. So. Ergo bene feliciterque agendi causa est. Adi. Est. So. Non igitur omnium causa bonum est, sed eorum, quæ bene se habent, causa; eorum vero, quæ male, nequaquam. Adi. Sic est omnino. So. Non igitur Deus, cum

bonus sit, omnium causa est, ut multi dicunt: sed paucorum quidem hominibus in causa est, multorum vero extra causam. multo enim pauciora nobis sunt bona quam mala. et bonorum quidem solus Deus causa est dicendus: malorum autem quamlibet aliam præter Deum causam quærere decet. Adi. Verissima loqui mihi videris. So. Neque Homeri igitur neque alterius poëtæ accipiendum est peccatum, stulte de Diis dicentis, in Jovis limine duo jacere dolia plena sortibus, bonis unum, malis alterum. cumque ex his Juppiter invicem commixtis impertit alicui, alias huic bene, alias male esse: cui vero ex altero datur, hunc vesana fames super terras exagitat. neque vero admittendum est, Jovem nobis penuarium esse bonorum atque malorum. confusionem vero juramentorum induciarumque, a Pandaro factam, si quis per Jovem et Minervam factam fuisse dixerit, nequaquam laudabimus: neque Deorum controversiam dissensionemque et judicium [380] per Themin atque Jovem. neque, quod dicit Æschylus, adolescentes audiant, Deum mortalibus causam præbere, quando vult funditus domum subvertere. Verum si quis iambica inducat, in quibus passiones Niobes referantur vel Pelopidarum vel Trojanorum aut aliquid hujusmodi, vel sinendum non est eum dicere hæc Dei esse opera: vel si Dei sunt, educenda est in his ea, quam nunc quærimus, ratio, dicendumque Deum quidem bona justaque egisse, atque eos puniendo juvisse. quod vero miseri sint, qui pœnas pendent, sitque Deus qui sic affligit, poëtam dicere non est permittendum. sed si diceret malos homines, utpote miseros, pœnis egere easque solventes a Deo juvari, permittendum. malorum autem alicui causam esse ipsum Deum, cum bonus sit, refellendum est omnino; neque permittendum hoc quenquam dicere in sua civitate, si bonis institui legibus civitas debet; neque insuper quenquam audire, sive sit ille junior sive senior, sive carminibus hæc inserantur sive soluta oratione narrentur; tanquam quæ neque dictus ancta sint neque nobis utilia neque inter se consona. Adi. Consuffragator tibi sum hac in lege ferenda. mihi nempe hæc placent. So. Hæc utique una sit lex atque figura ex his, quæ circa Deos ferendæ sunt, in qua cogatur unusquisque et dicere et inducere Deum non omnium causam, sed bonorum. Adi. Sufficit. So. Quid autem hæc secunda? num existimas præstigiatorem esse Deum, et tanquam ex insidiis alias alia sub specie apparere? et alias quidem in multas formas speciem suam mutantem aliumque effectum, alias autem nos decipientem, vanasque de se nobis imagines offerentem? vel simplicem potius minimeque omnium sua ex specie discedentem? Adi. Nescio, quid in præsentia de his dicam. So. Quid autem hoc? nonne necesse est, si quid a specie sua discedat, vel ipsum a se mutari vel ab alio? Adi. Necesse. So. Haudquaquam ab alio, quæ optime se habent, mutantur atque vertuntur, quemadmodum corpus a cibis et poculis et laboribus, et plantaria omnia ab æstu tempestatibusque ventorum et hujusmodi passionibus: ubi quod integerrimum est et robustissimum, [381] minime permutatur. Adi. Ita certe. So. Nonne animum quoque fortissimum et sapientissimum externa perturbatio minime permutaret? Adi. Sane. So. Quin etiam composita omnia vasa, ædificia, vestimenta eadem ratione, bene constructa ac bene se habentia, minime vel tempore vel passionibus aliis immutantur. Adi. Est, ut dicis. So. Quicquid igitur bene se habet vel natura vel arte vel utrisque, minimam permutationem ab alio suscipit. Adi. Videtur. So. At vero Deus ipse, et quæ Dei sunt, omni ex parte quam optime sese habent. Adi. Quidni? So. Hac igitur ratione minime formas plures Deus susciperet. Adi. Minime. So. Nunquid autem se ipse verteret mutaretque Deus? Adi. Manifestum hoc est, siquidem mutaretur. So. Utrum igitur in melius et pulchrius vel in pejus ac turpius? Adi. Necesse est, ut in pejus: si modo mutatur. non enim indigum pulchritudi-

nis et virtutis esse Deum dicimus. So. Recte nimium loqueris. verum cum hæc ita se habeant, credisne tu sua sponte aliquem, sive Deum sive hominem, deteriorem se facere? Adi. Impossibile certe istud. So. Impossibile igitur, Deum mutare se velle: sed, ut videtur, pulcherrimus optimusque cum sit Deorum quisque, quod fieri potest, omnes sua in forma sempiterna et simplici perseverant. Adi. Necessarium esse omnino hoc arbitror. So. Nullus igitur poëtarum nobis, o vir optime, dicat Deos hospitibus similes variis in formis urbes adire. neque aliquis de Proteo et Thetide similia mentiatur: neque in tragœdiis aut aliis poëmatis inducat Junonem in sacerdotis speciem permutatam Inachi Argivi fluminis filiis vita donatis munera colligentem: ceteraque talia nemo audeat fingere. neque matres vanis his fabulis pueros terreant, Deos quosdam nocte vagari peregrinis quibusdam, variis sub formis, persimiles: ne simul et in Deos male dicant et ipsos pueros timidiores reddant. Adi. Nullo modo. So. At vero nunquid Dii ipsi immutabiles sunt, sed quibusdam præstigiis nos decipientes varias in formas mutari videntur? Adi. Forsitan ita. So. Quid vero, mentirine Deus vult, [382] aut verbis aut re falsam objectans imaginem? Adi. Nescio istud. So. An nescis, quod ipsum revera mendacium, si modo dici id potest, omnes homines Diique oderunt? Adi. Qui istud ais? So. Sic inquam. nullus enim sponte vult ipso quodam sui præcipuo præstantissimoque, et circa res præcipuas præstantissimasque mentiri: sed summopere illud ibi mendacium timet. Adi. Neque nunc etiam intelligo. So. Putas me magnum aliquid dicere. ego autem dico, quod ipsa anima circa res ipsas mentiri et mentitum esse, et inscitia falli, atque in ea habere accepisseque mendacium, nullus unquam eligeret. mendacium quippe habere in animo summopere omnes oderunt. Adi. Summopere. So. Atqui recte, quod modo dicebam, hoc revera mendacium vocaretur, in animo mentientis inscitia: quoniam quod est in sermone mendacium, imitatio quædam est passionis ejus, quæ est in animo, et posterius procedens simulacrum, haud omnino purum mendacium. nonne ita? Adi. Ita prorsus. So. Ipsum itaque revera mendacium non solum Diis, sed hominibus etiam est odiosum. Adi. Mihi quidem videtur. Quid autem ipsum in verbis mendacium, quandonam et cui adeo utile est, ut non sit odio dignum? So. Nonne adversus hostes atque eos qui vocantur amici, quando ob furorem atque aliquam inscitiam malum aliquod facinus aggrediuntur? tunc porro avertendi gratia, tanquam medicina quædam, utile est: et in his, quas modo dicebamus, confabulationibus, eo quod non cognoscamus, in quo antiquarum rerum consistat veritas, assimilantes veritati mendacium. ita enim maxime id utile facimus. Adi. Sic est prorsus. So. Secundum ergo quid istorum mendacium est utile Deo? an, quia non cognoscat vetera, sub veritatis imagine mentiatur? Adi. Ridiculum istud quidem. So. Poëta igitur mendax in Deo non est. Adi. Non mihi videtur. So. Nunquid metu hostium mentietur? Adi. Longe abest. So. An propter familiarium dementiam atque insaniam? Adi. At nullus stultorum et insanorum Deo amicus est. So. Non igitur est, cur Deus mentiatur. Adi. Non. So. Ergo omnino sine mendacio est Deorum Dæmonumque natura. Adi. Omnino. So. Quare et simplex omnino Deus et verax dictis ac factis: neque mutatur ipse, neque alios decipit, neque per visiones neque per sermones neque per signa, neque nobis dormientibus neque vigilantibus. Adi. Ita quoque mihi de hoc te dicente videtur. So. Concedis ergo hanc secundam esse figuram, in qua oportet de Diis ita dicere et audire, tanquam qui neque præstigiatores sint, neque se mutent, neque mendaciis nos aut dictis aut factis seducant? Adi. Concedo. So. Multa igitur ab Homero dicta laudantes, somnium ab Jove Agamemnoni missum nequaquam laudabimus:

neque Æschylum, cum Thetis inquit Apollinem filium ejus interemisse, qui tamen in ejus nuptiis discumbens cecinisset *bonam Thetidis stirpem fore longævam morbisque intactam: Cecinit quippe multa Apollo,* inquit, *fortunasque meas Deo amicas fore prædixit, et lætitia me laudationibus suis affecit. atque ego os Phœbi sperabam divinum, veridicum fatidicumque esse. ipse vero idem, qui laudabat, in mensa et ipse discumbens, ipse hæc fatus, ipse idem mihi filium interfecit.* Talia quædam quotiens de Diis dicentur, protinus reclamabimus exsibilabimusque: neque permittemus, ut ludorum magistri ad juventutis disciplinam istis utantur, si custodes apud nos pii atque divini, quoad homini possibile est, futuri sunt. Adi. Accipio equidem has figuras, proque legibus ubique utar.

LIBER III.

[386] Hæc igitur sunt, ut mihi videtur, quæ de Diis audienda aut non audienda sint prima a pueritia his, qui Deos et parentes honoraturi sunt communemque amicitiam non parvi facturi. Adi. Existimo nobis sic recte videri. So. Quid autem his, qui fortes futuri sunt: nonne ea dicenda, quæ ipsos mortis minime formidolosos reddant? an putas aliquem fortem esse unquam, qui hanc timeat? Adi. Minime per Jovem. So. Sed et qui ea, quæ de inferis dicuntur, credat et terribilia esse existimet, putasne eum intrepidum ad mortem futurum, in ipsaque pugna mortem servituti et captivitati præpositurum? Adi. Nequaquam. So. Oportet itaque nos, ut videtur, et præcepta dare his, qui de his rebus fabulantur, precarique, ne ita simpliciter, quæ apud inferos sunt, vituperent, sed magis laudent: tanquam neque vera dicant neque utilia his, qui pugnaces futuri sunt. Adi. Oportet sane. So. Delebimus igitur ejusmodi omnia, ab hoc versu sumentes exordium: *Mallem equidem in re rustica conservo inopi servire, quam defunctis omnibus imperare.* et illud, *Domus profecto mortalibus immortalibusque horribilis, vasta fetensque videatur, quam etiam Dii odio habent.* et illud, *O miseri, nunquidnam apud inferos anima atque imago? at vero mens adest nulla.* et illud, *Soli sapiunt: ceteri umbræ volitant.* item, *Anima soluta membris ad inferos volat, suam deplorans calamitatem, cum et fortem et teneram ætatem reliquerit.* [387] item, *Anima sub terras, veluti fumus, ejulans abiit.* item, *Quemadmodum noctuæ vasto sub antro ululantes volant, postquam aliquæ de ordine ceciderunt ex petra, in qua cohærebant: sic illæ simul stridentes ibant.* Hæc utique et cetera talia, bona Homeri et reliquorum poëtarum venia, abjiciamus: non quia poëtica non sint et apud multos auditu jucunda; sed quoniam, quanto magis poëtica sunt, tanto minus audienda pueris atque viris, quos liberos fore oportet, servitutem magis quam mortem timentes. Adi. Sic est omnino. So. Nonne insuper nomina, quæ his imposita sunt, horrenda terribiliaque abjicienda sunt? Cocytos inquam et Stygas et inferos nihil gustantes, aliaque ejusdem generis nomina, terrent vehementer quippe omnes, quicunque audiunt. ac forte ad aliud quippiam conferunt: nos autem custodibus nostris ab hujusmodi nominibus valde metuimus, ne ex hoc pavore molliores, quam decet, reddantur. Adi. Et merito formidamus. So. Auferenda sunt igitur. Adi. Auferenda. So. Figura vero his contraria dicenda et inducenda est. Adi. Videlicet. So. Ergo lamentationes commiserationesque magnorum virorum auferimus. Adi. Necesse est, siquidem

superiora sublata sint. So. Contemplare igitur, rectene an contra id faciamus. Dicimusne moderatum virum moderato viro amico suo orbatum non malum quidem illi mortem existimaturum? Adi. Dicimus quidem. So. Non igitur in morte illius, tanquam gravia passus, lamentabitur. Adi. Non. So. Enimvero et hoc asserimus, hominem hujusmodi se ipso ad bene vivendum contentum esse, minimeque omnium alio indigere. Adi. Vera narras. So. Minime igitur moleste feret, liberis aut fratribus aut divitiis reliquisque hujusmodi privari. Adi. Minime certe. So. Itaque neque lamentabitur, sed moderatissime feret, cum in aliquam hujusmodi sortem inciderit. Adi. Certe. So. Merito igitur clarorum virorum ploratus e medio tolleremus; relinqueremus autem mulieribus, neque his quidem inter mulieres aliquid egregium sapientibus, ac viris insuper duntaxat muliebribus et ignavis; [388] ut dedigneutur apud nos illi, quos ad regionis custodiam educamus, similia istis facere. Adi. Probe. So. Rursus Homerum et ceteros poëtas orabimus, ne Achillem Deæ filium nunc in latus cubantem faciat, nunc supinum, nonnunquam etiam in faciem: aut exsurgentem errare tristitia affectum in littore maris: aut utraque manu ardentem pulverem capientem in caput fundere: neque alia ejulantem et lamentantem, quot et qualia ipse fecit. neque Priamum, qui juxta Deos fuit, supplicantem et se luto provolventem, singulosque nominatim clamantem. multoque magis Homerum eundem orabimus, ne Deos in hunc modum plangentes inducat: *Hei mihi miseræ, hei mihi, quam infeliciter optimum filium peperi!* quod si quos Deos, saltem non Deorum maximum usque adeo dissimili figura imitari audeat, ut eum ita inducat dicentem, *Heu, quam carum mihi virum circa urbem meis oculis profligatum cerno? unde mihi cor mœret.* atque item, *O me miserum, quandoquidem dilectissimum mihi omnium Sarpedonem fatum cogit a Patroclo Menœtiade domari.* Si enim, o amice Adimante, studiose juvenes hæc audirent, neque ridicula putarent, tanquam præter dignitatem dicta; nunquam, cum se homines esse scirent, aut illa se indigna existimarent aut se continerent, cum quid illis ejuscemodi vel dicendum vel faciendum in mentem veniret: quin immo sine ullo vel pudore vel tolerantia, in minimis etiam quibusque jacturis in maximos ploratus ejulatusque erumperent. Adi. Vera nimium loqueris. So. Neque vero id decet, ut ratio nobis paulo ante dictabat: cui, nisi quid melius interim nacti fuerimus, credendum est. Adi. Non decet profecto. So. Sed neque in risum nimium profusos nos esse oportet. nam effusum risum vehemens mutatio sequitur. Adi. Ita mihi quoque videtur. So. Non igitur admittendum est, quando quis summæ auctoritatis viros in risum resolutos inducit: et multo minus, [389] quando Deos. Adi. Multo certe minus. So. Ergo neque Homerum audiemus, cum dicit: *Inextinguibilis risus Diis concitus est, dum Vulcanum per domum properantem viderent, utpote qui claudus esset.* haud enim admittendum est hoc secundum tuum sermonem. Adi. Si meum vis sermonem hunc ponere, nequaquam admittere decet. So. Quin etiam pluris facienda veritas est. si enim recte paulo ante dicebamus, Diis inutile est mendacium, hominibus autem pro medicamento est utile. quare publicis medicis concedendum, privatis autem hominibus minime attingendum. Adi. Patet. So. Igitur rem publicam administrantibus præcipue, si quibus aliis, mentiri licet, vel hostium vel civium causa, ad communem civitatis utilitatem: reliquis autem a mendacio abstinendum est. Sed adversus hujusmodi principes privatum mentiri majus peccatum est, quam ægrotum mentiri erga medicum, vel se exercentem erga ludimagistrum circa sui corporis vitia, vel erga navis gubernatorem de nave et nautis minime vera dicere, quemadmodum vel sua cuique vel sociorum sese res habeat. Adi. Vera narras. So. Si quidem ergo deprehenderis alium

in civitate mentientem ex eorum genere, qui artifices sunt, vatem videlicet vel morborum medicum vel lignarium fabrum, eum punito tanquam rem quandam inferentem, ex qua civitatis ipsius, veluti navis, submersio et pernicies sequitur. Adi. Sic plane agendum, si quidem sermone opera peraguntur. So. Quid præterea? nonne temperantia nostris adolescentibus opus erit? Adi. Absque dubio. So. Temperantiæ autem nonne hæc talia quoad subditos maxima sunt, ut videlicet obtemperent magistratibus: quoad ipsos autem principes. ut ad venereorum epularumque et poculorum usum continentes sint? Adi. Mihi sane videtur. So. Hæc itaque talia bene dicta asseverabimus, qualia apud Homerum Diomedes ait: *Eia, age, silentio conside, ac meis verbis obtempera.* et alia his similia: *Ibant robur efflantes Achivi silentio, duces timentes.* et alia, quæcunque in hanc sententiam dicuntur. Adi. Probe. So. Quid autem hæc? *Vinolente, canis oculos habens, cor autem cervi* [390] et cetera, quæ sequuntur. nunquid recte? et alia hujuscemodi ipsorum privatorum in superiores superbe dicta, sive quis soluta in oratione sive poëmate inserat, an recte dicuntur? Adi. Nequaquam. So. Non enim existimo ad juvenum temperantiam hæc, ut audiantur, conferre. nihil autem mirum, si quo modo delectent. vel quomodo tibi videtur? Adi. Ita. So. Quid autem? videturne tibi idoneum esse hoc juveni ad continentiam consequendam, si quando audierit virum sapientissimum apud poëtam ita loquentem, *Pulcherrimum omnium esse mihi videtur, cum plenæ adsunt mensæ dapibus carnibusque, vinum autem e cratere hauriens pincerna poculis infundit atque circumfert?* vel illud, *Miserrimum esse fame perire et sortem subire adversam?* sive cum dicitur Jovem ceteris tum Diis tum hominibus dormientibus, omnium, quæ vigilando tractaverat, coitus cupiditate oblitum, usque adeo libidine perculsum esse, ut quoad cubile ipsum ascenderet, non sustinuerit, sed ibidem humi congredi statim voluerit, dicens vehementiori se cupidine inflammari quam olim, cum primum caros latentes genitores invicem congressi fuerunt? sive cum narratur, quemadmodum Vulcanus Martem ac Venerem coeuntes rete comprehendit? Adi. Non per Jovem mihi videtur idoneum. So. Verum sicubi modeste et constanter virorum excellentium facta vel dicta narrantur, animadvertenda et audienda hæc sunt. veluti cum dicitur, *Pectus percutiens increpuit, dicens, perpetere, o cor: nam longe alias graviora tulisti.* Adi. Omnino sic est agendum. So. Neque etiam muneribus corrumpi ipsos cives permittendum est, neque avaros esse. Adi. Nullo pacto. So. Non ipsis igitur canendum, *Munera, crede mihi, placant hominesque deosque:* neque laudandus Phœnix Achillis præceptor, quasi probe locutus fuerit, dum consuleret ipsi munera accipienti Achivis auxilium ferre, non accipienti vero ab ira nequaquam recedere. neque rursus Achillem ipsum dignum existimabimus, consentiemusque adeo pecuniæ cupidum esse debere, ut ab Agamemnone recipiat munera, atque ut Hectoris cadaver [391] sine pretio reddere nolit. Adi. Certe talia laudare non decet. So. Vereor equidem dicere: quoniam fas non est Homerum hæc prædicasse de Achille, aliisve dicentibus credere. et eundem rursus adversus Apollinem dixisse, *Perdidisti me, Apollo, Deorum perniciosissime omnium: quem certe ulciscerer, si mihi potestas adesset.* atque ut ad fluvium Deum pervicaciter se habuerit, etiam pugnare paratus. quodve inquit comas Sperchio flumini consecratas, daturum se comas ferre Patroclo heroi mortuo, dicaturque id egisse, nequaquam credendum. tractus autem Hectoris circa Patrocli sepulcrum, et jugulationes captivorum supra rogum, cunctaque hujusmodi neque vera esse affirmabimus neque sinemus nostris persuaderi, quod Achilles Deæ filius et Pelei temperatissimi viri et ab Jove tertii, a Chirone sapientissimo educatus, tanta perturbatione agitatus sit, ut duobus contrariis morbis animi laboraverit, illi-

beralitate cum avaritia, atque item Deorum hominumque contemptu. Adi. Recte admodum loqueris. So. Rursus neque hæc credamus, neque dici sinamus Theseum Neptuni filium et Perithoum filium Jovis in rapinas adeo maximas irruisse, neque alterius Dei filium sive heroëm ausum esse unquam gravia impiaque patrare, qualia de ipsis quotidie mentiuntur. verum poëtas ipsos cogamus vel negare horum hæc esse opera, vel non affirmare filios Deorum esse: ambo vero hæc una nequaquam asserere, neque operam dare ut nostris juvenibus persuadeant, quod ex Diis mala aliqua oriantur, quodve heroës hominibus nihilo meliores sint: quoniam, ut jam dictum est, neque sancta hæc sunt neque vera. ostendimus enim ex Diis mala aliqua provenire non posse. Adi. Ostendimus plane. So. Quin etiam audientibus hæc nocent. omnes quippe pravitati suæ ignoscent, persuasi talia quædem facere fecisseque et illos, qui proxime ex Deorum genere nati sunt, de quibus illud dicitur, diis proxime nati, Jovi propinqui, quorum circa Idæum verticem *Jovis patrii ara exstat in æthere, neque dum ipsis evanuit sanguis Deorum.* quamobrem fabulæ hujusmodi recipiendæ non sunt, [392] ne facilem occasionem ad nequitiam nostris adolescentibus præbeant. Adi. Sic prorsus agendum. So. Quæ deinceps reliqua nobis species est sermonum, disserentibus, quales cuique narrandi vel non narrandi sint? de Diis enim quemadmodum loqui decet, est dictum: itemque de ipsis dæmonibus et heroibus et his, quæ sunt apud inferos. Adi. Satis abunde. So. An esset fortasse reliquum, ut de hominibus diceremus? Adi. Certe. So. Impossibile istud in præsentia, o amice, disponere. Adi. Cur nam? So. Quoniam existimo nos dicturos poëtas oratoresque de hominibus circa ea quæ maximi momenti sunt, male dicere, cum scribunt injustos quidem multos felices esse, justos autem infelices: conducereque injuste agere, si lateat: ipsamque justitiam alienum bonum esse, propriam vero jacturam: et cetera hujusmodi damnaturos esse, jussurosque ne dicant, contraria vero horum et canant et fabulis inserant. an non putas? Adi. Certe novi. So. Nonne igitur, si confiteamis recte me dicere, dicam te concessisse, quæ jamdiu quærimus? Adi. Recte nimium accepisti. So. Nonne et de hominibus, quod tales oporteat sermones ferre, tunc una concedemus, cum, qualis justitia sit, invenerimus, et quod natura ipsa prosit habenti, seu videatur esse justus sive non videatur? Adi. Vera loqueris. So. De his ergo, quæ dicenda sunt quæve non, satis est disputatum: deinceps de dicendi ratione, ut arbitror, est disserendum: atque ita nobis, et quæ et quomodo dicenda sint, compertum erit. Adi. Quid dicas, non satis intelligo. So. Oportet tamen id te intelligere: atque ita fortasse clarius hoc intelliges. an non quæcunque a poëtis vel fictoribus fabularum dicuntur, narrationem esse dicimus vel præteritorum vel præsentium vel futurorum? Adi. Quid enim aliud? So. Num ergo vel simplici narratione vel per imitationem facta vel etiam utroque narrant? Adi. Clarius hoc quoque exponi requiro. So. Ridiculus equidem præceptor, et inprimis obscurus videor. quemadmodum igitur qui dicendo parum valent efficere solent, ita ego nunc non universum ipsum, sed partem aliquam sumens, in ea tibi, quod volo, conabor ostendere. et primum mihi dicito, nostin' Iliados principia, in quibus ait poëta Chrysem Agamemnoni supplicasse, ut sibi filiam restitueret, Agamemnonem vero turbato animo denegasse: quod postquam non impetravit, [393] imprecatum ait ipsum contra Achivos Deum? Adi. Equidem. So. Et illud credo nosti, quod usque ad hos versus, *Precatus est omnes Achivos duosque inprimis Atrei filios gentium duces,* ipse poëta loquitur, neque tentat alio mentem nostram convertere, tanquam alius quam ipse loquatur. deinceps vero ita loquitur, ac si Chrysis ipse sit, conaturque non Homerum se nobis, sed sacerdotem illum senem ostendere. in ceterisque ita

semper exponit, tum rebus gestis apud Ilium, tum apud Ithacam, in Odyssea cantatis. Adi. Sic est omnino. So. Nonne igitur narratio est, et quando orationes continuas affert, et quando ea, quæ inter ipsas intercedunt? Adi. Quidni? So. Verum cum orationem profert, tanquam alius quidam sit, nonne tunc dicemus orationem suam illi quam simillimam reddere, quem loquentem introduxerat? Adi. Quidni dicamus? So. An non alteri se similem reddere vel figura vel voce, est eum imitari, cui facit se similem? Adi. Procul dubio. So. In hoc igitur, ut videtur, et ipse et reliqui poëtæ per imitationem narrant. Adi. Assentior. So. Ubi autem se non celat poëta, universa illa poësis et narratio sine imitatione est. Ne autem dicas te neque hoc quidem intelligere, quomodo fiat, ego dicam. si enim Homerus, cum dixisset Chrysem venisse filiam redempturum et supplicasse Achivis præcipueque regibus, deinceps non tanquam Chrysis sed Homerus esset locutus, nosti profecto imitationem illam non fuisse futuram, sed simplicem narrationem. sic vero se res habuisset. dicam enim sine versu, cum non sim poëticus. Profectus sacerdos precabatur illis Deos dare, ut incolumes ipsi Trojam caperent, sibique acceptis donis filiam restituerent, Deum Apollinem venerantes. hæc cum dixisset, reliqui sacerdotis dicta probarunt, Agamemnon vero nimium perturbatus ipsum protinus abire jussit, ita ut ne rursus rediret; neque enim ipsi Dei coronam aut sceptrum profutura: asseruitque, priusquam ipsi filiam redderet, fore ut illa secum in Argo consenesceret: quamobrem abiret, ipsumque, ut salvus abire posset, [394] non irritaret. quæ cum audisset senex, extimuit tacitusque discessit. castra autem egressus, supplex Apollinem, multa ejus agnomina commemorans, oravit, si quid unquam aut in ædificandis templis aut hostiis litandis illi gratum effecisset, ut puniret Achivos suasque lacrimas sagittis ulcisceretur. Hunc in modum, o amice, simplex narratio sine imitatione procedit. Adi. Intelligo jam. So. Et illud præterea scito, contrariam huic esse, cum remotis poëtæ verbis, quæ inter orationes intercedere solent, orationes ipsæ vicissim continuatæ relinquuntur. Adi. Id quoque intelligo. est enim hujusmodi tragœdia atque comœdia. So. Recte admodum accepisti: existimoque tibi jam nunc aperire, quod in superioribus percipere non valebas, poësim videlicet fabularumque figmenta aut esse omnino per imitationem, quemadmodum ipse dicebas, in tragœdia atque comœdia: aut per enuntiationem poëtæ proferri, quod maxime in dithyrambis inspicitur: aut per utraque confici, ut in heroicis aliisque multis apparet, si modo intelligis. Adi. Intelligo jam, quod tunc inferre volebas. So. Atqui etiam ante hoc memento, quod dicebamus, quæ dicenda essent, jam expositum esse: quo autem modo dicendum esset, deinceps exponere oportere. Adi. Memini equidem. So. Hoc igitur erat, quod oportere dicebam inter nos convenire, utrum sinamus poëtas imitatione perpetua uti, an partim imitari partim minime: et qualia utraque sint: an nihil penitus imitari. Adi. Auguror equidem consideraturum te, utrum recipienda sit comœdia et tragœdia in civitate, necne. So. Fortasse autem et his plura. nondum enim novi: sed qua ratio ut ventus feret, eo eundum est. Adi. Præclare loqueris. So. Hoc igitur, o Adimante, considera, utrum imitatores nos habere custodes oporteat, necne. vel hoc ex superioribus pendet, quod singuli singula recte conficere possunt, plura vero minime: quod si quis plura tractare aggrediatur, in singulis ita deficiet, ut in nullo evadat egregius. Adi. Sic prorsus accideret. So. Nonne et de imitatione eadem ratio, quod plura aliquis æque ac unum bene imitari non potest? Adi. Non certe. So. Nunquam igitur studio [395] alicui æstimatione digno quis simul incumbet, et imitabitur multa eritve imitator idoneus: quando neque duas quidem imitationes, quæ parum differre inter se videntur, iidem homines bene simul tractare possunt; ut comœdiam

simul et tragœdiam. an non imitationes quasdam nuper istas esse dicebas? Adi. Equidem. ac vera dicis, quod iidem nequeant. So. Neque etiam rhapsodi (id est, cantores heroicorum) simul esse et histriones possunt. Adi. Vera. So. Sed neque tragœdis aut comœdis tragici aut comici iidem. hæc autem omnia imitationes quædam sunt: an non? Adi. Imitationes. So. Quin etiam in minora his videtur, o Adimante, natura hominis esse concisa, ut nullo modo possit bene plura imitari, vel etiam ea facere, quorum imitationes ipsæ similitudines quædam sunt. Adi. Est, ut dicis. So. Si ergo rationem superiorem ratam haberi volumus, custodes nostros a reliquis omnibus artificiis alienos patriæ libertatis artifices esse oportere, valde quidem solertes; neque aliud quicquam curare, quod huc non tendat: nihil aliud agere eos vel imitari oportet, vel si imitentur, imitari quæ istis consentanea sint statim a pueritia, fortes scilicet, temperatos, sanctos, liberales et reliqua ejusmodi: illiberalia autem neque facere neque imitari posse, neque aliud quicquam turpe; ne ex ipsa imitatione tales efficiantur, quale id, quod æmulantur. an non animadvertisti imitationes, si a teneris annis incipiant perseverentque, in mores et naturam abire, tum quantum spectat ad corpus, tum ad vocem, tum ad cogitationem ipsam? Adi. Et maxime quidem. So. Non permittimus igitur ullo modo eos, quorum habere curam dicimus, quosve præstantes viros fore desideramus, cum viri sint, mulierem imitari vel juvenem vel vetulam, vel viro conviciantem, vel adversus deos contendentem et jactantem, cum se putet felicem esse; vel ærumnis circumventam flentem atque ejulantem, laborantem, amore accensam, dolore partus oppressam. Adi. Nullo modo. So. Neque servas et servos, ea quæ servorum sunt facientes. Adi. Neque hoc quidem. So. Neque viros item pravos, ut videtur, timidos, et contraria eorum, quæ diximus, facientes, conviciantes, jurgantes turpiaque invicem obloquentes, sive ebrios sive vigiles sobriosque: et alia [396] quotcunque homines isti et in verbis et in operibus tum in se ipsos tum in alios peccant. neque etiam debent, ut arbitror, similes se per imitationem, vel verbis vel actionibus, insanientibus reddere. cognoscendi enim insani et mali sunt, tam viri quam mulieres: nihil tamen ex eorum dictis et factis vel agendum est vel imitandum. Adi. Verissima loqueris. So. Quid autem? artificesne ex ære aliquid fabricantes, vel aliud quippiam molientes, vel remiges navium, vel præcipientes istis, vel aliud aliquid circa hæc imitari eos decet? Adi. Quonam pacto? cum neque rebus ullis hujusmodi mentem adhibere his liceat. So. Nunquid equos hinnientes vel mugientes tauros, aut fragorem immurmurationemque fluviorum, aut maris fremitum vel tonitrus vel cetera ejusdem generis imitabuntur? Adi. Atqui prohibitum illis est et insanire et insanientibus se similes reddere. So. Si igitur quæ dicis intelligo, est quædam orationis et narrationis species, in qua vir optimus, cum quid dicturus est, enarrat: et alia quædam huic dissimilis, qua utitur, qui contra ac ille natus atque nutritus est. Adi. Quales vero hæ sunt? So. Videtur mihi vir moderatus, quando in narratione devenerit ad aliquam viri boni vel orationem vel actionem, perinde ac si ipse ille esset, pronuntiaturus et sine ullo rubore aut dedecore imitationem hujusmodi suscepturus: maxime quidem et ut plurimum, imitans virum bonum prudenter et sine errore agentem, rarius autem ac minus, morbis vel amore labantem, aut ebrietate, aut casu quovis alio. quando autem ad aliquem indignum se venerit, nolet, ut arbitror, dedita opera similem se deteriori præbere, nisi breviter quidem, et cum boni quicquam peragit: sed erubescet, cum rudis sit ad hos imitandos et ægre ferat deteriorum figuras induere, spernens imagines hujuscemodi; nisi forte joci oblectamentique causa id fecerit. Adi. Non injuria. So. Nonne igitur narratione utetur tali, qualem paulo ante in versibus Homeri dicebam? erit-

que oratio sua particeps utriusque, imitationis videlicet et narrationis alterius? exigua vero pars imitationis longa in oratione erit? Dicone aliquid, an nihil? Adi. Dicis certe, qualem necesse est esse rhetoris istius figuram. So. Nonne igitur [397] qui talis non erit, quo erit ineptior et indoctior, eo plura narrabit, et omnia imitabitur, nihilque se indignum esse existimabit? quare omnia imitari aggredietur, et in conspectu quidem multorum: ea præsertim, quæ paulo ante commemorabamus, tonitrus, murmura ventorum, et grandinis, axis, rotarum, tubarum, tibiarum, fistularum, et omnium denique organorum sonitus: præterea canum, pecudum et avium voces. eritque hujus oratio universa pæne per imitationem voce ac gestu, vel paulum quid narrationis habebit. Adi. Necessarium quoque istud. So. Atque hæ sunt orationis species duæ, quas supra dicebam. Adi. Sunt pláne. So. Nonne ipsarum una quidem parum quid mutationis habet? et si quis decentem consonantiam et rhythmum orationi tribuat, ferme ad eandem orationis formam semper dicendum est recte loquenti, atque in una insuper consonantia? exiguæ namque mutationes; eodemque modo in rhythmo ferme consimili. Adi. Omnino sic se res habet. So. Quid autem alterius species? nonne contrariis indiget, omnibus videlicet consonantiis omnibusque rhythmis, si proprie dicenda est, cum multas et varias habeat mutationum formas? Adi. Sic est omnino. So. Nonne et poëtæ et alii omnes, qui aliquid dicunt, vel harum una dicendi figura utuntur vel altera vel utrisque commixtis? Adi. Necesse est. So. Quid igitur faciemus? utrum has omnes in civitate suscipiemus, vel alteram simplicium, vel permixtam? Adi. Si in mea optione constiterit, simplicem decori imitatricem. So. Atqui, o Adimante, mixta quoque jucunda est: multo autem jucundior pueris et pædagogis contraria illius, quam tu eligis, et plurimæ turbæ. Adi. Jucundissima prorsus. So. At forte, ut arbitror, rei publicæ nostræ convenire eam non existimabis, quoniam non sit duplex vir neque multiplex apud nos, quandoquidem singuli singula faciunt. Adi. Non convenit certe. So. Nonne igitur sola in civitate hujusmodi coriarium inveniemus dumtaxat coriarium esse, non gubernatorem præterea? et agricultorem dumtaxat agricultorem, non insuper judicem? militem quoque militem, non etiam nummularium? ceterosque eodem modo? Adi. Vera hæc sunt. So. Si quis ergo in nostram urbem venerit, qui præ sapientia [398] in omnes possit sese vertere formas et omnia imitari, volueritque ejus poëmata ostentare, venerabimur quidem ipsum ut sacrum, admirabilem et jucundum: dicemus autem non esse ejusmodi hominem in re publica nostra, neque fas esse ut in sit: mittemusque in aliam urbem unguento caput ejus perungentes lanaque coronantes. nos autem austeriori minusque jucundo utemur poëta fabularumque fictore, utilitatis gratia, qui decori nobis orationem exprimat, et quæ dicuntur dicat in his formulis, quas a principio pro legibus tulimus, quando milites erudire aggressi sumus. Adi. Ita prorsus, si esset in nobis, efficeremus. So. Videmur jam, o amice, satis de ea musicæ parte dixisse, quæ circa orationes fabulasque versatur. nam et quæ dicenda sunt et quomodo, exposuimus. Adi. Mihi quoque idem videtur. So. Restat de cantus et melodiæ ratione disserere. Adi. Certe. So. An non omnis jam inveniret, quæ nobis de his dicenda sunt, qualia esse oporteat, si quidem ante dictis concinere debeamus? Tum Glauco arridens, Ego, inquit, extra omnes esse videor. non enim satis in præsentia possum conjicere, qualia dicenda sint. So. Opinamur tamen omnino hoc primum nos posse dicere, melodiam ex tribus constare, oratione, harmonia, rhythmo. Glau. Hoc equidem possum. So. Nonne melodiæ pars oratio nihilo differt ab oratione illa, quæ sine cantu est, quoad hoc, ut oporteat in

eisdem formulis exprimi, de quibus paulo ante dicebamus, et eodem modo? Glau. Vera loqueris. So. Atqui harmonia et rhythmus orationem sequi debent. Glau. Quidni? So. Quin etiam lamentatione luctuque dicebamus in orationibus nos minime indigere. Glau. Non certe. So. Quænam igitur, querulæ harmoniæ sunt? dic mihi. tu enim musicus es. Glau. Lydiæ mixtæ Lydiæque acutæ, ceteræque hujusmodi. So. Nonne removendæ hæ sunt? inutiles enim etiam mulieribus, quas oportet decentes esse: nedum viris. Glau. Valde quidem. So. Præterea vinolentia, mollities et pigritia custodes minime decent. Glau. Minime. So. Quænam igitur molles et temulentæ harmoniæ? Glau. Ionicæ et Lydiæ, quotcunque chalaræ, id est relaxæ remissæque et resolutæ vocantur. [399] So. His igitur, o amice, num quoquo modo uteris ad militum utilitatem? Glau. Nullo modo. sed videtur jam tibi reliqua esse Dorica et Phrygia harmonia. So. Haud equidem harmonias novi. sed suscipe harmoniam illam, quæ, ut decet, imitatur fortiter euntis in prœlium et ad quodlibet negotium violentum viriliter se gerentis voces atque accentus, et periclitantis, sive in vulnera sive in mortem irruentis, sive in aliam gravem sortem incidentis, in omnibus istis fortunam constanter atque viriliter propulsantis. aliamque iterum suscipere harmoniam, quæ voces imitatur atque accentus hominis in tranquilla et minime violenta actione versantis, vel aliquid alicui persuadentis, vel supplicantis, vel votis Deo vel doctrina et admonitione homini: vel econtra hominis alii supplicanti aut docenti aut dissuadenti facilem se præbentis, et qui, licet voti compos sit factus, non tamen superbia efferatur, sed in his omnibus temperate et modeste se gerat, sortemque utranque recte ferat, hasque duas sequatur harmonias, violentam, voluntariam; fortunatorum, infortunatorum; temperantium ac fortium: et omnino quæcunque ipsorum accentus pulcherrime imitantur, has omnes suscipe harmonias. Glau. At vero non alias eligi jubes, quam eas quas ego supra dicebam. So. Non igitur opus erit nobis in cantibus et melodiis harmonia, quæ multis constat chordis omnibusque concentibus? Glau. Non, ut mihi videtur. So. Ergo trigonum et pectidarum et quorumcunque instrumentorum, quæ multis constant chordis et plurimis consonantiis, fabros non nutriemus. Glau. Non, ut videmur. So. Quid autem? tibiarum fabros et tibicines in civitate suscipies? an non instrumenta multarum chordarum harmoniarumque omnium tibiam imitantur? Glau. Patet. So. Lyra itaque restat et cithara in civitate utilis, et fistula in agris pastoribus commoda. Glau. Ita ratio nobis ostendit. So. Nihil alienum inducimus, o amice, dum Apollinem ipsum et Apollinis instrumenta Marsyæ ipsi et organis, quæ Marsyæ sunt, præponimus. Glau. Non per Jovem, ut mihi videtur. So. Per canem ipsum, sensim et clanculum purgare cœpimus civitatem, quam supra nimiis deliciis deditam dicebamus. Glau. Ipsi nos videlicet temperate agentes. So. Age, purgemus et reliqua. sequitur ad ea, quæ de harmoniis dicta sunt, ut rhythmos ita prosequamur, ne per varios admodum circumvagemur, neve per quaslibet bases; sed qui vitæ fortis et temperatæ rhythmi sint, dignoscamus. quibus cognitis, [400] pedem cantumque cogamus orationem hujusmodi viri sequi, non orationem sequi pedem et cantum. qui vero sint rhythmi tales, tua interest declarare, quemadmodum harmonias exposuisti. Glau. Per Jovem, quid dicam non habeo. quod enim tres quædam species sunt, ex quibus bases texuntur atque flectuntur, quemadmodum in vocibus quatuor, unde omnes harmoniæ conficiuntur, animadverterim, dicere possem: quales autem qualis vitæ imitationes sint, aperire nequeo. So. At de his quidem cum Damone deliberabimus, quænam pedum progressiones propriæ sint illiberalitatis, petulantiæ, insaniæ ac reliquæ pravitatis: quive rhythmi contrariis congruant. arbitror autem audisse,

quamvis non satis aperte, cum ipse basem quandam pedum bellicosam nominaret compositam dactylum atque etiam heroicum : quem nescio quo modo digerebat, supraque infraque æqualem, in brevem longumque effectum : utque existimo, jambum, et alium quendam trochæum appellabat. longitudines autem et brevitates adhibuit. et in aliquibus istorum arbitror eum vituperare vel laudare ductiones pedis, non minus quam rhythmos ipsos, vel aliquid ex utrisque commixtum. neque enim declarare satis hæc possum. verum hæc, ut dicebam, in Damonem ipsum rejecta dilataque sint. prolixa quippe oratione ad hæc distinguenda opus esset. nunquid putas? Glau. Prolixa per Jovem. So. Hoc autem ita discernere potes, quod concinnitas atque ineptitudo congruitatem et incongruitatem rhythmi sequuntur. Glau. Quidni? So. Atqui congruum quidem pulchram orationem sequitur, et tanquam simile imitatur : incongruum vero contrariam. quin etiam consonum ipsum et dissonum eodem modo : quandoquidem rhythmus et harmonia, ut paulo ante dictum fuit, orationem sequuntur, non ipsa oratio rhythmum et harmoniam sequitur. Glau. Certe orationem sequi hæc debent. So. Quid vero loquendi modus ipsaque oratio? nonne animi affectionem sequitur? Glau. Absque dubio. So. Orationem vero cetera quoque sequuntur? Glau. Nempe. So. Sermonis itaque decor, consonantia, venustas et rhythmi congruentia affectionem animi moderatam sequuntur, quam euethiam appellant. non eam dico, quam sæpe, cum inscitia quædam sit, blanda quadam derisione bonitatem nominamus, sub nomine boni moris fatuitatem quandam significantes : immo vero eam euethiam inquam, quæ revera cogitationem significat more optimo præditam. Glau. Sic est omnino. So. Nonne igitur ubique hæc juvenes sequi debent, si rem suam agere volunt? Glau. Debent equidem. So. Est autem ars pingendi universa horum plena, et omne [401] hujusmodi artificium : plena quoque texendi facultas, et variorum ingeniositas operum studiumque ædificandi, omnis præterea ceterorum supellectilium instrumentorumque effectio : quin et corporum plantarumque natura. porro in omnibus istis aut condecentia quædam inest aut indecentia. et indecentia quidem et rhythmi inconcinnitas atque dissonantia sermonis turpis et improbi moris sorores sunt : contraria vero contrarii, temperati et optimi, germana et imitationes quædam sunt. Glau. Est, ut dicis. So. Nunquid poëtis solis insistendum, cogendumque ut imaginem boni moris in suis poëmatis exprimant, vel apud nos non scribant? an præterea curandum, ne artifices alii mali moris simulacrum aliquod, non bene castigatum opus, illiberale, deforme et indecens, sive in figuris animalium, sive in ædificiis, sive in quovis alio artificio faciant? vel si quis hoc præstare non potest, ne quid apud nos agat prohibendus est : ne in pravitatis imaginibus nobis enutriti custodes, tanquam in noxio gramine, et multa quotidie paulatim a multis decerpentes pascentesque, unum aliquod maximum malum ignari in animo contrahant? Quamobrem illi inquirendi sunt artifices, qui naturali quadam industria possint tanquam per vestigia exprimere pulchri ipsius decorique naturam, ut tanquam in loco salubri habitantes juniores undique adjuventur : quandoquidem a pulchris honestisque operibus sive ad oculos sive ad aures eorum honesti aliquid pervenit, veluti suavis aura quædam a locis salubribus afferens sanitatem : quæ quidem statim afflare a primis annis incipiens, sensim animos hominum in similitudinem, amicitiam et concordiam honestæ orationi rationique conciliat. Glau. Egregie admodum isto pacto nutrirentur. So. Ob hanc igitur causam, Glauco, ex ipsa principali secundum musicam nutritione rhythmus et harmonia interiora animi penetrant, pulsantque vehementissime animum, decoram quandam figuram ferentia, per quam decorus et pulcher efficitur, quisquis recte in musica

eruditur: contra vero, si contra quis fuerit educatus. Et quoniam rursus deficientia neque recte fabricata aut non bene orta acutissime sentiet, qui illic, quemadmodum oportet, nutritus fuerit: merito ægre hæc ferens pulchra quidem laudabit, eaque amans avideque arripiens ipsis aletur ac bonus [402] inde efficietur et pulcher; turpia vero jure vituperabit oderitque, etiam in ea ætate, in qua rationem nondum susceperit. adventantem denique rationem, qui ita nutritus erit, libenter amplectetur, eam ex ipsa propinquitate familiaritateque prorsus agnoscens. Glau. Mihi quoque harum rerum gratia in musica nutriendi videntur. So. Quemadmodum tunc profecto litteras satis recte callemus, quando elementa nos non fugiunt, pauca quidem in omnibus quibuscunque insunt, neque in parvis neque in magnis ea sprevimus, tanquam non oporteret intelligere; sed ubique discernere illa proposuimus, utpote qui prius grammatici futuri non simus, quam nos ita comparaverimus. Glau. Vera loqueris. So. Imagines præterea litterarum sicubi vel in aquis vel in speculis appareant, non prius cognoscemus, quam ipsas litteras noverimus. est enim hoc artis et exercitationis ejusdem. Glau. Est ut dicis omnino. So. Quorsum hæc inquam? nempe eadem ratione neque musici prius erimus, vel nos vel ipsi quos ad urbis custodiam erudimus, quam temperantiæ species et fortitudinis et liberalitatis et magnificentiæ, et quæcunque harum sorores sunt, ipsisque contraria cognoverimus, ubicunque insint: ita ut et hæc et ipsorum imagines, quibuscunque insunt, persentiamus; neque in parvis neque in magnis contempserimus, sed ejusdem esse putaverimus et artis et studii? Glau. Necesse est omnino. So. Si quo in homine hæc concurrant, ut in animo pulchri mores insint et in corporis specie illis singula correspondeant consentiantque, eandem suscipientia rationem, pulcherrimum hoc erit ei, qui inspicere possit, spectaculum? Glau. Valde quidem. So. Atqui quod maxime pulchrum, et amabile maxime. Glau. Prorsus. So. Tales quosdam homines maxime vir musicus adamaret: si quid vero absonum adverteret, minime. Glau. Non certe, si defectu animi dissonaret: si quid vero dumtaxat deesset corpori, sufferret quidem adeo, ut diligere gratularique velit. So. Intelligo equidem, quia tales quidam vel amantur abs te vel amati jam sunt; atque assentior. sed hoc mihi dicas: estne ullum temperantiæ cum resoluta voluptate commercium? Glau. Quonam pacto? quippe cum voluptas hujusmodi non minus, quam dolor, mentem e suo statu dimoveat. So. Aliis vero virtutibus? [403] Glau. Minime. So. Quid autem? petulantia intemperantiaque habent cum excedente voluptate communionem? Glau. Maxime omnium. So. Habesne majorem et vehementiorem voluptatem, quam quæ circa venerea? Glau. Neque vehementiorem ullam habeo neque furiosiorem. So. Rectus autem amor ipsa sui natura temperate et musice amat pulchrum atque decorum. Glau. Prorsus. So. Nihil ergo furiosum vel intemperantiæ proprium recto amori est admovendum. Glau. Non certe. So. Neque igitur jungenda illi est voluptas ipsa venerea, neque in ea communicare debent amatores cum legitime dilectis adolescentibus amantesque cum amatis. Glau. Per Jovem nullo modo, o Socrates. So. Sic igitur, ut videtur, in civitate recte instituta legem condes, amatorem amare, una esse et tangere amatum, si persuaserit, tanquam filium, honestorum causa: atque in omnibus sic versari cum eo, quem amat, ut nihil unquam præter honestum videatur ab adolescente requirere: si contra faciat, vituperium subeat, tanquam qui nihil omnino sapiat musicum, nihil pulchrum. Glau. Sic prorsus. So. Nonne tibi videtur finem suum jam sermo de musica consecutus? quo enim finiri debet, jam applicuit. oportet enim musicam in amatoria pulchri finiri. Glau. Assentior equidem. So. Post musicam vero gymnastica exercendi sunt juvenes. Glau. Quidni? So.

Oportet enim et in hac per omnem vitam diligenter a pueris educari. id autem ita se habet quodammodo, ut opinor. animadverte et tu. mihi quidem non videtur bene affectum corpus virtute sua bonum animum facere, sed contra bene affectus animus virtute sua corpus, quoad fieri potest, optimum reddere. tibi vero quidnam videtur? Glau. Quod et tibi. So. Nonne si, postquam mentem sufficienter instruxerimus, trademus ei, ut quæ ad corpus pertinent, diligenter et exacte inquirat et curet, nos autem quasi quasdam formulas proponemus, ne longiores simus, recte utique faciemus? Glau. Omnino. So. Ab ebrietate itaque ipsis diximus abstinendum. unicuique enim magis conceditur quam custodi, ut ebrietate gravatus, ubi terrarum sit, nesciat. Glau. Nempe ridiculum esset, custode indigere custodem. So. De cibis autem quid dicemus? athletæ enim hi viri sunt, et maximi quidem certaminis. nonne? Glau. Maximi plane. So. Nunquid aliorum athletarum habitudo custodibus [404] conveniens esset? Glau. Fortasse. So. At vero somnolenta hæc est, et ad valetudinem dubia. an non vides, quod vitam edormiunt, et si parum quidem ab instituto victu discedunt, graviter ægrotant exercitatores hujusmodi? Glau. Video equidem. Glau. Elegantiore igitur aliqua exercitatione opus est bellicosis athletis: quos tanquam canes insomnes esse oportet, et quam acutissime videre atque audire, et multas mutationes in exercitu aquarum, ciborum, æstus et frigoris ita perpeti, ut se a morbis defendant. Glau. Ita mihi videtur. So. Optima igitur gymnastica soror esset simplicis musicæ, de qua paulo ante tractavimus. Glau. Quomodo istud? So. Simplex utique et conveniens gymnastica, militum exercitatio. Glau. Quo pacto? So. Ab Homero quidem id discere possumus. nosti enim, quemadmodum in belli expeditionibus in heroum mensis neque pisces parat, quamvis ipsi in Hellesponto mari essent, neque elixas carnes, sed assas, quæ facilius a militibus præparantur: ubique enim facilius est, ut ita loquar, ipso igne uti, quam vasa circumferre. neque unquam variorum condimentorum, ut arbitror, Homerus meminit. sed hoc et alii sciunt, quicunque exercentur, quod cui corpus robustum esse debet, a cunctis hujusmodi rebus est abstinendum. Glau. Recte quidem et sciunt et abstinent. So. Syracusanas itaque, o amice, mensas, et Sicula, ut videris, admodum varia non laudas obsonia; si quidem hæc ita tibi recte se habere videntur. Glau. Non certe, ut mihi quidem videor. So. Vituperas et Corinthium luxum blandientium puellarum in his, qui optima corporis habitudine futuri sunt. Glau. Summopere. So. Quin etiam Attica bellaria condimentaque, quæ jucunda plurimis et delicata videntur. Glau. Necesse est. So. Omnem enim, ut existimo, hujusmodi victum, si similem esse dicemus melodiæ ei cantilenæ, quæ in omni genere harmoniæ omnibusque rhythmis versantur, recte nimium comparaverimus. Glau. Plane. So. Ibi quidem intemperantiam varietas parit, hic morbum; simplicitas autem secundum musicam in animis temperantiam, secundum vero gymnasticam in corporibus sanitatem. Glau. Verissima loqueris. So. Intemperantia vero et morbis [405] in civitate multiplicatis, et judicum et medicorum ope plurimum indigemus. unde judiciaria et medicina in pretio habentur, quando et liberi multi his summopere studeant. Glau. Quidni? So. Igitur malæ et turpis disciplinæ in civitate nullam majorem potes conjecturam capere, quam summis judicibus ac medicis indigere non modo abjectos homines et mechanicos, sed eos etiam qui liberali disciplina educatos esse se gloriantur. Nonne turpe videtur, et malæ educationis magna conjectura, ut coganur ob propriæ virtutis inopiam justitia uti externa, ab aliis videlicet tanquam dominis et judicibus juste operari compulsi. Glau. Omnium profecto turpissimum. So. An non hoc quoque turpius esse putas, quando aliquis

non modo omne vitæ tempus in judiciis, tum accusando tum defendendo conterit, sed et rudi quadam elatus jactantia in his ipsis negotiis gloriatur, quasi sit potens ad injuriam inferendam, suisque versutiis usque adeo tergiversari valeat, ut nullas injuriarum solvat pœnas; qui sæpe minimarum vilissimarumque rerum causa tam anxium subit negotium: ignorans quanto præclarius ac melius esset, ita se comparare, ut nihilo indigeret judice dormiente? Glau. Certe hoc illo turpius est. So. Absurdum præterea existimandum est, homines medicis egere non ad vulnera sananda dumtaxat morbosque curandos intemperie aëris et casibus contingentes, sed plurimum ad destillationes et spiritus interioris intumescentis impetum ob mollitiem atque desidiam, et quem in victu supra damnavimus luxum. quibus effectum est, ut homines, lacunarum instar aqua flatuque exuberantium, nimis opleti coëgerint peritos Æsculapii successores morbos quosdam novo nomine destillationes, inflationes, viscerum crepitus appellare. Glau. Nova sane hæc morborum nomina, nimiumque absurda. So. Hæc, ut arbitror, Æsculapii tempore non erant. quod hinc plane conjicio, quod ejus filii apud Trojam poculum Patrocli jussu oblatum saucio Eurypylo non damnarunt, cum tamen in eo mixta esset Prandio vino farina, et insuper attritus caseus, [406] quæ pituitam augent. Glau. Profecto absurdum id poculum, minimeque ita affecto conveniens. So. Non: si advertis hac nostra medicinaria facultate morborum pedissequa Æsculapii sectatores ante Herodicum, ut fertur, minime usos fuisse. Herodicus autem, cum esset exercitandorum magister juvenum, effectusque esset valetudinarius, miscens gymnasticam medicinæ, primo quidem se ipsum, deinde et posteros multos tædio longo affecit. Glau. Quonam pacto? So. Longam quippe sibi mortem præstitit. nam dum morbum subsequeretur ad mortem terminaturum, neque curare, ut opinor, se poterat, et medelæ studio occupatus, omissis reliquis actionibus, vitam in hac corporis indulgentia conterebat, male quidem affectus, si paulo a consueto victu discederet, neque facile tamen naturæ cedens, atque ita hac sapientia vivens senex decessit e vita. Glau. Egregiam palmam ex arte sua reportavit. So. Nempe quam decebat reportare illum, qui ignorabat Æsculapium non ignorantia quidem et imperitia generis hujus medelæ suis posteris ipsum non ostendisse, sed quoniam cognoscebat in civitate optime gubernata cuique opus suum assignatum esse quod perfici necesse sit; nec ulli superesse otium, ut per omnem vitam valetudinarius in corporis curatione versetur. quod quidem modo quodam ridiculo in artificibus animadvertimus: in illis vero, qui opulenti felicesque censentur, nequaquam. Glau. Quomodo istud? So. Faber si quando in morbum incidit, brevem a medico curationem exigit vel per vomitum vel defluxum ventris vel ustionem vel incisionem. si quis autem diuturnam illi victus observationem præcipit capitisque suffarcinationes ceteraque hujusmodi, statim objicit non esse sibi ad ægrotandum otium; neque præstare sibi ita vitam trahere continuis curationibus incumbenti suumque opificium negligenti. deinde, medico hoc dimisso, ad consuetum victum revertens, si convalescit, suum opus exsequitur: sin autem corpus sustinere morbum nequit, vita functus a negotiis liberatur. Glau. Ita profecto medicinis uti artifici convenire videtur. So. Atque iccirco opus illi propositum esse dixi, quod nisi peragat, [407] vivere ipsi non præstat. Glau. Constat. So. Dives autem, ut diximus, opere nullo urgetur, a quo quando vi arceatur, non amplius sit ei vivendum. Glau. Nullo prorsus, ut fertur. So. Phocylidem forte non audis, dicentem quemadmodum oportet virtutem exercere, quando vivendi facultas jam suppetit. Glau. Arbitror autem et prius. So. Nihil in hoc illi adversemur: sed ipsi nos doceamus, utrum id hoc pacto meditari dives debeat: alio-

quin si in morborum nutritione tempus terat, non sit illi vivendum. fabrili siquidem arti ac ceteris impedimento id est. nam ab opere mentem divertit. præceptum vero Phocylidis nihil impedit. Glau. Per Jovem ferme omnium maxime, si ultra gymnasticam supervacua ista curatio corporis producatur, nos occupat. So. Etenim rei familiari et militari et urbanis omnibus magistratibus obest plurimum : quodve deterrimum est, discendi studium et omnem intelligendi meditandique diligentiam impedit, dum capitis dolores semper et vertigines suspicatur, studiumque sapientiæ causatur, quasi ex eo ista nascantur. quamobrem ad virtutis exercitationem probationemque nobis omnino impedimento est. efficit enim, ut semper ægrotare putemus, neque desinamus unquam de habitu corporis queri. Glau. Consentaneum est. So. Hæc utique cognoscentem dicimus Æsculapium hominibus natura educationeque bene valentibus, deinde vero morbo quodam exterius illato et subito ægrotantibus, eam ostendisse medicinam, qua pharmacis et incisionibus infirmitas tolleretur, videlicet consueto deinde victu servato, ne civilia negotia disturbaret : corpora vero penitus interiori corruptione morbosa nequaquam aggressum fuisse, diligentia victus et diuturna observantia in vita producere, ita ut et male viverent homines et valetudinarios, ut consequens est, filios generarent. neque vero illum censuisse curandum, qui non posset in constituto et solito victu ac regula vivere : tanquam neque ipsi neque civitati id conferat. Glau. Civilem virum dicis Æsculapium exstitisse. So. Constat plane, filiique ipsius talem eum fuisse testantur. an ignoras illos apud Trojam in rebus bellicis claruisse? [408] quanquam et medicinæ studio, quemadmodum ego dicebam, utebantur. non meministi, quod Menelao Pandari manibus vulnerato cruorem vulneris absterserunt, et unguentis mitigantibus perunxere, legem vero certam circa cibos ac potus nihilo magis quam Eurypylo præscripserunt : quasi pharmaca ad curandos sufficerent homines, qui ante accepta vulnera et firmi corporis habitu et victu moderati fuissent, licet protinus dictum illud poculum ebibissent? homines autem et natura et incontinentia morbosos vivere, neque iis ipsis neque aliis conferre putabant : neque circa illos versari artem ; neque esse curandos, etiamsi Mida locupletiores essent. Glau. Scitos admodum viros fuisse perhibes Æsculapii filios. So. Decet sane : quanquam nobis tragœdi et Pindarus non testificantes Æsculapium ferunt Apollinis filium exstitisse, atque auro inductum ad hominem pecuniosum, cum extrema ægritudine ad mortem ferente opprimeretur, in vitam restituendum. unde et fulmine illum percussum. sed nos propter illa, quæ supra diximus, illis hæc utraque non concedimus. immo si Dei filius fuit, lucri turpis avidum fuisse negabimus : sin turpis avidus lucri, Dei fuisse filium rejiciemus. Glau. Probe quidem ista dicuntur. sed de hoc quid ais, o Socrates? an non bonos medicos habere oportet in civitate? essent autem tales maxime, quicunque fuissent cum sanis plurimis plurimisque ægrotantibus conversati. judices item similiter, qui varia hominum ingenia essent experti. So. Et valde quidem bonos dico. Sed nunquid intelligis, quos tales esse arbitror? Glau. Si dixeris. So. Tentabo equidem. tu tamen non similem rem sermone eodem interrogabas. Glau. Qua ratione? So. Medici quidem sufficientissimi evaderent, si ab ineunte ætate, ultra discendæ artis studium, inter plurimos corpore male affectos conversarentur, ipsique omni morborum genere laborarent, naturaque imbecilla essent. neque enim corpus, ut arbitror, corpore curant. impossibile namque esset, ipsa quandoque mala vel fuisse vel esse. sed anima corpus curant. an non fieri potest, ut quæ fuerit sitque mala, bene aliquid curet? Glau. Recte quidem. So. Judex autem, o amice, ipso animo imperat. [409] Nonne possibile est, a pueritia animum aliquem

cum malis animis conversatum, et injusta quæque facinora operatum, acute denique ex se ipso aliorum scelera conjectare, quemadmodum ex ipso corpore morbos? num insontem ipsum imperitumque malorum morum, dum esset juvenis, exstitisse oportet, si bonus et honestus exsistens justa sincere est judicaturus? quapropter modesti homines, dum juvenes sunt, stolidi esse videnturi et qui facile ab injustis decipi possint, tanquam qui non habeant in se ipsis eadem, quæ habent improbi, affectuum exempla malorum. Glau. Omnino certe id patiuntur. So. Verum enimvero non juvenem, sed senem esse bonum oportet judicem, qui sero, quale quid injustitia sit, didicerit; tanquam qui non propriam in animo suo eam senserit, sed alienam in alienis animis longo tempore noverit; atque iccirco cujusmodi sit malum discernat, scientia potius quam propria experientia judicans. Glau. Generosissimus certe judex hujusmodi esse videtur. So. Et bonus præterea: quod ipse quærebas. qui enim bonum habet animum, bonus est. versutus autem ille ac mala suspicans, qui multa agit injuste sagaxque et sapiens habetur, quando cum sui similibus versatur, cautus callidusque apparet, cum ad exempla, quæ in eo sunt, mentem dirigens sibi satis caveat. quando vero bonis senioribusque adhæret, fatuus, cum ultra quam decet diffidat, sanumque et sincerum morem ignoret, quippe qui exempla illius non habeat, cum vero frequentius cum malis quam cum bonis versetur, sæpius quoque sapientior quam insipientior sibi aliisque videtur. Glau. Vera procul dubio loqueris. So. Non ergo talem quærere oportet judicem, tanquam bonum et sapientem, sed qualem paulo ante dicebam. pravitas enim neque se neque virtutem cognosceret unquam. virtus autem naturæ, tempore addita disciplina, et se ipsam simul et pravitatem intelliget. non igitur malus, ut mea fert opinio, sed hic sapiens evadit. Glau. Mihi quoque ita videtur. So. Nonne igitur et medicinam, qualem diximus, una cum hujusmodi judiciaria æquitate in civitate lege constitues, quæ quidem eos cives, qui natura tum animo tum corpore bene se habent, enutriant: [410] eorum vero qui tales non sunt, quotcunque corpore deficiunt, mori sinant, quotcunque autem malo ingenio procreati insanabiles sunt, morte mulctent? Glau. Hoc fortasse et ipsis, qui talia patiuntur, et civitati conducit. So. Constat quin etiam curaturos juvenes ne in judiciariæ usum indigentiamque descendant, simplici illa utentes musica, ex qua nasci diximus temperantiam. Glau. Cur non? So. An non per eadem hæc vestigia musicus gymnasticam sequens, si volet, aget assequeturque: ut nihil egeat medicina, nisi necessitas cogat? Glau. Assentios equidem. So. Exercebit autem in gymnasiis corpus, respiciem magis ad animositatem naturæ, illamque excitans, quam ad robur, neque, quemadmodum athletæ alii, corporei roboris gratia victum instituet laboresque adhibebit. Glau. Recte admodum. So. Qui ergo constituunt, o Glauco, musica et gymnastica homines erudire, non ea causa, qua multi existimant, studia hæc aggrediuntur, ut hac quidem corpus, illa animum curent. Glau. Cur non? So. Videntur utraque animi gratia plurimum exercere. Glau. Quo pacto? So. An non vides, ut afficiant animum, qui gymnasticam per omnem vitam exercent, musicam autem non attingunt: vel qui contra faciunt? Glau. De quonam dicis? So. De rustica, inquam, duritia ferocitateque, atque item de mollitie et mansuetudine. Glau. Novi equidem eos, qui mera utuntur gymnastica, agrestiores quam oportet evadere, qui autem dumtaxat musica, molliores quam eos deceat effici. So. Atqui vis ipsa agrestis ad iracundæ naturæ animositatem pertinet: quæ si recte nutritur, fortis evadit, sin autem supra quam decet excrescit, ferox, ut consentaneum est, ac dura. Glau. Assentior. So. Quid autem? vim ipsam mitem et mansuetam nonne philosophi natura habet: quæ si nimium coalescit, mollior fit quam decet, bene autem si enutritur, suavis atque modesta?

Glau. Est, ut dicis. So. Dicebamus autem oportere ipsos custodes utrasque naturas habere. Glau. Oportet sane. So. Nonne congruere invicem et concinere oportet? Glau. Quidni? So. Ejusque animus, in quo hæc consonant, temperatus est [411] et fortis? Glau. Omnino. So. Ejus autem animus, in quo dissonant, timidus et agrestis? Glau. Et maxime quidem. So. Quicunque permittit ut musica animum suum assidue circumsonans occupet et demulceat, perque aures veluti per infundibula harmonias infundat, quas supra commemoravimus, suaves, blandas, molles ac flebiles, atque ætatem suam in modulis animum delinientibus consumit: is primum quidem, si quid iracundum habebat, tanquam ferrum demollit, et utile ex inutili duroque efficit. quando autem incumbit diutius, magis demulcet: post hoc jam liquefacit animum et resolvit, donec destillando exhauriat animositatem omnem exscindatque tanquam nervos ex animo. ex quo animum quasi segnem militem efficit. Glau. Sic est omnino. So. Ac si a principio hominem nacta sit natura sine animi robore, cito hoc perficit: sin autem animosum, vires animi frangens ad iram reddit præcipitem, ut minimis quibusque offensiunculis irritetur ac facile iterum effervescat. unde ex animosis iracundi atque morosi effecti, sunt molestia et fastidio pleni. Glau. Ita prorsus accidit. So. Quod si quis gymnasticæ victui exercitationique se dedat, musica philosophiaque neglectis, primo quidem firmum corporis habitum consecutus, animi viribus magnitudineque repletur fortiorque, quam esset, evadit. Glau. Valde quidem. So. Deinde si in hoc ita perseveret, ut nihil aliud agat neque Musam prorsus attingat: certe, si quis erat ejus in animo instinctus discendi flagrans cupiditate, imbecillus, surdus ac cæcus efficitur, utpote qui neque doctrinam gustaverit ullam neque indagationem rerum, neque ullam penitus rationem, neque musicam aliam, unde expergisci potuerit coalescereque sensusque suos puros accipere. Glau. Sic plane. So. Rationi adversus, ut arbitror, vir hujusmodi et a Musis redditur alienus, ac nulla ulterius persuasione rationibus inducta utitur: sed vi et agresti immanitate, tanquam fera quædam, ad omnia fertur, inque inscitia et ruditate sine rhythmo et gratia et urbanitate vivit. Glau. Omnino sic se res habet. So. Postquam duo hæc sunt, ut apparet, artes duas assererem Deum aliquem hominibus tribuisse, musicam et gymnasticam, ad animositatem philosophicamve naturam: non ad animum et corpus, nisi per accidens, duerit, sed ad illa, ut invicem consonarent, [412] intensa videlicet atque remissa, quatenus deceat. Glau. Sic apparet. So. Eum igitur, qui pulcherrime gymnasticam cum musica miscet, moderatissimeque hæc animo adhibet, merito absolutissimum musicum diceremus et summa harmonia compositum magis quam eum, qui chordas una contemperat. Glau. Et merito quidem, o Socrates. So. Nonne ergo hujusmodi aliquo præside semper in civitate nobis opus erit, Glauco, si debet salva fore respublica? Glau. Erit certe summopere. So. Hi ergo disciplinæ educationisque modi essent. nempe choreas in horum genere quis reponet, venationesque et canum insectationes, gymnica item certamina et equestria. ferme enim constat sequi hæc ista debere neque inventu difficilia fore. Glau. Forte non sunt difficilia. So. Quid nobis præterea distinguendum? nonne horum omnium quinam imperare debeant, qui parere? Glau. Cur non? So. Constat quidem seniores imperare oportere, juniores subesse. Glau. Constat profecto. So. Et hoc liquet, ex his esse optimos eligendos. Glau. Liquet certe et istud. So. Agricolarum optimi nonne hi sunt, qui maximam agrorum habent colendorum peritiam? Glau. Prorsus. So. Nunc autem cum ex custodibus optimos eligi oporteat, nonne eos qui maximam custodiendæ civitatis peritiam habent? Glau. Eos plane. So. Prudentes ergo ad hoc esse eos oportet potentesque, et

qui rei publicæ curam habeant. Glau. Est ita. So. Curat autem quisque maxime id, quod maxime diligit. Glau. Necesse est. So. Atqui hoc diligit maxime, cui conferre eadem ac sibi existimat, et ex cujus felicitate vel infelicitate suam arbitratur felicitatem infelicitatemve pendere. Glau. Sic est. So. Eligendi igitur ex omnibus custodibus hi maxime, qui nobis considerantibus videantur per omnem vitam summo studio ea facere, quæ e re publica esse ducunt: quæ vero contra, cavere. Glau. Commodissimi certe hi sunt. So. Observandi itaque sunt, ut arbitror, in singulis ætatibus, utrum præceptum hoc servent neque tanquam præstigiis quibusdam decepti neque vi ulla compulsi, suique ipsorum obliti, ejiciant eam opinionem, qua ea sola censentur agenda, quæ sunt optima rei publicæ. Glau. Quam ejectionem dicis? So. Dicam tibi. videtur mihi opinio mente exire vel sponte vel invite. sponte quidem falsa, [413] in eo qui dediscit falsa, vera discit: invite autem vera quæque opinio. Glau. Quod de voluntario exitu dicis, intelligo: quod autem de invito, discere cupio. So. Nonne putas bonis homines invite privari, malis autem sponte? an non mentiri verumque nescire malum est, vere autem judicare bonum? nonne opinari ea, quæ sunt, vere putare tibi videtur? Glau. Probe loqueris, mihique videntur homines inviti vera opinione privari. So. An non vel subreptione vel deceptione vel vi hoc patiuntur? Glau. Neque istud intelligo. So. Tragice porro loqui videor. surripi enim opiniones iis dico, qui sententiam mutant, vel sensim tempore obliteratam, vel clam adversa ratione subtractam. nunc intelligis? Glau. Intelligo equidem. So. Vim autem illis inferri, quos dolor aut cruciatus aliter sentire cogunt. Glau. Istud intelligo equidem, ac recte dicis. So. Subduci autem quasi præstigiis eos, ut arbitror, tu quoque diceres, qui priorem deponunt opinionem vel voluptate permulcti vel metu perterrefacti. Glau. Videntur sane, quæcunque decipiunt, præstigiis nos seducere. So. Quod igitur nuper dicebam, quærendum est, quinam constantes servatores sint ejus, quæ apud ipsos est, sententiæ, id videlicet semper agendum esse, quod rei publicæ conducere arbitrantur. observandi sunt igitur statim a pueritia, eaque illis opera proponenda, ex quibus aliquis maxime præceptum illud oblivisci fallique possit. atque is, qui servat illud memoriter neque subducitur, eligendus: qui contra, abjiciendus. an non? Glau. Certe. So. Ergo et labores et dolores illis et certamina opponenda, in hisque hæc eadem observanda. Glau. Scite. So. Nonne secundum speciem illam tertiam, hoc est quasi quandam præstigiorum allucinationem, pugnandum est? et quemadmodum qui inspicere cupiunt, nunquid pulli pavidi sint necne, ad strepitum illos et tumultum ducunt? sic juniores in terribilia quædam impellendi atque item oblectamenta, in hisque multo magis quam igni aurum examinandi? ut ita comperiamus, si exstet aliquis inter eos, qui non facile irretiatur sitque compositus in omnibus, sui ipsius custos optimus, et ejus, quam didicit, musicæ conservator, concinnumque et consonum se in his omnibus præbeat: qualis vir esset et sibi et patriæ utilissimus. atque is, qui singulis ætatibus semper, pueritia, adolescentia, matura ætate probatus est [414] et immaculatus exsistit, custos et princeps est civitatis constituendus: honores huic tribuendi et viventi et mortuo, sepulcrorum et aliorum monimentorum maxima munera sortienti. qui vero talis non sit, abjiciendus est. Hujusmodi igitur, o Glaucon, delectus et institutio principum et custodum esse debere mihi videtur, ut summatim potius quam exacte sit dictum. Glau. Idem et mihi videtur. So. Igitur verissime vocabuntur hi quidem custodes omni ex parte, tam externorum hostium quam internorum amicorum: ut isti nolint, illi nequeant malum aliquid machinari: juvenes autem, quos paulo ante custodes nominabamus, recte auxiliarii

defensoresque institutionum ipsorum principum appellabuntur. Glau. Sic et ipse sentio. So. Quis itaque modus erit, quo ex his mendaciis, quæ aliquando decent, quemadmodum et nos in superioribus generosum quiddam mentientes induximus, persuadeamus, prius quidem principibus : sin minus, saltem reliquis civibus? Glau. Quale istuc ais? So. Nihil novi equidem, sed Phœnicium quiddam : quod ante quidem apud multos factum est, ut poëtæ dixerunt et persuaserunt; nostris vero temporibus minime : nec scio si futurum unquam. persuadere certe est arduum. Glau. Quam pigre ad dicendum videris accedere. So. Videbor equidem tibi, postquam dixero, valde decenter pigrescere. Glau. Dic age, nec timeas. So. Ecce jam dico, quanquam nescio qua audacia quibusque verbis fretus dicam : atque aggrediar primum ipsis principibus et militibus suadere, deinceps autem et reliquis civibus, quod ea, quibus nos ipsos enutrivimus erudivimusque, tanquam somnia visi omnia sunt circa se ipsos habere. erant autem tunc revera sub terra, intus formati et enutriti, ipsi et arma eorum et supellex omnis. postquam vero omnino perfecti fuerunt, terra ipsos ut mater eduxit. et nunc quidem tanquam matri ac nutrici regioni huic, in qua sunt, consulere debent atque succurrere, si quis eam invaserit, deque ceteris civibus tanquam fratribus terra genitis cogitare. Glau. Non frustra olim erubescebas hoc mendacium dicere. So. Decenter admodum : sed audi jam reliquum [415] fabulæ. Estis utique omnes in civitate tanquam fratres, ut ipsi dicemus ad eos confugientes : sed cum Deus vos formaret, quicunque vestrum ad imperandum idonei nati sunt, aurum in eorum generatione ipsis admiscuit, propter quod honoratissimi sunt : illis autem, qui ad auxiliandum, argentum indidit : ferrum denique atque æs agricolis et aliis opificibus. tanquam igitur ejusdem generis omnes, similes vobis plurimum generatis. evenit autem quandoque, ut ex aureo nascatur argenteus, et ex argenteo similiter aureus, ceteraque ita vicissim. quapropter ipsis principibus et primo et maxime Deus præcipit, ut nullius rei majorem curam custodiamque suscipiant quam natorum, ut dignoscant, quid ex quatuor his potissimum illorum animis sit immixtum; et si quis ex ipsis nascatur æneus aut ferreus, nullo pacto misereantur, sed honorem illi naturæ convenientem tribuentes, inter opifices vel agricolas mittant; rursusque si ex illis nascatur aliquis aureus vel argenteus, honorantes extollant, partim quidem in custodes, partim auxiliarios : quasi oraculum sit, tunc rem publicam perituram, cum ipsam vel æneus custos vel ferreus gubernabit. Habesne, quomodo huic fabulæ fidem adhibeant? Glau. Nullo modo, quo pacto isti : quo autem modo istorum filii ac reliqui posteri, habeo. So. At hoc bene se haberet ad majorem curam sui et civitatis habendam. Glau. Ferme, quod dicis, intelligo. So. Et hoc quidem illuc tendet; quo oraculum perducet. Nos autem hos terra genitos armantes, ducentibus principibus producamus. profecti autem explorent; ubinam in civitate sit optimum castra ponere, unde et eos, qui intus sunt, maxime cohibeant; si quis nolit legibus ipsis obtemperare : et eos, qui extra, repellant, si hostis tanquam lupus ad ovile perrexerit. cum vero castra posuerint, et quibus oportet sacrificaverint, tabernacula struant. sicne, an aliter? Glau. Sic certe. So. Num hujusmodi, qualia contra hiemes et calores sufficiant? Glau. Quidni? habitationes enim dicere mihi videris. So. Sic aio, sed militares, non opulentas et mercatorias. [416] Glau. Quo differre asseris hoc ab illo? So. Conabor equidem declarare. Gravissimum quippe omnium et turpissimum pastoribus esset, si eos atque ita canes gregis custodes futuros nutrirent, ut ex intemperantia aut ex fame aut ex aliqua alia mala consuetudine canes ipsi aggrediantur pecuaria lædere, et pro canibus similes lupis efficiantur. Glau.

Grave nimium. So. Omnino itaque nobis cavendum, ne quid tale adversus cives efficiant, qui defensores adhibentur, cum ipsis valentiores sint : neque benevolorum loco sociorum agrestibus dominis se similes præbeant. Glau. Cavendum sane. So. Nonne maxima esset adhibita cautio, si revera præclare educati sint? Glau. Sunt quidem. So. Hoc quidem, o amice Glauco, asseverare non decet : quod autem nuper dicebamus, nimirum decet, quod oportet ipsos rectam, si qua est, consequi disciplinam, si modo milites futuri sunt et sibi invicem et his, quos custodiunt. Glau. Et recte quidem. So. Ad hanc igitur disciplinam quisque sanæ mentis diceret habitationem et reliquam supellectilem ita adhibendam, ne ipsos quo minus optimi viri essent prohiberet, neque eos ad ceteros cives lædendos induceret. Glau. Et vere quidem. So. Inspice igitur, an tali quadam ratione eos oporteat et vivere et habitare, si quidem futuri sint tales. Primo quidem nemo proprium quicquam possideat, nisi quatenus summa cogat necessitas. deinde neque domum neque penu habeant, quo non omnibus pateat aditus. quæ vero ad victum pertinent, tanta sint apud eos, quantis indigent militares athletæ temperati ac fortes : accipiantque ex instituto ab aliis civibus mercedis tantum custodiæ gratia, ut exacto anno neque desit quicquam neque supersit. conferentes autem se ad comessationes, perinde atque in castris, communi vescantur convivio. dicendumque est illis aurum et argentum divinum a Diis in animo eos habere, neque humano auro indigere : neque sanctum esse illius possessionem admixtione mortalis auri inquinare. nempe ex vulgi pecuniis multa impia provenerunt : [417] quod vero inest illis aurum, prorsus immaculatum. profecto solis ipsis ex omnibus, qui sunt in civitate, tangere aurum aut argentum aut sub tecto suo recipere aut circumferre, vel ex ea materie bibere, nefas. hoc ergo pacto et sibi et civitati salutem parerent. si quando vero domum sibi aut agrum aut pecuniam privatim possederint, administratores familiæ et agricolæ pro custodibus erunt, et vice eorum, qui civibus auxilio sint, domini eorum infensi efficientur : et ipsi odio habiti odioque alios habentes, et insidias parantes pariterque patientes, vitam universam degent. ubi multo magis cives quam externos hostes timebunt : accedentque jam tunc proxime ad perniciem tam ipsi quam reliqua civitas. Horum igitur omnium causa dicamus custodes ipsos circa domum et reliqua omnia ita instructos esse debere, hæcque lata sit lex. an non?- Glau. Sic esto.

LIBER IV.

[419] Adi. Quid respondebis, Socrates, si quis dicat te non multum hos viros beatos efficere, cum tamen ipsi sint, quorum revera est civitas, nihil autem ex bonis civitatis accipiant, quemadmodum alii, qui et agros et magnificas domos supellectilemque hujusmodi domibus convenientem possident, sacraque Diis privata faciunt, hospites excipiunt, quæ tu nunc dicebas, aurum et argentum adepti, et quæcunque ad felicitatem conferre putantur : isti vero tanquam auxiliarii quidam mercede conducti in urbe sedent, nihil agentes [420] aliud quam custodiam? So. Certe, et qui victum solum modo recipiant, neque mercedem ultra victum, ut alii solent. quocirca neque si proficisci privatim alio velint, licebit ipsis, neque quicquam scortis largiri, aut ad quævis alia pecunias erogare, eorum more qui beati putantur. hæc utique et alia multa hujusmodi in reprehensione prætermittebas. Adi. Atqui

sint et ista in accusatione comprehensa. So. Quæris igitur, qua ratione defendamus superiora? Adi. Nempe istud quæro. So. Eandem viam ingredientes inveniemus, ut arbitror, quæ sint dicenda. dicemus porro nihil mirum fore, si ita isti felicissimi sint. non tamen ad hoc respicientes constituimus civitatem, ut una aliqua nobis gens sit præcipue felix, sed ut quam maxime civitas universa. putavimus enim in hujusmodi civitate maxime invenire justitiam, rursusque in ea, quæ pessime instituta esset, injustitiam : quibus inspectis facile nos, quod jamdiu quærimus, judicaturos existimavimus. Nunc sane, ut opinamur, beatam fingimus, non ut pauci quidem in ea beati sint, sed ut civitas tota. deinceps autem contrariam contemplabimur. si quis cum figuram hominis pingeremus nos vituperaret, quod pulcherrimis animalis partibus non pulcherrimos apponeremus colores : oculi enim pulcherrimum membrum non purpura, sed nigro colore essent depicti : decenter utique respondere videremur, non oportere adeo nos pulchros oculos pingere, ut non videantur oculi, ac cetera membra similiter : sed considerare eum debere, si singulis decorem suum attribuentes totum pulchrum reddimus. ergo neque nunc cogas nos, diceremus, ea custodes felicitate afficere, quæ illos quidvis aliud potius quam custodes efficiat. sciremus enim agricolas pretiosissimo corporis cultu auroque ornatos ad voluptatem colere terram jubere : et figulos, a dextra discumbentes atque ad focum convivium celebrantes, missa rota, quantum figulinam cupiant exercere : et alios omnes hoc modo beatos facere, ut universa civitas felix sit. sed ne nos ita moneas. porro, si tibi parebimus, neque agricola agricola erit, [421] neque figulus figulus ; neque ullus alius formam habebit eorum, ex quibus fit civitas. Sed aliorum quidem ratio levior. sutores enim facti deteriores depravatique, et simulantes id esse quod non sunt, civitati nihil inferunt grave. custodes autem legum et civitatis si non sint, sed appareant : videsne, ut omnem civitatem simul perdant, rursusque custodes ipsi bene eam constituendi beatamque reddendi soli opportunitatem habent? Quamobrem si veros civitatis custodes quærimus, minime eos eligere debemus, qui noceant civitati. qui vero illud dicit, et agricolas non tanquam in civitate, sed tanquam in festiva quadam celebritate discumbentes felices facit, aliquid certe aliud quam bonum considerat civitatis. videndum igitur, utrum ad hoc respicientes custodes constituamus, ut quam maxima felicitate abundent : an potius totius civitatis rationem habeamus, ut tota sit felix ; auxiliarios autem istos atque custodes cogere et persuadere deceat illa facere, ex quibus quam optimi sui operis sint artifices, ceterosque omnes similiter : atque ita universa aucta civitate recteque instituta, sinendum ut singuli, quatenus cujusque natura capax est, beatitudinis sint participes. Adi. Probe mihi loqui videris. So. An et quod huic est proximum, videbor tibi decenter dicere? Adi. Quid maxime? So. Contemplare, nunquid ista ceteros quoque artifices ita corrumpant, ut pravi sint. Adi. Quænam ista? So. Divitiæ videlicet et paupertas. Adi. Qua ratione? So. Ita. figulus dives factus videturne tibi ulterius curam suæ artis habere? Adi. Minime. So. Pigrior certe negligentiorque reddetur. Adi. Valde. So. Quare et deterior figulus. Adi. Et istud. So. Rursus autem si propter inopiam instrumentis et reliquis, quibus indiget ars, careat, et opera ipsa deteriora faciet, et filios ac ceteros, quoscunque docebit, deteriores artifices reddet. Adi. Quidni? So. Ex utrisque igitur, tam opulentia quam paupertate, et prava artificum opera et pravi artifices ipsi fiunt. Adi. Sic apparet. So. Alia ergo quædam invenimus nostris custodibus observanda, ne ipsis insciis in civitatem irrepant. Adi. Quænam ista? So. Opulentiam inquam et inopiam. [422] illa siquidem delicias, desidiam, seditiones, rerum novarum studium parit : hæc autem cum rerum innova-

tione illiberalitatem et maleficia gignit. Adi. Sic est prorsus. verumtamen, o Socrates, animadverte, quæso, quo pacto nostra hæc civitas, cum pecuniis careat, bellum gerere poterit, præsertim si quando adversus amplam opulentamque civitatem arma cogetur capessere. So. Constat utique, quod adversus unam difficile, sed adversus duas tales certe facilius. Adi. Quomodo istud ais? So. Quod æquum est utique, dico. Principio, si committenda pugna est, nonne hi bellicis rebus exercitati adversus divites pugnabunt? Adi. Fateor equidem istud. So. Quid vero, Adimante? unus pugil optime ad hoc instructus nonne contra duos hujus facultatis ignaros, divites insuper ac pingues, videtur tibi facile pugnaturus? Adi. Haud forte simul. So. An forte neque etiam si licuerit subterfugiendo ejus, qui primus invadit, ictus evitare, deinde subita conversione eum cædere? quin si sæpius sub sole et æstu id egerit, plures hujusmodi homines vir talis subiget. Adi. Nempe nihil mirum. So. An non putas divites pugilis facultatis scientia et peritia participes esse magis quam bellicæ? Adi. Equidem. So. Facile itaque athletæ nostri, ut consentaneum est, cum duplis triplisque ipsorum certabunt. Adi. Id quoque admittam. nam probe loqui videris. So. Quid si missa in civitatem aliam legatione vera dixerint, quod nos quidem auro et argento non utimur: neque nobis fas est: vos ergo bellum nobiscum gerentes, quæ alii possident, habetote, censes vero aliquos, his auditis, electuros contra canes duros aptosque pugnare potius, quam cum canibus una contra pingues oves ac molles? Adi. Haudquaquam mihi videtur. Verum si in civitate una ceterorum pecuniæ cumulentur, cave ne minus pecuniosæ periculum inferat. So. Beatus es, quandoquidem putas decens esse aliam quandam appellare civitatem, quam talem, qualem ipsi constituimus. Adi. Quid prohibet? So. Ampliorem appellationem exigunt aliæ. nam quæque illarum civitates multæ sunt, non civitas, ut more loquar jocantium. unaquæque sane duæ est saltem, invicem dissidentes: una quidem pauperum, divitum altera. rursusque in [423] utraque istarum permultæ; quibus si ut uni intendas, penitus aberrabis: sin ut multis, tribuens ea, quæ aliorum sunt, aliis, tam pecunias quam potentias, aut et ipsos præterea, sociis auxiliatoribusque semper multis uteris, hostibus autem paucis. Et quatenus civitas, ita ut nuper ordinata est, temperata exsistet, maxima erit. non ad opinionem inquam, sed revera maximam fore, etiamsi mille dumtaxat propugnatoribus constet. ita enim magnam civitatem unam haud facile vel inter Græcos vel inter barbaros quandoque reperies; quæ tamen hujuscemodi civitate multo majores videantur multis invenies. an aliter sentis? Adi. Non aliter per Jovem. So. An non hic igitur pulcherrimus erit nostris principibus augendæ civitatis terminus, cui, cum tanta fuerit, tantam regionem tribuere decet, reliquam autem dimittere? Adi. Quisnam terminus? So. Arbitror equidem, quousque adaucta civitas una permaneat, eo usque augendam esse, non ultra. Adi. Præclare. So. Hoc præterea præceptum custodibus servandum mandabimus, ut nec parva civitas nec magna videatur esse, sed una atque sufficiens. Adi. Atqui leve quid forsan illis præcipiemus. So. Et istud præterea levius, cujus in superioribus mentionem fecimus, oportere dicentes, sive quis ex custodibus ignavus nascatur, ad alios mittere: sive ex aliis probus, ad custodes ipsos transferre. in quo plane ostendere volebamus, quod et aliorum civium unumquemque ad unum id opus dumtaxat, ad quod natura est aptus, ducere decet, ut quisque unum aliquid suum opus exercens non multi, sed unus exsistat: atque ita civitas tota una fiat, non multæ. Adi. Est hoc etiam illo minus. So. Haudquaquam, o bone vir Adimante, hæc multa ac magna, ut existimaret aliquis, illis præcipimus: sed levia omnia exiguaque si unum, ut dici solet, magnum servent: immo vero pro magno

sufficiens. Adi. Quid istud? So. Educationem, inquam, et eruditionem. nam si bene educati viri moderati evaserint, facile omnia ista discernent, tum alia, quotcunque nos in præsentia prætermittimus, tum mulierum virorumque conjunctiones et procreationes filiorum: [424] quod videlicet oporteat amicorum omnia hæc, secundum proverbium, quam maxime esse communia. Adi. Rectissime profecto ita fieret. So. Etenim res publica, si semel cœperit bene, progreditur tanquam circulus semper proficiens. quippe educatio eruditioque bona servata, ingenia quoque bona efficit; rursusque bona ingenia, educationem hujusmodi consecuta, meliora etiam quam prius evadunt tum ad alia tum ad filios generandos, quemadmodum in ceteris animalibus. Adi. Consentaneum id quidem. So. Denique, ut summatim dicam, hoc diligenter est a civitatis tutoribus observandum, ne clam illis ignorantibus corrumpatur. immo istud in primis curent, ne quid præter ordinem a nobis datum circa gymnasticam et musicam innovetur, sed illum, quam maxime fieri potest, quisque sequatur. et cum dixerit aliquis poëticum illud, Homines videlicet novis cantibus admodum delectari, metuere debent isti custodes, ne sæpenumero poëtam quis putet non cantilenas novas sed modos canendi novos dicere, eosque laudet. oportet autem neque laudare quicquam tale neque suscipere. cavendum sane speciem musicæ novam inducere, tanquam in toto naufragium. nusquam enim musicæ modi mutantur absque maximarum legum civilium mutatione, ut ait Damon, cui et ipse assentior. Adi. Me quoque scito, o Socrates, assentiri. So. Arcem igitur quandam custodiæ gratia hic ipsi custodes circa musicam struere debent. Adi. Nempe ejuscemodi prævaricatio clam ac facile surrepit. So. Certe joci cujusdam instar, atque ita ut nihil lædere videatur. Adi. Atqui paulatim nobis familiaris effecta, sensim in mores serpit et studia: ex his deinde ad commercia emergit amplior: demum a commerciis in leges respublicasque erumpit, magna, o Socrates, cum petulantia atque lascivia, quousque tandem privatim ac publice cuncta pervertat. So. An hoc ita se habet? Adi. Ita mihi videtur. So. Ergo, ut a principio diximus, statim a primis annis pueri honestis in jocis assuefaciendi sunt. nam si jocis minus decentibus assuescant, [425] nunquam legitimi probique viri evadere poterunt. Adi. Quidni? So. Quando itaque bene incipientes pueri jocari ac ludere, legitimum per musicam morem imbibunt, in contraria his omnino ac superioribus musica tendit atque prosequitur corrigere, si quid antea in civitate jacebat. Adi. Vera loqueris. So. Quæ igitur exigua videntur esse civitatis instituta, ut dixi, hi reperient: quæ superiores omnia perturbabant. Adi. Qualia? So. Hæc videlicet: Quemadmodum tacere debent coram senibus juniores, cedere illis locum atque assurgere, parentes colere: quis tonsuræ modus servandus cuique, quibus vestibus calceisve utendum, et omnino quis corporis ornatus conveniat, ac cetera generis ejusdem. an non putas? Adi. Equidem. So. Atqui legibus hæc præscribere ineptum, ut arbitror, videretur. nam neque id usquam fit, neque constarent hæc verbis litterisque mandata. Adi. Quomodo enim? So. Apparet itaque, o Adimante, quale cujusque fuerit puerilis educationis initium, talia fore etiam quæ sequuntur. An non simile semper simile provocat? Adi. Cur non? So. Ac tandem dicendum id est in unum aliquod summum et potens sive bonum seu malum desinere. Adi. Quid prohibet? So. Hac equidem ratione nunquam statuere legibus hæc contenderem. Adi. Et merito quidem. So. Dic per Deos, nunquid negotia ipsa forensia mutuaque commercia et pacta in mechanicis artibus, jurgandi verberandique jura, citationes in judicia, constitutiones judicum, et si qua vel circa forum vel portus aut imponenda aut exigenda sunt vectigalia: vel omnino forensia quæque jura vel urbana vel navalia, et reliqua id genus: an hæc, inquam, vel horum quicquam legibus præ-

signare aggrediemur? Adi. Haudquaquam decet viris bonis præclarisque præcipere. hæc enim plurimum, qualia et quomodo statuenda sint, facile ipsi reperient. So. Nimirum, o amice, si Deus illis legum illarum, quas supra posuimus, salutem præstiterit. Adi. Sin minus, ita vitam ducent, ut multa ejusmodi legibus statuant, corrigantque semper et innovent, putantes ita se quod est optimum assequi. So. Dicis nempe istos perinde victuros ac illos, qui cum ægrotent, propter intemperantiam insalubrem victum mutare nolunt. Adi. Sic prorsus. So. Enimvero [426] ridiculo quodam modo isti in morbis perseverare videntur, curationibusque suis nihil aliud assequuntur, quam quod plures vehementioresque morbos efficiunt: confiduntque semper, si quis pharmacis agi consulat, bene se valituros. Adi. Omnino tales sunt ita laborantium morbi. So. Quid vero? nonne hoc in illis gratiosum, quod omnium inimicissimum eum putent, qui vera monet, dicitque non prius pharmaca, ustiones, incisiones, incantationes, eave quæ extrinsecus admoventur, aut ejusmodi aliqua, profutura, quam desinat quis ebrietati, voragini, veneri, otio indulgere? Adi. Haud admodum gratiosum istud. nam indignari adversus eum, qui utilia consulit, gratiam habet nullam. So. Ergo viros hujusmodi, ut videris, nequaquam probas. Adi. Minime per Jovem. So. Neque etiam, si civitas tota id agat, quod modo dicebamus, laudabis. An non idem, quod isti, facere tibi civitates videntur, quæcunque male institutæ civibus interdicunt, ne totum ipsum rei publicæ statum moveant: alioquin capite damnentur quicunque res innovant? contra quisquis præsentem gubernationem approbat confirmatque, voluntatesque gubernantium aucupatus assentitur, suffragatur et explet, hic demum bonus vir, hic in rebus maximis sapiens, hic honore dignus existimetur. Adi. Idem prorsus facere mihi videntur: neque ullo pacto hujusmodi res publicas laudo. So. Quid autem? nonne eorum fortitudinem propensioremque affectum miraris, qui has civitates curare contendunt? Adi. Admiror equidem: his exceptis, qui ab ipsis falluntur, putantque revera civiles esse, quod vulgo laudentur. So. Quid ais? an non istis ignoscis? nunquid existimas eum, qui metiendi sit ignarus, si quando ceteri multi tales quadricubitum esse eum prædicent, effugere posse, quin et ipse de se idem existimet? Adi. Non istud quidem. So. Ne igitur ægre feras. sunt enim hi quidem omnium modo quodam ridiculo gratiosissimi, qui leges ferunt in his, quæ diximus, emendantque semper, confidentes se finem aliquem reperturos circa ea, quæ inique in commerciis committuntur, et circa illa, quæ ego paulo ante dicebam: ignorantes quod revera tanquam hydræ capita amputant. Adi. Certe [427] nihil aliud faciunt. So. Equidem speciem hanc institutionum circa leges ac respublicas arbitror verum conditorem legum neque in male disposita neque in bene constituta civitate curiose tractare: in illa quidem, quoniam inutilia sunt hujusmodi instituta, neque movent quicquam; in hac autem, quia partim quisque reperiet, partim suapte natura ex superioribus studiis proficiscuntur. Adi. Quid præterea restat nobis lege præcipiendum? So. Nobis quidem nihil: Apollini autem Delphico maxima, præclarissima, prima instituta. Adi. Quænam ista? So. Templorum constitutiones et sacrificia ceterique deorum et dæmonum atque heroum cultus; sepulcra præterea et funera defunctorum et quæcunque sunt ad eos placandos ministeria subeunda. talia profecto neque ipsi scimus, et in ordinanda civitate nulli credemus alteri, si sapiemus, nulloque alio utemur interprete, nisi patrio Deo. hic nempe Deus in rebus hujusmodi cunctis. hominibus patrius interpres, in media terra super umbilicum sedens, exponit. Adi. Scite loqueris: atque ita agendum. So. Constituta jam tibi, o Aristonis fili, sit civitas, deinceps autem et ipse speculare per ipsam, sufficiens alicunde lumen porrigens, et fratrem advoca tuum et Polemarchum et alios insuper, ut experiamur, si quo pacto

inspicere valeamus, ubinam justitia sit, ubi et injustitia sit: quove inter se discrepent, atque utrum horum consequi debeat is, qui beate victurus sit, sive lateat seu non lateat deos omnes et homines. Glau. Nihil dicis, o Socrates. tu enim investigare pollicitus es, quasi impium futurum sit, si non pro viribus justitiæ fueris suffragatus. So. Vera admones: et ita certe agendum. oportet tamen mihi et vos adesse. Glau. Agemus ita. So. Spero itaque hac ratione id invenire. nempe arbitror civitatem, si recte nobis fuerit constituta, absolute bonam exsistere. Glau. Necesse est. So. Constat utique, quod sapiens est, fortis et temperata et justa. Glau. Constat. So. Quocunque horum in civitate comperto reliquum erit, quod nondum inventum. Glau. Cur non? So. Si ex aliis quibusdam quatuor unum aliquid in [428] subjecto aliquo inquireremus, illudque primo pateret, satis nobis esset factum. quod si tria reliqua prius comperiremur, ex hoc ipso quæsitum cognosceremus: quia constaret nihil esse aliud, quam quod restaret. Glau. Probe loqueris. So. An non de istis etiam, quandoquidem quatuor sunt duntaxat, eodem modo quærendum? Glau. Plane. So. Atqui ex his omnibus prima in civitate sapientia præfulgere videtur, aliquidve mirandum circa ipsam apparet. Glau. Quidnam? So. Sapiens mihi revera civitas, quam descripsimus, esse videtur: nam bene consulta est. nonne? Glau. Est profecto. So. Etenim hæc ipsa in consiliis perspicacia scientia quædam est. non enim inscitia, sed scientia potius homines bene consulunt. Glau. Perspicuum id quidem. So. Multæ vero ac variæ in civitate scientiæ sunt. Glau. Sunt. So. Nunquid propter ipsam fabrorum scientiam sapiens et bene consulta civitas appellanda? Glau. Nullo modo propter istam, sed fabrilis. So. Non ergo sapiens appellanda est civitas ex eo, quod propter fabrilem scientiam de operibus ligno conficiendis, qua ratione peragantur, bene consultet. Glau. Non certe. So. An forte propter scientiam, quæ ænea opera fingit, vel aliam talem? Glau. Certe propter nullam hujusmodi. So. Neque etiam propter scientiam consiliumque fructuum ex terra producendorum colligendorumque sapiens nominatur ac bene consulta, sed agricolaria. Glau. Sic opinor. So. Quid vero? estne aliqua scientia in civitate nuper a nobis condita, apud cives ullos, qua non de re aliqua in civitate privata deliberatur, sed de universa potius civitate, qua ratione et ipsa ad se ipsam et ad alias civitates optime sese gerat? Glau. Est nimirum. So. Quænam hæc, et in quibus? Glau. Ipsa scilicet custodiendi diligentia, et in his principibus, quos modo custodes perfectos appellabamus. So. Propter hanc ergo scientiam quo nomine civitatem nuncupas? Glau. In consultando perspicacem ac revera sapientem. So. Utrum plures in civitate fabros ærarios quam veros hosce custodes esse putas? an contra? Glau. Multo certe plures ærarios fabros. So. An non et reliquorum omnium, quotcunque scientias habent et aliqui quodammodo nominantur, isti paucissimi erunt? Glau. Paucissimi admodum. So. Ergo ex minima quadam gente suique parte, et ex scientia, quæ in præsidente et principe parte inest, tota sapiens erit secundum naturam civitas instituta: atque id, ut videtur, natura paucissimum rarissimumve [429] genus, cui convenit esse hujus scientiæ particeps, quam solam ex omnibus aliis decet sapientiam appellare. Glau. Verissima narras. So. Hoc itaque unum ex quatuor non vides qua ratione invenimus et ipsum et qua sit civitatis in parte locatum? Glau. Mihi quidem sufficienter videtur inventum. So. At vero neque inventu difficile est, quid fortitudo sit, quave civitatis in parte locetur, propter quam fortis civitas nuncupatur. Glau. Quonam pacto? So. Quisnam ad aliud quicquam respiciens civitatem vel timidam vel fortem nominat, quam ad eam partem, quæ pro ipsa pugnat ac militat? Glau. Certe nullus ad

aliud. So. Neque enim alii in ipsa vel timidi vel fortes exsistentes auctoritatem habent, qua eam vel timidam vel fortem reddant. Glau. Non certe. So. Fortis igitur ex parte sui aliqua civitas erit, ex eo quod in ea vim quandam habeat, quæ ratam in omnibus servat opinionem, quod ea duntaxat terribilia sint et talia, quæ et qualia legislator in eruditione pronuntiavit. an non hanc fortitudinem vocas? Glau. Non satis, quod dixisti, percepi. dicas iterum. So. Conservationem quandam fortitudinem esse dico. Glau. Quam conservationem? So. Opinionis videlicet lege per educationem conceptæ, qua judicantur quæ terribilia sint et qualia. In omnibus autem eam conservationem esse dixi: hoc est, ut rata semper et ubique servetur, sive quis doloribus afficiatur seu voluptatibus aut cupiditatibus aut timoribus, nec ullo pacto quis propter hæc ab ea dimoveatur. Cui autem simile esse id arbitror, si vis, tibi aperiam. Glau. Cupio equidem. So. Nescis quod fullones, quotiens volunt lanas purpureo colore inficere, primo quidem ex tot coloribus album eligunt: deinde non mediocri opera præparant, ut quam maxime florem suscipiant: atque ita demum colore inspargunt purpureo? quod autem ita est tinctum, indelebile permanet: neque sola aqua dilui, neque etiam additis his purgationibus, quæ ad abstergendum pertinent, aboleri flos ille coloris potest. quæ autem non ita præparata sunt, scis qualia evadant, seu quis aliis tingat coloribus, seu istis, cum minus antea excoluerit. Glau. Certe deformia sunt, coloresque eorum facile diluuntur. So. Tale aliquid facere studuisse nos pro viribus cogita, quando milites ipsos eligebamus, eosque in [430] musica et gymnastica erudiebamus: atque existima nihil nos aliud excogitasse, quam ut nobis quam optime persuasi leges instar coloris cujusdam imbiberent, adeo ut eorum opinio de rebus terribilibus deque ceteris omnibus immobilis perseveret; ex eo quod optima natura geniti fuerint et decenti educatione nutriti: neque colorationem eorum delere valeant purgamina ista ad diluendum vehementissima, voluptas scilicet, omni saponis acrimonia aluminisque et calcis ad expurgandum acrior: dolor item, metus atque cupiditas, omni alio purgamine ad abstergendum potentiora. hanc utique vim passim rectæ legitimæque opinionis conservatricem circa terribilia eorumque contraria fortitudinem voco equidem atque assero: nisi tu forte quid aliud dixeris. Glau. At ipse nihil aliud. videris enim opinionem eandem de eisdem, absque disciplina conceptam, ferinam videlicet et servilem, haudquaquam existimare legitimam, sed aliud quiddam quam fortitudinem nuncupare. So. Verissima loqueris. Glau. Admitto igitur hanc fortitudinem esse. So. Intellige insuper et civilem: atque ita recte accipies. Deinceps autem de hac, si volueris, alias diligentius pertractabimus. in præsentia vero non istud quidem, sed justitiam quærebamus: ad cujus investigationem satis de hac, ut arbitror, dictum. Glau. Præclare loqueris. So. Duo restant præterea in civitate consideranda, temperantia scilicet et, cujus gratia omnia indagamus, justitia. Glau. Prorsus. So. An quoquo modo justitiam jam ipsam reperire potuimus, ne rursus in investiganda temperantia immoremur? Glau. Haud video equidem, qua ratione id fieri possit: quin neque vellem prius nobis justitiam innotescere, quam temperantiam consideraverimus. quare si mihi obsequi vis, ante hoc quam illud investigato. So. Volo equidem, nisi fit vobis injuria. Glau. Inquire jam. So. Ecce perquiro: atque ut hinc intueri licet, consonantiæ et harmoniæ magis quam superiora similis est. Glau. Quo pacto? So. Ornatus quidam est temperantia, et a voluptatibus cupiditatibusque quibusdam, ut perhibent, abstinentia. dum vero temperatum hominem se ipso potentiorem suique victorem nescio quo modo esse dicunt, et quædam similia tanquam vestigia nonnulla temperantiæ signant. an non? Glau. Maxime omnium. So. Nonne,

quod se ipso potentius nuncupatur, ridiculum quodammodo apparet? quisquis enim se ipso potentior, se inso quoque imbecillior erit: rursusque qui imbecillior, et potentior. [431] idem quippe aliquis in his omnibus appellatur. Glau. Quidni? So. Atqui videtur mihi id velle sibi hic sermo, quod in hominis anima duo quædam sunt, unum quidem melius, alterum vero deterius. et quando quod natura melius, deteriori dominatur, tunc aliquis se ipso potentior dicitur; atque hoc sermone laudatur: quotiens autem propter improbam nutritionem vel consuetudinem aliquam, quod est melius, cum minus ipsum sit, deterioris multitudine superatur, hoc ex opprobrio quodam se ipso imbecillius dicitur: et qui ita affectus est, intemperans appellatur. Glau. Sic apparet. So. Contemplare hanc nuper a nobis conditam civitatem, inveniesque ipsi alterum horum inesse. potentiorem quippe ipsam se ipsa jure vocatam fateberis. nam si melius in ea pejori imperat, temperata dicenda est et se ipsa melior. Glau. Contemplor equidem: ac vera loqueris. So. Enimvero plurimas variasque cupiditates, voluptates, dolores, in his omnibus reperire maxime quisque poterit, mulieribus et ministris, et eorum qui liberi esse dicuntur, in ipsis plebeis abjectisque hominibus. Glau. Omnino quidem. So. Simplices autem et moderatas, quæ cum mente et opinione recta, ipsa ratiocinatione ducuntur, in paucis sane reperies: et his quidem natis optime et optime educatis. Glau. Vera hæc sunt. So. An non hæc in civitate hac esse vides, atque hic cupiditates vulgi viliumque personarum superatas a cupiditatibus et temperantia pauciorum modestorumque virorum? Glau. Cerno equidem. So. Si qua igitur civitas potentior cupiditatibus et voluptatibus, atque item in se ipsa, hæc maxime talis appellanda est. Glau. Prorsus. So. Itaque nonne juxta hæc omnia et temperata? Glau. Maxime. So. Atqui si eadem in alia civitate tam subditis quam imperantibus, quinam administraturi sint rem publicam, opinio inest, nonne in hac præcipue inesse oportet? an non ita censes? Glau. Magnopere istud quidem. So. Quibus itaque potissimum civibus inesse temperantiam dices, quotiens sese ita habuerint? in principibusne an in subditis? Glau. In ambobus quodammodo. So. Cernis, quam apte vaticinati sumus paulo ante, harmoniæ cuidam esse similem temperantiam? Glau. Curnam? So. Quia non, quemadmodum sapientia et fortitudo in partibus quibusdam jacentes, [432] illa quidem sapientem, hæc fortem efficit civitatem, ita hæc agit: sed instar harmoniæ, quæ diapason dicitur, per totam civitatem diffunditur, efficiens consonantes in idem debiliores homines et fortiores et medios, prudentia, potentia, multitudine vel pecuniis vel alio quodam hujusmodi. quapropter rectissime possumus temperantiam hanc appellare concordiam, deterioris videlicet et potioris secundum naturam consensionem, statuentem, quem in civitate vel in unoquoque conveniat dominari. Glau. Assentior equidem. So. Cum ita sit, tria jam nobis in civitate comperta sunt, ut ex his apparet. reliqua vero species, propter quam præterea virtutis particeps civitas esset, quænam erit? constat autem hanc esse justitiam. Glau. Constat plane. So. An non jam nunc nos oportet, o Glauco, tanquam venatores hunc cespitem circumdare, circumspicientes, ne qua ex parte justitia subterfugiat et ab oculis evanescens sese occulat? patet enim hic esse. fige itaque passim intuitum, atque annitere, si quo modo possis prior me eam cernere: ipsamque mihi ostendito. Glau. Utinam possem. verum satius me uteris ut tali quodam comite, qui possim demonstrata prospicere. So. Sequere igitur, mecum Deum ante precatus. Glau. Efficiam, quod mones: ducas modo. So. Inaccessibilis hic locus atque umbrosus esse videtur, abdita certe imperscrutabilisque latebra: veruntamen pergendum est. Glau. Pergendum plane. So. Hui, hui, mi Glauco, videmur vestigia quædam ejus, quod quærimus, nacti, apparetque

istud haud longe nos effugiturum. Glau. Faustus certe nuntius. So. Quam molles hebetesque sumus, o Glauco. Glau. Quid istud? So. Jampridem nobis ab ipso principio, vir beate, quod quærimus, ad pedes revolvitur, neque ipsum inspeximus: sed ita ridendi fuimus ut illi, qui sæpe, quod in manibus habent, perquirunt. nos quoque longe petebamus, quod prope nos erat, vel forte nos latuit. Glau. Quomodo istud ais? So. Ita. nempe videmur mihi dicentes istud pridem et audientes, haudquaquam animadvertisse, id quoquo modo nos dicere. Glau. Prolixum sane proœmium audire cupienti. So. Attende, si quid dico. [433] quod quidem principio passim statuimus faciendum, cum civitatem condidimus, hoc est, ut arbitror, vel species quædam ipsius, justitia. nam diximus sæpenumero, si recordaris, unumquemque oportere unum aliquid exercere eorum, quæ civitati conducant, ad quod ipsius natura esset aptissima. Glau. Diximus procul dubio. So. Etenim quod sua agere neque per aliena curiose versari justitia est, et ex aliis multis audivimus et sæpe ipsi diximus. Glau. Diximus plane. So. Hoc utique videtur, amice, cum fit quodammodo, justitia esse, sua scilicet agere. Scis unde istud conjiciam? Glau. Nequaquam: sed dicas. So. Videtur mihi quod reliquum nobis est in civitate præter illa, quæ consideravimus, temperantiam, fortitudinem, prudentiam, hoc esse, quod omnibus illis vim præbuit, qua et innascerentur et innata perseverarent, quatenus ipsum adest. atqui diximus justitiam fore, quod restaret, si tria nobis comperta essent. Glau. Necessarium id quidem. So. Veruntamen si judicandum sit, quid horum potissimum, cum inest, bonam efficit civitatem, ambiguum erit, utrum consensio imperantium et subjectorum: an legitimæ opinionis servatio in militibus, judicantis secundum legem, quæ terribilia censenda sint quæve non; vel in principibus ipsis prudentia et custodia: an id potius bonam ipsam præ ceteris reddat, cum inest pueris, mulieribus, servis, liberis, artificibus, magistratibus et privatis, quod videlicet suum quisque unus unum egerit, minime per aliena vagatus. Glau. Ambiguum certe. quidni? So. Ergo vis ipsa, qua sua quisque in civitate agit, de ipsius civitatis virtute ex æquo cum sapientia ejus temperantiaque et fortitudine certat. Glau. Valde. So. An non igitur justitiam pones, quod cum istis ex æquo de civitatis virtute concertat? Glau. Omnino equidem. So. Considera præterea et hac ratione, nunquid tibi sic videatur. An principibus in civitate mandabis, ut juste sententias ferant? Glau. Cur non? So. An judicabunt alterius cujusquam avidi magis quam hujus ipsius, ut singuli neque usurpent aliena neque suis priventur? Glau. Non alterius certe, sed istius duntaxat. So. Tanquam id justum sit. Glau. Nempe. So. Et hac quoque ratione asseritur, sui cuique et proprii possessionem [434] actionemque esse justitiam. Glau. Est ita. So. Vide, nunquid et tibi idem quod mihi videatur. si faber opera coriarii aggrediatur vel coriarius fabri, vel instrumenta inter se commutent vel præmia; aut si idem utraque exercere contendat, omniaque talia invicem permutentur: nunquid commutationem hanc existimas magna quadam jactura afficere civitatem? Glau. Haud certe nimium. So. Quotiens autem aliquis artifex vel alius natura quæstuarius, divitiis elatus vel multitudine copiaque vel robore aut ejusmodi alio quopiam, in militaris hominis ordinem transire conatur: vel miles, cum sit indignus, in consularis nititur et custodis ascendere dignitatem: et instrumenta vicissim isti præmiaque permutant: aut idem aliquis hæc omnia simul peragere tentat: tunc arbitror confusionem pervagationemque ejusmodi videri tibi civitatis totius interitum. Glau. Et maxime quidem. So. Cum ergo tria in civitate sint genera, horum mutua commutatio vagatioque per plura extrema est civitatis calamitas et maxima corruptela. Glau. Penitus. So. Corruptelam vero summam

civitatis tuæ nonne injustitiam esse dices? Glau. Quidni? So. Hoc igitur injustitia est. rursus autem sic dicimus: Quæstuarii, auxiliarii, consularis generis actio propria, unoquoque suum opus peragente in civitate, contra ac confusio illa superior, et justitia erit et civitatem justam efficiet. Glau. Haud aliter quam sic se habere videtur. So. Nondum omnino istud debemus asserere. verum si et in cujusque hominis animo species eadem considerantibus nobis justitia esse asseveretur, tum demum consentiemus; nam quid aliud dixerimus? alioquin tunc aliud quicquam excogitabimus. Nunc autem disceptationi huic finem jam imponamus, secundum quam existimavimus, si plurium habentium justitiam in majori prius eam contemplaremur, facile deinde in homine uno nos quale hoc sit inspecturos. visumque nobis est majus ipsum civitatem exsistere: atque ita quam optimam potuimus eam condidimus, scientes in bona re publica inesse justitiam. quare quod in illa nobis apparuit, referamus ad unum: et si idem ibi constet, satis nobis erit factum; si quid autem aliud in uno appareat, rursus ad civitatem conversi hæc examinabimus: [435] ac forte alterna comparatione disceptantes, velut scintillas ex his justitiam excutiemus, eamque jam, cum clare micuerit, apud nos ipsos stabiliemus. Glau. Scite loqueris: atque ita agendum. So. Nunquid quod idem appellamus tam majus quam minus, dissimile est, quatenus idem, an simile? Glau. Simile certe. So. Ergo vir justus a civitate justa, quod ad justitiæ speciem pertinet, nihilo differet, sed similis erit? Glau. Similis. So. Atqui civitas justa esse tunc visa est, cum in ipsa tria hominum genera pro natura cujusque sic instituta erunt, ut unusquisque suum opus exerceat: temperata rursus et fortis et sapiens propter alios quosdam eorundem generum affectus et habitus. Glau. Vera hæc sunt. So. Unum quoque, o amice, ita censebimus, habentem easdem has ejus in animo species, propter affectus eosdem eadem nomina merito cum civitate sortiri. Glau. Necesse est omnino. So. In levemne rursus, amice, de anima cogitationem incidimus, utrum tres in se species has habeat, necne? Glau. Minime mihi in levem disceptationem delapsi videmur. forte enim, quod dicitur, verum est, o Socrates, pulchra difficilia esse. So. Apparet utique. ac certe scito, o Glauco, nos, ut mea fert opinio, nunquam ex discursibus hujuscemodi, qualibus in præsenti disputatione utimur, exacte id comprehensuros: longior porro via est, quæ ad hoc nos ducit; forte tamen secundum ea, quæ supra dicta et considerata sunt, facilius disseretur. Glau. An non sat istud videri debet? mihi sane in præsentia id sufficiet. So. Mihi quoque valde sufficiens. Glau. Ergo ne te pigeat: sed considera. So. Profecto nobis necesse est confiteri easdem in nobis species atque mores inesse, quæ et in civitate. neque enim aliunde in civitatem hæc devenerunt. ridiculum quippe esset, si quis iracundam animositatem existimaret nequaquam ex privatis hominibus in civitates invectam esse, quorum idem est captus, qui et Thracum, Scytharum superiorumque gentium: aut sapientiæ studium non ex tali privatorum instinctu, qualis natura nostris hominibus est tributus: [436] aut quæstus aviditatem non ex ea singulorum hominum cupiditate, qua affecti apprime dicuntur Phœnicii Ægyptiique nonnihil. Glau. Et maxime quidem. So. Hoc quidem ita se habet, neque difficile cognitu. Glau. Haud certe difficile. So. Id autem difficile jam, utrum uno quodam eodem singula hæc agamus, an potius tria quædam habeamus in nobis, quorum singulis singula operamur: uno quidem discimus, irascimur alio, tertio concupiscimus voluptates eas, quæ ad nutritionem generationemque pertinent, ceteraque hujusmodi: vel tota anima unumquodque explemus, cum conciti rem aggredimur. hæc haud facile pro rei dignitate discernerentur. Glau. Mihi quoque idem videtur. So. Sic autem aggrediamur hæc distinguere, nunquid

eadem sunt invicem vel diversa. Glau. Quonam pacto? So. Constat plane idem contraria facere seu pati secundum idem et ad idem simul non posse. quamobrem si quando reperiemus in ipsis hæc fieri, intelligemus non unum idem hæc esse sed plura. Glau. Esto. So. Animadverte, quod dico. Glau. Dic. So. Stare simul atque moveri idem secundum idem nunquid potest? Glau. Nullo modo. So. Præterea hæc diligentius confirmemus, ne qua procedentibus nobis ambiguitas forte suboriatur. si quis enim dixerit hominem stantem quidem, moventem vero manus et caput, eundem stare simul atque moveri: haudquaquam ita dicendum censebimus, sed partem quidem ejus manere, partem vero moveri. an non ita? Glau. Ita prorsus. So. Quod si artificiosius et argutius iste luserit, asserens turbinem trochumque totum moveri simul et stare, quando in eodem puncto centrum aculeumque figens revolvitur; vel aliud quicquam dicens idem agere, cum eidem affixum cardini circumfertur: nequaquam assentiemur, quia non secundum eadem sui hæc tunc moveantur et maneant. dicendum quippe habere ipsa rectum in se atque rotundum, et secundum rectum quidem stare, cum nulla ex parte declinent; secundum vero rotundum circummoveri. quotiens autem, dum quid revolvitur, in rectum quoque devehitur, sive ad dexteram sive ad sinistram, vel ante vel retro, tunc nusquam permanet. Glau. Recte admodum. So. Quare nulla ex his objectionibus nos perturbabit, persuadebitque quod idem quandoque simul secundum idem atque ad idem [437] contraria sit vel agat vel patiatur. Glau. Me quidem minime ista movebunt. Glau. Veruntamen ne in istis objectiunculis enarrandis rejiciendisque utpote falsis diutius cogamur insistere, supponentes jam id ita esse, ulterius progrediamur, confessi invicem, si quando aliter quam sic se habere hæc appareant, quæcunque ex his ducuntur, fore soluta. Glau. Sic nimirum decet. So. Nonne adnuere et renuere, aggredi et declinare, adsciscere et rejicere, inter se contraria pones, sive actiones seu passiones? nihil enim interest. Glau. Contraria. So. Quid autem hæc? esurire, sitire, et omnino cupere, velle, eligere nonne ad eorum species referes, quæ modo diximus? veluti semper cupientis animam nonne vel aggredi dices illud, quod appetit; vel adsciscere, quod sibi adesse eligit; vel quatenus vult aliquid sibi porrigi, adnuere et illud ad se trahere, amantis more generationem ipsius affectantem? Glau. Equidem. So. Quid vero, nolle, aspernari, negligere, non cupere, nonne in rejiciendi repellendique speciem et in omnia illis contraria referemus? Glau. Quidni? So. Cum hæc ita se habeant, speciem aliquam cupiditatum esse dicemus, et manifestissimas omnium aliarum cupiditatum, sitim et famem? Glau. Dicemus utique. So. Et hanc quidem potus, illam cibi? Glau. Ita est. So. Nunquid, in quantum sitis est, alicujus præterea cupiditas est alterius quam cujus nos dicimus, potus scilicet et sitis? Glau. Hujus duntaxat sitis. So. Nunquid calidæ potionis vel frigidæ, vel multæ vel paucæ? vel et in pauco qualis cujusdam poculi? vel potius, si calor sitienti inest, frigidi appetitum inducit: sin autem frigus, calidi? et si propter præsentiam multitudinis multa sit sitis, multi aviditatem infert: sin autem pauca, pauci? ipsum vero sitire nunquam alicujus alterius appetitio est, quam cujus suapte natura est, ipsius videlicet potionis: rursusque famescere comestionis? Glau. Ita certe ipsa cupiditas quæque ipsius cujusque est solum, cujus ipsa natura est; talis autem vel talis cujusdam propter additamenta quædam dicitur. [438] So. Cavendum est autem, ne quis nos improvidos turbet, inferens neminem potum cupere, sed potum bonum: vel cibum, sed bonum cibum; nempe bona omnes expetunt. quare si sitis appetitio est, boni est, sive potionis seu cujusvis alterius est aviditas; similiterque de ceteris. Glau. Forte nonnihil efficere videbitur; qui

talia dixerit. So. Veruntamen quotcunque ejusmodi sunt, ut alicujus sint, talia quædam talis cujusdam sunt, ut arbitror, ipsa autem quæque ipsius cujusque duntaxat. Glau. Haud intelligo equidem. So. Non intelligis majus ipsum ejusmodi esse, ut semper aliquo majus exsistat? Glau. Plane. So. Nonne minore? Glau. Minore. So. Multo autem majus multo minore: an non? Glau. Sic est. So. Et quondam majus quondam minore: deinceps quandoque majus deinceps quoque minore? Glau. Nihil prohibet. So. Atque etiam plura ad pauciora, dupla ad dimidia, et omnia talia, itemque graviora ad leviora, et velociora ad tardiora, et calida item ad frigida, omniaque horum similia eodem modo invicem referuntur. Glau. Certe. So. Nonne et de his, quæ ad scientias spectant, eadem ratio? scientia quidem ipsa rei ipsius, quæ scitur, scientia est, vel cujuscunque alterius dicenda est esse scientia. at vero scientia quædam et scientia talis rei cujusdam et talis esse dicitur. Tale vero aliquid dico. postquam ædificandarum ædium scientia exstitit, ab aliis scientiis discreta est, adeo ut ædificatoria appellata sit. Glau. Quidni? So. Nonne ex eo, quod talis sit, qualis aliarum nulla? Glau. Nempe. So. Ergo quia talis cujusdam, ideo talis quædam effecta est: eodemque modo ceteræ artes omnes atque scientiæ. Glau. Est ita. So. Hoc itaque inferre me voluisse tunc dicito, si modo nunc intellexisti, quod quæcunque ejusmodi sunt, ut alicujus sint, ipsa quidem sola ipsorum sunt duntaxat, talium vero quorundam talia quædam. neque vero ideo dico, quod qualium sunt, sint et talia, quia scilicet et ægrotantium et bene valentium scientia bene vel male valens et ipsa sit: bonorum item atque malorum bona rursus ac mala: sed quoniam non illius ipsius duntaxat, cujus absolute scientia est, evasit scientia, immo talis cujusdam: hoc autem est salubre et insalubre: talis quædam ipsa quoque effecta est. ex quo factum est, ut non amplius scientia simpliciter appelletur, sed quali quodam addito medicinaria scientia. Glau. Teneo jam: mihique hæc ita sese habere videntur. So. Sitim vero nonne his [439] annumerabis, quæ id, quod sunt, alicujus exsistunt? est autem sitis? Glau. Annumero equidem, et potionis sitim esse dico. So. An non qualis cujusdam poculi qualis quædam sitis? Ideoque sitis ipsa neque multi neque pauci, neque boni neque mali, neque, ut uno verbo complectar, qualis cujusdam, sed potionis ipsius solummodo sitis ipsa natura est? Glau. Sic est omnino. So. Sitientis igitur anima, quatenus sitit, non aliud appetit quam bibere, idque affectat et ad ipsum fertur. Glau. Constat. So. Si quid ergo ipsam quandoque retrahit sitientem, aliud quiddam erit in ipsa ab ea parte diversum, quæ sitit et quasi bestia quædam ad bibendum impellit. neque enim fieri posse dicimus, ut idem aliquid eodem sui circa idem simul agat contraria. Glau. Non certe. So. Quemadmodum absurdum dictu est, eandem sagittarii manum simul arcum intendendo protrahere atque contrahere. porro dicendum est alteram esse manum quæ protrahit; alteram vero, quæ contrahit. Glau. Ita prorsus. So. Fatemurne esse aliquos, qui cum sitiant, nonnunquam bibere nolint? Glau. Multos ac sæpe. So. Quid de iis aliquis dicet? nonne inesse in horum anima aliquid, quod ad bibendum allicit, aliquid contra, quod cohibet? quod quidem et aliud est, et ei, quod allicit, dominatur. Glau. Mihi quidem videtur. So. An non igitur quod prohibet ista, ex ratione inest, quotiens operatur? quæ vero concitant atque trahunt, ex affectibus perturbationibusque sunt? Glau. Apparet. So. Merito igitur duo hæc inter se diversa existimabimus, et illud quidem, quo ratiocinatur animus, rationale ipsius denominabimus: illud vero, quo amat, esurit et sitit et ad alias libidines pronior labitur, irrationale et avidum repletionum quarundam et voluptatum. Glau. Diversa profecto: meritoque ita censebimus. So. Hæ itaque duæ jam

in anima species distinctæ sint. Illud autem, quod ad irascibilem pertinet quove irascimur, utrum tertium quiddam est, an alterius horum cognatum? Glau. Forte ejus, quod voluptates cupit, est cognatum. So. Atqui credo hoc equidem ex eo, quod audivi quondam: quod videlicet cum Leontius Aglaionis filius ex Piræo sub boreali muro ad civitatem ascendens sentiret extra cadavera prope littus jacentia, simul et videre cupiebat, et horrebat tamen absterrebaturque vultumque tegebat, [440] secum ipse pugnans. cupiditate denique superatus, ad cadavera directis et patefactis oculis adventavit, dicens: Ecce jam vobis licet, o infelices; desiderium vestrum pulchro explete spectaculo. Glau. Audivi et ipse. So. Itaque sermo testatur iram sæpe pugnare adversus concupiscentiam, tanquam hæc inter se diversa sint. Glau. Id certe significat. So. Nonne et alibi frequenter animadvertimus, quando distrahunt aliquem præter rationem cupiditates, objurgantem ipsum sese, et adversus id sui, quod trahitur, indignantem? et quasi duobus dissentientibus adjutricem rationi iram accurrere? ratione autem imperante non esse sibi contradicendum, iram cupiditatibus conjunctam obsistere illi, arbitror te nunquam vel in te ipso vel in alio tale persensisse. Glau. Nunquam per Jovem. So. Quid porro? quando quis injuriam inferre se putat, nonne quo generosior est, eo minus irascitur, dum esurit et alget et aliud quodvis tale patitur ab eo, quem jure hæc agere censet? et, quod jam dixi, ira istius in eum quodammodo non irritatur? Glau. Vera loqueris. So. Quid autem? quando injuriam se pati quis putat, nonne tunc satagat et sævit et auxilium præstat ei, quod justum videtur, famem, frigus et cetera talia tolerans? et ad victoriam contendit, neque a generoso opere cessat prius quam vel transegerit vel obierit, vel tanquam canis a pastore, ita denique revocatus ab ea, quæ in ipso est, ratione mitescat? Glau. Omnino hæc vis ei similis est, cui tu comparas. etenim in nostra civitate auxiliarios ipsos tanquam canes posuimus obtemperantes principibus quasi quibusdam pastoribus civitatis. So. Optime, quod dicere volebam, intellexisti. sed num et hoc insuper animadvertis? Glau. Quid istud? So. Quod in præsentia contra ac supra de iracundia judicamus. tunc sane irascendi vim ad concupiscendi naturam referebamus: nunc vero multum interesse dicimus, ac multo magis iram asserimus animæ partibus inter se dissidentibus pro ratione arma capessere. Glau. Ita prorsus. So. Nunquid et irascendi vis est a ratione diversa, vel quædam species rationis, adeo ut non tres in animo, sed duæ species sint, rationale et concupiscens? an potius, quemadmodum in civitate apparuerunt tria quædam [441] genera, quæ ipsam continent, quæstuarium, auxiliarium, consulatus, ita et in anima tertia quædam vis est iracundia, quæ natura ipsa rationis tutatur partes, nisi ex improba educatione fuerit depravata? Glau. Necesse est, ut tertia sit. So. Nempe etiamsi alia quam ratio apparuerit, quemadmodum supra visa est a concupiscentia differens. Glau. At vero facile id quidem patere potest. nam in puerulis quivis istud intelligat, qui statim nati iracundia pleni sunt. rationis autem aliqui nunquam, multi sero compotes fieri mihi videntur. So. Per Jovem, præclare loqueris. præterea in bestiis ita esse quisque, ut ipse dicis, comperiet. testatur et istud Homeri, illud quod supra induximus,

Pectora castigans monitis affatur acerbis:
Perpetere, o cor; nam tu longe alias graviora tulisti.

in his porro Homerus, tanquam hæc inter se differant, alterum horum objurgare alterum facit, ipsam videlicet rationem de meliori pejorique consultantem, irrationalem iracundiæ impetum cohibere. Glau. Recte admodum loqueris. So. In his itaque vix tandem consensimus, satisque inter nos constitit eadem in civitate,

eadem et in cujusque anima genera esse, ac numero paria. Glau. Sic certe. So. Quin et hoc necessarium est, quemadmodum et quo sapiens erat civitas, ita et eodem sapientem esse privatum. Glau. Plane. So. Item quo fortis est privatus aliquis et quomodo, eodem et ita fortem esse civitatem : et in ceteris omnibus ad virtutem utraque similiter se habere. Glau. Necesse est. So. Atqui et justum, o Glauco, virum dicemus eadem ratione, qua dicimus civitatem. Glau. Necessarium id omnino. So. At nondum illud obliti sumus, quod civitas ex eo justa visa est, quia, cum tria in ea sint hominum genera, suum quisque explet officium. Glau. Haud certe mihi obliti videmur. So. Meminisse ergo oportet, quod quisque nostrum, cujus singulæ animæ partes quod suum est agunt, et justus erit et sua peragens. Glau. Meminisse prorsus. So. Nonne rationali potentiæ convenit imperare, cum sapiens sit geratque totius animæ providentiam ? irascendi vero naturæ obsequi rationi proque illa pugnare ? Glau. Penitus. So. Nonne, ut supra tractavimus, musicæ et gymnasticæ mixtio atque temperantia, ut concordia ista sint, efficit ? unum quidem horum intendens augensque [442] et nutriens præclaris sermonibus et disciplinis, alterum vero remittens, sedans, mansuefaciens per harmoniam atque rhythmum ? Glau. Maxime. So. Cumque ita nutrita hæc fuerint et, quæ sua sunt, revera didicerint, et optime fuerint erudita, ardori concupiscentiæ præsidebunt : quæ pars animæ in quocunque est plurima, neque unquam pecuniarum possessione repletur : cavebuntque, ne corporalium voluptatum expletione adaucta grandior robustiorque evadat, nolitque suo duntaxat officio fungi, sed subjicere sibi illa contendat, quibus imperare natura non debet, atque ita universam omnium vitam pervertat. Glau. Sic prorsus. So. Quin etiam ab externis hostibus hæc animam omnem corpusque custodit, dum illud quidem provide consulit, hoc autem propugnat, obtemperat principi, fortitudine, quæ consulta sunt, peragit. Glau. Vera hæc sunt. So. Fortem profecto hac ex parte virum quemque vocamus, quando in ipso iracundiæ vigor ita institutus est, ut in mediis voluptatibus et doloribus in sententia sua persistat, non aliter esse de terribili judicandum, quam ratio ipsa dictaverit. Glau. Probe. So. Sapientem vero brevi illa ex parte, quæ et imperavit in ipso et ista dictavit, habens in se ipsa scientiam, qua discernit, quid potissimum ex usu sit tam singulis quam universo ex his tribus cœtui constituto. Glau. Certe. So. Temperantem rursus aliquem appellamus horum ipsorum amicitia atque concordia, quando et quod præsidet et quod subest, in sententiam eandem conveniunt, rationem scilicet imperare decere, neque ab illa desciscendum esse. Glau. Temperantia profecto nihil est aliud et privatim et publice. So. Justus denique ex eo atque ita erit quisque, ex quo sæpe jam diximus et quemadmodum exposuimus. Glau. Necessarium id omnino. So. Quid porro ? estne aliquid, quod hanc nostram usque adeo sententiam interturbet, ut aliud videatur esse nobis justitia quam quod in civitate constitit ? Glau. Mihi quidem non videtur. So. Quin immo, si quid adhuc inter nos in controversia sit, sic iterum superiora penitus confirmabimus, absurda illa huic objicientes. Glau. Qualia ? So. Veluti si in hoc deliberare nos oportuerit de civitate illa deque homine similiter atque illa nato atque nutrito, nunquid vir talis, cum depositum auri vel argenti acceperit, videatur quandoque fraudem excogitaturus : censes aliquem judicaturum ejuscemodi virum fraudem [443] committere potius quam aliter affectos homines ? Glau. Neminem prorsus. So. An non a sacrilegiis hic, furtis, proditionibus, tam privatim adversus sodales quam publice adversus rem publicam, innocens erit ? Glau. Innocens. So. Atqui neque infidus vel in jurejurando vel quibuscunque commer-

ciis. Glau. Nullo pacto. So. Adulteria quidem, parentum contemptus, impietas in Deos, cuilibet alteri potius quam huic conveniunt. Glau. Ita prorsus. So. Nonne horum omnium causa hæc est, quia quicquid in ipso est, suum opus exsequitur, tam ad imperandum quam parendum? Glau. Nulla certe alia. So. Quid? quæris aliud esse justitiam quam hanc ipsam vim, quæ tales viros et tales efficit civitates? Glau. Ego quidem minime. So. Tandem nobis absolutum est somnium illud, quod nos conjecisse diximus: quod mox incipientes condere civitatem, Deo quodam favente, in principium aliquod et imaginem justitiæ ascendisse videmur. Glau. Omnino quidem. So. Hoc autem erat, o Glauco, propter quod confert quoddam justitiæ simulacrum: nempe debere, qui natura coriarius est, artem hanc exsequi aliud nihil aggressum, qui vero faber, fabricare, similiterque in ceteris. Glau. Apparet. So. Revera quidem talis justitia est, sed non circa actionem exteriorem, immo circa interiorem suarum partium actionem vere ad ipsummet animum et ad sua: dum nihil permittit ex suis aliena tentare, neque sinit animæ genera opera invicem confundentia per plura vagari: sed revera propria recte digerit, suique est dominus, sese exornat, amicus sibi ipse effectus, in se tria ipsa contemperans, tanquam tres terminos harmoniæ, neatis, hypatis et mediæ, hoc est octavæ vocis et gravis et quintæ: seu quævis alia media fuerit. Itaque hæc omnia nectens, ipseque undique unus effectus ex multis temperans atque concinens, ita demum agit, si quid agit, vel circa pecunias acquirendas vel corporis cultum, vel etiam circa civilia aut privata commercia: in his omnibus actionem illam justam et præclaram existimans, quæ habitum hunc peragit atque servat: sapientiam vero [444] operationi huic præsidentem scientiam: injustam autem operationem, quæ hanc dissolvit: insipientiam denique operationis hujus ducem opinionem. Glau. Vera prorsus, o Socrates, loqueris. So. Si ergo nos invenisse dixerimus justum virum et civitatem justam, quidve in utrisque justitia sit, haud forte multum, ut arbitror, mentiri videbimur. Glau. Non per Jovem. So. Asserendum igitur? Glau. Procul dubio. So. Esto itaque. Enimvero deinceps de injustitia considerandum videtur. Glau. Plane. So. Seditionem quandam horum trium injustitiam appellare decet, curiosamque et variam alieni operis usurpationem, et insolentem partis cujusdam prævaricationem adversus totam animam rebellantis, insurgentisque ad imperandum regio animi generi, cui servire eam natura jubet. talia quædam, ut arbitror, atque horum turbationem erroremque injustitiam esse dicemus, et intemperantiam, ignaviam, insipientiam et universam denique pravitatem. Glau. Hæc prorsus ita se habent. So. Nonne satis jam perspicue patet, quid est injusta facere et injuriari, ac rursus, quid agere justa, quandoquidem justitia et injustitia patent? Glau. Quonam pacto? So. Quia nihilo a salubribus et insalubribus differunt. nempe ut hæc circa corpus, sic circa animum se habent et illa. Glau. Qua ratione? So. Salubria quidam sanitatem inducunt, insalubria morbum. Glau. Plane. So. Similiter quoque justa agere justitiam gignit in animo, injusta facere injustitiam. Glau. Necesse est. So. Est autem sanitatem inferre, ita, quæ in corpore sunt, disponere, ut secundum naturæ ipsius ordinem invicem superentur et superent: morbum autem inducere usque adeo corporis partes inficere, ut contra naturæ legem dominentur inter se subjicianturque. Glau. Est ita. So. Eadem ratione justitiam præstare cuiquam, nihil est aliud, quam animi partes in ordinem suum digerere, ut ad naturæ normam pareant atque imperent: injustitiam vero, ut contra naturam exsuperent invicem ac succumbant. Glau. Prorsus. So. Virtus igitur, ut apparet, sanitas quædam est

et pulchritudo et robustus animi vigor: pravitas contra morbus, turpitudo et imbecillitas. Glau. Est, ut dicis. So. Nonne igitur exercitationes honestæ ad virtutem acquirendam conducunt, turpes ad pravitatem deducunt? Glau. Necesse est. So. Restat, ut videtur, discutiendum, nunquid prosint agere justa, honesta colere, [445] esse justum, sive occultum id cuique sit sive non: an injuriari et injustum esse, si modo non det pœnas neque fiat ex punitione melior. Glau. Mihi quidem, o Socrates, ridicula disceptatio ista fore videtur. siquidem corporis natura corrupta videtur non esse vivendum, neque etiam in summa epularum et poculorum omnium affluentia, cunctis divitiis et totius orbis imperio. natura vera ejus, quo vivimus, polluta atque corrupta num vivendum erit, si quis quodcunque lubet, aliud agat quam hoc unum, unde ab improbitate iniquitateque liberetur, justitiam vero et probitatem adipiscatur? postquam talia hæc utraque, qualia narravimus, apparuerunt. So. Ridicula profecto. Verum posteaquam eo devenimus, ut, quam certissime fieri potest, quod hæc ita se habent, perspiciamus, minime desistendum. Glau. Per Jovem minime omnium. So. Age jam, huc accede, ut videas, quot species improbitas habet, ut mihi videtur. Attende nunc. nempe hæc digna conspectu. Glau. Sequor equidem: dicas modo. So. Atqui tanquam e specula quadam, postquam huc ratiocinando conscendimus, una mihi species virtutis occurrit, pravitatis innumeræ. ex quibus quatuor quidam modi potissimum sese offerunt, quorum meminisse oportet. Glau. Quomodo istud ais? So. Quot sane rerum publicarum modi sunt species suas habentes, totidem esse et animæ ipsius apparent. Glau. Quot? So. Quinque rerum publicarum, quinque rursus et animæ. Glau. Dic quales. So. Unum aliquem reipublicæ modum esse hunc assero, quem exposuimus: duabus vero appellationibus declarari potest, nam si inter principes civitatis unus quidam sit omnium præstantissimus, regnum vocabitur: sin autem plures, gubernatio appellabitur optimatum. Glau. Vera narras. So. Hanc unam ideo speciem esse dico, quia sive plures gubernent sive unus, nullus, qui ita, ut diximus, educatus et eruditus fuerit, quicquam existimatione dignum in rei publicæ legibus permutabit. Glau. Neque enim consentaneum esset.

LIBER V.

[449] Bonam equidem civitatem hujusmodi rectamque rempublicam voco, virumque talem bonum esse dico. ac si recta hæc res publica est, alias pravas appello, utpote quæ circa civitatis ipsius gubernationem et privatorum disciplinam aberrent: quæ quidem in quatuor speciebus pravitatis sunt. Glau. Quænam istæ? Tunc ego narrare pergebam, qua ratione mihi singulæ ex sese invicem dependere viderentur. Verum Polemarchus (paulo enim a me remotior erat quam Adimantus, Adimanti post tergum sedens) extendit manum, prehendensque superne pallium Adimanti circa humeros, et eum paulisper ad se traxit, et os ad aures ejus admovit, submissa voce susurrans. ex his autem, quæ dixerit, nihil ipsi percepimus nisi id unum, quod ait Permittemusne? an quid agemus? Cui Adimantus altius respondens, Minime, inquit. Ad hæc ego: Quidnam istud est, quod non vultis permittere? Adi. Te. So. Quid maxime? Adi. Declinare nempe nobis videris,

speciemque totam disputationis hujus non minimam subticere, ne nobis exponas, atque subripere : putansque latere nos negligenter dixisti, de uxoribus quidem et pueris constabit omnibus, omnia sicut inter amicos communia esse debere. So. An non recte dixi, o Adimante? Adi. Recte nimirum : sed quemadmodum in aliis, ita in hoc explanare oportet, qua ratione ita se recte id habeat, quis communionis modus sit. nam multi esse possunt. ne igitur id prætermittas, quo minus nobis aperias, quem tu potissimum dicas. Profecto nos diu jam exspectamus, sperantes expositurum te tam circa filiorum procreationem, quæ sit generationis conditio, quam circa nutritionem, quæ educationis futura sit ratio : qualisque debeat esse hæc omnis, quam tu dicis, mulierum filiorumque communio. plurimum quippe, immo vero totum referre istud ad rem publicam ducimus, rectene an non recte agatur. Nunc autem cum rem publicam aliam aggrediaris, priusquam hæc sufficienter tractaveris, visum id nobis est, quod et ipse [450] audisti ne te aliud quicquam aggredi permittamus, antequam hæc omnia, quemadmodum alia, exposueris. Glau. Me quoque vobiscum sentire existimate. Thra. In hoc procul dubio nos convenire omnes, o Socrates, puta. So. Quid agitis, obsecro, qui me ita revocatis? quam gravem rursus, tanquam a principio, disputationem de re publica suscitatis! Nempe ego, quasi hanc jam peregissem, mecum ipse congratulatus sum, satis mihi esse factum existimans, si quis nunc dimittat hæc suscipiens, quemadmodum supra dixi. quæ vos nunc exigentes nescitis quam frequens disputationum instigetis examen. quod ego tunc prospiciens, libens cessi ac prætermisi, ne crebro nos tumultu turbaret. Thra. An convenisse huc hos arbitraris, o Socrates, ut aurum funderent, potius quam ut sermones audirent? So. Ut sermones audirent quidem, sed moderatos. Glau. Modus certe et terminus horum sermonum audiendorum, o Socrates, omnis vita est viris mentem habentibus. Sed nos quidem mitte : tu vero ne graveris, si tibi videtur, ea, quæ perquirimus, declarare, quæ nostris custodibus circa mulieres et filios sit futura communio, quæve nutriendorum puerorum ratio eo ipso in tempore adhibenda, quod generationem inter et disciplinam labitur, quæ laboriosissima certe esse videtur. conare, quæsumus, nobis hæc aperire. So. Haud facile, o vir beate, explicari hæc possunt. plures enim in his, quam in superioribus, insunt ambiguitates. primo quidem, an fieri hæc possint, dubitaretur. quin etiam si possint, utrum optima ista sint, et quomodo, dubitabitur. quapropter difficultas hæc me dehortatur, verentem, o dulcis amice, ne votum quoddam et fictio esse mea hæc oratio videatur. Glau. Ne pigeat, obsecro. neque enim auditores habes ingratos vel incredulos vel malevolos. So. O vir optime, ut exhorteris me, hæc affers? Glau. Nempe. So. Contra facis omnino. nam si mecum ipse confiderem, nosse ea, quæ dico, recta esset hæc consolatio. nempe tutum est et audendum, inter amicos prudentesque viros, vera quæ quis cognoscit, de maximis pretiosisque rebus pronuntiare. cum diffidentia vero et ambiguitate verba facere, quemadmodum ipse facio, metuendum est et fallax : haud formidandum, inquam, ne risum audientibus [451] moveam : nam puerile id quidem : sed ne a vero procul aberrans et ipse falsitati succumbam, et amicos mecum traham in ruinam, et in his una decipiamur, in quibus minime omnium errare conveniat. Adoro itaque supplex Adrastiam ob ea, quæ dicturus sum, Glauco. reor enim minus eum delinquere, qui non sponte aliquem perimit, quam qui circa constitutiones de honestis et bonis justisque fallit. hoc autem discrimen subire præstat inter inimicos homines quam amicos. quare melius, o Glauco, me consolare. Glau. At enim, o Socrates, si quo pacto nos ex hac disputatione

errare contigerit, absolvemus te velut ab homicidio, et insontem in hac deceptione pronuntiabimus. ergo audacter disputationem ingredere. So. Porro innocens est, qui illic absolvitur, ut leges docent. ergo et qui hic absolvitur, innocens. Glau. Dic itaque hanc ob causam. So. Dicere nunc rursus oportet, quæ forte deinceps dicenda erant. forte autem operæ pretium est, posteaquam integrum virile opus expressimus, deinceps quæ sunt mulierum referre : præsertim cum ad hoc ipse me cohorteris. Hominibus quidem natis et eruditis, quemadmodum supra narravimus, ut mea fert opinio, nulla est alia recta filiorum mulierumque adeptio atque usus quam ea via gradientibus, quam ipsi a principio ingressi sumus, etenim conati sumus, tanquam gregi custodes, viros sermone præficere. Glau. Nempe. So. Sequamur igitur, generationem nutritionemque quam simillimam adhibentes : consideremusque, utrum ita deceat necne ? Glau. Quonam pacto ? So. Ita : utrum inter canes gregis custodes feminas ipsas censemus una eadem custodire debere, quæ et mares, et una venari, ac cetera omnia communiter facere : an feminas quidem intus quasi domestica adservare, tanquam ad forensia opera impotentes, propter ipsum catulorum partum et nutrimentum : masculos autem labores subire omnemque armenti curam gerere ? Glau. Communiter his omnia tribuimus : nisi quod feminis ut imbecillioribus, maribus ut robustioribus utimur. So. Fierine potest, ut animali aliquo ad eadem utaris, nisi eadem ratione nutriveris erudieris-que ? Glau. Nullo modo. So. Si ergo feminis ad eadem utemur ac viris, in eisdem erudire decet. [452] Glau. Certe. So. Musica autem et gymnastica viros in superioribus erudivimus. Glau. Sane. So. Mulieribus igitur artes hac similiter et res bellicæ tribuendæ sunt, ad eademque uti his decet. Glau. Consentaneum istud quidem ex his, quæ dicis. So. Forsitan multa præter consuetudinem ridicula videbuntur dicta circa ea, quæ nunc induximus, si agantur vel dicantur. Glau. Et maxime quidem. So. Quid in his maxime ridiculum cernis ? an quia nudas feminas conspecturus sis in palæstris cum viris certantes, non modo juvenes, sed et vetulas : quemadmodum senes viros in gymnasiis, quando una exercentur, licet jam rugosi veternosique sint ? Glau. Ita per Jovem. Nam ridendum id quidem, ut nunc res sunt, videatur. So. Nos igitur, postquam dicere cœpimus, haudquaquam vereri debemus facetorum hominum dicacitates, quotcunque et qualescunque jaciant adversus hujusmodi mutationem, quam circa musicam gymnasticamque inducimus, neque minus circa armaturam equestremque facultatem. Glau. Probe loqueris. So. Ergo postquam dicere cœpimus, pergamus ad legis severitatem, rogantes istos, ne solito more nugentur, sed seria cogitent, admonentesque haud longum præterisse tempus, ex quo Græcis turpia ac ridicula videbantur, quæ hodie barbarorum plerisque ridenda videntur, nudos videlicet spectare viros. et quando primum exercitationes hujusmodi aggressi fuerunt, in primis quidem Cretenses, deinde etiam Lacedæmonii, licebat profecto urbanis viris, qui tunc erant, hæc omnia carpere. an non putas ? Glau. Equidem. So. Verum postquam, ut arbitror, utentibus visum est commodius nudato corpore quam operto homines exerceri, factum est ut, quia optimum id ratione fuerat judicatum, oculis ridiculum minime videretur. ex quo perspicuum est inanem esse eum hominem, qui deridendum quicquam, præterquam quod est malum, existimat : irridereque res ipsas aggreditur, aliam quampiam sibi proponens derisionis causam, quam quod insipidum atque malum ; aut honestum quicquam et studio dignum existimat, alio respiciens quam ad bonum. Glau. Sic est omnino. So. An non in hoc primum convenire oportet, utrum possint hæc fieri necne ? concedere insuper cuique, ut pro arbitrio adversus hæc ambigat, sive joco sive serio quis addubitare voluerit,

utrum in hominum natura possit femina cum masculo in omnibus operibus [453] communicare, vel in nullo : vel in quibusdam valeat, in aliis vero nequaquam : ipsaque res militaris utro in genere horum sit ? Nonne quisquis ita recte exorsus fuerit, ut decens est, recte etiam peraget ? Glau. Maxime. So. Vis ergo, ut nos pro aliorum causa nobis ipsis dubitationibus adversemur, ne sine defensione, quæ sunt rationis alterius, oppugnentur ? Glau. Nihil prohibet. So. Dicam igitur sub eorum persona hunc in modum : Nihil opus est, o Socrates atque Glauco, ut alii vobis repugnent. nam inter vos statim a principio condendæ civitatis constitit, oportere secundum naturam unumquemque unum quiddam, quod suum esset, peragere. So. Constitit. quidni ? Adversa. Dubitasne quin longe mulier ipsa natura a viro differat ? So. Cur non differat ? Ad. Ergo nonne opus utrique aliud pro natura utriusque est tribuendum ? So. Procul dubio. Ad. Quid restat igitur, quo minus aberretis nunc vobisque ipsis contradicatis ? quandoquidem asseritis viros et mulieres oportere eadem operari, cum tamen natura valde inter se discrepent. So. Habebisne, o mirifice vir, quid ad ista pro nostra defensione respondeas ? Glau. In præsentia quidem haud satis facile : sed orabo te atque oro, ut quid potissimum in nostri sermonis defensionem afferri possit, exponas. So. Hæc quidem, o Glauco, ceteraque generis ejusdem permulta jam dudum prospiciens, timidus atque invitus ad hanc legem descendebam de mulierum et filiorum adeptione atque nutrimento. Glau. Profecto non leve istud apparet. So. Non certe : sed ita res se habet. sive quis in stagnum breve prolapsus est sive profundum in pelagus, nihilominus aqua in media natat. Glau. Prorsus. So. An non et nobis quoque natandum, conandumque ut disputationis undas incolumes evadamus, sperantes aut delphinum nos aliquem suscepturum sublevaturumque, aut aliam quandam occultam salutis causam nobis fore ? Glau. Ita videtur. So. Circumspice obsecro, si qua exitum nanciscamur. Attende itaque. Convenimus profecto, naturam aliam aliud opus tractare debere : mulieris autem et viri diversam esse naturam. diversas naturas in præsentia eisdem studere jubemus. in hoc illi nos accusant. Glau. Valde. So. Quam generosa, o Glauco, [454] contradictoriæ artis potentia est ! Glau. Cur ? So. Quia videntur mihi permulti etiam inviti in eam incidere, arbitrarique nequaquam litigare sed disserere, ex eo quod nequeant secundum species dividentes, quod illis propositum est, contemplari : immo vero secundum ipsum nomen contrarietatem propositi prosequantur, contendentes potius invicem quam disputantes. Glau. Contingit equidem multis. sed nunquid et nobis idem nunc accidit ? So. Et maxime quidem. videmur sane inviti contradictionem attingere. Glau. Qua ratione ? So. Quod natura eadem opera eadem tractare non debeat, fortiter admodum et contentiose secundum nomen insequi cœpimus. consideravimus autem nullo pacto, quæ species sit alterius ejusdemque naturæ, et quorsum respicientes tunc descripsimus, quando studia diversæ naturæ diversa, eidem vere eadem attribuimus. Glau. Certe nequaquam istud excogitavimus. So. Ceterum licet nobis, ut videtur, a nobis ipsis exquirere, nunquid eadem natura calvorum sit et comatorum, an contraria potius : ac postquam concesserimus esse contrariam, si calvi coria incidant calceosque conficiant, haudquaquam sinere comatos homines eadem facere : sin autem comati, calvos nequaquam permittere. Glau. At risu dignum id esset. So. An ob aliud ridendum istud, quam quod tunc non omnino eandem et diversam naturam posuimus, sed illam duntaxat dissimilitudinis et similitudinis speciem observavimus, quæ ad ipsa eadem studia pertinebat ? quemadmodum medicum et hominem habentem animum medicinæ studiis aptum naturam eandem habere diximus. an non

censes? Glau. Equidem. So. Medicinæ vero aptum aliam, et aliam virum promptum ad fabricandum. Glau. Omnino. So. Nonne et genus virorum mulierumque genus, si ad artem aliquam aut aliud studium inter se differant, hoc utrique assignandum esse dicemus? sin autem hoc ipso duntaxat discrepare invicem videantur, quod femina quidem concipit, vir gignit, nihilo magis admittemus ostensum fuisse, quod ad id, quo de nunc nos loquimur, a viro femina differat: sed adhuc censebimus tam custodes quam mulieres ipsorum eadem apud nos exercere debere? Glau. Recte nimirum. So. Nonne post hæc jubemus eum, qui contraria dicit, hoc ipsum nobis ostendere, ad quam artem quodve officium ex his, [455] quæ instituendæ civitati conducunt, non eadem sit, sed diversa viri mulierisve natura? Glau. Sic utique decet. So. Forte quod tu paulo ante dicebas, alius quoque diceret, subito quidem ad sufficientiam dicere non facile esse: sin autem consideretur, haud multum difficile. Glau. Diceret utique. So. Vis ergo oremus eum, qui hæc nobis opponit, ut aures nobis præstet attendatque, si qua ratione illi ostendere possumus nullum esse studium ad res civitati subministrandas mulieris proprium? Glau. Omnino. So. Age itaque, dicemus ad eum, respondе: nunquid ita dicebas, ad aliquod opus aliquem bono a natura ingenio præditum, aliquem contra, ex eo quod ille facile quicquam percipit, hic difficile: et ille, si breve quid a quoquam didicerit, ex eo ipse plurimum adinvenit: hic autem, cum plura didicerit excogitaveritque, paulo post obliviscitur; et illi quidem corporis membra sufficienter menti subserviunt, huic autem repugnant? An alia præter hæc sunt, quibus hominem ad aliqua natura bene institutum et eum, qui contra est affectus, distinguis? Glau. Nullus alia dicet. So. Scisne aliquid ab hominibus exerceri, in quo non omnia eadem virorum genus et excellentius habeat quam mulierum genus et excellentius habeat quam mulierum genus? an late verbis vagabimur, texendi artificium commemorantes placentarumque et obsoniorum confectionem? in quibus aliquid mulierum esse videtur: ubi perridiculum sane apparet, cum vincitur. Glau. Vera loqueris, quia longe in omnibus, ut ita dixerim, genus a genere superatur. mulieres autem multæ multis viris ad multa præstantiores: universum vero ipsum se habet, ut dicis. So. Nullum igitur est, o amice, inter eos, qui civitatem curant, officium mulieris proprium, qua mulier est; aut viri proprium, qua vir: sed æque dispersæ in animantibus utrisque naturæ: et omnium quidem operum natura compos est femina, omnium et vir est compos: in omnibus autem imbecillior femina. Glau. Sic est prorsus. So. Num viris omnia præcipiemus, mulieri autem nihil? Glau. At quomodo? So. Est utique, ut nos asseremus, inter mulieres quoque alia medicinæ apta, alia minime: alia musica, alia natura a musica aliena. Glau. Quidni? So. Et alia quidem ad exercitationes gymnasticas et rem militarem [456] prompta, alia vero ad hæc inepta. Glau. Sic arbitror. So. An non et una quidem sapientiæ studiosa est, altera sapientiam spernit: et una elato animo, altera vero depresso? Glau. Et hoc assero. So. Est ergo et inter feminas quædam ad custodiendum idonea, quædam minime. An non naturam quandam hujusmodi civitatem custodientium virorum elegimus? Glau. Ejuscemodi certe. So. Mulieris itaque et viri eadem hæc natura ad civitatem custodiendam: nisi quod mulieribus ut imbecillioribus, viris ut robustioribus est utendum. Glau. Apparet. So. Mulieres itaque tales eligendæ sunt, ut una cum viris et colant et custodiant civitatem, postquam idoneæ sunt et natura ipsis cognatæ. Glau. Prorsus. So. Studia vero nonne eadem naturis eisdem sunt tribuenda? Glau. Eadem. So. Longo tandem circuitu ad priora illa revoluti sumus, concessimusque haud esse contra naturam, ut custodum mulieres musica et

gymnastica exerceantur. Glau. Summopere. So. Quare neque impossibilia neque pro desiderio commentitia lege statuimus, quandoquidem secundum naturam legem tulimus. immo quæ his temporibus contra hæc fiunt, multo magis præter naturam fiunt, ut videtur. Glau. Videtur. So. Nonne disceptandum nobis erat, utrum possibilia et optima diceremus, necne? Glau. Erat. So. Quod possibilia quidem, constitit. Glau. Plane. So. Quod autem optima, post hæc asserendum. Glau. Patet. So. Ad hoc, ut mulieres ad custodiam sufficientes evadant, non alia opus est disciplina quam ea, qua viros ad idem instruimus: præsertim cum eadem reperiatur in utrisque natura. Glau. Non alia. So. Quid porro de hoc sentis? Glau. Quod petis? So. Quæro equidem utrum existimes inter viros alios meliores, deteriores alios esse, an similes omnes. Glau. Nequaquam similes. So. In civitate igitur, quam condidimus, nunquid censes nobis præstantiores viros effici custodes, eam quam dedimus disciplinam adeptos; quam coriarios, peritia coriaria imbutos? Glau. Ridiculum est quod petis. So. Intelligo equidem. quid autem? nonne et reliquorum civium hi optimi? Glau. Et reliquorum. So. Quin et mulieres tales erunt optimæ mulierum? Glau. Valde. So. Estne aliquid melius civitati, quam viros quam optimos et mulieres optimas effici? Glau. Non est. So. Hoc autem musica et gymnastica, ut supra narravimus, [457] perficere possunt. Glau. Procul dubio. So. Itaque non solum possibile, sed et optimum quiddam civitati lege statuimus. Glau. Ita est. So. Nudandum igitur corpus erit mulieribus custodum, quandoquidem pro vestibus virtutem induent: communicandumque in bello et alia omni civitatis custodia atque tutela, neque aliud agendum. horum tamen officiorum leviora quæque propter generis imbecillitatem mulieribus tribuenda. qui vero nudas riserit mulieres, optimi cujusdam gratia ita nudatas, inanem circa ridiculas nugas carpens sapientiæ fructum, neque quid rideat neque quid agat intelligit. scite namque istud et dicitur et asseretur, Quod utile quidem, honestum, noxium autem turpe. Glau. Et maxime quidem. So. Hunc itaque unum veluti gurgitem enatasse dicamus, de mulierum lege tractantes, adeo ne omnino submergi contigerit, dum asseveraremus omnia communiter exercere debere custodes apud nos, tam viros quam mulieres. immo vero sibimet oratio nostra consonuit, quod videlicet et possibilia et utilia ferret. Glau. Profundum certe pelagus evasisti. So. Haud ingens id esse dices, cum deinceps, quod sequitur, videris. Glau. Dic jam, ut videam. So. Hanc quidem et priores ceteras, ut puto, hæc quoque lex sequitur. Glau. Quænam? So. Mulieres scilicet has horum virorum omnes omnium esse communes, nullamque privatim alicui adhærere: ac rursus communes filios, neque patrem filium suum nosse, neque filium suum agnoscere patrem. Glau. Multo certe difficilius istud credetur, quod vel possibile sit vel utile. So. Haud equidem arbitror dubium id cuiquam fore, quin utile sit maximumque bonum, mulieres esse communes, communes et filios, si modo fieri possit. verum arbitror plurimam in eo versari controversiam, nunquid fieri possit necne. Glau. De utrisque sane summopere ambigetur. So. Dicis utique sermonum conspirationem. ego autem rebar me jam ab altero liberatum iri, si tibi visum fuerit utile esse: nam reliquum mihi fore, ut perquirerem, utrum possibile sit an non. Glau. At latere non potuisti, dum fugeres. redde de utrisque rationem. So. Sustinenda mihi certe est pœna: sed in hoc mihi indulge. sine me paulisper meo arbitratu crassari, quemadmodum qui pigri sunt mente, crassari se ipsis consueverunt, [458] quotiens soli proficiscuntur. etenim hujuscemodi homines, antequam compertum habeant, quo pacto fieri possit quod expetunt, omittentes hanc curam, ne nimio labore graventur, dum de possi-

bili et impossibili deliberent, quasi id sit jam, quod affectant, ponunt ac deinceps reliqua digerunt, oblectanturque, dum excogitant, qualia præsente illo facturi sint: atque ita torpentem animum etiam languidiorem reddunt. haud secus et ipse pigresco: cupioque in aliud tempus disceptationem illam differre, possibilianc ista sint an non. in præsentia vero quasi possibilia sint admittens, perquiram, si ipse permiseris, qua ratione hæc exsistentia principes ipsi disponent: quodve omnium utilissima erunt ista, si fiant, tam custodibus quam civitati. hæc conabor equidem prius tecum considerare; illa vero posterius, si concesseris. Glau. Concedo equidem: considera jam. So. Arbitror igitur, si modo erunt principes hoc nomine digni, eodemque modo horum ministri, hos quidem velle exsequi quæ mandantur, illos autem præcipere partim ipsis parentes legibus, partim imitantes, quatenus illis nos permiserimus. Glau. Probabile id quidem. So. Tu igitur legis conditor ipsis quemadmodum viros elegisti, ita et mulieres eligens, præbebis, quoad fieri potest, consimiles inter se ingenio. isti autem, utpote ædes et comessationes communes habentes, proprium vero nihil talium possidentes, una habitabunt, et invicem congredientes in gymnasiis ac reliquo victu ab innata, ut arbitror, necessitate ad mutuam trahentur commixtionem. an non necessaria tibi dicere videor? Glau. Haudquaquam necessaria geometrica quadam necessitate, sed amatoria: quæ multo acrior est quam illa ad persuadendum vulgo atque trahendum. So. Nimirum vehementer. verum post hæc, o Glauco, sine ordine denudari inter se, vel aliud quicquam facere, neque sanctum est in beatorum hominum civitate, neque judices id permittent. Glau. Neque enim justum esset. So. Constat utique, quod nuptias deinceps, quoad fieri potest, sacras instituemus. essent autem sacræ quam utilissimæ. Glau. Summopere. [459] So. Quonam pacto utilissimæ erunt? hoc mihi dicas, o Glauco. video equidem tuis in ædibus et venatorios canes et generosas aves frequentes. nunquid ad istorum coitum generationemque quandoque animum applicuisti? Glau. Quorsum istud? So. In primis horum ipsorum licet generosorum, nonne sunt et fiunt optimi aliqui? Glau. Sunt. So. Utrum ex quibuscunque æque fieri generationem permittis? an curas potius, ut ex optimis generetur? Glau. Ex optimis. So. Num ex tenerrimis quibusque, an senio confectis? an ætatis in flore potius constitutis? Glau. Ex his ipsis potius. So. Ac nisi hunc in modum generatio deducatur, longe deterius fore canum et avium genus existimas? Glau. Equidem. So. Putas in equis ceterisque animalibus aliter evenire? Glau. Absurdum id esset. So. Papæ, o dulcis amice, quam perspicacibus ac summis nobis est opus principibus, si quidem in hominum genere similiter se res habet. Glau. Habet utique. quid tum? So. Quia necesse est, ut medicinis multis utantur. quando enim medicinis nullis indigent corpora sed victus duntaxat institutionem exigunt, medicum certe debiliorem sufficere arbitramur: cum vero medicinis est agendum, scimus fortiori quodam medico opus fore. Glau. Vera narras. sed quorsum hæc? So. Nempe necessarium fore videtur, ut frequenti mendacio et deceptione utantur principes ad subditorum utilitatem. diximus autem supra hujusceмodi omnia pharmaci medicinæque loco necessaria esse. Glau. Et recte quidem. So. In nuptiis itaque et filiorum procreatione videtur rectum hoc fieri non mediocriter. Glau. Quo pacto? So. Oportet profecto secundum ea, quæ supra concessimus, optimos viros mulieribus optimis ut plurimum congredi; deterrimos autem contra deterrimis: et illorum quidem prolem nutrire, horum minime, si armentum excellentissimum sit futurum: et hæc omnia, dum agantur, ab omnibus præterquam a principibus ignorari, si modo armentum custodum debeat seditione carere. Glau. Probe admodum. So. Igitur festa quædam

erunt legibus designata, in quibus sponsos et sponsas congregabimus, sacra fient, et hymni a poëtis nostris, [460] celebratis nuptiis convenientes. numerum autem nuptiarum arbitrio principum concedemus, ut ad hostes ac morbos ceteraque hujusmodi respicientes eundem quam maxime civium numerum servent; neve populosa civitas nimis sit, quoad fieri potest, neque vacua. Glau. Recte loqueris. So. Sortes igitur quædam tali quodam artificio instituendæ, ut deterior ille in qualibet copulatione fortunam, non principes, culpet. Glau. Et maxime quidem. So. Enimvero his, qui inter juvenes præstantiores sunt in rebus sive militaribus sive aliis quibusdam, munera ac præmia danda sunt et alia permulta: quin et uberior mulieribus congrediendi licentia, ut ex hac simul occasione filii plures, quam ex aliis, ex his serantur. Glau. Probe. So. Itaque filios, qui ex his oriuntur suscipient ii, qui talibus præsident, magistratus sive virorum seu feminarum sive utrorumque. communes enim viris et mulieribus magistratus. Glau. Est ita. So. Accipientes utique præstantum hominum prolem, ad ovile portabunt, ad nutrices quasdam seorsum in civitatis parte aliqua commorantes. eos vero, qui nascentur ex deterioribus, sive etiam ex quibuscunque aliis, sed membro aliquo manci, in abditis, ut decet, locis abscondent: si quidem debet custodum genus purum fore. Nutritionem præterea et hi curabunt. matres enim ad ovile, cum lacte exuberabunt, transmittent, procurantes ne ulla suum agnoscere valeat; ac si hæ minus suffecerint, alias insuper lacte plenas adhibebunt. providebunt quoque, ut mediocre tempus in lacte sugendo servetur. vigilias item laboresque ceteros nutricibus imperabunt. Glau. Plurimum facultatis ad procreandam prolem custodum mulieribus tribuis. So. Sic decet. sed age deinceps, quod maxime intendimus, percurramus. diximus plane ex robustissimis oportere filios procreari. Glau. Diximus. So. An non tibi quoque videtur moderatum adulti roboris tempus esse mulieri quidem annos viginti, viro autem triginta? Glau. Quis horum modus? So. Ut videlicet mulier a vigesimo ætatis anno incipiens usque ad quadragesimum pariat: vir autem, postquam acutissimum sui cursus vigorem transierit, annos scilicet triginta, inde usque ad annos quinque et quinquaginta procreet. Glau. Profecto in iis [461] ætatibus vigor animi corporisque consistit. So. Si igitur senior istis sive junior generationem in communi attigerit, profanum et iniquum scelus hoc esse censebimus, quasi fetus is in civitate seratur, qui, si latuerit, orietur non sub sacrificiis quidem et votis, quæ singulis in nuptiis peragent sacerdotes omnes, tam viri quam mulieres, et civitas universa, precantes ut ex bonis meliores, ex utilibus utiliores nascantur: immo vero sub tenebris ex acri quadam incontinentia. Glau. Recte loqueris. So. Eadem quoque erit habenda ratio de illo, qui, cum adhuc in generandi ætate fuerit, atque principe non copulante, mulierem in ætate adulta constitutam attigerit. nempe hunc asseremus puerum generare spurium, incestum atque profanum. Glau. Scite admodum. So. Quando igitur jam mulieres et viri ætatem generationi aptam egressi fuerint, licere viris dicemus, cuicunque voluerint, præterquam filiæ atque matri et filiarum natis matrisve majoribus commisceri: licere et mulieribus cuilibet copulari, præterquam filio atque patri, ac superioribus et inferioribus eorundem. cum vero hæc omnia mandaverimus, interdicemus partum talem, si contigerit, in lucem produci. si quid autem coëgerit, ita ponere præcipiemus, quasi ejus nulla nutritio sit. Glau. Hæc quoque probe dicuntur. Patres vero et matres et ceteri cognati, quos memorabas, quomodo invicem discernentur? So. Nullo modo: sed omnes, quicunque nascentur decimo mense vel septimo ex ea die, qua quis liberis operam dedit, masculi ab hoc filii, feminæ filiæ nominabuntur. nati autem cum patrem vocabunt: natorum similiter filios ille nepotes esse dicet: isti autem superiores avos et avias nominabunt: at eos, qui eo tempore nascerentur,

quo patres ipsorum matresque invicem generabant, fratres atque sorores. atque ita, quod modo dicebam, nullo modo se mutuo tangerent. fratribus autem et sororibus lex cohabitationem concedet, si sors dederit et Pythia simul per responsa firmaverit. Glau. Recte admodum. So. Talis utique erit, o Glauco, inter civitatis custodes mulierum filiorumque communio. quod autem congruat reliquo civitatis ordini, sitque admodum optima, oportet deinceps ratione asserere. an quid agemus? [462] Glau. Hoc omnino. So. An non conventionis hujus hoc est principium, ut a nobis ipsis sciscitemur, quid maximum bonum ad civitatis constitutionem invenianmus, ad quod respiciens legislator leges condere debet, quidve maximum malum? consideremus deinde, an ea, quæ modo narravimus, ad boni ipsius vestigium nobis conveniant, a mali autem vestigio dissonent. Glau. Maxime omnium. So. Habemusne ullum perniciosius civitati malum, quam quod eam dividit et ex una plures facit? vel melius quicquam eo, quod ipsam vincit simul et unam efficit? Glau. Non habemus. So. Nonne voluptatis dolorisque communio unit, quando cives omnes maxime ex earundem rerum accessu vel decessu pariter gaudent ac dolent? Glau. Et maxime quidem. So. Horum vero diversitas eam dissolvit, quando eisdem civitatis et eorum, qui in civitate sunt, casibus alii vehementer dolent, alii gestiunt. Glau. Quidni? So. Ex hoc autem tale quid provenit, quando non simul in civitate hæc verba vulgantur, meum scilicet et non meum; ac de alieno eodem modo. Glau. Valde. So. In quacunque igitur civitate complurimi ad idem secundum eadem hoc dicunt, meum et non meum, ea optime gubernatur. Glau. Prorsus. So. Et quæcunque quam proxime ut unus homo affecta sit. porro quotiens alicujus nostrum percussus est digitus, tota corporis communio ad animam pertingens in unam coordinationem ejus, quod in ipsa anima dominatur, sensit protinus, totaque simul afflicta parte condoluit. atque iccirco hominem dolere digitum dicimus. eademque est de quavis alia parte et passione hominis ratio, de dolore videlicet, cum pars aliqua dolet, ac de voluptate, cum aliqua sui parte reficitur. Glau. Eadem ratio certe: et, quod quæris, civitas, quæ optime regitur, quam proxime ad hoc accedit. So. Quotiens, ut arbitror, civium cuiquam boni aliquid vel mali continget, talis utique civitas suum esse clamabit eum, qui sic afficitur: atque ideo tota vel lætabitur una vel dolebit. Glau. Necesse est, ita in civitate optimis legibus gubernata contingat. So. Sed hora jam est, ut ad civitatem nostram redeamus, et quæ nunc inter nos constiterunt, exquiramus, utrum civitati huic conveniant maxime, an alteri potius. Glau. Licet prorsus. [463] So. Sunt et in aliis civitatibus principes et populus, et in ista similiter? Glau. Sunt. So. Atqui omnes isti cives se alterutrum appellabunt? Glau. Quidni? So. Sed præter civis nomen, quomodo in aliis civitatibus populus principes vocat? Glau. In pluribus quidem dominos: in populari autem gubernatione principes. So. At nostræ civitatis populus quomodo ultra civis nomen principes nuncupabit? Glau. Servatores auxiliariosque. So. Quo autem modo isti populum? Glau. Mercedis tributores er nutritores. So. Qui vero in aliis præsunt, populum? Glau. Servos. So. Principes ipsi se invicem? Glau. Conprincipes. So. Nostri autem? Glau. Concustodes. So. Putas esse aliquem inter aliarum civitatum principes, qui ex collegis alium sibi propinquum, alium extraneum vocet? Glau. Equidem multos. So. Propinquum igitur tanquam suum et putat et dicit, extraneum vero ut non suum. Glau. Plane. So. E nostris autem custodibus estne ullus, qui collegarum quempiam extraneum arbitretur ac vocet? Glau. Nullus. cuicunque enim quis occurret, vel fratri vel sorori, aut patri aut matri, aut filio aut filiæ, sive horum natis seu majoribus, putabit occurrere. So. Præclare loqueris: sed ad hoc quoque

responde. Utrum civibus tuis nomina duntaxat invicem propinqua familiaria lege statues, an præterea propinquitatis officia, ut videlicet ita se gerant, ut appellationis ipsius dignitas postulat, serventque erga parentes, quæcunque lex exhiberi illis præcipit, reverentiam, curam, obedientiam : alioquin et deos et homines infensos habeant, utpote qui neque sancta neque justa agant, si contra fecerint? aliine in hac tua civitate sermones, quam hi, cunctis ex civibus protinus ad aures puerorum circumsonabunt, et adversus parentes, quoscunque illis quis indicaverit, et adversus alios genere proximos? Glau. Hi certe ipsi. absurdum enim id esset, si domestica nomina tantum ore sine officio proferrentur. So. In hac igitur civitate maxime omnium, uno aliquo bene vel male affecto, uno ore clamabunt omnes, Meum bene se habet, vel meum se habet male. Glau. Vera loqueris. So. Cum hac [461] opinione ac verbis hujusmodi sequi dicebamus, ut et voluptates communes sint et dolores. Glau. Et recte quidem. So. In eo igitur maxime nostri cives invicem communicabunt, quod meum dicent. ex qua communione sequetur, ut voluptates et dolores communes habeant. Glau. Penitus. So. Horum vero causa una cum reliqua civitatis constitutione est ipsa custodum circa mulieres filiosque communio. Glau. Sic est omnino. So. Enimvero summum hoc civitati bonum esse confessi sumus, cum civitatem recte gubernatam similem esse diceremus corporis, cum singulis partibus suis circa voluptatem et dolorem quoquo modo communicantis. Glau. Et merito quidem concessimus. So. Maximi itaque boni causa civitati nobis patuit esse ipsa inter auxiliarios mulierum filiorumque communio. Glau. Valde. So. Atqui et superioribus hæc consonant. diximus enim neque domos proprias his esse debere, neque agros, neque possessionem aliquam, sed ab aliis accipere nutrimenta, mercedem custodiæ, et communiter omnes consumere, si veri custodes futuri sunt. Glau. Probe. So. Nonne quod ipse aio, et quæ supra et quæ nunc inducta sunt, maxime faciunt, ut veri hi custodes evadant, neque dividant civitatem, dum meum dicant non idem omnium, sed aliorum aliud esse : et alius in propriam domum trahat, quodcunque seorsum ab aliis usurpare valuerit ; alius in suam ab aliis diversam domum : et ex propriis mulieribus ac filiis, diversi diversis lætentur et doleant? immo vero ut ex una proprii ejusdem omnium sententia in idem tendentes omnes, quoad fieri potest, similibus voluptatibus doloribus iisdem in casibus afficiantur? Glau. Maxime. So. Quid autem? judiciorum controversiæ accusationesque mutuæ nonne cessabunt omnes, quandoquidem nec proprium quicquam, præter corpus, habebit, reliqua vero communia? unde sequitur sine seditione illos fore, quantum ad eas lites attinet, quæ pecuniarum vel filiorum vel propinquorum causa oriri solent. Glau. Necesse est omnino hæc abesse. So. Quin neque de vi illata usquam contendetur. nempe asseremus honestum et æquum esse, ut æqualibus æquales succurrant, tutandis corporibus necessitatem imponentes. Glau. Probe. So. Atqui et hoc rectum [465] lex hæc continet, quod si quis in aliquem irascatur iramque explere contendat, minus in majores majorumve transibit seditiones. Glau. Sic est prorsus. So. Seniorem quippe lex nostra constituit præesse omnibus junioribus, eosque corrigere. Glau. Perspicuum id quidem. So. Constat præterea, quod junior in seniorem, nisi jussu principum, sæviet unquam, neque cædere audebit, ut decens est, neque ignominia ulla afficere. metus namque et pudor custodes sunt ad hæc prohibenda sufficientes. pudor quidem non permittet eos, quos parentes suspicatur, violare : metus autem ab injuria absterrebit quemque, timentem scilicet ne ceteri omnes, partim ut filii, partim ut fratres, partim ut patres, patienti succurrant. Glau. Ita prorsus accidit. So. Omnino igitur ex his legibus cives invicem in pace vitam agent. Glau. Summopere. So. His autem

inter se minime dissidentibus, haud metuendum est, ne quando civitas alia vel adversus hos, vel ipsi inter se pugnent seditionesque moveant. Glau. Non certe. So. Pudet referre, quia minus deceat, minutissima quæque mala, a quibus liberi cives erunt. adulationes certe aberunt, quibus adversus divites inopes uti solent; sollicitudines item indigentium atque dolores, quibus in filiis nutriendis quærendisque pecuniis propter necessariam domesticorum servorumque nutritionem vexantur: dum et fenoribus dant operam, et negant quæ acceperunt, et quæstui undecunque student. seponunt præterea apud mulieres ministrosque permulta, quæ ad tempus condantur, nam quam multa et qualia in iis homines patiuntur, o amice, et ipsa per se cuique patent et illiberalia sunt et indigna narratu. Glau. Patent plane vel cæco. So. Porro ab his omnibus liberi erunt, vitamque agent beatiorem beatissima illa eorum vita, qui vicerunt Olympia. Glau. Qua ratione? So. Nempe illi ob exiguam partem eorum, quæ possident hi, beati putantur. nam et victoria horum præclarior, et perfectior ex publico alimonia: horumque victoria civitatis totius est salus. alimenta præterea, et quæcunque alia ad victum necessaria, ipsi eorumque filii coronationis loco accipiunt; honores insuper et præmia ab ipsa republica viventes consequuntur, et vita functi digna sepulcrorum suis virtutibus monimenta. Glau. Hæc certe admodum egregia sunt. So. Meministi, quod in superioribus nescio cujus oratio nobis objecit, tanquam custodes minime beatos efficeremus? utpote qui [466] nihil haberent, cum tamen liceret illis civium omnia possidere. ipsi autem respondimus in posterum nos, sicubi contigerit, consideraturos. nam in præsentia custodes quidem revera custodes facere nos; civitatem vero, quoad possemus, beatissimam: neque ad unam quandam ejus partem, sed ad totam respicientes beatitudinem illam exquirere. Glau. Memini equidem. So. Nunc certe auxiliariorum vita, quando longe præclarior ac melior quam eorum, qui Olympia vincunt, apparet, nequaquam coriariorum aut aliorum artificum aut agricultorum vitæ similis esse videtur. Glau. Non certe, ut et ipse arbitror. So. Veruntamen, quod et supra dixi, par est ut et hic repetam. quod si ita custos beatus fieri studeat, ut non sit custos, neque sufficiat ipsi vita adeo moderata et stabilis et, ut nos asserimus, optima, sed insana et puerilis exorta felicitatis opinio rapiat eum ob ipsam potentiam ad omnia sibi, quæ in civitate sunt, vendicanda: cognoscet Hesiodum sapienter illud dixisse, dimidium esse plus quam totum. Glau. Si me consultore utetur, hac in vita manebit. So. Probas igitur communionem, quam mulieribus cum viris tribuimus, quoad disciplinam, filiorum susceptionem, custodiam civium, ut una cum viris in pace gubernent, in bello militent, custodiant una, et canum instar venentur, omniumque officiorum omnino, quoad fieri potest, participes sint. ac dum hæc agunt, optima agere illas concedis neque contra naturam feminæ, qua instituta est, ut cum mare communicet. Glau. Probo equidem. So. Nonne restat deinceps, ut id declaremus, utrum esse possit hæc in hominibus, quemadmodum in reliquis animalibus, communio, et quo pacto possit? Glau. Anticipasti, quod ego interrogaturus eram. So. De re quidem bellica manifestum esse arbitror, quo pacto eam tractabunt. Glau. Quonam pacto? So. Militabunt profecto communiter, tam mares quam feminæ, ducentque adultos filios secum ad prælium: ut, quemadmodum aliorum opificum filii, et hi patrum suorum opera cernant, quæ ipsi quoque, cum ad maturam ætatem pervenerint, effecturi sunt: atque insuper, ut [467] parentibus auxilio sint, ministrentque omnia, quæ ad bellum spectant, patresque et matres curent. An non animadvertisti, quod in artibus accidit, veluti quamdiu figulorum filii fingentes patres spectant eisque ministrant, antequam ipsi quicquam fingant?

Glau. Maxime. So. Nunquid diligentius illi quam custodes filios suos erudire debent peritia et inspectione operum cuique convenientium? Glau. Ridiculum id quidem esset. So. Quin etiam omne genus animantium natis præsentibus ardentius pugnat. Glau. Est ita. verum periculum est permaximum, o Socrates, ne si forte, ut accidit in bello, sors adversa contigerit, filios quoque secum perdant: ex quo civitas nimis multis orbata hominibus resurgere rursus ad prælium nequeat. So. Vera loqueris. sed tu forsan inprimis ita se comparare quemque oportere existimas, ut nullum unquam periculum subeat. Glau. Nullo modo. So. Quid? nonne tunc in discrimen veniendum, ubi, qui se egregie gesserint, præstantiores evadent? Glau. Perspicuum est. So. Num parum interesse censes, neque periculo dignum, ut spectent vel non spectent res bellicas pueri, qui milites futuri sunt? Glau. Immo vero referre ad id, quod ais. So. Danda igitur opera est, ut bellum pueri spectent duntaxat, et qua ratione tuti sint, excogitandum: atque ita recte fiet. Glau. Nempe. So. Principio parentes eorum haudquaquam ignari erunt, sed quoad hominibus concessum est, ad discernendum perspicaces, quibus in castris periculum insit, quibus non insit periculum. Glau. Verisimile id quidem. So. Ad tutiora itaque ducent eos, ad alia minime. Glau. Probe. So. Deinde rectores illis præficient non ignavissimos quosque, sed homines et usu rerum et ætate idoneos duces et pædagogos. Glau. Ita decet. So. Verum multa dicemus præter opinionem multis hominibus evenisse. Glau. Et maxime quidem. So. Horum causa, o amice, statim a teneris annis alæ quædam applicandæ puellis, ut, si quando opus fuerit, volantes protinus aufugiant. Glau. Quomodo istud ais? So. Equitare consuescent primis ab annis pueris, cumque hoc didicerint, equis ad spectaculum belli ducentur, non ferocibus quidem aut nimium bellicosis, sed quam velocissimis et habenis facile obsequentibus: atque ita commodissime opus suum prospicient, securissimeque evadent, si quid adversi contigerit, seniores duces sequentes. Glau. Scite admodum loqui mihi [468] videris. So. Quid de his, quæ ad bellum attinent, dicendum? quæ servanda militibus et ad se invicem et adversus hostes? nunquid recte sentio, necne? Glau. Quidnam? So. Arbitror eum, qui in acie ordinem deseruit vel arma abjecit vel tale aliquid propter timiditatem commisit, ad opificum ordinem vel agricultorum esse transmittendum. Glau. Sic decet. So. Eum vero, qui vivens ab hostibus captus fuerit, etiam gratis reddere volentibus relinquendum, ut præda, quomodocunque libet, utantur. Glau. Omnino. So. Qui autem egregie sese gerens excelluerit, primo quidem in ipsa expeditione ab iis, qui una militant, adolescentibus ac pueris, sigillatim a quolibet, coronandus. nonne tibi videtur? Glau. Mihi vero. So. Quid? nonne et dexteras jungere illi debebunt? Glau. Et hoc. So. At hoc præterea tibi forsitan non videtur? Glau. Quid? So. Ut oscula a quolibet accipere debeat ac dare. Glau. Immo vero maxime omnium. atqui et legi huic addendum existimo, ut, quoad in ea expeditione fuerint, nemini renuere liceat, quemcunque osculari ipse desideraverit: ut si quis alicujus amore captus fuerit vel maris vel feminæ, acrior sit ad victoriam consequendam. So. Præclare. nam quod nuptiæ strenuis vir facilius paratæ quam aliis et optiones horum frequentiores erunt, ut quam plurimi ex his nascantur, jam dictum est. Glau. Diximus certe. So. Etenim secundum Homerum ejusmodi juvenes justum est maxime honorare. nam ipse Ajacem, in bello præcellentem, dixit continuis ab humeris honoratum: quasi hic pubescenti homini ac forti conveniens sit honor, ex quo cum honore simul et robur augeatur. Glau. Recte admodum. So. In his ergo Homero parebimus. etenim nos in sacris ceterisque hujusmodi viros bonos, quo magis excellent, eo magis et hymnis

et his, quæ modo diximus, honestabimus, sedibus item et carnibus plenisque pateris: ut et honoremus una viros præstantes mulieresque, et exerceamus. Glau. Bellissime loqueris. So. Eum vero, qui in militia, cum se strenue gesserit, obiit, primum aurei generis esse dicemus. Glau. Maxime omnium. So. Deinde, Hesiodo fide adhibita, asseremus, quicunque hoc ex genere decedunt e vita, [469] dæmones effici sanctos terrestres, optimos expulsores malorum custodesque mortalium. Glau. Ita certe credemus. So. Consulemus ergo oraculum, quo pacto beatos divinosque viros condere deceat, et quibus insignibus præcipue decorare: atque ita condemus, ut jusserit. Glau. Procul dubio. So. Reliquum itaque tempus sepulcra eorum, veluti dæmonum, colemus atque adorabimus. eadem quoque servabimus erga illos, qui cum præcipua probitate pollere in vita judicati fuerint, senio aut alio quodam modo e vita cesserunt. Glau. Decet sane. So. At quomodo adversus hostes nostri se milites gerent? Glau. Qua in re? So. Inprimis quidem de servitute quæro, utrum justum esse censeas, ut Græci Græcas urbes in servitutem redigant: an potius ut neque ab aliis fieri istud permittant, ac pro viribus obstent, consuescantque Græcorum generi parcere, caventes ne barbaris ipsi servire cogantur. Glau. Omnino et ad omnia refert Græcis parcere. So. Ergo nostri exercitus neminem Græcum facere servum debent, sed et Græcis aliis consulere potius, ut ipsi ab hoc caveant. Glau. Prorsus. nam ita facilius ac fortius contra barbaros insurgent, et ab se invicem abstinebunt. So. Quid autem? spoliare mortuos præter arma, postquam vicerunt, honestum est, an non? an occasionem hoc præbet timidis, ne adversus hostem adventent, quasi magnificum aliquid moliantur, quando inter cadavera volutantur? at enim rapiendi cupiditate multi jam exercitus perierunt. Glau. Maxime. So. An non illiberale quiddam cogitationisque avaræ, muliebris ac vilis esse videtur cadaver exspoliare, hostemque putare mortui corpus, cum adversarius ipse abierit, eo quo pugnabat relicto? Num censes eos, qui hoc agunt, differre a canibus adversus jactos lapides irascentibus eo qui jacit dimisso? Glau. Nihilo equidem differre arbitror. So. Quare a rapinis hujusmodi abstinendum est: victoriæ namque obsunt. Glau. Abstinendum penitus. So. Neque etiam in templum arma transferemus, ea Deo sacraturi, præsertim arma Græcorum, si modo nobis curæ est cum Græcis aliis benevolentia. [470] maxime vero formidabimus, ne scelus impium sit talia a propriis in sacrum transferre: nisi quid aliud Deus dixerit. Glau. Recte admodum. So. An tui milites Græcorum, quibuscum pugnabunt, agros depopulabuntur ac domos incendent? Glau. Libenter, quid tu de hoc sentis, audirem. So. Mihi quidem nihil tale videtur agendum esse, sed fructus annuos duntaxat auferendos. vis causam dicam? Glau. Equidem. So. Videtur mihi, sicuti nomina hæc duo sunt, bellum ac seditio, ita et duo quædam duabus subesse differentiis. dico autem duo hæc, aliud quidem proprium et cognatum, aliud alienum atque extraneum. inimicitias utique inter proprios seditionem, inter extraneos bellum vocant. Glau. Haud ab re est, quod ais. So. Animadverte, nunquid et hoc ad rem dicam. aio equidem Græcos omnes secum propinquos esse genere atque cognatos, a barbaris autem diversos atque extraneos. Glau. Præclare loqueris. So. Quotiens igitur Græci adversus barbaros vel contra Græcos barbari ipsi pugnabunt, bellum gerere asseremus et hostes esse natura, et has inimicitias bellum vocabimus. quando vero Græci adversus Græcos insurgent, dicemus eos natura quidem amicos esse, morbo autem laborare in hoc Græciam et seditionibus agitari: et seditionem has inimicitias appellabimus. Glau. Assentior equidem. So. Si in seditiosa civitate utriusque factionis homines adversariorum agros detur-

barent inflammarentque domos, vides quam perniciosa futura seditio sit neutrique illorum patriæ suæ cultores? quippe si eam amarent, nunquam certe auderent nutricem matremque vastare, sed satis esse factum putarent, si victores aliorum raperent fructus, existimantes non semper se invicem pugnaturos, sed quandoque reconciliandos. Glau. Mitiorum profecto hominum hæc est sententia. So. Civitas hæc, quam condis, nonne Græca? Glau. Decet. So. Ergo et æqui et mites in ea cives. Glau. Maxime. So. Quare Græcorum amici. nempe omnem Græciam sibi conjunctam existimabunt, et sacra habebunt, ut alii, inter se communia. Glau. Summopere. So. Itaque contentionem sibi adversus alios Græcos exortam [471] tanquam cum suis geri putabunt, seditionemque vocabunt, non bellum. Glau. Sic prorsus agent. So. Ergo tanquam qui reconciliandi quandoque sint, altercabuntur. Glau. Ita certe. So. Pia itaque sententia et temperato animo rem agent, non ad servitutem aut necem respicientes, tanquam qui hostes minime sint. Glau. Hoc utique modo. So. Non ergo Græciam, cum Græci sint, destruent: neque domos incendent, neque putabunt in singulis civitatibus omnes sibi adversos esse, et viros et mulieres et pueros, sed paucos admodum inimicos, eos duntaxat, qui fuerint discordiæ causa. quamobrem neque regionem devastabunt eorum, quasi ut plurimum amicorum, neque domos subvertent: sed eatenus decertabunt, quatenus, qui discordiæ causam dederunt, insontibus pœnas solvant. Glau. Assentior equidem ita esse Græcis pugnantibus repugnandum: contra barbaros autem ita animatos esse debere, ut nunc Græci contra Græcos affecti sunt. So. Ponamus itaque legem hanc custodibus, ut neque dissipent agros neque igne ædes absumant. Glau. Ponamus profecto, et hæc una cum superioribus recte se habere asseveremus. Sed mihi quidem videris, o Socrates, si quis te talia quædam narrare permittat, nunquam illius te recordaturum, quod in superioribus prætermittens hæc omnia in medium adduxisti: quod videlicet possibile sit hanc rempublicam fieri, et quo pacto fieri possit. nam si exstiterit, quod bona omnia civitati ipsi proveniant, non dubito: quin et ea etiam, quæ tu prætermittis, quod videlicet cives illi contra hostes strenue pugnabunt, eo quod se invicem nequaquam deserent, cognoscentes se invicem esse propinquos, perque hæc nomina mutuo se vocantes, fratres, patres, filios. quod si et feminæ militent una, sive eodem in ordine sive sequenti acie, ut et terreantur hostes et, cum necessitas postulaverit, viris auxilium afferatur: certe scio inexpugnabiles eos fore: et quot bona eos domi sequantur, etsi dicta omnia non sunt, intelligo. Verum tanquam concedente me hæc omnia et alia permulta, si fiat hæc res publica, proventura, ne plura de ipsa superinducas: sed hoc ipsum jam conemur nobis persuadere, quod possibile sit, et qua ratione possibile, hanc exstare rem publicam. cetera vero mittamus. [472] So. Subita quadam incursione sermonem meum iterum invasisti: neque mihi ignoscis militiæ laboribus jam defesso: neque advertis forsitan, quod vix me duobus e fluctibus emergentem nunc in tertium retrudis, pelagus profundissimum. quod postquam videris audierisque, dabis certe mihi veniam, cognoscens haud injuria extimuisse me sermonem adeo ab opinione hominum abhorrentem ingredi. Glau. Quo plura in hanc sententiam congeres, eo minus dimitteris a nobis, quo minus ostendas, qua ratione fieri possit hæc res publica. Quare dicas jam, nec ultra cuncteris. So. In primis meminisse oportet, quod nos inquirentes, quale quid justitia et injustitia sit, huc disputando devenimus. Glau. Oportet sane. sed quorsum hæc? So. Nempe si quale quid justitia sit conspexerimus, num virum justum censebimus nihilo debere ab illa differre, sed talem esse omnino, qualis ipsa justitia est? an satis esse factum

putabimus, si quam proxime ad eam accesserit, et maxime omnium illius sit particeps? Glau. Ita plane satis habere putabimus. So. Exemplaris igitur causa, quale quid justitia sit, quæsivimus, et qualis vir perfecte justus, si exstet: injustitia rursus qualis, et injustissimus homo: ut quales ipsi quoad beatitudinem et miseriam esse nobis contuentibus viderentur, cogeremur et de nobis ipsis fateri, talem nostrum quemque sortem habiturum, quisquis e nobis illis se præstiterit quam simillimum. non autem ob id perscrutati hæc sumus, ut monstraremus ea fieri posse. Glau. Vera hæc sunt. So. Censes aliquem ex hoc minus bonum fore pictorem, quod, postquam humanæ pulchritudinis exemplar absolutum ediderit nihilque e specie prætermiserit, nequeat demonstrare hominem talem reperiri posse? Glau. Nequaquam. So. Nonne et nos præstantissimæ civitatis oratione exemplar effinximus? Glau. Prorsus. So. An igitur eo minus nos recte loqui existimas, si ostendere non possumus talem extare posse civitatem, qualem ipso sermone depinximus? Glau. Minime. So. Sic utique se veritas habet. quod si et hoc præterea tui causa demonstrandum, quo modo et secundum quid maxime effici possit, rursus ad hanc ostensionem hæc ipsa mihi confirma. Glau. Quænam? So. Nunquid agi sic aliquid possit, [473] ut dicitur: vel ita natura comparatum est, ut actio minus quam sermo veritatem attingat, licet alicui non videatur? Tu vero utrum das istud, an non? Glau. Do equidem. So. Ne me cogas igitur, ut, qualia verbis hæc figuravimus, talia penitus digito indicare debeam. sed si valeamus adinvenire, qua ratione quam proxime ad hæc accedat rei publicæ institutio, fatendum est comperisse nos, quemadmodum, quæ tu præcipis, effici possint. An non satis esse factum duces, si horum compos efficiaris? nam ego quidem sat haberem. Glau. Ego quoque. So. Conemur igitur declarare posthac, quid nunc male agatur in civitatibus, propter quod non ita reguntur: et utrum unius cujusdam exigui mutatione civitas ad hunc ordinem redigatur, quidve illud sit: et nunquid maxime unius mutatione id fiat, vel saltem duorum, an plurium, sed quam paucissimorum et potentia minimorum. Glau. Sic omnino. So. Uno quodam mutato ostendere id possumus, quod etsi possibile, non parvum tamen nec facile. Glau. Quid istud? So. Ad id descendo equidem, quod ingenti fluctui comparavimus. Dicetur igitur: quanquam suspicor, ne effusiore incredulorum risu inundante penitus obruatur. considera, quod dicturus sum. Glau. Dic jam. So. Nisi philosophi civitatibus dominentur, vel hi, qui nunc reges potentesque dicuntur, legitime sufficienterque philosophentur, in idemque civilis potentia et philosophia concurrant, neque (quod nunc fit) a diversis duo hæc tractentur ingeniis: non erit civitati vel, ut mea fert opinio, hominum generi requies ulla malorum: neque prius hæc res publica, quam verbis exposuimus, orietur pro viribus et lumen solis aspiciet. Hoc est, quod ego jamdiu dicere vereor, quasi sit incredibile dictu. nam haud facile persuadetur, nullam aliam gubernationem privatim vel publice futuram felicem. Glau. Ex hac tua oratione, o Socrates, existimato lacessitos plurimos, nec viles quidem homunculos, [474] abjectis vestibus susceptisque, undecunque contigerit, armis, impetum in te facturos, quasi ex hoc mira quædam isti effecturi sint. quibus nisi oratione repugnaveris, eosque effugeris, plurimis conviciis laceratus dabis pœnas. So. An non tu horum mihi causa es? Glau. Et recte quidem. verum haud te prodam, immo certe defendam, quibuscunque potero: possum certe benevolentia exhortationibusque. ac forte diligentius tibi quam quivis alius respondebo. quamobrem, tanquam hoc defensore adjutus, conare his incredulis demonstrare ita esse, ut dicis. So. Annitendum

profecto, postquam et tu acriter propugnaturus videris. Necessarium mihi videtur, si eos effugere volumus, declarare illis in primis, quales viros esse philosophos arbitramur, cum illis imperium exhibemus : ut his patefactis possit aliquis opem ferre, ostendens quod hos quidem decet ex ipsa natura et philosophiæ studium et rei publicæ administrationem attingere ; alios autem nequaquam attingere, sed ducentibus illis obtemperare. Glau. Declarandum jam. So. Age, hac me sequere, si quo modo exponere hoc ad sufficientiam valeamus. Glau. Duc. So. Nunquid admonendus es, an satis ipse meministi, quod quando aliquem amare aliquid dicimus, videatur oportet, si vere id dicitur, non partim illud diligere, partim minime, sed ad totum affici? Glau. Admonitione equidem egeo. nam non satis teneo. So. Alium quemvis potius decebat, o Glauco, ita loqui. virum autem amori plurimum indulgentem ignorare non decet, quod omnes in ætatis flore constituti puerorum amatorem quoquo modo stimulant atque concitant, cum digni cura ac dilectione esse videantur. An non sic erga speciosos adolescentes affecti estis? alius, quia simus, gratiosus judicatur a vobis atque laudatur. aquilinum vero regium appellatis. alius, quia medius istorum est, concinnus admodum vobis esse videtur. fuscos viriles vocatis, candidos deorum filios. pallidum autem adolescentem quis appellavit, nisi amator ipse blandiens quodammodo, et semipallidi appellatione in ephebis pallorem facile ferens? et ut summatim dicam, quascunque captatis occasiunculas quo neminem omnino [475] florentis ætatis adolescentem rejiciatis. Glau. Si in me ostendere cupis, quo pacto amatores afficiantur, disputationis gratia hoc accipio. So. Quid vini avidos? nonne similiter affectos vides, quodlibet vinum quacunque capta occasione vehementer expetere? Glau. Valde. So. Quin etiam animadvertisse te arbitror, quod ambitiosi homines, si exercitus præfecturam assequi nequeunt, saltem tribuni effici volunt : ac nisi a magnis venerandisque hominibus honorentur, honorem ab ignobilibus exigunt ; utpote qui honorem prorsus affectent. Glau. Magnopere. So. Fateberis hoc, an non? Num eum, quem amare quippiam dicimus, ardere dicemus, an partim exoptare illud, partim nequaquam, fatebimur? Glau. Omnem. So. Nonne ergo philosophum sapientiæ studiosum esse dicemus, non hujus quidem avidum, illius non, sed omnis potius sapientiæ? Glau. Vera loqueris. So. Eum igitur, qui aliquam spernit doctrinam, præsertim dum est juvenis neque dum ratione delectum habet, quid conferat quidve non conferat discernentem, nequaquam discendi cupidum vel sapientiæ amatorem esse asseverabimus : quemadmodum illum, qui fastidit epulas, neque esurire dicimus neque epulas concupiscere, neque amatorem cibi sed spretorem vocamus. Glau. Et merito quidem. So. Hominem vero ad quamlibet doctrinam degustandam propensiorem, ad discendumque promptissimum et inexplebiliter inhiantem, merito philosophum nuncupabimus. nonne? Glau. At vero multi et absurdi quidem homines tales esse comperientur. nam qui spectaculorum avidi sunt, dicendi cupidi omnes esse videntur : et ad audiendum curiosos homines absurdum est philosophos dicere, qui ad rationem dicendi disserendique haud libenter accedunt ; verum ad omnes choros protinus audiendos, quasi auribus mercede conductis, in Bacchanalibus observantur, cantusque omnes, sive in urbe sive in suburbiis agantur, audire percupiunt. Nunquid istos omnes, ac alios talium quorundam percipiendorum cupidos et artibus vilissimis incumbentes, philosophos nominabimus? So. Nullo modo, sed philosophis similes. Glau. Veros autem philosophos quos appellas? So. Veritatis inspiciendæ cupidos. Glau. Recte quidem istud. sed quomodo id dicis? So. Haud facile istud ad alios elo-

qui : te autem hoc mihi daturum arbitror. Glau. Quid potissimum ? So. Postquam contrarium est turpi pulchrum, duo [476] hæc esse. Glau. Quidni ? So. Et postquam duo hæc sunt, singula unum erunt. Glau. Et hoc. So. De justo quin etiam et injusto, bono et malo, speciebusque omnibus ratio eadem. nam quodlibet istorum unum ipsum est : corporum vero actionum et alterna communione passim apparentia, singula multa videntur. Glau. Scite loqueris. So. Hac equidem ratione distinguo, seorsum quidem, quos tu modo dicebas curiosos ad videndum, audiendum artesque tractandas : seorsum quoque et illos, de quibus est sermo, quos solos merito quis philosophos appellabit. Glau. Quomodo istud ais ? So. Homines oculis et auribus dediti pulchris vocibus, coloribus et figuris, et omnibus quæ ex talibus constant, admodum delectantur : ipsius autem pulchri naturam cogitatio eorum non potest attingere. Glau. Sic est. So. Qui vero ad ipsum pulchrum ascendere valent et secundum se ipsum inspicere, nonne rari ? Glau. Rari admodum. So. Qui res istas pulchras existimat, ipsam vero pulchritudinem neque putat esse, neque, si quis ducat ad perceptionem ejus, attingere potest, vere sapere tibi videtur, an in somniis ludi ? Considera itaque somniare nonne id est, quando sive dormiens quis seu vigilans, quod alicui simile est, non simile, sed ipsum esse censet, cujus est simile ? Glau. Somnia videre hunc ego dicerem. So. Quid vero ? qui contra affectus est, intelligitque quid ipsum pulchrum, ac discernere valet et ipsum et quæ ipsius participant, adeo ut neque ipsum illa esse, neque illa ipsum putet, vigilne vivit an oscitans ? Glau. Certe pervigil. So. Hujus igitur cogitationem, ut cognoscentis, cognitionem jure vocabimus : hujus, tanquam opinantis, opinionem. Glau. Omnino. So. Si nobis succenseat iste, quem opinari dicimus, non cognoscere, negetque nos vera loqui : qua ratione eum mitigabimus, sensimque et blande persuadebimus sanæ mentis eum non esse ? Glau. Oportet sane. So. Adverte, quid ad eum dicemus. Si vis, sane hunc in modum ab eo sciscitabimur, dicentes quod, si quid novit, nulla invidia : sed gratum erit nobis et ipsum scire aliquid et, quid sciat, novisse. sed mihi id dicas : Quicunque cognoscit, cognoscitne aliquid aut nihil ? At tu mihi ejus vice responde. Glau. Aliquid certe. So. Utrum ens aliquid, an non ens ? Glau. Ens. quo enim modo, quod non est, [477] cognosci posset ? So. Sufficienter istud constabit, si varia sub ratione pervestigetur, quod videlicet omnino ens omnino et cognosci potest, nullo modo ens nullo modo cognosci. Glau. Sufficientissime. So. Si quid autem ita se habet, ut et sit et non sit, nonne medium erit inter id quod est omnino, et id quod nullo modo est ? Glau. Medium. So. Circa id quod est, cognitio ipsa versatur : ignoratio ex necessitate circa id quod non est. circa medium istorum medium quoddam investigandum, scientiam inter et ignorantiam, si quid hujusmodi reperitur. Glau. Prorsus. So. Num aliquid esse opinionem dicimus ? Glau. Quidni ? So. Utrum eandem potentiam cum scientia, an diversam ? Glau. Diversam. So. Ergo circa aliud quidem versatur opinio, circa aliud autem scientia, vel secundum potentiam eandem, vel secundum eandem utraque sui ipsius potentiam. Glau. Est ita. So. An non scientia quidem circa id, quod est, ea ratione qua ens est, cognoscit ? Immo vero necessarium esse censeo, ut prius ita distinguam. Glau. Qui ? So. Dicemus utique potentias esse genus aliquod eorum, quæ sunt : quibus et nos possumus, quæcunque possumus, et aliud, quodcunque aliquid potest. veluti visum et auditum potentias quasdam voco : si modo, quod loquor, intelligis. Glau. Intelligo equidem. So. Audi, quod mihi de his videtur. nam ego quidem ipsius potentiæ neque colorem video aliquem neque figuram, neque quicquam talium, qualia plurium re-

liquorum, ad quæ respiciens aliqua apud me distinguo, hæc alia esse, alia illa. in potentia vero ad illud solum aspicio, ad quod est quodve agit: et hac ratione quamlibet ipsarum potentiam nuncupavi: et illam quidem, quæ ad idem tendit idemque agit, eandem voco: aliam vero illam, quæ ad aliud spectat et aliud operatur. tu vero quid in his agis? Glau. Quod et tu. So. Age, rursus ad hæc convertere, o vir optime: utrum scientiam potentiam quandam esse dicis, an in genus aliud refers? Glau. Potentiam, etiam omnium profecto validissimam. So. Opinionem vero potentiamne an aliud quiddam esse dicemus? Glau. Potentiam certe. nam quo opinari possumus, non aliud est quam opinio. So. At paulo ante confitebaris non idem esse scientiam et opinionem. Glau. Quo pacto quis mentem habens idem asseret, quod falli potest et quod non potest? Glau. Optime quidem. So. Constat itaque aliud esse apud [478] nos ab opinione scientiam. Glau. Aliud plane. So. Utraque igitur circa aliud aliud operari suapte natura potest. Glau. Necesse est. So. Scientia quidem circa id quod est, ipsum ens, ut se habet, cognoscere. Glau. Sane. So. Opinio autem, opinari. Glau. Et hoc. So. An idem quod et scientia noscit? eritque idem, quod opinione percipitur et quod scientia? an potius impossibile? Glau. Impossibile certe ex his, quæ concessimus: si quidem circa aliud alia potentia ipsa ex natura versatur, potentiæ vero utræque sunt, scientia scilicet et opinio: alia item utraque, ut est dictum. Ex his autem fieri non potest ut idem sit, quod scientia comprehenditur et quod opinione concipitur. So. Nonne igitur, si ipsum ens cognitione percipitur, id quod concipitur opinione aliud quiddam præter ipsum ens est dicendum? Glau. Aliud. So. Nunquid non ens opinatur? an impossibile est opinari non ens? Sic autem cogita. nonne quisquis opinatur, ad aliquid opinionem dirigit? an possibile est opinari quidem, opinari autem nihil? Glau. Impossibile. So. At unum aliquid opinatur, quisquis opinatur? Glau. Procul dubio. So. Quod vero non est, non unum aliquid, sed nihil potius est dicendum. Glau. Prorsus. So. Non enti quidem ex necessitate ignorantiam tribuimus, enti vero cognitionem. Glau. Recte admodum. So. Ergo neque ens neque non ens opinatur. Glau. Sic est. So. Quare nec ignorantia neque cognitio erit opinio. Glau. Non, ut videtur. So. Num extra hæc exstat supergrediens vel cognitionem perspicuitate vel obscuritate ignorantiam? Glau. Neutrum istorum. So. An forte tibi videtur opinio cognitione obscurior, ignorantia clarior? Glau. Maxime. So. Inter utraque autem jacet? Glau. Certe. So. Media ergo istorum erit opinio? Glau. Media. So. An non supra diximus, si quid appareret tale, ut simul esset et non esset, illud inter vere ens et omnino non ens esse ponendum? neque scientiam ad illud neque ignorantiam pertinere, sed quod medium inter ignorantiam rursus appareat et scientiam? Glau. Scite. So. Nunc autem apparuit medium istorum esse, quod opinionem vocamus. Glau. Plane. So. Illud itaque nobis, ut arbitror, restat inveniendum, quod utriusque sit particeps, ipsius esse scilicet et non esse, neutrumque illorum sincere dici debeat: ut si nobis pateat, opinabile quiddam merito nuncupemus, extremis quidem extrema, mediis autem media tribuentes. an non ita? Glau. Ita prorsus. So. His ita suppositis percontabor eum, qui [479] ipsum pulchrum et pulchritudinis ideam unam esse negat, semper eodem modo secundum eadem se habentem: multa vero pulchra esse ducit, et pulchris rebus spectandis deditus nullo modo admittit unum esse pulchrum, unum justum, similiterque de ceteris: percontabor, inquam, hunc in modum, Estne aliquid ex hisce multis pulchris, vir optime, quod non turpe etiam videatur? itemque ex justis, quod non injustum: et sanctis, quod non profanum?

Glau. Non. sed necesse est pulchra ipsa et turpia et quotcunque alia interrogas, apparere. So. Quid multa dupla? num minus dimidia quam dupla videntur? Glau. Nihilo minus. So. Et magna insuper et parva, levia item et gravia, nunquid magis talia quam contraria vocabuntur? Glau. Non. sed singula semper utraque participabunt. So. Utrum est magis, quam non est, unumquodque multorum id, ipsum quod quis illud esse dicit? Glau. Simile hoc est iis, quæ in conviviis ad utramque partem plerumque dicuntur, et ænigmati puerorum circa eunuchum de vespertilionis percussione, quomodo et in quo illum avem arguunt percussisse. hæc enim ambigua sunt: neque esse neque non esse ipsorum aliquid, neque utraque neque neutra firmiter responderi potest. So. Habesne, qua ratione istis utaris? vel convenientiorem positionem istorum inducere potes quam mediam inter essentiam et non esse? neque enim obscurior quam non ens apparebit ad hoc, ut minus sit: neque clarior quam ens ad hoc, ut sit magis. Glau. Vera loqueris. So. Invenimus igitur, ut videtur, quod multa illa, quæ a multis pulchra aut alia quoquo modo existimantur, media inter omnino ens et omnino non ens volvuntur. Glau. Invenimus plane. So. Confessi autem antea fueramus, quod si quid tale apparuerit, non cognitione sed opinione percipi dicendum: et cum medium pervagetur, media comprehendi potentia. Glau. Concessum fuit. So. Eos igitur, qui pulchra hæc multa conspiciunt, ipsum vero pulchrum non vident, neque sequi eum possunt, qui ad ipsum ducat, et multa contuentur justa, ipsum autem justum minime, et alia similiter, opinari cuncta dicemus, cognoscere autem nihil eorum quæ opinantur. Glau. Necesse est. So. Quid eos, qui ipsa quæque contemplantur, semper eodem modo secundum eadem se habentia, nonne cognoscere potius quam opinari? Glau. Necesse est et ista. So. Nonne amare hos et admirari ista dicemus, in quibus versatur cognitio: illos autem, [480] in quibus opinio? an non recordamur quod voces et colores quosdam et talia quædam diximus hosce diligere et intueri, ipsum vero pulchrum ut aliquid sit, non admittere? Glau. Recordamur. So. Quare non aberrabimus, si istos philodoxos, id est opinionis amicos, potius quam philosophos appellabimus; quanquam acriter succensebunt nobis, si ita dixerimus. Glau. Non, si mihi pareant. nam vero irasci nefas est. So. Itaque eos. qui ipsum unumquodque per se ens admirantur et diligunt, philosophos, non philodoxos vocabimus. Glau. Ita decet.

LIBER VI.

[484] Quales philosophi sint, et quales qui alieni a philosophia, o Glauco, vix tandem longa oratione constitit. Glau. Haud forte facile hoc erat paucioribus explicare. So. Non, ut apparet. planius vero id, ut arbitror, eluceret, si hoc duntaxat enarraturus essem, neque per alia multa pervagaturus ad inspiciendum, quo vita justa differat ab injusta. Glau. Quid posthac nobis restat agendum? So. Quid aliud quam quod deinceps sequitur? Postquam philosophi sunt, qui attingere possunt id quod semper secundum eadem eodem modo se habet: qui vero id nequeunt, semper autem per multa mutabiliaque vagantur, philosophi non sunt: quosnam ex his duces esse civitatis oportet? Glau. Quo pacto ad hoc recte

possumus respondere? So. Quicunque custodire leges possunt et civitatis officia, his gubernacula sunt rei publicæ committenda. Glau. Probe. So. Hoc itaque perspicuum est, utrum cæcum an acute cernentem custodem quodlibet oporteat servare. Glau. Quidni perspicuum? So. Videnturne tibi a cæcis differre, qui cognitione cujusque, quod vere est, carent, neque perspicuum ullum habent exemplar in animo, neque possunt, tanquam pictores, ad exemplar verissimum respicientes, referentesque ad illud et ipsum quam sincerissime contuentes, ita demum leges hic ferre de pulchris, justis et bonis, si oporteat, et latas leges custodire atque servare? Glau. Profecto non longe differunt. So. Num istos potius ad custodiam eligemus quam eos, qui unumquodque, quod vere est, cognoscunt, peritia quoque aut alia quavis in parte virtutis nihilo inferiores exsistunt? Glau. Absurdum esset utique alios quosvis eligi, præcipue si cetera nequaquam desint, hoc certe maximo superant. [485] So. An non istud jam dicemus, quonam pacto iidem poterunt illa simul et hæc habere? Glau. Omnino. So. Quod ergo in hujus disputationis exordio diximus, naturam ipsorum perdiscere in primis oportet: atque arbitror, si illam ad sufficientiam invicem concesserimus, nos insuper concessuros fieri posse, ut iidem hæc assequantur, neque alios præter hos civitatis duces esse debere. Glau. Quonam pacto? So. Hoc itaque inter nos primum constet de philosophorum ingeniis, quod semper eam diligunt disciplinam, qua illis notior fiat natura illa, quæ semper est neque generatione et corruptione mutatur. Glau. Constet. So. Quin etiam, quod eam totam affectant, neque sponte partem ejus ullam spernunt, nec parvam nec magnam, neque honorandam neque vilem, quemadmodum supra de ambitiosis et amore captis prædiximus. Glau. Recte. So. Præterea et hoc animadverte, nunquid necesse sit naturæ eorum inesse, qui tales futuri sunt, quales narravimus? Glau. Quale istud? So. Ut mendacii omnis natura expertes sint, neque sponte mentiantur unquam, sed omnem oderint falsitatem, diligant veritatem. Glau. Probabile est. So. Non solum probabile est, o amice, sed penitus necessarium, eum, qui ex natura ad aliquid amore afficitur, quicquid cognatum et familiare est amato, diligere. Glau. Scite. So. Num familiarius aliquid sapientiæ quam veritas reperitur? Glau. Nihil. So. An ergo possibile est naturam eandem esse philosophicam et mendacem? Glau. Nullo modo. So. Ergo discendi cupidum necesse est statim a pueritia veritatem omnem summopere affectare. Glau. Prorsus. So. Quem vero ad certum quiddam ardenter rapiunt cupiditates, huic ad alia cupidines remissiores sunt, cum alio tanquam rivuli defluant. Glau. Nulli dubium. So. Quicunque igitur ad disciplinas et cetera talia omni desiderio flagrant, puram ipsius animæ expetunt voluptatem, corporis autem oblectamenta despiciunt: nisi quis fictus, sed verus philosophus sit. Glau. Summopere necessarium istud. So. Temperatus itaque vir talis erit, neque pecuniæ cupidus. nam ad quemvis pertinet potius quam ad hunc cumulandis pecuniis inhiare, cujus gratia ceteri maxima cum jactura pecuniis quærendis insudant. Glau. Ita est. So. Præterea id considerandum, [486] quotiens naturam ejus qui philosophus sit et ejus qui non sit discernere cupis. Glau. Quidnam? So. Ne forte latens quædam insit illiberalitas. nam adversa omnino est pusillanimitas animo universum ipsum semper divinum atque humanum indagaturo. Glau. Vera loqueris. So. Nempe cui cogitationis adest magnificentia et totius temporis totiusque substantiæ contemplatio, humana vita magnum quid videri non potest. Glau. Non profecto. So. Num mortem hic terribilem existimabit? Glau. Minime. So. Timidæ itaque illiberalique naturæ philosophia vera non convenit. Glau. Non, ut mihi videtur. So. Vir autem mo-

destus, non quæstui deditus, non pusillanimis, non superbus, non timidus, num in commerciis difficilis erit aut injustus? Glau. Nullo modo. So. Quin etiam cum discernere cupies, quis animus philosophus sit, quis non, statim a teneris annis id observabis, nunquid justus et mitis, an iniquus atque agrestis. Glau. Maxime. So. Neque hoc, ut arbitror, prætermittes. Glau. Quidnam? So. Utrum ad percipiendum velox an tardus. Num censes quempiam illud unquam diligere, quod cum aggreditur, summa cum difficultate agit, et vix tandem parum quid proficit? Glau. Numquam profecto. So Quid? si nihil servet eorum, quæ discit, obliviscaturque omnium, nonne erit scientia vacuus? Glau. Vacuus. So. Cum vero irritus illi labor omnis suscipiatur, an non cogetur tandem se ipsum et actionem talem odisse? Glau. Nihil prohibet. So. Obliviosum igitur animum legitimorum philosophorum ingeniis convenire nequaquam existimemus, sed admodum memorem. Glau. Ita prorsus. So. Absona præterea et inconcinna natura ad intemperiem semper trahit. Glau. Semper. So. Veritatem vero an cum intemperie congruere putas, an cum temperie potius? Glau. Cum temperie. So. Ergo compositam et gratam præter cetera cogitationem huic ingenio tribuamus, quod suapte natura propensum esse volumus ad ideam cujusque, quod vere est, inspiciendam. Glau. Nempe. So. An non tibi videmur singula percurrisse, quæ necesse est continuata serie sibi invicem succedentia animo illi competere qui veritatem rerum perfecte sit consecuturus? Glau. Ita prorsus. [487] So. Num potes quoquo modo studium id damnare, quod nullus sufficienter exsequi potest, nisi natura sit perspicax, memor, magnificus, gratiosus, amicus familiarisque veritatis, justitiæ, fortitudinis, temperantiæ? Glau. Ne Momus quidem id carperet. So. Nonne his solis, eruditione tandem et ætate perfectis, rem publicam præbebis administrandam? Adi. Nemo ad hæc tibi posset, o Socrates, contradicere: at vero sic afficiuntur, qui audiunt ea passim, quæ tu narras. nam propter imperitiam interrogandi ac respondendi ad singula quæ parva sensim deducti, singulis denique parvis in disputationis calce collectis existimant, post errorem atque fallaciam contrarium quoque aliquid superiorem emergere. et quemadmodum qui talis ludere nesciunt, ab his, qui in eo ludo periti sunt, tandem usque adeo coërcentur et concluduntur, ut quod ferant, nequaquam habeant: ita et se ipsos putant cogi tandem concludique, nec habere quod dicant, verbis veluti calculis circumclusos: quandoquidem verum sit nihil hæc duo inter se discrepare. dico autem hæc animadvertens præsentia. Nam nunc quidem diceret tibi quispiam his, quæ proponuntur, verbis adversari non posse, re autem ipsa compertum habere, quotcunque philosophiæ studium aggressi ita in eo versantur, ut non eruditionis gratia degustatis philosophiæ præceptis juvenes adhuc discedant, sed diutius immorentur, eos ut plurimum absurdos admodum evadere et a rebus hominum alienos, ne iniquissimos dixerimus: si qui vero præstantiores videantur, tamen hoc studio, quod ipse laudas, ita inquinari, ut inutiles evadant ad rem publicam gubernandam. So. Censes illos, qui hæc aiunt, mentiri? Adi. Haud novi equidem, sed quid ipse sentias, libenter audirem. So. Audies certe, si id roges, quod vera loqui mihi videntur. Adi. Qua ratione igitur recte id dicitur, quod non prius erit ulla malorum requies civitatibus, quam in ipsis philosophi dominentur, quos rei publicæ inutiles esse fatemur? So. Quod petis, responsione indiget per imaginem quandam inducta. Adi. At tu per similitudinem loqui, ut arbitror, non consuevisti. So. An mordes, cum me in sermonem impuleris adeo demonstratu difficilem? Audi ergo similitudinem, [488] ut apertius cognoscas, quam parce comparem. usque adeo durum est, quod præstantes in philosophia viri in gubernanda re publica patiuntur, ut nihil aliud sit unum, quod hos patiatur. quare oportet hoc ex

multis colligendo comparare cum his denique, et cujusque invicem explicare rationem, veluti cum pictores tragelaphos et cetera hujusmodi multiplicia figmenta depingunt. Finge animo quendam navis aut classis gubernatorem hujusmodi, magnitudine et robore corporis reliquos nautas excedentem, surdum vero et caligantibus oculis et mente gubernationis inscia ; nautas autem de gubernatione invicem decertantes, et unumquemque putantem se imperio dignum, cum nec artem didicerit unquam, nec sui præceptorem ullum possit ostendere, neque quo tempore didicerit assignare ; negantes quin etiam artem illam doceri posse, eumque, qui doceri posse asseveraverit, ferro petentes. ipsos autem cogita circa gubernatorem illum confluentes eum obsecrare et obnixe contendere, ut ipsis gubernacula tradat. quandoque vero si isti non persuaserint, sed alii potius, alios vel perimere vel e navi ejicere : generosum autem illum navis principem mandragora aut mero occupare, atque ita gubernationem navis arripere, utentes præsentibus rebus, vino et epulis indulgentes, sed ita ducentes, ut hujusmodi homines ducere verisimile est, omnes præterea laudare illum, nautamque et gubernatorem vocare, et quæ ad navem regendam spectant, callere, quicunque eos ad usurpandum navis principatum instruere possit vel persuasione vel vi, gubernatore submoto : eum vero, quid id nequeat, tanquam inutilem vituperare : veri autem gubernatoris officium ignorare, quod videlicet ad eum spectet rationem habere anni et temporum, cœli, siderum et ventorum et omnium quæ ad artem illam attinent, si dux navis est revera futurus : ut vero gubernet seu volentibus quibusdam sive invitis, hujus ipsius artem nullam putantes accipi posse simul et gubernatoriam facultatem. His utique circa naves contingentibus, an non verum gubernatorem censes ab illis, qui talibus vehuntur navibus, inanem et curiosum rerum sublimium [489] inspectorem et navi ipsi inutilem vocitari? Adi. Et maxime quidem. So. Haudquaquam opus esse arbitror, ut tibi latius explicem, quemadmodum ad propositæ comparationis imaginem ita in civitatibus affecti sunt adversus veros philosophos cives, ut in ejusmodi navibus ad verum gubernatorem nautæ : sed intelligere te existimo. Adi. Summopere. So. Primum itaque illi, qui admiratur philosophos in civitatibus minime honorari, imaginem hanc expone, et persuadere conare multo mirabilius fore, si honorarentur. Adi. Faciam equidem. So. Adjicias et hoc præterea, vera loqui eos, qui dicunt inutiles esse vulgo eos, qui philosophiæ studio pollent. verum quod inutiles sint, non esse ipsos in causa dicito, sed eos potius, qui his philosophis non utuntur. neque enim naturæ consentaneum est, ut gubernator quasi indigus nautas oret, quo ejus se gubernationi committant, vel sapientes ad divitum fores accedant : sed qui hoc primus jactavit, profecto mentitus est. revera autem ita natura comparatum est, sive dives seu pauper adversa valetudine teneatur, ut necessario fores medicorum petat : et omnes, qui superioris gubernatione indigent, domos adeant hominum gubernare potentium : non gubernatores, si modo alicujus pretii sint, orent, ut ab his gubernentur inferiores. quin si eos, qui his temporibus res publicas administrant, cum his comparaveris nautis, quos modo commemorabamus, non aberrabis : ac si illos, qui ab iis appellantur vani et superstitiosi reconditarum rerum indagatores, veris gubernatoribus comparabis, recte quidem facies. Adi. Recte admodum. So. Ob has igitur causas in his quoque haud facile est, ut honestum studium ab eis probetur, qui contrariis sunt moribus assueti. maxima vero et vehementissima philosophiæ calumnia oritur propter eorum mores, qui philosophiæ studia profitentur. ferunt quippe hi, qui philosophiam criminantur, ut ipse ais, plurimos eorum, qui ad philosophiam se conferunt, pravos admodum esse : si qui vero eorum ceteris excellunt, esse inutiles. atque ego hæc tibi concessi. nonne? Adi. Utique. So. An non causam exposuimus, ob quam legitimi philosophi esse

inutiles videantur? Adi. Certe. So. Cur autem et plurimi pravi sint, visne deinceps aperiamus? quodve philosophiæ culpa nulla est, pro viribus declaremus? Adi. Volo equidem. So. Pergamus ad hæc, repetentes quod supra induximus, qualem esse natura oporteat eum, qui honestus sit bonusque futurus. [490] dux autem ejus in primis erat, si memoriæ tradidisti, veritas, quam sequi omnino ac passim debet: aut si vanus sit, veræ quoque expers philosophiæ sit oportet. Adi. Ita prorsus est dictum. So. Unum hoc igitur alienum est omnino ab iis, quæ nunc de ipso existimantur. Adi. Alienissimum. So. An non decenter hunc in modum ejus causam defendemus, dicentes hominem scientiæ cupidum ita natura institutum esse, ut ad id, quod vere est, semper contendat, neque moras trahat in his singulis ac plurimis, circa quæ versatur opinio, sed ultra progrediens non ante quiescat, quam propriam cujusque naturam ea animi vi attigerit, qua id apprehendere convenit, convenit autem vi quadam cognata, qua cum adhæserit, seque ei quod vere est miscuerit, atque inde revera intelligentiam veritatemque genuerit, cognoscet utique verum, vereque vivet atque aletur, ex hoc denique partu molestia ejus omnis cessabit: prius vero nequaquam. Adi. Probe admodum ista dicuntur. So. An hic ullo modo amabit mendacium? vel omnino potius oderit? Adi. Oderit certe. So. Nempe ubi dux veritas est, malorum chorum subsequi, ut arbitror, non dicemus. Adi. Quo enim pacto? So. Immo vero sincerum sequi justumque morem. hunc quoque dicemus subsequi temperantiam. Adi. Scite. So. Quin etiam reliquum naturæ philosophicæ chorum quid opus est a principio recensere? recordaris enim, quod cum his congruit, ut dicebamus, fortitudo, magnificentia, acumen ingenii atque memoria. cum vero tu objecisses quod quilibet necessario fateri cogeretur, quæ dicebamus, verbisque nostris omissis conversus ad eos, de quibus erat sermo, diceret videre se illos partim inutiles, partim omni pravitate corruptos: tunc sane nos hujus calumniæ causam perscrutari cœpimus, et cur multi eorum mali sint, atque hac de causa rursus legitimorum philosophorum naturam repetivimus necessarioque hanc definivimus. Adi. Est ita. So. Quærendum est deinceps, qua ratione in multis natura philosophi depravatur. parvum quid subterfugit. nempe et hoc animadvertendum, quos videlicet non malos quidem, sed inutiles vocant: deinde etiam qualia hominum ingenia sint, quæ hanc imitantur naturam, [491] ejusque opus usurpant, et indignum se studium ac supra vires aggredientia delinquunt sæpe, et opinionem philosophiæ passim, quam narrabas, inducunt. Adi. At quas depravationes dicis? So. Ostendam, si potero. profecto id arbitror nobis quemlibet concessurum, ingenium tale, quale descripsimus, et omnibus hisce præditum, quibus perfectus indiget futurus philosophus, raro in paucisque oriri. an non ita existimas? Adi. Maxime. So. Atque horum etiam paucorum vide quam multi sint maximique interitus. Adi. Quinam? So. Nam quod præter cetera auditu mirabile est, unumquodque eorum, quæ in philosophi ingenio nuper probavimus, habentem inquinat animum et plerumque a philosophia detorquet: fortitudinem dico et temperantiam et cetera, quæcunque narravimus. Adi. Absurdum hoc quidem auditu. So. Præterea quæcunque bona vulgo dicuntur, depravant animum atque impediunt, forma, divitiæ, corporis vires, et genus in civitate potens, et cetera generis ejusdem. habes enim quandam eorum, quæ dico, formulam. Adi. Habeo equidem, ac libenter exactius, quæ dicis, audirem. So. Universum ipsum recte comprehendito, ac tibi perspicuum apparebit, neque absurda tibi, quæ de his dicta sunt, videbuntur. Adi. Quomodo istud præcipis? So. Scimus enim omne semen et plantarum et animalium, quod non fuerit ea, quæ cuique convenit, nutritione potitum, neque tempore neque loco, quo generosius ac vehementius, eo pluribus opportunis carere.

bono namque malum contrarium magis quam non bono. Adi. Quidni? So. Est igitur, ut arbitror, consentaneum, naturam optimam, si sub adversa forma nutriatur, deteriorem evadere quam ignavam. Adi. Est utique. So. Hac itaque ratione dicimus, Adimante, animos præstantissimo ingenio præditos, si male fuerint educati, pessimos fieri. An putas infanda scelera et extremam nequitiam ex ignavo potius ingenio quam generoso, educatione corrupto, procedere? imbecillem vero naturam ingentium vel bonorum vel malorum quandoque causam fore? Adi. Non certe. So. Si ipsa igitur [492] natura philosophi convenientem nanciscitur disciplinam, necesse est eam semper proficiendo ad omnem pervenire virtutem. sata autem si fuerit genitaque perverse, atque ita nutrita, ad contraria omnia rursus delabitur, nisi forte Deorum aliquis eam adjuverit. An tu quoque putas, quemadmodum multi, verum esse quosdam adolescentes a sophistis corrumpi, corruptores vero eorum sophistas quosdam esse privatos: ac non eos potius, qui ita loquuntur, maximos esse sophistas, docere item prorsus ac tales reddere, quales cupiunt et juniores et seniores, tam viros quam mulieres? Adi. Quando id potissimum? So. Quando in unum plurimi congregati in concionibus vel judiciis aut theatris aut castris vel alio quodam publico hominum cœtu ingenti rumore eorum, quæ vel dicta vel facta sunt, alia vituperant, alia laudant, et ad utraque acrius efferuntur, dum explodunt et applaudunt summo quodam strepitu et clamore: unde parietes quoque et laquearia circumresonant altius, suoque sonitu vehementer exaugent laudantium ipsorum vituperantiumque tumultum. tunc adolescentem illum quo animo hac in turba esse censes? vel quam privatam disciplinam rumoribus hisce putas obsistere, quo minus ab hujusmodi vituperationibus laudationibusque diluta atque dispersa eo protinus deferatur, quo fluctus hic devehit? unde eadem, quæ et illi, ut honesta approbabit, eadem quoque reprobabit ut turpia: iisdem præterea, quibus illi, incumbet studiis, eorumque evadet persimilis. Adi. Necesse id omnino est, o Socrates. So. Nondum tamen vehementissimam induximus necessitatem. Adi. Quam? So. Quam operibus inferunt non persuadentes verbis præceptores isti atque sophistæ. an non cernis quod hominem illis non obsequentem infamia notant, jactura pecuniarum et mortis supplicio damnant? Adi. Summopere. So. Quem igitur alium sophistam putas aut quos alios privatos sermones adversari istis et resistere posse? Adi. Nullius certe orationem. So. Nullius sane. Quin et his reniti summa stultitia est. neque enim fuit unquam nec est nec erit mos alius ad virtutem institutus, præter istorum disciplinam. humanus inquam, o amice, nam divinum quidem, juxta proverbium, excipiamus. certo enim id scito, quisquis immaculatus et integer ex hac constitutione [493] rerum publicarum evaserit, talem divino auxilio evasisse. Adi. Haud aliter mihi videtur. So. Istud præterea tibi videri debet. Adi. Quidnam? So. Quisque eorum, qui privatim accepta mercede homines erudiunt, quos quidem sophistas et æmulos artium appellant, nihil aliud docendum putat quam multorum sententias, in quibus consentiunt, quotiens congregantur; atque hanc sapientiam vocat: veluti si quis vasti cujusdam animalis bruti, robusti admodum, et ab homine enutriti, iras et cupiditates singulas observaverit, quave ratione adire hoc deceat, qua attrectare; item quando vel ferocius est vel mitius, et ex quibus causis tale fiat; voces item, quas in singulis quisque solet exprimere; quibus præterea vocibus aliorum irritatur id animal vel placatur: postquam vero ob diuturnam consuetudinem percepit singula, peritiam hujusmodi sapientiam vocet, et tanquam arte quadam collecta ad docendum se conferat, revera ignorans, quæ potissimum harum opinionum cupiditatumque honesta vel turpis, bona vel mala, justa sit vel injusta: nominet vero singula ad ingentis bestiæ

illius opinionem, bona videlicet, quibus delectatur ipsa, mala, quibus offenditur : nec aliam prorsus ullam de his afferat rationem, sed quæ necessaria sunt justa nuncupet et honesta, quo vero boni ipsius necessariive natura differat, neque ipse perspexerit unquam neque aliis ostendere possit. Si quis, inquam, ita affectus sit, nonne per Jovem absurdus præceptor esse tibi videbitur? Adi. Mihi vero. So. An differre tibi ab hoc ille videtur, qui multorum variorumque hominum in unum convenientium iram et voluptates callere sapientiam esse ducit, sive in pictura sive in musica sive in administrandæ rei publicæ disciplina? patet enim quod, si quis cum his versetur, eisque ostendat vel poësis vel alterius artis opus vel ad rem publicam attinens ministerium, exhibeatque vulgo judicandi operis auctoritatem ultra necessaria, Diomedea, ut aiunt, necessitate cogetur ea facere, quæ isti probaverint. quod vero bona hæc revera atque honesta sint, an audisti quandoque ipsorum aliquem rationem verisimilem assignantem? Adi. Nec audivi quidem unquam, nec, ut arbitror, audiam. So. Hæc intuitus omnia, recordare et illud : Num potest vulgus vel alio dicente admittere vel ex se attingere ipsum per se pulchrum, non autem multa hæc pulchra? et de ceteris eodem modo, non quidem esse singula hæc, [494] quæ patent multa, sed ipsam unam cujusque naturam? Adi. Minime. So. Philosophus ergo vulgus esse non potest? Adi. Non. So. Quin etiam necesse est ab eo philosophantes vituperari? Adi. Necesse. So. Et a quibusque populo placere volentibus. Adi. Patet. So. Ex his ergo quam rationem servandi ingenii philosophici vides, ut sua in studio perseverans ad finem philosophandi deveniat? Sic autem ex his, quæ dicta sunt, cogita. concessum est discendi acumen, memoriam, fortitudinem, magnificentiam ad hoc ingenium pertinere. Adi. Plane. So. Nonne statim apud omnes talis in cunctis primus erit, præsertim si corpus natura nactus sit animo conforme? Adi. Nihil prohibet. So. Volent igitur et domestici omnes et cives ad sua negotia peragenda hoc uti, cum adoleverit. Adi. Sic certe. So. Quare precibus, supplicationibus, honoribus, blandimentis præoccupabunt futuram ipsius virtutem atque potentiam. Adi. Ita fieri solet. So. Quid hominem talem arbitraris tunc effecturum? præsertim si ampla in civitate natus sit, et in ea divitiis insignis ac genere, honesta præterea indole sit atque procerus. nonne immensa spe elatum iri hunc censes, putantem se ad res tam Græcorum quam Barbarorum gerendas sufficere? unde et se ipsum extollere, fastidioso habitu lascivientem, inanique fastu et insana inflatum superbia? Adi. Vehementer. So. Si quis hominem sic affectum amice moneat, dicens mentem ipsum nequaquam habere, egere tamen : sed eam a nullo comparari posse, nisi se illius adeptioni subjiciat : an facile illum, tantis occupatum malis, præstare monenti aures putas? Adi. Longe abest. So. Sin autem bonitate naturæ et innato quodam erga rationes affectu inductus aliquis auscultet flectaturque et ad philosophiam trahatur, quid eos facturos existimamus, qui putant monitoris illius usu et consuetudine adolescentem corrumpi? nonne et loquendo et agendo omni studio certaturos, ut nec adolescens monitis pareat nec exhortator ille aliquid persuadeat, eum tam privatis insidiis quam publicis accusationibus insequentes? [495] Adi. Valde necessarium est. So. Restabit ergo huic ulla ad philosophandum facultas? Adi. Exigua plane. So. Videsne haud ab re nos supra dixisse philosophicæ naturæ partes, si perversa adhibita sit educatio, causas esse quodammodo, ut quis ab eo studio avertatur? quin etiam impedimento esse ea, quæ vulgo bona putantur, divitias scilicet et omnem hujusmodi suppellectilem? Adi. Recte nimirum est dictum. So. Hic est, o mirifice vir, interitus et corruptio talis ac tanta naturæ ipsius ad excellens officium optimæ, quæ quidem rara admodum, ut diximus, reperitur : atque hujus ingenii sunt hi viri, qui nefaria scelera patrant et privatim et publice, atque item qui

sunt et privatis et civitatibus bonorum ingentium auctores. exile vero ingenium nihil unquam vel privatim vel publice magnum efficit. Adi. Vera nimirum loqueris. So. Cum plerique ad philosophandum natura idonei ab hoc studio detorquentur, philosophiamque imperfectam et desolatam destituunt, vitam neque decentem neque veram ducunt: philosophiam vero, tanquam cognatis orbatam, alii quidam ea certe indigni aggredientes dedecorant ipsam nimium, eaque afficiunt infamia, qua notari ipsam a detractoribus illis commemorabas, objicientibus quod eorum, qui philosophiæ dant operam, nonnulli parvi faciendi sunt, multi vero nequissimi. Adi. Dicta certe hæc sunt. So. Ac merito dicta. Conspicientes profecto alii plerique homunculi sedem hanc vacuam quidem, præclaris tamen cognomentis dignitateque illustrem, instar eorum qui ex carcere ad templa confugiunt, libenter ex artibus ad philosophiam prosiliunt, quicunque præsertim in artiuncula sua excellunt. nempe philosophia, quanquam ita se habet, artibus tamen ceteris dignitate et magnificentia præstat: quam affectant plerique, natura quidem imperfecti, et artibus opificiisque sicuti corpora læsi, sic et animos mechanicis ministeriis depressi atque confracti. an non necessarium est? Adi. Maxime. So. An censes eos aspectu quicquam differre a fabro ærario parvo calvoque, qui nuper accepta pecunia e vinculis exiit, balneisque se lavit, et nova se veste tanquam sponsum ornavit, et filiam domini sui inopia pressi, nec alium cui daret habentis, in matrimonium sibi conjunxit? Adi. Haud longe [496] differre existimo. So. Qualem ex his prolem nasci putandum est? nonne notham scilicet et abjectam? Adi. Necesse est omnino. So. Homines autem disciplina indignos, quotiens ipsi præter dignitatem adhærent, quales cogitationes opinionesque producere dicimus? nonne, ut nominare decet, sophismata? nihilque legitimum, nihil dignum, nihil prudentiæ veræ conveniens? Adi. Sic omnino dicendum. So. Itaque pauci admodum restant homines, Adimante, qui digne cum philosophia versentur: hique sunt, qui bona indole nati ac bene enutriti otium ad philosophiam exilio nanciscuntur, unde philosophiæ adversis occupationibus liberi natura duce suis in studiis perseverant: aut cum magnificus quidam animus, angusta in urbe natus, spretis rei publicæ ipsius muneribus, ac multo magis contemptis reliquarum artium opificiis, pro naturæ dotibus ad philosophandum se confert. Foret etiam familiaris nostri Theagis frenum ad cohibendum satis validum. Theagi enim nostro omnia in eo statu fuerant, ut a philosophia decideret: corporis vero debilitas ipsum a rebus civilibus prohibet. Dæmonis autem nostri signum referre nunc non decet. vel enim cuidam alteri duntaxat, vel nulli superiorum contigit. Horum vero paucorum quicunque gustant, quam dulcis hæc sit ac beata possessio, et insaniam plurimorum vident: quia videlicet nullus, ut breviter ita simpliciterque dicam, recte quicquam in rebus publicis agat, neque socius aliquis et adjutor reperiatur, quicum defendendæ justitiæ curam suscipiens aliquis sospes evadat: sed tanquam homo in bestias incidens, cum nec una injuste agere velit nec solus ipse omnibus feris possit resistere, ante pereat quam quicquam vel civitatem vel amicos juvet, atque ita et sibi et aliis sit inutilis. hæc, inquam, omnia quicunque diligenter animadvertunt, quietem agunt et sua duntaxat curant: ac velut in procella, dum et turbo agitatur et venti perflant et offunditur pulvere cœlum, intra parietes tuti permanent, aliosque intuiti nequitia involutos, satis habituros se putant, si puri ipsi ab injustitia et iniquis facinoribus vexerint, et exactis vitæ curriculis bona cum spe hilares piique decesserint. Adi. Haud parva certe is egerit, qui ita vitam transiget. [497] So. Neque maxima tamen, si nactus non fuerit convenientem sibi rem publicam. nempe in ea et ipse proficiet emicabitque magis, et privata simul publicaque servabit. Hactenus, quam ob causam philosophia calumniam subiit, quodve injusta ea calumnia sit, satis dictum arbitror: nisi

aliud ipse forsan adjeceris. Adi. Nihil ad hæc ego præterea dicerem. sed earum, quæ nunc exstant, rerum publicarum quam potissimum philosophis convenire putas? So. Nullam prorsus : atque iccirco conqueror, quia nullam video ex his, quæ nunc exstant, rerum publicarum institutionem ingenio philosophi dignam. quamobrem mutari hanc naturam ac verti necesse est. utque peregrinum semen in alienum solum jactum debilitatur, ac degenerans ad indigenam vertitur loci seminisque naturam, ita et hoc genus, propria nunc amissa virtute, in alienam speciem permutatur. sin autem optimam rem publicam nanciscatur, sicut et ipsum est optimum, tunc demum divinum quiddam se esse, reliqua vero humana omnia, tam ingenia quam studia, declarabit. videris autem mihi statim, quænam ista res publica sit, quæsiturus. Adi. Haud recte præsagisti. non enim hoc abs te desiderabam : sed nunquid hæc ipsa sit, quam in condenda civitate induximus, an alia? So. Quoad alia quidem hæc ipsa. hoc autem tunc etiam dictum est, oportere aliquid inesse semper in civitate, quod rationem rei publicæ eandem habeat, quam et tu legislator habebas, dum leges conderes. Adi. Dictum plane. So. Non satis tamen explicatum. quippe nos oratio vestra deterruit, objiciens prolixam hanc et arduam demonstrationem fore. nam quod sequitur, haud dictu facile est omnino. Adi. Quid istud? So. Qua potissimum ratione civitas philosophiam suscipere debeat, adeo ut non perdatur. nam magna quælibet fallacia esse solent, et ut vere proverbio fertur, præclara difficilia sunt. Adi. Veruntamen cum istud inter nos constet, finem jam accipiat demonstratio. So. Potestas forte deerit mihi, voluntas certe nunquam. tu vero præsens studium meum intelliges. Adverte age et nunc, quam prompte et intrepide sim dicturus, quod, contra ac nunc fit, civitatem oporteat studium hoc attingere. Adi. Quonam pacto? So. Porro nunc, cum adolescentuli statim [498] a teneris annis inter rei familiaris quæstuariæque negotia difficillimam hujus studii partem aggrediantur, paulo post discedunt : etiam qui sapientiæ apprime studiosi fore existimantur. difficillimam vero partem inquam disserendi peritiam. deinde vero, si ab aliis id agentibus provocati auditores fieri patiantur, magnum quid cogitant, nec sedulo incumbendum his opinantur. in senectute vero, exceptis paucis, multo magis quam sol Heraclitius exstinguuntur, cum nunquam iterum accendantur. Adi. Quid ergo agendum? So. Contra omnino. nam adolescentulos ac pueros juvenilem disciplinam philosophiamque tractare convenit, corporumque, quatenus adolescant firmenturque ad philosophiæ ministerium, curam agere : procedente vero ætate, in qua anima jam perficitur, exercitationes suas augere. cum autem vires ex vetustate defecerint, tunc a civilibus militaribusque laboribus liberi tanquam emeriti et immunes ad votum vivant, nulloque certo officio sint astricti, quicunque feliciter victuri sunt, et post migrationem animæ sortem suscepturi anteactæ vitæ convenientem. Adi. Prompte admodum revera loqui mihi videris, o Socrates. arbitror autem plurimos, cum hæc audiverint, promptius quoque repugnaturos, abs te minime persuasos ; et in primis Thrasymachum id acturum existimo. So. Ne mutuæ inter me et Thrasymachum benevolentiæ insidieris. nam nuper amici effecti sumus, nec eramus antea inimici. neque vero ante desistemus, quam huic et aliis persuadeamus, vel saltem agamus conferens aliquid ad eam vitam, in quam cum pervenerint, hæc dicta reperient. Adi. Breve ad tempus dixisti. So. Immo vero ad nullum, si ad universum id conferatur. quod autem multi his, quæ dicta sunt, fidem non præstent, nihil mirum. nunquam enim, quod modo dictum est, evenisse viderunt, sed talia quædam verba potius de industria in similitudinem quandam composita, non casu, ut nunc, concurrentia. virum autem, quoad fieri potest, virtute perfectum, ac summopere factis et dictis tali quadam in

civitate potentem, [499] nunquam aut unum aut plures intuiti sunt. an putas? Adi. Nullo modo. So. Neque unquam, o beate, sermonibus aures adhibuerunt honestis ac liberis, quibus obnixe et omni studio noscendi gratia verum inquiritur. hæc autem plena versutiis et subornata litigiorum machinamenta, nihil aliud appetentia quam opinionem, inanem gloriam, contentionem tam in judiciis quam privatis colloquiis, omittuntur. Adi. Non certe. So. Quamobrem, cum hæc ipsi prævideremus metueremusque, veritate coacti diximus neque civitatem ullam neque rem publicam neque virum perfectum fore, priusquam paucis hisce philosophis, qui nec mali nec inutiles sunt, ut vulgo existimantur, necessitas quædam sorte contigerit ut, seu velint seu nolint, civitatis curam suscipiant, vel a civibus exaudiantur: vel saltem his qui dominantur, aut eorum filiis, divina quadam inspiratione, veræ philosophiæ verus amor inhæserit. Quod autem altera horum vel utraque impossibilia sint, demonstrari non posse arbitror. alioquin jure ipsi irrideremur, quasi res pro desiderio effingentes. an non ita? Adi. Ita prorsus. So. Si quando igitur olim infinito tempore anteacto, viri in philosophia præstantes necessitate impulsi rem publicam gubernarunt vel hisce temporibus regunt barbarica quadam in regione nobis inaccessibili, vel in futurum administrabunt: in hoc certe rerum statu procul dubio asseveramus rem publicam supra descriptam fuisse, esse ac fore, quando civitati hæc Musa præsit; fieri certe id potest, neque nos impossibilia fingimus: difficilia tamen hæc esse a nobis quoque concessa fuerunt. Adi. Mihi quoque ita videtur. So. Addes forsitan, vulgo id non videri. Adi. Forte. So. Ne usque adeo vulgus culpes, o vir beate. verum quid eos opinaturos existimas, si non contentionis studio, sed amicis monitis, dissoluta philosophiæ adversa calumnia, ostendas, quos potissimum viros appellas philosophos, et ut nuper distinguas et ingenium ipsorum et studium, [500] ne te suspicentur eos dicere, quos ipsi cogitant: vel si ita conceperint, falli eos opinione dixeris nec ad proposita respondere? an censes, inquam, adversus mitem virum irritari aliquem? aut hominem sine invidia et malignitate viro non invido invidere? Equidem pro te respondeo, non in multitudine hominum, sed in paucis admodum adeo immitem inesse naturam. Adi. Idem et ipse cogito. So. An et hoc cogitas? causam, ob quam multitudo philosophiam iniquo animo fert, eos esse, qui cum inepti ad philosophiam sint, eam professi homines convitiis passim lacessunt, et, quasi inimicitiis delectentur, semper de omnibus obloquuntur, rem agentes philosophiæ minime congruam. Adi. Omnino. So. Neque enim viro illi, o Adimante, qui omnem mentis aciem ad ea, quæ vere sunt, direxit, otium superest, quo negotia hominum inferiora respiciat, cumque illis pugnans invidiam sibi et malevolentiam conflet: sed ea, quæ semper eundem servant ordinem, contemplatur, quæ neque inferunt invicem neque patiuntur injuriam, omnia vero ornate et secundum rationem disposita sunt. atque hæc imitatur, seque his quam simillimum reddit. an putas fieri posse, ut illud non imitetur aliquis, cui cum amore admirabundus adhæret? Adi. Nullo modo. So. Quare cum philosophus divino atque decoro frequenter adhæreat, divinus ipse atque decorus, quoad homini possibile est, efficitur. calumnia vero in omnibus multa. Adi. Sic est omnino. So. Si ergo necessitate aliqua inducatur, ut ea, quæ illic intuetur, ad mores hominum privatim et publice transferat, neque se tantum, sed et alios formet: nunquid inertem fabrum temperantiæ justitiæque et universæ popularis virtutis fore ipsum existimas? Adi. Minime. So. Si sentiat vulgus vera nos de hoc perbibere, an philosophis succensebit, nobisque non credet dicentibus non aliter civitatem fore beatam, quam si eam, pictores forment qui divino utuntur exemplo? Adi. Nequaquam succensebit, si senserit. Verum

quem pingendi [501] modum dicis? So. Cum pictores hi civitatem et mores hominum, quasi tabulam quandam, acceperint, in primis eam purgabunt: quod nequaquam facile est. An nescis hoc præcipue ab aliis philosophos discrepare, quod neque privatum neque civitatem tangere, neque leges condere tentant, antequam vel hæc purgata susceperint vel ipsi purgaverint? Adi. Et recte quidem. So. An non describere eos post hæc putas rei publicæ formam? Adi. Quidni? So. Deinde agentes hæc, ut arbitror, ad utraque frequenter respicient, ad illud scilicet, quod natura justum, honestum et temperatum exsistit, ceteraque hujusmodi, atque iterum ad humana: et ad superioris illius exemplar humana disponent, ex hominum officiis naturam humanam contemperantes ad figuram ejus, quod Homerus, quando in hominibus fit, Dei speciem et imaginem appellavit. Adi. Scite. So. Partim ergo delebunt philosophi, partim etiam colorabunt, quousque humanos mores, quam maxime fieri potest, Deo in amore conjunxerint. Adi. Pulcherrima nimirum hæc est pictura. So. An persuademus illis, quos invehi in nos dicebas, talem esse rerum publicarum pictorem eum virum, quem supra apud eos laudavimus, illique indignati sunt, quod huic civitatem gubernandam committeremus: nunc vero æquiori animo hoc audiunt? Adi. Et maxime quidem, si sapiunt. So. Qua nunc in parte nobis adversabuntur? utrum eorum, quæ vere sunt, veritatisque ipsius amatores non esse philosophos asserent? Adi. Absurdum quidem id esset. So. An forte negabunt naturam philosophorum, quam narravimus, optimi ipsius esse familiarem? Adi. Neque hoc quidem. So. Quid vero, hanc congruis instructam officiis, absolute bonam fore ac præ ceteris sapientiæ proximam, renuent? vel eos probabunt magis, quos ipsi secrevimus? Adi. Nequaquam. So. An succensebunt adhuc dicentibus nobis, quod, nisi philosophorum genus civitatis suscipiat gubernacula, nec civitati nec civibus erit requies ulla finisque malorum? nec res publica, quam oratione describimus, in lucem exorietur? Adi. Forte minus. So. Visne dicamus eos non parum, sed prorsus mites persuasosque fuisse; ne [502] forte erubescentes aliquid aliud confiteantur? Adi. Absque dubio. So. Hoc igitur isti persuasi jam sint. de hoc autem quis ambiget, quin regum potentiumque virorum filii philosophi nascituri non sint? Adi. Nemo. So. Posset autem quis adjicere, quod, etiamsi tales nascantur, inquinari eos necesse sit: quod enim servari a maculis purum ardium sit, nos quoque concedimus. Quis autem illud insuper addet, in omni tempore ex omnibus hominibus ne unum quidem unquam integrum immaculatumque evadere posse. Adi. Nullus hoc dixerit. So. At vero unus, natura sic institutus civitatemque nactus obedientem, sufficiens est ad hæc omnia perficienda, quæ nunc ut impossibilia reprobantur. Adi. Sufficiens utique. So. Porro, si princeps aliquis leges et officia, quæ narravimus, mandet, haud impossibile est cives his obsequi velle. Adi. Non certe. So. Atqui sentire et alios eadem, quæ et ipsi sentimus, num mirum aut impossibile est? Adi. Non, ut arbitror. So. Quod autem optima hæc sint, siquidem possibilia, satis supra est, ut arbitror, disputatum. Adi. Satis. So. Quare ex his, quæ dicta sunt, sequitur, ut optima futura sint, quæ de legibus ferendis prædiximus, si agantur: difficilia item factu, non tamen impossibilia. Adi. Sequitur plane. So. Postquam vix tandem finem his imposuimus, ad reliqua jam pergendum, qua ratione videlicet quibusque disciplinis et studiis instructi erunt hujus nostræ rei publicæ servatores, et qua in ætate singuli singula exercebunt. Adi. De his certe jam dicendum. So. Haudquaquam sapienter mihi actum est, cum in superioribus reliquerim matrimoniorum difficultatem atque molestiam, filiorumque procreationem et constitutionem principum. noscebam enim, quam invidiosa res esset factuque difficilis, vel omnino vera. Nunc

autem nihilominus transigere hæc cogimur. atque ea quidem, quæ ad mulieres ac filios pertinent, jam peregimus: quæ vero ad principes, tanquam a principio rursus percurrenda videntur. Diximus autem, si memoria tenes, amatores eos civitatis esse oportere, [503] in voluptatibus doloribusque probatos; atque ex hoc proposito neque laboribus neque metu periculorum neque mutatione alia dimoveri. eum vero, qui hoc nequeat, abdicare oportet: at illum, qui passim sincerus et incorruptus evadit, tanquam aurum in ignis examine comprobatum. gubernandæ civitati præficere, muneribusque ornare et viventem et mortuum. Præmia vero talia sint, qualia communiter dicta sunt, breviter hoc percurrente et quasi tergiversante sermone: quippe cum res, ut nunc sunt, movere timeremus. Adi. Vera loqueris: memini equidem. So. Verebar enim, o amice, quæ nunc ausus sum, dicere. Nos vero in præsentia id asserere audeamus, quod custodes diligentissimi optimi esse debent philosophi. Adi. Ratum id habeatur. So. Animadverte, quam pauci tales erunt. illius siquidem naturæ partes, quam inesse illis oportere diximus, una raro concurrunt et ut plurimum disjunctæ nascuntur. Adi. Quo pacto id ais? So. An ignoras, quod iidem homines dociles, memores, ingeniosi, acuti non sunt, ac etiam fortes atque magnanimi, ut moderate, tranquille, constanter vivant? tales siquidem viri acuminis ipsius fervore, quocunque contigerit, proferuntur, stabilitatis omnis et gravitatis expertes. Adi. Vera loqueris. So. Habitus autem ipsi animorum stabiles et a levitate penitus alieni, quorum in gravitate maxime confidendum, utpote qui in bello intrepidi sunt, ut in his immobiles sunt, ita ad disciplinas tardiores et hebetes. torpent siquidem atque oscitant, quotiens eis est contemplationi invigilandum. Adi. Est, ut dicis. So. Nos autem in superioribus diximus oportere principem utrorumque optima ratione participem esse. alioquin non esse illi supremam disciplinam exhibendam, neque honores magistratusque impartiendos. Adi. Recte. So. Nonne raro hoc eventurum existimas? Adi. Raro admodum. So. Examinare igitur futuri principis oportet ingenium in his, quæ supra diximus, laboribus, timoribus, voluptatibus. addimus præterea, quod supra dimisimus: oportere videlicet illud in disciplinis plurimis exercere; ut pateat, nunquid maximæ ipsius [504] doctrinæ percipiendæ sit compos, an deficiat potius, quemadmodum qui in aliis operibus trepidant atque deficiunt. Adi. Ita certe investigare decet. verum quam maximam doctrinam vocas? So. Meministi quodammodo, cum tres in anima species posuissemus, quid justitia esset, temperantia, fortitudo, sapientia, nos definientes invicem convenisse? Adi. Si non recordarer, haud dignus essem, qui reliqua abs te audirem. So. An et illud memoria tenes, quod ante hæc dictum fuit? Adi. Quidnam? So. Diximus certe ampliori quodam alio orationis circuitu exactius ea posse cognosci: verum commodius esse, ut demonstrationes superioribus magis consentaneas induceremus. quod et vos sufficere respondistis. Atque ita tunc ea pingui Minerva, ut mihi visum est, tractata sunt. sin autem placet vobis, ipsi hoc dicite. Adi. At moderate dictum et mihi et aliis est visum. So. Sed, o amice, talium mensura quamcunque veritatis partem omiserit, immensurate fit. nil enim deficiens ullius est mensura. quanquam nonnullis quandoque videtur sufficienter statim esse tractatum, neque longiori inquisitione opus esse. Adi. Permultis id propter secordiam accidit. So. Vitium hoc a custode civitatis et legem esse debet alienissimum. Adi. Consentaneum. So. Ergo amplior quidam, amice, huic agendus circuitus: neque brevior discendo quam exercitando impendenda est opera. alioquin, ut paulo ante diximus, ad summæ penitusque necessariæ doctrinæ finem nunquam perveniet. Adi. An hæc maxima non sunt? estque aliud insuper, justitia et ceteris quæ nar-

ravimus excellentius? So. Nempe præstantius. et horum quidem ipsorum nequaquam decet adumbrationem quandam, qualem nunc aspicere: sed absolutam rationem comprehendere. an non ridiculum est in rebus minimis omne studium ponere et obnixe contendere, quo quam diligentissime et sincerissime peragantur: in maximis autem levem operam satis esse putare? Adi. Ridiculum prorsus. at enim putas sese aliquem contenturum, quin abs te nunc exquirat, quænam disciplina illa sit, quam maximam vocas, et circa quid versetur? So. Non equidem: sed et ipse interroga, quanquam sæpenumero te arbitror audivisse: nunc autem vel non advertis, vel potius interturbare me [505] tuis objectionibus cogitas. quod ego potius arbitror. nam sæpe audisti boni ideam esse maximam disciplinam: qua quidem et justa et alia usa cum fuerint, utilia et conducibilia fiunt. atque hoc ferme dicere me velle scito: et istud præterea, quod ipsam non sufficienter agnoscimus. sin vero ipsam nescimus, et sine ipsa alia quam maxime noverimus, scito nullam ex aliis nobis utilitatem fore: sicut neque prodesset nobis quicquam, quod sine bono possideremus. An majus quid esse putas, sine possessione boni alia omnia possidere, quam sine boni ipsius et pulchri intelligentia cetera intelligere? Adi. Non certe. So. Pluribus vero bonum voluptas videtur, elegantioribus sapientia. Adi. Procul dubio. So. Quin etiam et hoc nosti, quod qui sapientiam bonum existimant, si interrogentur, quænam potissimum sapientia, declarare nequeunt, sed coguntur tandem boni sapientiam dicere. Adi. Quam ridiculosa responsio! So. Cur non ridicula videatur, si cum nos vituperent, quod ignoremus bonum, de bono rursus nobiscum tanquam intelligentibus illud loquantur? aiunt enim bonum esse sapientiam boni: quasi noverimus quid ipsi dicant, cum boni nomen pronuntiant. Adi. Vera loqueris. So. Qui vero bonum voluptatem esse definiunt, nunquid minus errant quam ceteri? nonne et isti coguntur fateri voluptates esse malas? Adi. Valde. So. Eadem igitur et bona esse et mala fateri coguntur. an non? Adi. Plane. So. Nonne constat plurimas circa hoc et maximas ambiguitates consurgere? Adi. Constat. So. Nonne et hoc perspicuum, quod quæ justa et honesta videntur, etiam si non sint, multi eligerent agere possidereque et videri hominibus hæc habere: nemo autem satis habere se putat, si, quæ bona duntaxat videntur, possideat: sed quæ revera bona sint, omnes quærunt; opinionem vero in his quisque contemnit? Adi. Et maxime quidem. So. Bonum quidem anima omnis expetit, ejusque gratia agit omnia, augurans esse aliquid: dubitat tamen, neque sufficienter, quid sit, comprehendere potest, neque fidei stabili inhærere, quali utitur circa alia: atque iccirco et in aliis fallitur, cum quid utile sit, judicare pergit. [506] An circa id, cum tale sit ac tantum, similiter cæcos esse debere dicemus illos quoque præstantissimos in civitate viros, quibus universa committimus? Adi. Minime omnium. So. Reor equidem eum, qui nesciat, ut nunc fere accidit, qua ratione justa et honesta bona sunt, haud multi faciendum sane custodem se ipsum exhibere posse. vaticinor autem neminem ipsa prius quam bonum sufficienter cognosciturum. Adi. Scite vaticinaris. So. Perfecte igitur disposita nobis erit res publica, si custos horum peritus eam reget. Adi. Ita necesse est. Verum tu, o Socrates, utrum bonum ipsum dicis esse scientiam vel voluptatem vel aliquid aliud præter ista? So. Jam diu compertum habeo, Adimante, tibi non satis fore, si sententias aliorum retulero. Adi. Haud decere mihi videtur, o Socrates, opiniones aliorum referre posse, suam vero nequaquam, hominem præsertim tamdiu in his versatum. So. An decere putas, ut de his, quæ quis ignorat, quasi sciens loquatur? Adi. Nullo modo quasi sciens: sed ut quasi ex opinione proferens, quæ sentit. So. An nescis opiniones om-

nes absque scientia turpes esse, quarum quæ optimæ, cæcæ sunt? an eos, qui absque intelligentia verum aliquid opinantur, differre ab illis existimas, qui, licet cæci sint, recto tamen tramite gradiuntur? Adi. Nihilo. So. Vis ergo turpia contemplari cæcaque et obliqua, cum liceat ex aliis perspicua pulchraque audire? Glau. Age per Jovem, Socrates, ne desistas, cum prope calcem perveneris. sufficiet enim nobis, si, quemadmodum de justitia temperantiaque et aliis tractavisti, ita quoque de bono tractaveris. So. Mihi quoque, o amice, valde sufficiet. at vereor, ne vires deficiant, atque ego supra vires ausus ineptior appaream risumque audientibus moveam. Ceterum, o viri felices, quid ipsum bonum sit, in præsentia dimittamus. est enim, ut mihi videtur, præsentem supra contemplationem. quis autem appareat boni ipsius filius et ejus quam simillimus, si vobis placet, dicam: sin minus, dimittam. Glau. Dic age. patrem vero postea declarabis. So. Vellem equidem, ut et ipse explicare possem et vos percipere, [507] non solum boni partus ut nunc, sed ipsum bonum. hunc ergo ad præsens partum boni ipsius filiumque accipite. cavete tamen, ne inscius ipse vos decipiam, vanam assignans de filio rationem. Glau. Cavebimus id pro viribus. dic modo. So. Dicam equidem, si prius repetamus invicem confirmemusque, quæ supra memorata sunt, et alias sæpenumero dicta. Glau. Quænam? So. Multa quidem pulchra et multa bona et singula similiter esse dicimus, et oratione distinguimus. Glau. Dicimus profecto. So. Atqui et ipsum pulchrum et ipsum bonum inducimus, ac similiter in omnibus, quæ ut plura ponebamus, unum rursus ponimus, secundum ideam unam cujusque tanquam una sit, et quod unumquodque est appellamus. Glau. Vera hæc sunt. So. Et hæc quidem videri dicimus, non autem intelligi: ideas autem intelligi, non videri. Glau. Sic est omnino. So. Qua potentia e multis, quas habemus, quæ patent oculis, cernimus? Glau. Visu. So. Nonne et auditu, quæ audiuntur, et aliis sensibus omnia, quæ sentiuntur? Glau. Quidni? So. Nunquid animadvertisti, quam perfectam sensuum auctor vim fabricavit ad id quod videre et id quod videri dicimus? Glau. Non satis. So. Sic autem considera. estne auditui atque voci alio genere opus ad hoc, ut ille quidem audiat, hæc audiatur? quo tertio absente ille non audiet, ista non audietur? Glau. Nequaquam. So. Arbitror equidem neque aliis multis, ne dicam nulli, tali quodam opus esse. an tu talem aliquam vim repperis? Glau. Minime. So. An non advertis visus ipsius et ejus, quod visui subjacet, vim tali aliquo indigere? Glau. Quo pacto? So. Præsente oculis visu ipsisque ad spectandum directis, præsente item colore, nisi adsit et genus tertium proprie ad hoc natura aptum, neque visus videbit quicquam neque videri colores poterunt. Glau. Quidnam id esse dicis? So. Quod tu lumen vocas. Glau. Vera loqueris. So. Profecto visibilis ipsius vis et videntis potentia jugo quodam aliarum omnium conjugationum maxime honorando junctæ sunt, non exigua quadam specie, [508] si modo contemnendum non est lumen. Glau. Longe abest, ut contemnendum sit. So. Quem potissimum Deorum cœlestium hujus causam putas, cujus lumen efficit, ut et visus noster quam optime cernat et oculis objecta cernantur? Glau. Quem tu putas et alii. nempe de sole interrogas. So. Ita vero ad hunc Deum se visus habet. Glau. Quomodo? So. Visus sol non est, neque oculus, cui inest visus, sol est. Glau. Non certe. So. Sed ex omnibus sensuum organis id maxime solis particeps. Glau. Multum sane. So. Nonne et vim, quam habet, ex sole infusam servat? Glau. Prorsus. So. Quin etiam sol visus non est: causa vero ipsius est, ab eoque prospicitur. Glau. Sic plane. So. Hunc me vocare boni filium dicito, quem ipsum bonum in hac secum genuit comparatione consimilem: ut

quemadmodum ipsum in loco intelligibili ad intellectum et ea quæ intelliguntur se habet, sic et iste in loco visibili ad visum se habeat et ad ea quæ videntur. Glau. Quo pacto? latius explica. So. Oculi porro, quotiens non ad ea vertuntur, quorum colores diurnus fulgor illuminat ostenditque, sed ad illa quæ nocturnis radiis attinguntur, cæcutiunt hallucinanturque et prope cæci esse videntur, ac si purus in illis visus non insit. Glau. Sic accidit. So. Quotiens vero ad ea, quæ sol illustrat, perspicue cernunt, iisdemque ipsis in oculis esse visus apparet. Glau. Est ita. So. Sic et de animo cogita. quando enim illi inhæret, in quo veritas et ipsum ens emicat, intelligit illud atque cognoscit, intellectumque habere videtur: sed cum ad id fertur, quod tenebris est permixtum, quod videlicet generatur atque corrumpitur, ejus obtunditur acies, opinionesque versat varias, ac mentis expers esse videtur. Glau. Sic apparet. So. Illud igitur, quod veritatem illis, quæ intelliguntur, præbet, et intelligenti vim ad intelligendum porrigit, boni ideam esse dicito, scientiæ et veritatis, quæ per intellectum percipitur, causam. Cum vero adeo pulchra duo hæc sint, cognitio scilicet ac veritas, si bonum ipsum aliud quam ista et pulchrius æstimabis, recte putabis. et quemadmodum [509] lumen ac visum solis speciem quandam habere existimare decet, solem vero ipsum esse nequaquam: ita cognitionem et veritatem boni ipsius speciem habere quidem aliquam, esse vero ipsum minime. augustior enim est ipsius boni majestas. Glau. Decus narras inæstimabile, si scientiam quidem et veritatem præbet, ipsum vero decore hæc superat. neque enim voluptatem ipsum esse dicis. So. Bona verba quæso. atque ita planius ejus imaginem contemplare. Glau. Quomodo? So. Solem quidem dices, ut arbitror, his, quæ videntur, non modo vivendi præbere potentiam, verum etiam generationem, augmentum, nutritionem, cum ipse tamen generatio non sit. Glau. Quo enim pacto? So. Atque ita dicas bonum his, quæ cognoscuntur, dare non modo ut cognoscantur, sed esse insuper et essentiam elargiri, cum ipsum essentia non sit, sed supra essentiam, dignitate ipsam et potentia superans. Glau. Ædepol, mirabilis hic excessus! So. Hujus certe tu causa es, qui me compulisti ad ea, quæ mihi de hoc viderentur, aperienda. Glau. Neque dum etiam desistas: sed absolve præcipue solis comparationem, si quid est prætermissum. So. Atqui multa prætermittuntur. Glau. Ne minimum quidem omittas. So. Reor equidem multa præterea superfore: veruntamen quotcunque ad præsens referri poterunt, haud sponte dimittam. Glau. Ita precor. So. Cogita duo hæc esse: sponte dimittam. Glau. Ita precor. So. Cogita duo hæc esse: et unum quidem in genere locoque intelligibili regnare, alterum in visibili: ne sub cœlo inquiens videar te circa nomen decipere. attamen species duas habeas, visibile scilicet et ipsum intelligibile. Glau. Habeo equidem. So. Perinde ac si acceperis lineam, in duas æquales sectam portiones, et utramque rursus partem simili ratione diviseris, ita nunc oblatum tibi genus, unum visibile, intelligibile alterum, in duo rursus secundum claritatem et obscuritatem utrumque distingue. in genere quippe visibili portio una imagines continebit. voco autem imagines primum [510] umbras, deinde simulacra, quæ in aquis apparent, et quæ in corporibus densis, lævibus, tersis ac lucidis, et omne quodcunque tale: si tenes. Glau. Teneo. So. Portio vero altera comprehendet ea, quorum hæ similitudines quædam sunt: animalia videlicet, quæ apud nos sunt, et plantas et universum fabricæ genus. Glau. Sic pono. So. An vis præterea secundum verum et non verum dicere genus hoc distingui? ut quemadmodum se habet, quod opinione fingitur, ad id quod scientia noscitur, ita simulacrum ad illud cujus est simile? Glau. Valde. So. Considera iterum intelligi-

bilis sectionem. Glau. Quo pacto? So. Unum quidem ipsius genus est, quod inquirit animus, his utens velut imaginibus, quæ prius divisa sunt, compulsus ex suppositionibus non ad principium, sed ad finem procedere. alterum vero, quod excogitat animus ex suppositione procedens ad principium non suppositum; nec imaginibus utens, quibus ad genus alterum uti solemus, sed ipsis speciebus per ipsas progrediens. Glau. Haud satis, quæ dicis, intelligo. So. At enim facilius per hæc intelliges. arbitror te non latere, quod qui circa geometriam et arithmeticam et cetera generis ejus versantur, supponunt quidem par et impar et figuras ac tres species angulorum et horum similia in argumentationibus singulis: et his positis, tanquam cuilibet manifestis, rationem de his nullam exigendam putant: atque hinc incipientes ad alia jam descendunt, et ad illud tandem perveniunt, quod quærebant. Glau. Prorsus id novi. So. Enimvero et illud nosti, quod et supra dictis speciebus utuntur, deque illis verba faciunt: quanquam non ad eas mentem dirigunt, sed ad illa potius, quorum ista simulacra sunt, ad quadrangulum ipsum videlicet ipsumque diametrum; non ad ista, quæ scribunt. et in aliis eodem modo speciebus quidem hisce, quas describunt figurantque, quarum et umbræ sunt et in aquis imagines, tanquam imaginibus quibusdam utuntur, affectantes illa conspicere, quæ [511] non aliter quam cogitatione percipiuntur. Glau. Vera loqueris. So. Hanc generis intelligibilis speciem supra dicebam, ad cujus investigationem cogi animum suppositionibus uti, ad principium non euntem, utpote qui supra suppositiones ascendere nequeat, utaturque imaginibus his, quæ ex inferioribus sunt ad superiorum similitudinem comparatæ, atque ita opinione conceptæ distinctæque sunt, quasi ad illa perspicue conferant. Glau. Intelligo equidem dici abs te, quod in geometria et aliis ejus germanis artibus fieri solet. So. Alteram intelligibilis partem ad illud referre me scito, quod ipsa ratio per demonstrandi facultatem attingit, dum suppositiones non pro principiis habet, sed revera pro suppositionibus accipit, tanquam gradibus quibusdam et adminiculis utens, quousque ad illud, quod non supponitur, ad principium videlicet veniens universi, ipsum attingat, et rursus adhæreat illis, quæ principio hærent, atque ita ad finem usque perveniat, nullo prorsus sensibili utens, sed ipsis speciebus, per ipsas atque ad ipsas progrediens. Glau. Intelligo tandem: quanquam minime sufficienter, ut cuperem. videris enim mihi magnum opus proponere. moliris quidem disserere, partem illam vere exsistentis et intelligibilis generis, quam per demonstrationis scientiam speculamur, illa esse clariorem, quam ex illis scientiis, quæ artes appellantur, investigamus: in quibus pro principiis suppositiones habentur: et qui ista considerant, cogitatione coguntur, non sensibus intueri. Quoniam vero ad principium non ascendunt, sed ex suppositionibus indagant, intellectum circa hæc habere tibi nequaquam videntur, licet cum principio intelligibilia sint. Videris autem mihi geometricarum et similium rerum habitum cogitationem potius appellare quam intellectum, quasi cogitatio inter opinionem et intellectum medium teneat. So. Sufficienter admodum percepisti. Atque ad has quatuor proportiones quatuor itidem animi affectiones accipe: intelligentiam quidem ad supremum ipsum, ad secundum cogitationem, ad tertium fidem, ad postremum vero assimilationem sive imaginationem. Hæc præterea invicem alternæ ratione proportionis ordina, ut ita hæc claritatem participent, quemadmodum illa, circa quæ sunt, veritatem. Glau. Intelligo equidem, et, quod dicis, admitto: et ut jubes, ita dispono.

LIBER VII.

[514] Post hæc naturam nostram, quoad eruditionem et ruditatem attinet, tali quadam imagine contemplare. Finge animo subterraneum specus, cujus ingressus versus lumen per antrum totum pervium undique pateat. in eo homines nutritos a pueritia, cervicem et crura ita devinctos ut et immobiles permanere cogantur et ad anteriora solum prospicere, capita vero vinculis adstricta circumducere nequeant: post tergum autem superne ac procul ignis lumen suspensum sit: interque ignem et vinctos homines via superior pateat, secus quam paries sit constructus exiguus; sicut plerumque præstigiatoribus miracula fingentibus scenæ seu cortinæ aliquæ, super quibus sua miranda demonstrant, coram spectantium oculis opponuntur. Glau. Esto. So. Cogita rursus homines intra parietem ferentes vasa varia supra parietem eminentia, statuasque [515] hominum, et aliorum animalium lapideas et ligneas imagines, modisque variis fabricatas: atque, ut consentaneum est, qui hæc circumferunt, partim sileant, partim loquantur. Glau. Quam portentosa hæc figmenta sunt. So. At similes isti nobis sunt. nam primum quidem putas istos aliud quicquam vel sui ipsorum vel proximorum hominum videre præter umbras, quæ ex igne ad adversam speluncæ partem cadunt? Glau. Nihil aliud, si nunquam in vita movere capita potuerunt. So. Quid autem eorum, quæ circumferuntur? nonne umbras duntaxat? Glau. Nempe. So. Si ergo invicem loqui liceret, nonne ista quæ coram viderent loqui opinarentur? Glau. Necesse est. So. Quod si echo ex adversa parte carceris resonaret, quotiens prætereuntium aliquis loqueretur, putasne ipsos nisi transeuntium umbras aliud putare quod loquitur? Glau. Non per Jovem. So. Omnino igitur tales nihil verum esse, nisi fabricatarum rerum umbras arbitrarentur. Glau. Ita prorsus necesse est. So. Contra vero nunc animadverte, qualis foret eorum a vinculis solutio ignorantiæque curatio. Nempe si quis eorum solveretur, cogereturque repente surgere, collum vertere, ambulare, lumen ipsum aspicere: doleret protinus nec propter splendorem intueri posset illa, quorum umbras ante cernebat. Tunc si quis illi dixerit prius eum nugas spectasse, in præsenti autem rebus veris esse propinquiorem veriusque inspicere; ac prætereuntium quemque monstrans, quid sit quæsiverit: nonne illum vacillaturum putas, arbitraturumque veriora esse, quæ ante cernebat, quam quæ nunc ostenduntur? Glau. Multum. So. Et si coëgerit eum lumen aspicere, nonne dolore oculorum affici ipsum putas, oculosque ad ea, quæ facile prius viderat, retorquere, certiora ipsa existimantem quam quæ subito offeruntur? Glau. Ita nimirum. So. Si vero aliquis eundem per aspera atque ardua sursum traheret violenter, neque permitteret quicquam aspicere antequam ad solis lumen extraxisset: nonne dolere [516] ipsum et ægre ferre, dum raptaretur, existimas? et cum ad lumen evectus fuerit, oculos splendore suffusum hærere, nihilque ex his posse conspicere, quæ vera nunc ab hominibus existimantur? Glau. Nihil certe subito. So. Consuetudine igitur primum opus est, si supera inspecturus sit. umbrasque primum facilius intuebitur: post hæc in aquis hominum ceterorumque imagines. ipsa vero deinde, postea quæ in cœlo sunt, et ipsum cœlum nocte facilius contemplabitur, dum astrorum et lunæ lumen spectabit,

quam si solem ipsum die solisque fulgorem intueatur. Glau. Procul dubio. So. Atque ita demum solem ipsum suspiciet : neque jam in aquis et aliena in regione simulacra ipsius spectabit, sed ipsum secundum se ipsum in sede propria speculabitur, et, qualis sit, cognoscere poterit. Glau. Necesse est. So. Animadvertet tandem ipsum esse, qui tempora et annos temperat, qui omnia regit, quæ sub cœlo sunt, qui omnium, quæ ante ab ipsis visa sunt, modo quodam est auctor. Glau. Certum est huc illum hisce gradibus ascensurum. So. Quid si habitationem pristinam memoria repetat et illorum hominum sapientiam atque vincula : an non censes eum beatum se loci mutatione existimaturum, illos autem miseraturum? Glau. Et maxime quidem. So. Præterea si qui honores ibi invicem exhibebantur et laudes, dabanturque præmia illi, qui transeuntia quælibet acute cerneret, recordareturque maxime, quæ ex illis priora, quæ posteriora, quæ pariter progredi soleant, atque ex his futura optime præsagiret : hæcne desideraturum ipsum putas, beatosque illos, qui apud eos honorantur et dominantur, existimaturum? vel, quod ait Homerus, sibi cuperet evenire, in alieno scilicet rure exsortis alicujus servi mancipium effici, et quidlibet aliud perpeti potius quam opinionibus illis illudi et in ea miseria degere? Glau. Arbitror eum quæcunque alia potius quam vitam ejusmodi electurum. So. Si rursus iste descendat, eandemque sedem, quam antea, nanciscatur : nonne, cum repente a sole discesserit, tenebris offundetur? Glau. Vehementer. So. Ac si umbras illas discernere oporteat, deque ipsis disceptare cum illis, qui perpetuis vinculis pressi sunt, proferendaque sententia sit eo ipso in tempore, quo [517] oculi ipsius hallucinantur, antequam acies expurgetur, quod quidem non brevi fiet, an non risum concitabit? eique ab omnibus dedecori dabitur. quod, postquam sursum ascendit, corruptis reversus est oculis? diceturque nunquam ad supera contendendum esse, et eum, qui solvere tentet et sursum ducere, si deprehendatur, protinus occidendum? Tota hæc imago, o amice Glauco, referenda est ad illa, quæ supra dicta sunt : carcer quidem iste ad eam, quæ cernitur oculis, mundi machinam : lumen vero ignis in specu ad solis potentiam : postremo si ascensum ad supera eorumque conspectum rite ad eum, qui ad intelligibilem regionem tendit, ascensum retuleris, ut ego quidem spero, non aberrabis, postquam sententiam meam audire desideras. Deus autem novit, an vera sit. Quæ igitur mihi apparent, huc tendunt. nempe arbitror in ordine ipso intelligibili boni ipsius ideam supremam exsistere, vixque videri, si autem visa fuerit, asserendum eam omnibus omnium rectorum atque bonorum causam esse, cum ipsa in loco visibili lumen creaverit et luminis auctorem, in ipso vero intelligibili regnet ipsa, veritatemque et mentem protulerit : quam nosse necesse sit omnem, quicunque sana mente quicquam vel privatim vel publice est acturus. Glau. Ita et ipse cogito, utcunque possum. So. Age et hoc considera : neque mireris, quod hi, qui huc descendunt, nolint humana tractare ; sed ipsorum mentis acies semper ad supera dirigatur. Glau. Probabile sane. So. Quid autem hoc? mirandum putas, si quis a divinis spectaculis ad humana hæc mala prolapsus ineptior sit ad agendum rideaturque : præsertim si ante quam præsentibus tenebris assuescat, dum adhuc titubat, cogatur vel in judiciis vel alibi de justi umbris aut statuis illis, quarum umbræ hæ sunt, certare, deque eorum, qui justitiam ipsam nunquam viderunt, disserere? Glau. Nullo modo mirandum. So. Verum si mentem quis habuerit, [518] recordabitur, quod duobus modis et duabus ex causis turbari oculi consueverunt : tum quando ex lumine ad umbram descendimus, tum quando ex tenebris in lucem prodimus. eodemque modo affici animum arbitrabitur, quoties turbatum viderit et ad aliquid cernendum hebetiorem : ideoque haud temere in

risum prorumpet; sed diligenter inquiret, utrum a lucidiori vita descendens novis tenebris obruatur, vel ab insipientia plurima ad fulgidum spectaculum surgens sub corusco nimium splendore deficiat. et unius quidem affectum probabit, vitamque ejus beatam fore censebit: alterius miserebitur: ac si forte ridere cœperit, haud tam inepte hunc ridebit quam eum, qui a lumine superno deciderit? Glau. Consentaneum. So. Si hæc igitur vera sunt, ita de his cogitandum est, Eruditionem non esse talem, qualem aliqui prædicant. pollicentur enim animo scientiæ prorsus experti se scientiam tradituros, quasi oculis cæsis visum. Glau. Profitentur certe. So. Præsens autem ratio nobis significat vim, quæ est in animo cujuscunque, ac instrumentum, quo res discere quisque potest: perinde ac si oculum impossibile esset aliter quam simul cum toto corpore ad clarum objectum ex obscuro convertere: ita cum tota anima simul e generatione circumducere oportere usque ad id, quod ens dicitur, ut ipsius clarissimum possit speculando transcendere. hoc autem ipsum bonum esse dicimus. Glau. Nempe. So. Ad hoc igitur ipsum eruditio competens erit facultas quædam animi dirigendi, ut ipsius oculus quam facillime et efficacissime convertatur. quæ huic oculo aciem visumque non dabit: sed eum potius, cum visum quidem habeat, neque tamen recte conversus sit neque, quo decet, aspiciat, convertere omni machinatione contendet. Glau. Ita videtur. So. Ceteræ igitur, quæ virtutes animæ nuncupantur, in hoc videntur virtutibus corporis similes. nam, cum natura non insint, paulatim consuetudine et exercitatione comparari videntur. Sapientia vero maxime omnium divinioris cujusdam virtus exsistit, quod vim quidem suam nunquam amittit, ab ipsa vero circumductione [519] utile et conferens, ac inutile rursus noxiumque evadit. an nondum animadvertisti, quam acute videt celeriterque discernit illorum animula, qui, licet mali sint, tamen sapientes habentur, ea ad quæ conversa est: tanquam aciem habeat nequaquam hebetem, sed pravitati servire coacta sit? atque iccirco, quo acutius inspicit, eo plura peragit mala. Glau. Omnino quidem. So. Si ab hoc ingenio statim a pueritia amputentur, quæ sunt generationis affinia, ceu plumbea pondera, quæ comestionis et hujusmodi voluptatibus et libidinibus atque deliciis inhærentia mentis aciem ad inferiora detorquent; confestim expeditus ejus intuitus et ad ea, quæ vera sunt, conversus, ipse scilicet idem et in eisdem hominibus tam acute illa discernet quam ista, quibus in præsentia est intentus. Glau. Probabile est. So. Quid istud? nonne probabile ac necessarium ex prædictis, neque rudes homines et veritatis ignaros rem publicam sufficienter administrare, neque eos, qui semper in studiis literarum versati sunt? propterea quod illi quidem finem sibi certum non proposuerunt in vita, ad quem respicientes oportet omnia agere, quæcunque agant et privatim et publice: isti autem haud sponte tractabunt civilia, existimantes se etiam hac in vita, a negotiis humanis semotos, in beatorum insulis habitare. Glau. Vera narras. So. Nostrum igitur, qui condidimus civitatem, erit officium optimas hominum naturas impellere ad eam, quam supra diximus maximam, disciplinam bonumque cognoscendum: adeo ut et sursum ascendant, et postquam ascenderint ac satis inspexerint, ne ipsis, quod nunc conceditur, permittamus. Glau. Quid istud? So. Ut in ea videlicet contemplatione permaneant, neque velint rursus ad homines istos carcere clausos huc descendere, neque laborum istorum honorumque, sive viliores fuerint seu pretiosiores, esse participes. Glau. An ipsis injuriam inferemus, cogemusque eos deteriorem vitam subire, cum frui meliore possint? So. Oblitus es, o amice, hoc legi curæ non esse, ut unum quiddam genus in civitate in primis sit beatum, sed ut tota civitas. profecto ad hoc cives ipsos persuasione et impulsione conciliat, facitque ut mutuo sese adjuvent communemque pro viribus utilitatem colant.

[520] nempe lex civili cœtu homines congregat, non ut permittat unumquemque quo lubet ferri, sed ut ipsis ad copulam civitatis utatur. Glau. Vera loqueris. id me fugerat. So. Considera itaque, Glauco, quemadmodum philosophos, qui apud nos reperiuntur, injuria nulla afficiemus, sed cum cogemus eos aliorum curam gerere, jure in hunc modum dicemus: quod videlicet quicunque in aliis civitatibus philosophi reperiuntur, ob hanc causam merito administrandæ rei publicæ labores refugiunt, quia in qualibet civitate ipsi per se nascuntur re publica non curante; par autem est, ut quod per se nascitur, cum nulli pro alimentis acceptis sit obnoxium, nulli exhibeat nutrimenti mercedem. nos autem vos tam vobismet quam reliquis civibus, tanquam in apum examine duces ac reges creavimus, melius perfectiusque quam eruditos, aptioresque ad utramque curam suscipiendam. descendere ergo vicissim debetis singuli in aliorum hominum cœtum, et ad obscura inspicienda assuefieri. nam cum assuefacti fueritis, multo acutius illa cernetis quam qui in eis quotidie obversantur: et quælibet simulacra, quæ et quorum sint, agnoscetis, quia re vera noveritis, quæ honesta, justa bonave sint. atque ita nobis una ac vobis civitas, quasi vigilantibus recteque sentientibus, coletur, non tanquam somniantibus, quemadmodum nunc plurimæ habitantur, ab his videlicet, qui de umbris inter se decertant, deque principatu tanquam maximo bono contendunt. Veritas autem ita se habet. civitas profecto, in qua cives ad expetendos magistratus minime ambitiosi sunt, optime et procul a seditionibus permanet: contra vero, quæ aliter affectos habet cives. Glau. Sic est prorsus. So. An renuent monitus nostros alumni, cum hæc audiverint? nolentque vicissim singuli civitatis administrationem suscipere, sed in contemplationis otio diutius commorabuntur? Glau. Minime. nam justa viris justis præcipiemus. Sed omnino, tanquam ad rem necessariam, ad magistratum accedet eorum quisque: contra ac illi, qui nunc in singulis civitatibus dominantur. So. Nempe sic se res habet, o amice: Si vitam inveneris eorum, [521] qui magistratibus præfuturi sunt, ipsis magistratibus meliorem, tunc primum tibi optime instituta civitas elucebit, in ea siquidem sola vere divites dominabuntur: non auri dico, sed cujus oportet virum beatum divitem esse, vitæ probæ atque prudentis. sin autem inopes bonisque propriis vacui ad publica adventaverint, bona illinc rapere cupientes, civitas illa felix esse non poterit. nam ubi de principatu contenditur, cum proprium hoc sit et intestinum bellum, tum eos qui ita pugnant, tum reliquam civitatem perdit. Glau. Vera narras. So. Habes aliquos, qui civiles honores spernant, præter veros philosophos? Glau. Non per Jovem. So. At enim magistratus dandi sunt hominibus imperii minime cupidis: alioquin simultas inter æmulos orietur. Glau. Certe. So. Quosnam igitur alios ad custodiam civitatis induces præter eos, qui optime hæc intelligunt, per quæ rite civitas colitur, habentque et honores alios et vitam civili præstantiorem? Glau. Nullos equidem alios. So. Vis ergo nunc inquiramus, quo pacto tales in civitate viri evadant? et qua ratione eos aliquis in lumen educat? quemadmodum ab inferis ad Deos ascendisse aliqui memorantur. Glau. Quidni velim? So. Hæc, ut videtur, non erit testæ revolutio, sed animæ circumductio a nocturno quodam die ad ejus, quod vere est, contemplationem. quem quidem ascensum veram philosophiam esse dicemus. Glau. Omnino. So. Annon investigandum est, quæ disciplina potissimum hanc habeat facultatem? Glau. Quidni? So. Quænam igitur erit, o Glauco, disciplina, per quam animus ex his, quæ fluunt, ad ea, quæ vere sunt, reducatur? Hoc autem, dum loquor, excogito. Quippe non athletas eos belli esse diximus: sed necessarium, dum juvenes sunt, tales esse. Glau. Diximus plane. So. Oportet ergo hanc præterea superiori addere disciplinam, quam quærimus. [522] Glau. Quam

potissimum? So. Quæ scilicet non inutilis sit bellicosis hominibus. Glau. Oportet sane, si quidem est possibile. So. Gymnastica porro et musica in superioribus a nobis sunt eruditi. Glau. Ita prorsus est actum. So. Gymnastica quidem circa id, quod augescit et deficit, versari videtur. nam incrementum corporis et decrementum considerat. Glau. Apparet. So. Hæc ergo non erit ea, quam quærimus, disciplina. Glau. Non. So. An forte genus illud musicæ, quod supra narravimus? Glau. At orat illa quidem, si tenes memoria, proportione quadam gymnasticæ correspondens, consuetudine moribusque custodes erudiens, præbensque secundum harmoniam compositionem et concinnitatem quandam potius quam scientiam, et secundum rhythmum modulationem numerosamque decentiam. quin etiam in oratione alia quædam generis ejusdem continet, tam quoad fabulosos sermones quam quoad veros. cognitio vero talis cujusdam boni, quale tu nunc investigas, in ea nulla prorsus exsistit. So. Diligenter admodum me commonuisti. nam revera tale nihil habere comperta est. Ceterum, o beate Glauco, quænam talis erit facultas? etenim artes mechanicæ illiberalesque omnes esse quodammodo visæ sunt. Glau. Quidni? So. At vero quænam alia præterea restat doctrina, a Musica et Gymnastica artibusque diversa? Age itaque, si nihil ab his seorsum accipere possumus, aliquid saltem ex iis, quæ per omnia discurrunt, accipiamus. Glau. Quidnam? So. Commune scilicet illud, quo omnes utuntur artes, cogitationes atque scientiæ: quod cuique in primis necessario est discendum. Glau. Quale istud? So. Leve hoc et puerile, cognoscere scilicet unum, duo, tria: quod summatim numerum et computationem voco. an non ita natura comparatum est, ut omnis ars atque scientia cogatur horum particeps fieri? Glau. Et maxime quidem. So. Nonne res bellica etiam? Glau. Necessarium est omnino. So. Ridiculum ducem Palamedes Agamemnonem fuisse passim in tragœdiis ostendit. an ignoras quod se profitetur numeri inventorem, asseritque apud Trojam belli acies ordinasse navesque et reliqua omnia numerasse: quasi horum numerus ante fuisset incognitus, et Agamemnon, ut videtur, neque quot pedes haberet agnoverit? siquidem erat computationis ignarus. qualem itaque tunc fuisse ducem existimas? Glau. Absurdum equidem, si vera hæc erant. So. Necessariam ergo numerorum cognitionem militi esse dicemus, ut et numerare et computare valeat. Glau. Maxime omnium: si modo ad ordinandas acies omnino rudis esse non debet: immo vero si homo futurus est. So. An tibi in hac disciplina, quod mihi, venit in mentem? Glau. Quid? So. Videtur natura ex eorum numero esse, quæ ad intelligentiam homines elevant, qualia nos perquirimus: cumque talis sit, ut omnino mentem ad essentiam attollere possit, nemo, ut decet, hac uti cognitione videtur. Glau. Qua ratione id ais? So. Conabor equidem [523] sensum meum exprimere. Animadverte, obsecro, quemadmodum mecum ipse genera rerum ita distinguo, ut quædam ad intelligentiam ducant, qualia nos dicimus, quædam minime: et, quæ dicam, confirma vel nega; ut clarius dignoscamus, an hoc tale sit, quale vaticinor. Glau. Ostende jam. So. Ecce ostendo: si modo res, quæ sensus movent, vides partim tales esse, ut ad considerandum intelligentiam minime provocent, utpote quæ sufficienter sunt a sensibus judicatæ: partim tales, ut provocent, quasi sensus in eis nihil sincere dijudicet. Glau. Quæ procul admodum prospiciuntur, dicis, et quæ quodammodo adumbrata sunt. So. Haud satis, quænam dixerim, conjecisti. Glau. Quænam igitur? So. Ea porro dico mentem minime provocare, quæcunque in contrarium simul sensum non incidunt: quæ vero subincidunt in contrarium, provocant, postquam sensus non hoc magis quam contrarium monstrat, sive eminus seu cominus intueatur. sic autem, quod dico,

magis tibi patebit: Hos utique tres esse digitos dicimus, pollicem, indicem ac medium. Glau. Plane. So. Ita me loqui existimato, quasi proxime videantur: atque id in ipsis considera. Glau. Quid? So. Digitus quidem esse similiter quisque eorum apparet: atque ad hoc nihil interest, sive medius offeratur sive postremus, albus seu niger, pinguis aut tenuis, et quicquid generis ejusdem. in omnibus siquidem hujuscemodi non cogitur animus intelligentiam ad disceptandum provocare, quid e multis sit digitus. neque enim sensus ei simul significavit digitum contrarium esse quam digitum. Glau. Non certe. So. Merito igitur, quod tale est, mentem nec movebit nec excitabit. Glau. Merito. So. Ipsorum vero magnitudinem et parvitatem nunquid aspectus satis cernit? nihilque ad eum refert, sive in medio quædam illorum jaceant, sive in extremis? eodemque modo pingue, tenue, vel mollitiem et duritiem, tactus ipse? Atqui et alii sensus nunquid non imperfecte talia quædam declarant? vel sic agit eorum quisque? nam primum quidem [524] sensus, qui ad durum attinet, cogitur et ad molle pertingere, animoque ita renuntiat, quasi idem et molle et durum esse senserit. Glau. Ita certe. So. An non necessarium est in rebus hujusmodi animum dubitare, quid significet duri hic sensus, si quidem idem molle insuper asserit? item sensus ipsius gravis et levis, quid grave et leve, si leve grave esse et grave leve significat. Glau. Absurde profecto hæ ad animum interpretationes deveniunt et consideratione indigent. So. Merito igitur in his rebus primo quidem animus nititur rationem et intelligentiam provocans considerare, nunquid unum aut duo sint singula quæ nuntiantur. Glau. Cur non? So. Nonne si duo apparent, alterum et unum apparet utrumque? Glau. Ita. So. Si ergo unum utrumque, ambo autem duo, separata duo intelliget animus. nam si indistincta perceperit, non duo, sed unum intelliget. Glau. Recte. So. Magnum quidem et parvum aspectum videre dicimus, non discretum aliquid, sed confusum. an non? Glau. Plane. So. Propter hujus autem declarationem magnum rursus et parvum intelligentia cogitur intueri, non confusa, sed distincta potius, contra ac sensus. Glau. Vera loqueris. So. Hinc ad sciscitandum protinus incitamur, quid magnum sit, quid parvum. Glau. Maxime vero. So. Atque ita aliud quidem intelligibile, visibile aliud nuncupavimus. Glau. Scite admodum. So. Hæc sunt, quæ nuper disserere aggressus sum, quod videlicet quædam animum ad intelligentiam erigunt, quædam minime: quodve ea erigunt, quæ in sensus una cum suis contrariis incidunt: quæ vero non ita, mentem non suscitant. Glau. Intelligo jam, atque ita mihi videtur. So. Quid vero numerus et unum, utro in genere tibi esse videntur? Glau. Haud intelligo. So. At ex supra dictis animadverte. si enim sufficienter ipsum secundum se ipsum inspicitur, aut alio quopiam sensu unum comprehenditur, haudquaquam ad essentiam mentem deducit: quemadmodum de digito diximus. sin autem aliquid semper contrarium illi simul suboritur, adeo ut nihil magis unum quam contrarium videatur, judicis discretione jam indiget, cogiturque in ea animus dubitare atque perquirere, et movens in se ipso intelligentiam sciscitari, quidnam unum ipsum est. atque [525] hoc pacto unius consideratio ex eorum numero erit, quæ attollunt animum convertuntque ad ejus, quod vere est, contemplationem. Glau. At enim tale nonnihil habet unius inspectio. simul namque ipsum ut unum cernimus et ut multitudinem infinitam. So. Si unum id patitur, idem omnis numerus patietur. Glau. Absque dubio. So. Enimvero computandi et numerandi scientia omnis circa numerum. Glau. Maxime. So. Hæc autem ad veritatem conferre videntur. Glau. Mirum in modum. So. Hæc itaque disciplina ex earum genere erit, quas quærimus: militi quidem cognitu maxime necessaria ad acies ordinandas: philosopho autem, ut e fluctibus generationis emergat essentiamque attingat: sine qua disciplina computare ratio-

cinarique non poterunt. Glau. Est ita. So. Custos autem noster et miles est et philosophus. Glau. Nempe. So. Conveniens utique institutio erit, o Glauco, persuadere illis, qui civitatis muneribus functuri sunt, ut se ad computandi scientiam conferant: neque rudes adhuc inde discedant, sed persequantur, quoad ipsa mente ad numerorum naturam contemplandam perveniant: non vendendi emendique gratia, tanquam mercatores vel caupones; sed ut ad bellum instructi sint, facileque animum a generatione ad veritatem essentiamque convertant. Glau. Præclare loqueris. So. Atqui his ita de ratiocinandi disciplina dictis, equidem mecum ipse cogito, quam numerorum cognitio decora sit utilisque nobis passim ad id, quod volumus, si quis eam cognoscendi, non cauponandi gratia sequitur. Glau. Qua ratione? So. Hoc ipsum, inquam, quod modo diximus: quod videlicet vehementer sublevat animum, deque ipsis numeris disserere cogit, nullo modo admittentem, si quis disputando pro numeris corpora, quæ et videntur et attrectantur, induxerit. nosti enim, quemadmodum qui in his periti sunt, quotiens aliquis ipsum unum verbis partiri nititur, subrident protinus, neque hoc tolerant. verum si tu secas, ipsi multiplicant, caventes, ne quando ipsum unum non unum appareat, sed particulæ plurimæ. Glau. Vera loqueris. So. Si quis eos [526] ita percontetur, O mirifici viri, de quibus numeris disputatis, quibus unum tale inest, quale vos traditis, æquale scilicet unumquodque, omne penitus omni, neque minimo quovis discrepans, partem tamen nullam continens in se ipso? quid eos ad hæc, o Glauco, existimas responsuros? Glau. Reor equidem responsuros illos de ipsis se numeris loqui, qui excogitari duntaxat possunt, aliter autem attrectari nequaquam. So. Cernis igitur, o amice, hanc revera peritiam hujus disciplinæ nobis necessariam esse? quandoquidem, ut apparet, animum ad hoc inducit, ut ipsa intelligentia utatur ad veritatem ipsam percipiendam. Glau. Vehementer id efficit. So. An et hoc advertisti, quod homines natura arithmetici ad omnes doctrinas, ut ita dixerim, acuti videntur? quin etiam si qui ingenio tardiores huic se studio dederint, si nullam utilitatem aliam susceperint, tamen hoc assequuntur, ut acutiores quam antea sint. Glau. Sic est. So. Sed enim haud facile multa reperies, ut existimo, quæ majori cum difficultate quam ista discantur. Glau. Non profecto. So. Propter omnes, quas adduximus, rationes haudquaquam negligenda hæc sunt: sed in his præcipue erudiendi, qui optimis sunt naturis. Glau. Assentior equidem. So. Hoc itaque nobis ita positum sit: post hoc, quod huic proximum est, consideremus, nunquid nobis conducat. Glau. Quid istud? num Geometriam dicis? So. Hanc ipsam. Glau. Quatenus enim ad bellicam rem confert, eatenus certe nobis convenit. nam ad castra ponenda, regionem occupandam, colligendas turmas vel etiam spargendas, et ad cetera machinamenta, quibus circa acies vel in obsidione vel itinere uti solent, permultum interest, Geometricusne aliquis sit an non. So. Ad hæc utique exigua quædam Geometriæ Arithmeticæque particula sufficit. inquirendum est autem, utrum diuturnius studium uberiorque perceptio conferat ad ideam boni facile dignoscendam. conferunt vero ad hoc omnia, quæ animum illuc convertunt, ubi est essentiæ beatissimum, quod ipsi est penitus cognoscendum. Glau. Recte. So. Ergo si essentiam intueri Geometriæ studium cogit, convenit quidem: sin autem generationem, non convenit. Glau. Ita dicimus. So. Profecto nobis hoc non [527] negabunt, quicunque vel paulum quid Geometriæ gustarunt, quin hæc scientia contra omnino se habeat, quam de ea loquantur, qui in ipsa versantur. Glau. Quonam pacto? So. Quippe ridicule admodum et quasi coacti sæpe loquuntur. nam velut agentes et actionis gratis verba faciunt, dum et quadrare aiunt et producere atque addere, ceteraque similiter. doctrina vero hæc omnis cog-

nitionis gratia quæritur. Glau. Sic est omnino. So. An non istud quoque nobis est concedendum? Glau. Quid? So. Quod quæritur cognoscendi illius gratia, quod semper est; non ejus, quod et oritur quandoque et interit. Glau. Concedendum plane. nam Geometria ejus, quod est semper, cognitio est. So. Attollet igitur, o generose vir, ad veritatem animum: atque ita ad philosophandum præparabit cogitationem, ut ad supera convertamus, quæ nunc, contra quam decet, ad inferiora dejicimus. Glau. Quam maxime fieri potest. So. Quam maxime igitur præcipiendum est, ut qui præclarissimam hanc habitant civitatem, nullo modo Geometriam spernant. nam et quæ præter ipsius propositum quodammodo esse videntur, haud exigua sunt. Glau. Qualia? So. Quæ tu circa rem bellicam commemorabas. scimus quin etiam ad disciplinas omnes facilius perdiscendas interesse omnino, attigeritne Geometriam aliquis an non. Glau. Prorsus. So. Hanc ergo doctrinam secundo loco discendam juvenibus statuamus. Glau. Statuamus. So. An tertio in loco ponemus Astronomiam? quid censes? Glau. Ponendam equidem. nam mutationes opportunitatesque temporum persentire non minus rei militari quam agriculturæ navigationique convenit. So. Quam dulcis vir es. nempe vereri videris, ne multi te putent inutiles disciplinas inducere. est autem non leve istud, sed difficile admodum persuadere, quod ex hujusmodi disciplinis instrumentum quoddam cujusque animi expurgatur reviviscitque, quod ante ex aliis studiis infectum occæcatumque fuerat: cum potius id servandum sit, quam oculorum corporis decem milia. solo enim hoc inspicitur veritas. Eis ergo, qui idem hoc sentiunt, mirum in modum bene loqui videberis: qui autem id nunquam excogitarunt, merito nihil te dicere arbitrabuntur. aliam enim ab ipsis utilitatem æstimatione dignam non cernunt. Hic ergo tu videris, utris potissimum [528] disseras. an forte cum neutris, verum tui gratia maxime verba facis: neque tamen ulla detineris invidia, si quis aliquam ex his utilitatem suscipiat. Glau. Hoc potius eligo, mei scilicet gratia in primis interrogando et respondendo disserere. So. Retrocede nam nunc haud recte, quod Geometriæ succedit, accepimus. Glau. Quare? So. Quia post planum statim solidum illud, quod circumfertur, accepimus, antequam ipsum secundum se ipsum comprehenderemus. decet autem statim post augmentum secundum tertium capere. est autem hoc circa cuborum augmentum atque id, quod profunditatis est particeps. Glau. Est certe. Sed hæc, o Socrates, nondum reperta videntur. So. Hujus duæ sunt causæ: quod videlicit nulla in civitate hæc honorantur: et cum inventu difficilia sint, haud ardenter quæruntur: et qui ista perquirunt, duce indigent, sine quo minime reperirent. quem esse primo difficile est: deinde, etiamsi esset, dum tamen ita se habent, ut nunc, qui hæc indagant, fastu elati nequaquam parerent. Sin autem civitas tota huic operi præsideat, honorifice ista ducens, et isti obtemperabunt quidem, et hæc sedulo studioseque discussa clarius emicabunt. quippe etiam nunc, quanquam et vulgus ista contemnit et prohibet, et qui hæc perscrutantur, qua ratione utilia sint, ignorant: tamen vi gratiæ cujusdam vigen neque mirum, si hæc ita apparuerint. Glau. Nempe quod gratum est, id præcipuum. sed mihi apertius, quæ nunc dicebas, explana. studium, quod circa planum versatur, Geometriam vocabas. So. Equidem. Glau. Post Geometriam continuo Astronomiam ponebas: sed paulo post retro retulisti pedem. So. Enimvero, quo magis propero, eo pervenio serior. nam cum mox illi succederet facultas illa, quæ de augmento in profundum agit, quia ridiculosa ejus habetur investigatio, eam transgressus post Geometriam Astronomiam protinus attigi, quæ in profundi ipsius agitatione consistit. Glau. Probe loqueris. So. Ergo quarto in loco ponamus Astronomiam, tanquam adsit ea facultas, qua nunc

fuerat prætermissa, si modo in civitate suscipiatur. Glau. Sic decet. Atque eam Astronomiæ laudationem, o Socrates, in qua tu me interpellasti, quasi importunius ipsam extollerem, ex tuo progressu nunc prosequor. [529] nam cuique patere existimo; hanc animi oculos ad superiora dirigere et hunc illuc ipsum perducere. So. Forte hoc omnibus præterquam mihi perspicuum: quoniam mihi quidem non ita videtur. Glau. At quonam modo? So. Porro ut nunc eam tractant, qui philosophiæ ipsam jungunt, ad inferiora dejicere animi oculos mihi videntur. Glau. Qua ratione id ais? So. Non ingenerose mihi videris tecum ipse supernorum intelligentiam definire, constat enim quod si quis laquearia variis coloribus depicta suspiciens quicquam perceperit, eum non oculis intueri, sed intelligere arbitraberis. ac forte recte sentis, ego autem inepte. reor equidem nullam aliam disciplinam ad supernam inspectionem animum excitare, nisi eam, quæ circa essentiam et id, quod videri non potest, versatur. Quod si quis sursum inhians, nunquam conversus deorsum, sensibile aliquid percipere studet, discere ipsum nequaquam assero. scientiam enim adipisci hunc nego, et ejus animum non sursum, sed deorsum aspicere censeo, etiamsi resupinus in terræ litore vel maris æquore jacens quicquam perceperit. Glau. Haud injuria me corripuisti. verum quæ ratio discendæ Astronomiæ præter eam, quam isti sequuntur, si ejus nobis perceptio sit ad ea, quæ dicimus, profutura? So. Hæc utique: Existimandum est has, quæ in cœlo sunt, varietates, postquam in loco visibili sunt, si ad ceteras ejusmodi comparentur, optime integerrimeque dispositas: sin autem ad veras, longe deficere. veras inquam varietates et motiones, quibus ipsa, quæ vere est velocitas, et ipsa, quæ vere est tarditas, in vero numero verisque figuris omnibus et invicem feruntur et, quæ insunt, ferunt. quæ quidem omnia ratione et cogitatione comprehendi possunt, visu vero nequaquam. quid censes? Glau. Idem prorsus. So. Nonne igitur cœlestium varietate utendum est velut exemplo quodam ad supernarum rerum contemplationem? perinde ac si quis videat figuras a Dædalo vel alio artifice vel pictore præcipue compositas et elaboratas. Nempe si esset is, qui eas videt, in Geometria peritus, artificium ipsum laudaret, ridiculum tamen esse censeret, si quis attentius talia consideraret tanquam in ipsis veritatem æqualium vel duplorum [530] vel alicujus proportionis alterius reperturus. Glau. Cur non absurdum id videatur? So. Idem quoque facturum putare debem verum Astronomum, quando motus siderum intuebitur: arbitraturum scilicet, quoad in operibus hujusmodi possibile est, quam pulcherrime ab ipso cœli conditore et cœlum ipsum et quæ in eo sunt, fabricata: absurdum tamen existimaturum, si quis noctis ad diem comparationem, horumque ad mensem, mensisque ad annum, et aliorum astrorum invicem et ad ista, semper similiter fieri censeat; neque unquam quoquo modo mutare tenorem, cum et corpus habeant et videantur: quæratque in his omni studio veritatem. Glau. Mihi certe in præsentia te audienti idem videtur. So. Itaque propositionibus utemur, ut in Geometria, ita et in ipsa Astronomia: et quæ in cœlo sunt, dimittemus, si modo ita percepturi sumus Astronomiam, ut quod in nobis sapientiæ compos natura exsistit, utile ex inutili efficiatur. Glau. Quam multiplicem præcipis operam ad eam, quæ nunc astronomiæ datur! So. Arbitror autem et alia nos præcipere eodem modo debere, si qua ex nobis, tanquam legum conditoribus, sit utilitas proventura. At quam nunc ex convenientibus disciplinis commemorabis? Glau. Nullam ad præsens habeo, quam commemorem. So. Attamen non unam tantum, sed plures species motus præbet. omnes quidem, quisquis sapiens fuerit, depromere poterit: quæ vero nobis occurrunt, duæ sunt. Glau. Quales? So. Una quædam Astronomiæ consimilis, juxta illam per comparationem conversionemque opposita.

Glau. Qualis? inquam. So. Quemadmodum ad Astronomiam oculi, sic ad harmonicum motum videntur aures fabricatæ. unde et hæ invicem esse germanæ scientiæ, ut et Pythagorei putant et nos, o Glauco, assentimur. vel quidnam agemus? Glau. Ita prorsus. So. Nonne postquam grande hoc opus, eos percontabimur, quo pacto de ipsis loquuntur, et nunquid aliud præter ista: nos autem ad hæc omnia nostrum illud servabimus? Glau. Quid? So. Ne quando dent operam, ut nostros alumnos quicquam ex his minus perfectum doceant, quod non illuc tendat semper, quo proficisci omnia debent: quemadmodum nuper de Astronomia narravimus. An ignoras, quod circa harmoniam tale [531] aliquid agunt? nam dum concentus et tonos, qui percipiuntur auribus, metiuntur et comparant, irrito labore, quemadmodum Astronomi, tempus conterunt. Glau. Per deos ridicule admodum crebriores quasdam vocum congestiones inducunt, et aures adhibent comparantque, velut viciniore loco vocem ipsam venantes. Atque eorum alii dicunt in medio adhuc sonitum aliquem se audire, minimumque esse intervallum istud, quo metiri quis debeat: alii vero ambigunt, quasi sonus jam similis audiatur: et utrique aures menti præponunt. So. Tu vero utilesne eos musicos vocas, qui chordas jugiter vexant examinantque, et claviculis tum intendendo, tum remittendo pulsationes contorquent? Sed ne longius hæc provehatur similitudo circa plectri accusationemque et negationem ac elationem chordarum, imagini jam huic finem impono: neque his dicendum assero, sed illis, quos diximus modo de harmonia interrogandos. nam idem faciunt, quod et illi, qui in Astronomia versantur. nempe numeros eos sectantur, qui in concentibus ad aures pertinentibus insunt. sed ad investigandum inde non transeunt, qui consonantes numeri sint, qui non, et quam ob causam utrique sint tales. Glau. Rem egregiam narras. So. Adde et utilem ad boni ipsius pulchrique indaginem: quæ si aliter quæratur, fit prorsus inutilis. Glau. Probabile istud quidem. So. Arbitror autem supra dictorum omnium tractationem, si mutuam ipsorum communionem cognatio nemque attigerit, investigaveritque qua secum ista invicem ratione cohærent, ad ea quæ expetimus conducturam: neque frustra in his homines, sed utiliter admodum versaturos: inutiliter autem, si aliter actum fuerit. Glau. Atqui et ego ita vaticinor: sed magnum est, quod jubes, o Socrates. So. De proœmio istud, an de alio quodam inquis? an ignoramus hæc omnia esse ipsius proœmia legis, quam discere decet? nondum enim homines in his rebus periti esse dialectici, id est ad disserendum idonei tibi videntur. Glau. Non per Jovem: nisi perpauci quidam omnium, quos unquam cognoverim. So. At enim, nisi quis et accipere possit et reddere rationem, nunquam sciet quicquam eorum, quæ esse dicimus cognoscenda. Glau. Nunquam prorsus. [532] So. Nonne hæc jam lex est, o Glauco, quæ per disserendi artem ostenditur: quam rursus, intelligibilem, ea vis imitatur aspectus, quam supra diximus, ad ipsam jam animalia sese convertere et ad stellas et ad ipsum denique solem? haud secus cum quis ad dialecticam artem disserendi se confert absque sensibus, ratione duntaxat ad ipsum, quod est, quodlibet nititur: qui si non destiterit prius, quam ipsum, quod est bonum, intelligentia ipsa perceperit, tunc demum ad finem intelligibilis ipsius ita pervenit, ut ille alter ad visibilis finem ascendit. Glau. Omnino sic accidit. So. Nonne dialecticam hanc progressionem vocas? Glau. Quid prohibet? So. Atqui quemadmodum solutio illa a vinculis, conversioque ad umbris ad simulacra ac lumen, et ex antro ad solis lumen exitus, ibique animalium et plantarum inspectio solisque, et siderum in aqua propter imbecillitatem oculorum intuitus, ipsum, quod in corporibus est clarissimum, ad id convertunt, quod est in corporali et visibili regione omnium fulgentis-

simum : ita omnium supra dictarum artium studium deducit animum per umbras non simulacrorum, sed eorum potius, quæ vere sunt : judicareque eas efficit apparentes ad aliud quoddam lumen, tanquam ad solem ; habetque vim quandam extollendi id, quod est in animo præstantissimum, ad contemplationem ejus, quod in ordine rerum est optimum. Glau. Equidem sic accipio : quanquam mihi talia hæc esse videntur, ut neque facile admitti possint neque facile rejici. veruntamen cum non in præsentia solum audienda, sed deinceps sæpius repetenda sint, his ita positis, ut nunc traditum est, ad ipsam jam legem deveniamus, atque ita eam percurramus, ut proœmium nuper transegimus. Quare dic, amabo, quis potentiæ disserendi modus, et quas in species distribuitur, et quæ viæ sint, hæ namque sunt, ut videtur, quæ illuc perducunt, quo quisquis pervenerit, illic demum tanquam in itineris termino requiescet. So. Nondum, o amice Glauco, [533] assequi poteris. profecto, quantum in me est, nihil tibi deerit studii, quo voti compos efficiaris : neque imaginem amplius ejus, quo de agimus, sed rem ipsam veram, qualis mihi videtur, aspicies. utrum autem revera talis sit necne, haudquaquam affirmare decet : sed illud duntaxat asseverandum, quod tale aliquid est cognoscendum. nonne? Glau. Nihil prohibet. So. Quin etiam et istud, quod sola disserendi facultas homini in his, quæ diximus, erudito id ostendet: aliter vero cognosci penitus impossibile. Glau. Hoc quoque asseverandum. So. Nemo autem adversabitur nobis dicentibus, quod disserendi facultas duntaxat conatur ordine certo circa unumquodque, quid ipsum sit, invenire. siquidem ceteræ artes aut ad opiniones hominum cupiditatesque respiciunt, vel ad generationes et compositiones, vel ad culturam eorum quæ generantur et componuntur : reliquæ vero, quas diximus verarum rerum quoquo modo participes esse, Geometria scilicet ejusque comites, circa ipsam essentiam quodammodo somniant ; sincere autem quicquam ab illis cernere impossibile est, quousque suppositionibus hærent, easque ratas et immobiles adeo servant, ut illarum rationem reddere nequeant. nam ubi principium quidem ponitur id, quod est ignotum, finis autem et media ex ignoto tracta invicem connectuntur : inde collectam assertionem quonam pacto scientiam nominabimus? Glau. Nullo. So. Dialectica vero sola sublatis suppositionibus omnibus, ad ipsum principium confirmandum pergit, ac revera animi oculum, cœno barbarico obrutum, paulatim sursum trahit ac ducit, tanquam adjutricibus ac ministris quibusdam utens his artibus, quas narravimus. eas porro nos sæpe scientias propter consuetudinem nominavimus. indigent autem alio nomine, clariore quidem quam sit opinio, obscuriore vero quam scientia. cogitationem certe nos in superioribus earum notionem cognominavimus. Neque tamen est de nomine controversia inter eos, quibus de rebus tantis, quantis nobis ad præsens, est disceptatio. Glau. Non certe. nam solam exigunt ad rerum habitum interni conceptus expressionem. So. Placet igitur, quemadmodum supra, primam portionem vocare scientiam, secundam cogitationem, [534] tertiam fidem, postremam imaginationem vel assimilationem : et ambo illa simul intelligentiam, hæc autem ambo simul opinionem : et opinionem quidem circa generationem, intelligentiam vero circa essentiam esse. Quod autem est ad generationem essentia, id ad opinionem intelligentia : quodve intelligentia est ad opinionem, id et ad fidem scientia, et ad imaginationem denique cogitatio. Comparationem vero illorum, in quibus ista versantur, divisionemque utriusque geminam, opinabilis scilicet intelligibilisque, o Glauco, omittamus, ne prolixior de his oratio quam de superioribus habeatur. Glau. Equidem aliis quantum capere mea mens potest, assentior. So. An non dialecticum vocas eum, qui rationem cujuslibet capit essentiæ? illum vero, qui hanc rationem non habet quatenus nec sibi nec alteri

potest reddere rationem, eatenus intelligentiam circa hoc habere negabis? Glau. Certe non aliter est dicendum. So. De bono etiam similiter judicandum. nam quicunque boni ideam ratione definire non potest, a ceteris omnibus eam distinguens, et tanquam in prœlio, per omnia penetrando, cetera, cuncta rejicere, non secundum opinionem, sed secundum substantiam arguens et refellens perque hæc omnia stabili et inconcussa progredi ratione: hunc tu ita affectum neque bonum ipsum dices cognoscere neque aliud quicquam bonum, verum si quod forte simulacrum attigerit, opinione potius quam scientia illud attingere, atque hac in vita insomniis dormitantem illudi, et antequam expergiscatur, ad inferos descendentem extremo tandem occupari sopore. Glau. Per Jovem, omnia hæc prorsus asseverabo. So. Ceterum pueros tuos, quos nunc oratione instruis, si quando re ipsa erudires, ut arbitror, non permitteres maximarum rerum in civitate potestatem habere, dum linearum instar non possent cujusque reddere rationem. Glau. Non certe. So. Legem itaque feres, qua jubeantur eam potissimum disciplinam capessere, ex qua ad interrogandum et respondendum, ut scientem decet, aptissimi sint. Glau. Tecum una istud præcipiam. So. An ergo videtur tibi doctrinis omnibus dialectica velut apex esse præposita: nec ulla doctrina ulterius ac eminentior reperiri; sed hic jam doctrinarum omnium esse finis? [535] Glau. Mihi quidem videtur. So. Restat ergo deinceps aperiendum, quibus distribuendæ hac disciplinæ sint, et quomodo. Glau. Videlicet. So. Recordaris, in prima illa optione quales delegerimus principes? Glau. Quidni recorder? So. Quoad alia quidem naturas illas eligendas existimato. nam et gravissimos homines et fortissimos decet eligere, et, quoad fieri potest, speciosissimos. neque solum quærendi sunt homines generosi atque terribiles: sed qui insuper eas habeant naturæ dotes, quas disciplina hæc exigit. Glau. Quas? So. Acumen inquam facilitatemque ingenii oportere ad doctrinarum perceptionem adesse. magis enim absterret animum disciplinarum quam exercitationum corporis difficultas. siquidem magis proprius illi labor est, qui soli competit, quam qui corpori etiam est communis. Glau. Vera loqueris. So. Quærendus itaque vir est memoriosus, integerrimus, tolerantissimus. nam quem alium censes libenter labores corporis subiturum, tamque arduum doctrinæ meditationisque studium ad finem usque prosecuturum? Glau. Neminem prorsus, nisi qui optima natura sit præditus. So. Ex eo quippe errore, ut supra dicebam, adversus philosophiam oborta est infamia, quod non pro dignitate ipsam attingunt. neque enim a spuriis, sed legitimis est attrectanda. Glau. Quo pacto? So. Principio ad labores suscipiendos claudus esse non debet, quisquis est philosophiæ sacris initiandus, ut partim eos adeat, partim recuset. contingit autem hoc, quotiens aliquis gymnasiis et venationi et reliquis corporis exercitationibus deditus disciplinarum studium refugit, neque audiendo delectatur nec inquirendo, sed omnem hanc odit curam. claudus præterea et ille est, qui exercitationibus animi delectatus contemnit alias. Glau. Vera narras. So. An non et quoad veritatem similiter mancum eum ponemus animum, qui voluntarium mendacium odit et ægre fert ipse secum, et aliis mentientibus indignatur, involuntarium vero mendacium facile tolerat, et si ignorare aliquid deprehendatur, haud graviter perfert, [536] sed libenter veluti sus ignorantiæ sordibus volutatur? Glau. Omnino quidem. So. Quin etiam circa temperantiam et fortitudinem magnificentiamque et reliquas virtutis partes non minus observandum est, quinam legitimus sit, qui spurius. quando enim hæc minus considerant et privati et civitas, ignari utuntur mancis et spuriis, ad quodcunque istorum contigerit, privati quidem amicis, res publica vero principibus. Glau. Sic accidit prorsus. So. Nobis hæc omnia præcavenda sunt. nam si homines, quoad corporis ac mentis habitum integerrimos, ad tantam doctrinam exercitationemque

ducemus atque eruditemus, et Jus ipsum nobis minime succensebit, et civitatem rem publicamque servabimus. sin aliter affectos homines ad ista ducemus, contraria faciemus omnia, et philosophiam multo etiam magis dedecorabimus. Glau. Turpe quidem id esset. So. Mirum in modum. ceterum nonnihil mihi in præsentia risu dignum contigisse videtur. Glau. Quid istud? So. Latuit me nimirum, quod jocabamur: quare acrius egi quam deceret. quippe inter loquendum ad philosophiam ipsam conversus eam dedecore affectam aspexi. quod et graviter perpessus fuisse videor, et his, qui in culpa sunt, tanquam indignatus severius hæc dixisse. Glau. Non per Jovem, ut mihi audienti videtur. So. Mihi tamen dicenti sic apparet. Hoc autem ne nos fugiat, quod in priori electione senes elegimus, in hac vero nequaquam licebit. Neque Soloni credendum est hominem senescentem posse in dies plurima discere: qui minus id potest quam currere. juvenibus enim conveniunt multi maximique labores. Glau. Necesse est. So. Illa igitur, quæ ad Arithmeticam et Geometriam omnemque eruditionem eam pertinent, quæ dialecticam antecedere debet, pueris tradenda sunt: atque is docendi modus accipiendus est, quo minime coacti ad discendum esse videantur. Glau. Cur istud? So. Quoniam non decet liberum hominem cum servitute disciplinam aliquam discere. quippe ingentes labores corporis vi suscepti nihilo deterius corpus efficiunt: nulla vero animæ violenta est stabilis disciplina. Glau. Vera loqueris. So. Ergo non tanquam coactos pueros in disciplinis, [537] o vir optime, sed quasi ludentes enutrias: ut et magis, ad quod quisque natura sit aptus, possis agnoscere. Glau. Consentaneum est, quod dicis. So. An non recordaris a nobis in superioribus dictum, pueros esse equis spectandi gratia in castra ducendos: et, si tuto id tentari possit, proprius admovendos, ut catulorum instar sanguinem incipiant degustare? Glau. Recordor equidem. So. Quicunque vero ad hos labores, disciplinas, pericula, promptiores acrioresque apparent, in numerum aliquem seligendi sunt. Glau. Qua in ætate? So. Quando a necessariis negotiis exercitationibusque soluti sunt. in hoc siquidem tempore, sive biennium sit seu triennium, facere aliud nequeunt. labor enim ac somnus disciplinis adversi sunt. et simul hæc examinatio aliarum non minima esse videtur, qualis videlicet quisque in gymnasiis ipsis apparebit. Glau. Quidni? So. Post id tempus quicunque ex viginti annis ut ceteris præstantiores electi fuerint majoribus quam ceteri afficiantur honoribus: et quæ disciplinæ istis in pueritia sparsim ostensæ sunt, una his iterum offerantur, ad ipsam disciplinarum inter se cognationem et ipsius, quod vere est, naturam conspiciendam. Glau. Sola hæc cognitio quibuscunque traditur, stabilis permanet. So. Atqui et hac experientia cognoscitur maxime, qui ad dialecticam optime a natura est institutus, qui non. nempe quisquis ad hoc dignoscendum est perspicax, dialecticus est: qui vero hebes, nequaquam. Glau. Teneo equidem. So. His igitur animadversis oportebit eos, qui apprime tales in ipsis reperientur, stabiles in disciplinis, constantes in bello, in aliis legitimis officiis perseverantes, postquam trigesimum legerint, ex electis præelectos in majoribus honoribus constituere, et ipsa disserendi facultate diligenter examinare, quis eorum possit sine oculorum et aliorum sensuum ministerio ad ipsum, quod vere exsistit, cum veritate transcendere. in quo maxima, o amice, opus est cautione. Glau. Curnam? So. Non animadvertis, quantum nunc malum circa disserendi peritiam inolescat? Glau. Quale istud? So. Iniquitate prorsus abundant. Glau. Summopere. So. Mirum aliquid perpeti ipsos existimas, nec ignoscis? Glau. Qua ratione maxime? So. Si quis suppositus puer multis in deliciis nutriatur a nobili familia, [538] inter adulatores complurimos: adultus autem persentiat, quod ex eis, quos parentes existimat,

natus non fuerit; veros tamen genitores nusquam reperiat: nunquid vaticinari potes, qualis huic animi affectus futurus sit erga adulatores et erga eos, qui ipsum supposuerunt, tam in eo tempore, in quo nihil de suppositione suspicabatur, quam postquam rem ipsam agnovit? an vis præsagium meum audire? Glau. Volo equidem. So. Vaticinor itaque illum, dum suppositionem penitus ignorabit, magis eos honoraturum, quos parentes et propinquos existimat, quam assentatores; minusque eos in indigentia neglecturum, tardioremque fore ad injuriam ipsis inferendam vel convicium dicendum, magisque illis in rebus gravibus quam adulatoribus parituram. Glau. Verisimile id quidem. So. Sin persenserit, hos certe minus honorabit curabitque: assentatores vero magis quam antea colet illis propensius obsequetur, ad eorum exemplum vitam instituet suam, cum illis palam ac libere conversabitur. de his vero, quos parentes et propinquos putaverat, nisi valde natura quis æquus sit, nihil prorsus curabit. Glau. Omnia prorsus, ut narras, contingerent. sed quid hæc similitudo ad eos, qui disputationes sectantur? So. Audies modo. Sunt nobis a pueritia opiniones de honestis justisque officiis, sub quibus tanquam parentibus educati sumus: his paremus, has præ ceteris honoramus. Glau. Sunt plane. So. Offerunt se nobis et voluptates, quæ ad contraria nos alliciunt, et dum animæ blandiuntur, ad illa detorquent. non tamen ab his flectuntur, qui vel paulo quam ceteri moderatiores sunt: sed illa veluti paterna colunt eisque obtemperant. Glau. Sic evenit. So. Si dialectica vis aggressa aliquem ita affectum interroget, quid honestum sit, ac respondentem id, quod ex legislatore perceperat, ratio confutet, crebrisque et variis redargutionibus eo deducat, ut opinetur illud non magis honestum esse quam turpe, deque justo ac bono similiter arguat, et de ceteris, quæ summo in honore ante habebat: parine illa posthac honore et observantia prosecuturum putas? Glau. Minori admodum puto. So. Quando igitur neque ista quis censet domestica ut antea vel honoranda, neque reperit vera; in vitam potius blandam quam in aliam, [539] ut consentaneum est, prolabitur. Glau. Verisimile id quidem. So. Ex justo igitur fiet iniquus. Glau. Necesse est. So. An non merito, ut nuper dicebam, affectio eorum, qui ita se ad disserendum comparant, talis est, ut plurimam exigat veniam? Glau. Et misericordiam insuper. So. Ut igitur miserabilis hic eventus vitetur, triginta annos nati duntaxat caute admodum dialecticas argumentationes degustent. Glau. Ita prorsus. So. An non hæc prudens cautio est, ut eas videlicet juniores homines non attingant? neque enim te latet, ut arbitror, quod, cum primum adolescentuli disputationis artificium gustant, eo protinus quasi ludo quodam ad refellendum utuntur, eosque, qui confutant alios, studiose sectantes, et ipsi alios quoque redarguunt, ac distrahendis lacerandisque proximis catulorum more assidue delectantur. Glau. Mirum in modum. So. Cum vero plures convicerint et a pluribus ipsi convicti fuerint, eo confestim deveniunt, ut ex pristinis opinionibus ratam nullam habeant. atque ex his et ipsi et omnis philosophia apud alios calumniam reportarunt. Glau. Vera refers. So. At vir natu grandior ab hac insania diligentius declinabit, ac hominem investigandæ veritatis gratia disserentem imitabitur potius quam eum, qui jocandi causa versutiis captiunculisque incumbit: quin et ipse modestius sese geret, et disputandi studium ex infami reddet illustrius. Glau. Scite. So. Ad ejusmodi præterea cautionem superiora dicta sunt omnia, oportere videlicet moderatos et graves esse illos, qui ad disputationis studium adsciscuntur: neque communicandum esse id ineptis hominibus, et, ut nunc fit, omnibus, quoscunque sors obtulerit. Glau. Summopere. So. Si quis disputationi diligenter assiduèque det operam, nihilve agat aliud, nisi quod vicissim quandoque gymnasiis corpus exerceat, huic ad perceptionem hujus-

modi anni duplices superiorum sufficient. Glau. Nunquid sex dicis an quatuor? So. Quinque adhibeas. deinde ad antrum illud erunt iterum deducendi, cogendique eos principatus assumere, qui ad bellum spectant, et si qui sunt juvenum principatus, ne usu rerum ab aliis superentur. atque in his quoque examinandi sunt, utrum constantes permaneant, [540] dum trahuntur undique, aut nutent. Glau. Quot autem annos istis adscribis? So. Quinque ac decem. cum vero ad quinquagesimum annum pervenerint, quicunque integri inter eos rebusque gestis et scientiis præcellentes apparent, ad finem jam perducendi sunt, cogendique, ut animi radium ad supera dirigentes ipsum, quod omnibus lumen præbet, suspiciant: cumque ipsum bonum noverint, exemplo illius freti civitatem, privatos seque ipsos per omnem sequentem vitam et singula vicissim exornent. ac plurimum quidem in philosophia versentur: cum vero ad magistratus accersentur, in civilibus negotiis invigilent sigillatimque gubernent rei publicæ gratia, ita ut non tanquam bonum aliquid et optandum ministerium, sed necessarium potius exsequi videantur. Atque ita cum alios similiter ipsi instruxerint, eos vicissim rei publicæ custodes relinquent: ipsi vero in beatorum insulas transmittentur. monumenta vero illis et sacra tanquam dæmonibus, si Pythias oraculo confirmaverit, publice dicabuntur: sin minus, saltem ut beatis atque divinis. Glau. Mirificos prorsus, o Socrates, principes, quasi sculptor, figurasse videris. So. Quod de viris dixi, idem et de mulieribus intelligendum. neque putes, o Glaucon, magis me de viris quam de mulieribus fuisse locutum, quæcunque videlicet natura aptæ ad hæc officia sunt. Glau. Recte se id habet. siquidem pariter in omnibus, ut narravimus, cum viris communicabunt. So. Num conceditis nos de re publica omnia non quasi pro desiderio effinxisse, sed pro veritate locutos, difficilia quidem factu, possibilia tamen, ea duntaxat ratione qua diximus? quando scilicet homines re vera philosophi, vel unus vel plures, nacti in civitate potentiam, præsentes honores despicient illiberalesque eos et nullius existimabunt, ipsum autem quod rectum est, et honores, qui ab eo proficiscuntur, plurimi facient; maximum vero et summopere necessarium, quod justum: et huic ministrantes idque adaugentes civitatem suam rite disponent. Glau. Quo pacto? So. Omnes, quicunque in urbe decem annos impleverint, [541] in agros transmittent: filios autem ipsorum suscipientes, procul ab his moribus quibus hodie parentes utuntur in suis moribus ac legibus educabunt: quales vero sint, enarravimus. Atque ita celerrime atque facillime ea civitas et respublica orietur, quam supra diximus, si quando exstiterit, beatam fore, et genus hominum, in quo condita fuerit, plurimum juvaturam. Glau. Maxime quidem. Atque ut constitui possit ejusmodi civitas, si quando constituatur, o Socrates, adinvenisse videris. So. Nonne ergo abunde tum de hac civitate tum de homine ejus persimili jam nobis dictum? constat enim, qualem ejus similem esse debere dicemus. Glau. Constat plane: et quod quæris, finem mihi jam habere videtur.

LIBER VIII.

[543] Constitit jam inter nos, o Glauco, in civitate optime instituta communes esse debere mulieres et filios, communem quoque omnem eruditionem: communia similiter omnia tum belli tum pacis officia. Reges autem ipsorum esse homines in

philosophiæ et rei militaris studio præstantissimos. Glau. Constitit plane. So. Quin et hæc concessimus, quod scilicet, cum tales principes jam fuerint constituti, in expeditionem euntes habitationes militibus, quales prædiximus, assignabunt: communes scilicet omnibus, in quibus nihil cujusquam sit proprium. neque de habitatione solum, verum etiam de supellectili et possessionibus, si recordaris, quales debeant esse, convenimus. Glau. Memini equidem censuisse nos nihil eorum, quæ nunc possident alii, esse ab aliquo possidendum. sed tanquam belli athletas atque custodes in mercedem custodiæ annua ab aliis alimenta suscipientes eos oportere se ipsos civitatemque tueri. So. Probe loqueris. Sed postquam hæc absolvimus, repetamus jam, unde huc digressi sumus, ut per eadem rursus proficiscamur. Glau. Haudquaquam difficile istud. ferme enim, quemadmodum nunc, quasi de civitate satis egisses, adjecisti, quod talem civitatem bonam vocares, qualem descripseras, bonumque virum, quicunque illius foret persimilis: cum tamen posses adhuc, ut apparuit, meliorem civitatem virumque referre. Dixisti [544] præterea, si hæc recta sit res publica, ceteras aberrare. Relinquarum vero rerum publicarum, ut memini, species esse quatuor, de quibus verba facere oportere, earumque defectus inspicere, et homines ipsarum similes declarare; ut eos omnes intuiti, et quis optimus sit vir, quis pessimus, declarantes consideraremus, nunquid vir optimus felicissimus, pessimus autem sit miserrimus, an se res aliter habeat. Cum vero abs te ipse quærerem, quas potissimum quatuor res publicas diceres, tunc sane Polemarchus et Adimantus mihi sermonem intercedunt: unde tu orationem sumens huc denique pervenisti. So. Recte admodum meministi. Glau. Ergo rursus tanquam luctator eandem causam præbe, et me idem interrogante conare nunc ea dicere, quæ tunc eras declaraturus. So. Si quidem potero. Glau. Equidem audire percupio, quasnam respublicas quatuor supra dicebas. So. Haud difficile istud audies. Sunt enim, quas dico, illæ, quæ et nomina habent: ipsa videlicet, quæ a multis laudatur, Cretensis et Laconica. Secunda vero, et secundo loco laudata, ea quæ paucorum potentia nominatur, plurimis plena malis res publica. item quæ ab hac differt plurimum, eamque sequitur, gubernatio popularis. præterea generosa tyrannis, ab his omnibus differens, quartus civitatis extremusque morbus. An aliam habes rei publicæ formam, quæ in perspicua et distincta quadam specie jaceat? Nam et minores quidam principatus, et regna venalia, et tales quædam civiles potentiæ, inter ista quodammodo medium obtinent, quarum non pauciores inter barbaros quam inter Græcos reperiuntur. Glau. Multæ certe et absurdæ memorantur. So. Totidem quoque sunt hominum quodammodo species atque mores. An ex quercu forte existimas aut silice res publicas fieri potius quam ex civium moribus, qui quocunque fluxerint, cetera secum rapiunt? Glau. Ex moribus procul dubio. So. Quare si gubernationum species quinque sunt, privatorum quoque animorum affectus quinque erunt. Glau. Nil obstat. So. Virum certe similem optimatum gubernationi exposuimus: quem bonum et justum recte asseruimus. [545] Glau. Exposuimus. So. Deteriores deinceps narrare decet, contentiosum ambitiosumque hominem, secundum Lacedæmoniorum rem publicam institutum: præterea paucorum imperii cupidum, et popularem hominem, et tyrannicum: ut injustissimum discernentes cum justissimo comparemus, perfecteque dignoscamus, quomodo summa meraque justitia ad summam se ac meram injustitiam habeat, quo ad hominis justi vel injusti beatitudinem vel miseriam pertinent; ut vel Thrasymacho obtemperantes injustitiam prosequamur, vel præsentibus rationibus persuasi justitiam. Glau. Ita prorsus agendum. So. Num sicuti cœpimus ante in rebus publicis mores animadvertere quam in privatis personis, quia illic magis pateant: ita et nunc in primis

consideranda est ambitiosa res publica? cujus nullum habeo nomen præter ambitiosam potentiam et principatum: post eam vero virum talem excogitabimus: deinde paucorum potentiam talemque virum: postea multitudinis gubernationem et hominem popularem: demum tyrannide pressam civitatem considerantes, et inde tyrannicum cognoscentes animum, conabimur ea, quæ proposuimus, sufficienter dijudicare? Glau. Recte in hunc modum inspectio judiciumque procedet. So. Age itaque explicare conemur, quo pacto ambitiosum imperium ex optimatum gubernatione nascatur. Quin hoc simpliciter verum est omnem rem publicam ex eo, quod dominatur, mutari, quando in ipso seditio oritur: dum vero secum ipso consentit, etiamsi valde exiguum sit, mutari impossibile est. Glau. Est ita. So. At vero quonam pacto, o Glauco, civitas hæc nostra e suo statu movebitur? principes et defensores invicem et inter se dissidebunt? An vis imitantes Homerum Musas oremus, ut nobis explicent, qua ratione seditio primum incidat? dicamusque ipsas Tragicorum ritu nobiscum veluti pueris jocantes nugantesque ita loqui, ut, dum nugantur, quasi serio agant, altius eloquantur? Glau. Quonam pacto? So. Ita ferme. [546] Difficile quidem est ita constitutam civitatem e suo statu moveri: verum cum omne, quod genitum est, corruptioni sit obnoxium, talis etiam constitutio semper manere non poterit, sed solvetur. solutio vero hæc est: non solum circa plantas, sed terrena etiam animalia fertilitas et sterilitas animæ corporumque contingit, quando revolutiones singulis circulorum conjunxerint ambitus: his quidem, quæ brevis sunt ævi, ambitus breviores, contrariis vero contrarios. Illi vero, quos ad civitatis gubernationem educavistis, quamvis sapientes fuerint, nihilo magis vestri generis fecundam generationem vel sterilem ratione una cum sensu comprehendent: sed latebit eos opportunitas generandi, et plerumque cum non opportunum fuerit, gignendis filiis operam dabunt. Est autem ei, quod divinitus generandum est, circuitus, quem numerus continet perfectus: humanæ vero genituræ is utique, in quo primo augmentationes superantes et superatæ tres distantiæ, atque quatuor terminos accipientes, simulantium et dissimilantium, et crescentium et decrescentium, cuncta correspondentia et comparabilia invicem effecerunt: quorum sesquitertia radix quinitati conjuncta duas harmonias præbet ter aucta: unam quidem æqualem æqualiter, centum centies: alteram vero æqualis quidem longitudinis, sed oblongioris, centum quidem numerorum ex diametris comparabilibus invicem quinitatis, indigentibus uno ex singulis; duobus vero, qui invicem dici nequeant; centum vero cuborum trinitatis ipsius. Universus autem iste numerus geometricus, talem auctoritatem habens, ad potiorem deterioremque generationem vim habet. quod si civitatis vestræ custodes ignoraverint, nec opportuno in tempore sponsas sponsis conjunxerint, haudquaquam ingeniosi felicesve pueri inde nascentur. Ac licet majores ipsi eos constituant principes, qui inter illos præstantiores fuerint: tamen quia indigni erunt parentum successione, in ipsis magistratibus subjectos negligent: neque musicæ curam, ut decet, habebunt, neque gymnasticæ: unde juvenes nimis erunt a musica alieni. Ex his autem principes constituentur negligentiores, quam decet, ad examinandum genera illa, quæ apud Hesiodum [547] et quæ apud vos referuntur, aureum scilicet genus, argenteum et æneum atque ferreum. quoniam vero mixtum erit argento ferrum et æs auro, dissimilitudo et inæqualitas discors exorientur. quæ ubicunque nascuntur, bellum semper et inimicitias pariunt. genus autem hujusmodi hominum ubicunque adest semper seditionibus agitatur. Glau. Recte admodum respondere illas dicemus. So. Necesse est enim, cum Musæ sint. Glau. Quid vere posthac Musæ dicent? So. Postquam orta seditio fuerit, utraque genera ferentur, ferreum quidem et æneum ad quæstum, agrorumque et domo-

rum possessionem, aurique et argenti copiam : quod vero inest aureum et argenteum, quasi non inopi, sed opulenta natura, ad virtutem statumque pristinum, pugnantia vero invicem et in contraria retrahentia in medium tandem conveniunt, ut divisis agris et domibus privatim quæque possideantur : illi vero, qui ante ab eis servabantur tanquam liberi, amici et nutritores, in servitutem redigantur, et velut subditi atque servi belli custodiæque ipsorum curam gerere compellantur. Glau. Hinc et mihi certe videtur mutatio hæc accedere. So. Hæc utique gubernatio inter optimates et paucorum potentiam erit media. Glau. Erit certe. So. Mutabitur quidem ita. cum vero in id fuerit permutata, quem potissimum gubernationis modum servabit? Vel constat, quod partim priorem rem publicam imitabitur, partim paucorum potentiam, utpote quæ in medio locata est, partim etiam quiddam sui proprium obtinebit? Glau. Ita prorsus. So. Et priorem quidem imitabitur in eo, quod principes honorabuntur, et milites ab agricultura mechanicisque artibus et aliis quæstibus abstinebunt, et communia fient convivia, gymnasticique ludi et belli certamina frequentabuntur. Glau. Profecto. So. Sui autem ipsius propria, talia quædam habebit, quod sapientes metuet ad principatus admittere, quia non simplices neque integerrimos hujusmodi viros, sed mixtos possideat : et animosiores potius simplicioresque homines ad gubernandum adsciscet, [548] qui ad bellum potius quam ad pacem nati videantur. dolos quin etiam et machinamenta belli plurimi faciet, semperque pugnabit. Glau. Certe. So. Atqui pecuniarum cupidi erunt isti, quemadmodum qui in paucorum potentia vitam agunt : et tenebris obruti aurum et argentum rusticius honorabunt, utpote qui æraria propriosque thesauros habeant, quibus ista recondant ; ac etiam circumsepta domorum, ceu proprios nidos, in quibus multa cum mulieribus et aliis pro libidine erogabunt. Glau. Vera loqueris. So. Nonne et in rebus propriis parciores erunt quam deceat : quippe qui magnifaciant, pecunias nec palam acquirant? in alienis autem propter libidinem profusiores, et clanculum voluptatibus indulgebunt, haud secus legem passim refugientes ac pueri patris aspectum, non persuasione, sed vi educati : ex eo quod veram musam, quæ cum sermonibus et philosophia conjuncta est, neglexerint, multoque magis ac prius gymnasticam quam musicam honoraverint? Glau. Rem publicam ex malo bonoque mixtam refers. So. Mixta est profecto. præ ceteris autem in ipsa propter animositatis iracundiæque imperium contentionis ambitionisque studia invalescunt. Glau. Vehementer. So. An non hæc respublica ita coalesceat, talisque erit, quantum licet sermone rei publicæ figuram describere sine operis exacta nimium diligentia, quia sufficiat ex ipsa descriptionis summula virum justissimum injustissimumve discernere, sitque ferme opus inextricabile, si quis omnes res publicas omnesque mores, nihilo penitus prætermisso, enarrare aggrediatur. Glau. Probe. So. Quis igitur secundum hanc rem publicam vir? quomodo efficitur? qualis exsistit? Adi. Reor equidem similem esse Glauconis istius, contentionis gratia. So. Forte in hoc est similis. verum in his haud natura similis esse videtur. Adi. In quibus? So. Contumaciorem sane esse eum necesse est, et a musica quodammodo alieniorem, musicæ tamen cupidum : et audiendi quidem studiosum, rhetoricum vero nequaquam. Atqui et adversus servos agrestis erit hujusmodi vir, [549] haud servos despiciens, quemadmodum vir ad sufficientiam eruditus : erga liberos autem erit mitis : erga principes quidem obediens maxime, sed et principatus et honorum avidior, oportere existimans non ab arte dicendi vel alia quavis simili facultate præesse, sed a rebus bellicis et similibus, cum sit et gymnasticæ et venationis admodum studiosus. Adi. Est certe mos hic illius rei publicæ. So. Nonne et pecunias iste in juventute contemnet? quo vero senescet magis, eo magis pecu-

nias diliget? ex eo quod avaræ naturæ sit particeps, neque sit integer ad virtutem, quia ab optimo custode deficiat. Adi. A quonam? So. Ratione et oratione, inquam, musicæ mixta, quæ sola cum adest, per omnem vitam virtutem in eo, cui præest, servat. Adi. Præclare loqueris. So. Est utique talis adolescens ambitiosi imperii cupidus, tali similis civitati. Adi. Prorsus. So. Efficitur autem hic talis hunc in modum: interdum videlicet cum juvenis aliquis filius est patris boni, in civitate non bene gubernata habitantis, honores, principatus et judicia fugientis, et reliquam hujuscemodi negotiorum curam, libenterque se demittentis, ut labores vitet. Adi. Quonam pacto efficitur? So. Quando scilicet matrem audit ægre ferentem, quod vir suus magistratibus minime fungitur, auditque inter alias mulieres ob hoc contemptui esse: et graviter patientem, quotiens virum aspicit pecuniis cumulandis minime indulgentem, neque pro illis pugnantem litigantemque privatim in judiciis et publice sed ad hæc omnia negligentiorem, talemque, ut secum ipse vivat ut plurimum, uxorem vero nec aspernetur quidem neque admodum colat. ex quibus sæpe filio mater prædicet ignavum sibi esse patrem nimisque remissum: et alia, quæcunque de talibus garrire mulieres consueverunt. Adi. Multa profecto talia sibi convenientia obloqui mulieres solent. So. Neque te latet, quod et servi et domestici, præsertim qui maxime videntur esse benivoli, talia quædam ad aures puerorum sæpe susurrant: et si quem viderint vel pecunias patri debentem, quem ipse nequaquam conveniat, vel in alio quodam injuriantem, edicunt puero, cum vir fuerit, hæc omnia ulcisci debere virumque magis fore, quam pater ejus exstiterit. [550] Quin etiam domo egressus alia horum similia audit et videt: homines scilicet, qui sua in civitate officia servant alienorum minime curiosi, stolidos vocitari penitusque contemni; horum vero dissimiles honorari atque laudari. cum hæc adolescentulus audit et videt, rursusque patris audit sermones, ejusque officia proxime ultra studia ceterorum animadvertit, ab utrisque distrahitur: a patre quidem rationalis ejus vis fovetur et augetur, ab aliis autem concupiscendi et irascendi natura. quapropter cum non malo sit ingenio natus, mala tamen ceterorum consuetudine usus fuerit, in medium ab his tractus descendit, seque mediæ cuidam potentiæ contentiosæ iracundæque subjicit, fitque vir elato animo gloriæque cupidior. Adi. Naturam istius sufficienter enarrasse mihi videris. So. Habemus itaque secundam rem publicam virumque secundum. Adi. Habemus profecto. So. An non post hæc Æschyli illud dicimus, *Alterum hominem alteri civitati convenientem?* immo vero secundum superiorem illam suppositionem alteram civitatem alteri congruam? Adi. Ita prorsus. So. Quæ vero hujuscemodi rem publicam sequitur, paucorum, ut arbitror, potentia est. Adi. Quam potissimum rei publicæ institutionem paucorum vocas potentiam? So. Eam in qua magistratus a census æstimatione civibus tribuuntur, et in qua divites dominantur, pauperibus vero nulla rei publicæ est communio. Adi. Intelligo equidem. So. Nonne dicendum, quo pacto a gubernatione ambitiosa in hanc transgressio fit? Adi. Dicendum certe. So. Vel cæco id quidem perspicuum est, quo pacto transgressio fiat. Adi. Quonam pacto? So. Ærarium illud cujusque auro plenum talem perdit rem publicam. nam primum quidem novos sumptus reperiunt, et ad hoc leges deducunt, quibus neque ipsi neque mulieres ipsorum obtemperant. Adi. Consentaneum istud quidem. So. Deinde alter alterius exemplo et æmulatione perciti, multi tandem tales evadunt. Adi. Verisimile. So. Hinc effusius ad pecunias cumulandas delapsi, quanto id pretiosius æstimant, tanto virtutem existimant viliorem. An non ita virtus a divitiis discrepat, quasi utraque in lance stateræ sint posita, semperque in contrariam partem declinent? Adi. Ita prorsus. So. Quando [551] igitur in civitate

divitiæ ac divites honorantur, virtus probique viri despiciuntur. Adi. Constat. So. Incendunturque ad ea studia omnes, quæ in honore sunt, eaque frequentant: quæ vero nullo honore censentur, apud quosque jacere solent. Atque ita ex victoriæ honorisque cupidis quæstus et pecuniarum avidi tandem efficiuntur. et divites quidem viros laudant et admirantur et ad magistratus evehunt, pauperes vero despiciunt. Adi. Omnino sic accidit. So. An non et lege statuunt principatus fines, dum statuunt, ubi major est pecuniarum copia, ibi talem principatum esse majorem: ubi minor, contra minorem: prohibentque aliquem imperare, qui non ad certum aliquem censum pervenerit? hæc autem aut vi cum armis efficiunt: aut postquam metum incusserint, talem constituerunt rem publicam. nonne ita? Adi. Ita prorsus. So. Constitutio quidem, ut ita dicam, hæc est. Adi. Est certe. sed quisnam rei publicæ modus, quive defectus sunt, quos habere eam rem publicam dicebamus? So. Principio, qualis sit præscriptus hic in ea terminus, aspice. Si quis in navis gubernatione a census æstimatione gubernatores eligat, pauperem vero, licet gubernandi peritiorem, haudquaquam admittat, quid ex hoc secuturum censes? Adi. Ut male navem ducant. So. An non eodem pacto in quovis alio principatu? Adi. Sic equidem arbitror. So. Sicne in omnibus præterquam in civitate? an et in civitate præterea? Adi. Multo etiam magis, quoniam hæc gravissima est et maxima gubernatio. So. Unum quidem hunc et tantum paucorum potentia defectum patitur. Adi. Apparet. So. Quid autem hoc? nunquid levius? Adi. Quale istud? So. Quod necesse est non unam hanc, sed duas esse res publicas: unam quidem pauperum, divitum alteram: et homines intra mœnia eadem habitantes sibi invicem semper insidiari. Adi. Certe non levius istud. So. Sed neque hoc honestum est, ut bellum gerere nequeant: quia coguntur, sive populo utantur armato, eum formidare magis quam hostes, sive non utantur, re vera in ipso prœlio paucorum potentiæ studiosi videri: ac etiam pecunias expendere nolle eos tanquam avaros homines, haud decorum est? Adi. Non certe. So. Nunquid recte fieri illud existimas, quod supra vituperavimus, ut in hujusmodi civitate iidem homines in variis [552] versentur officiis, terram colant, pecunias cumulent, militent? Adi. Nullo modo certe. So. Vide utique, si horum malorum omnium hæc prima id gravissimum patitur. Adi. Quale id? So. Ut liceat cuiquam sua omnia alienare, alteri vero illius omnia possidere: atque ei, qui alienavit, habitare in civitate, dum nulla civitatis pars exsistat: neque nummularius, neque opifex, neque eques, neque armiger, sed pauper et egenus passim cognominatus. Adi. Prima hæc certe. So. Hoc profecto in civitatibus, quæ paucorum subjiciuntur imperio, minime prohibetur. neque enim alii opulentiores essent quam decet, alii prorsus mendici. Adi. Recte loqueris. So. Hoc autem considera: nunquid quando dives hujusmodi erogabat, eratne magis aliqua utilitas civitati ad quæ paulo ante dicebamus? an videbatur quidem e principum numero esse, re vera autem neque princeps neque minister erat, sed propriorum commodorum consumptor? Adi. Sic utique visum est. erat autem nihil aliud quam consumptor. So. An vis dicamus, quemadmodum in favo fucus ortus examinis apum morbus est, ita et hominem hujuscemodi domi natum pestem rei publicæ fore? Adi. Prorsus, o Socrates. So. Nonne volatiles fucos omnes sine stimulis Deus fecit? hos autem terrestres partim quidem sine stimulis, partim diris armatos stimulis cernimus? et ex his, qui stimulos non habent, inopes tandem in senectute fiunt: aculeis autem instructi sunt hi, qui vocantur malefici. Adi. Vera loqueris. So. Constat ergo, in civitate, ubi mendicos vides, inesse latentes fures, latrones, sacrilegos, et horum omnium scelerum auctores. Adi. Constat certe. So. Nonne

in civitatibus, quæ reguntur a paucis, egenos inesse vides? Adi. Omnes ferme exceptis principibus. So. An non igitur arbitramur maleficos in ea esse multos, stimulis ipsis armatos, quos diligentia ac vi principatus detinent? Adi. Arbitramur plane. So. Nonne ob pravam educationem et disciplinæ defectum et iniquam rei publicæ dispositionem homines ibi tales evadere asseremus? Adi. Asseremus. So. Talis utique erit civitas paucis subjecta principibus, totaque premetur malis, forte etiam pluribus. Adi. Sic ferme. So. Constituta jam nobis sit [553] ea res publica, quam paucorum potentiam vocant, a census æstimatione principes eligentem. post hæc autem investigemus, quo pacto vir aliquis similis istius efficiatur, et postquam similis est effectus, qualis sit. Adi. Sic prorsus. So. Nonne hac ratione maxime ex ambitioso in paucorum imperii cupidum transit? Adi. Qua? So. Quando ibi adolescens aliquis primo quidem patrem imitatur suum ejusque vestigia sequitur, deinde ipsum aspicit, ut qui in civitatem tanquam in scopulum offenderit subito ex culmine dignitatis prolapsum, se ipsum suaque omnia dispergentem. sive post belli expeditionem sive alterius magistratus maximi dignitatem, in judicium ab insidiatoribus tractum, a calumniatoribus circumventum, ejectum, depressum, patrimonio spoliatum. Adi. Consentaneum quidem. So. Ille, o amice, hæc intuitus atque perpessus, amisso patrimonio, propter formidinem confestim ex animi throno ambitionem illam et animositatem dejicit, et humilior propter paupertatem factus sese ad quæstum convertit, et angusto admodum animo aride nimium et parce vivens, seque vexans in opere pecunias congregat. an non hujuscemodi hominem tunc æstimas in ea animi sede avarum et lucri cupidum affectum locare, eumque magnum in se regem efficere, ornamentisque regiis exornare, coronis, balteis, fibulis, fimbriis, ense Persico? Adi. Equidem. So. Atque hic quidem rationalem vim et animositatis ardorem, humi hinc atque illinc subigens illi et in servitutem redigens illam quidem nihil aliud inquirere et considerare permittit, quam unde ex paucioribus pecuniis plurimæ congregentur: hunc autem nihil aliud mirari et colere, quam divitias atque divites; neque dignitatem ex re alia quam ex pecuniis quærere, et si quid aliud ad id conferat. Adi. Nulla certe alia mutatio est usque adeo velox et vehemens, ex juvene ambitioso in pecuniæ cupidum. So. Nonne igitur iste paucorum imperii studiosus est? Mutatio quidem ipsius ex homine similis est illius rei publicæ, ex qua paucorum potentia exstitit. Consideremus utique, nunquid similis sit. [554] Adi. Consideremus. So. Principio in eo, quod pecunias multi facit, similis erit. Adi. Quidni? So. Quin etiam et in eo, quod parcior est et ad lucrum anxior, solasque necessarias cupiditates explet, ceteris vero sumptibus nequaquam indulget, sed alias appetitiones tanquam supervacuas cohibet. Adi. Magnopere. So. Aridior itaque et squalidior vivit, undique summa parsimonia rem familiarem augens, coacervando intentus thesauro: quos quidem homines vulgus probat. an non hic erit vir talis rei publicæ similis? Adi. Mihi quidem videtur. Pecuniæ itaque maxime honorantur et ab hoc et ab omni civitate. So. Neque enim hic, ut arbitror, disciplinæ applicuit animum. Adi. Non, ut opinor. neque enim cæcum sibi ducem præposuisset. So. Optime quidem: hoc autem animadverte. nonne fucorum naturæ similes cupiditates ob disciplinæ defectum inesse dicimus, partim mendicas, partim maleficas, vi quidem ab alia diligentia detentas? Adi. Et maxime quidem. So. Scisne, quo inspiciens ipsorum maleficia cernes? Adi. Quonam? So. Ad orphanorum tutelas, et si quid ipsis tale contingit, quo licentiam plurimam ad injuriam nanciscantur. Adi. Vera narras. So. An non id constat, quod in aliis commerciis vir talis, in quibus probus habetur, cum justus esse videatur, competenti quadam vi ceteras

cupiditates pravas, quæ in ipso insunt, cohibet : non persuadens, quia non præstet, neque ratione mansuefaciens, sed necessitate ac metu circa reliquam substantiam contremiscens? Adi. Summopere. So. Enimvero, o amice, in multis eorum reperies, quando aliena oportuerit erogare, fuci persimiles cupiditates. Adi. Maxime. So. Non igitur seditione intestina iste carebit, neque unus quidam erit, sed duplex : habebitque in se cupiditates ut plurimum cupiditatum dominatrices, meliores scilicet deteriorum. Adi. Est ita. So. Quamobrem modestior hic aliis multis erit : consentientis tamen et compositæ mentis vera virtus longe hunc effugiet. Adi. Mihi quidem videtur. So. Quin etiam ad certamen erit tardior [555] vir parcus, quotiens privatim in civitate de victoria aliqua honesta et magnificentia erit certandum, cum pecunias erogare nolit decoris et contentionum hujusmodi gratia, metuens prodigas libidines suscitare, provocareque ad propugnandum contendendumque. paucis itaque eorum, quæ circa se sunt, pugnans paucorum imperantium ritu, ut plurimum vincitur et divitias auget. Adi. Summopere. So. Nunquid ultra diffidimus, ad civitatis ejus exemplum, quæ gubernatur a paucis, hominem parcum atque avarum institutum esse? Adi. Nullo modo. So. Post hæc investigandum videtur, quo pacto popularis gubernatio constituitur, et quæ sit ejus conditio, ut eandem in tali homine conditionem recognoscentes, eum in judicium deducamus. Adi. Ita sane iter nobis inceptum similiter peragemus. So. Nonne hunc in modum ex paucorum potentia in popularem gubernationem civitas permutatur? ex eo quod cives optimum esse proposuerunt, ut quam ditissimi sint. Adi. Quo pacto? So. Quia principes in ea propter divitias dominantur, prodigalitatem dissolutorum juvenum lege prohibere negligunt, ut emptionibus et fœnoribus eorum usurpantes bona opulentiores etiam honoratioresque evadant. Adi. Maxime omnium. So. Constat itaque, impossibile esse in civitate divitias honorare simul et temperantiam possidere : sed necessarium est, ad alterius æstimationem alterum semper istorum negligi. Adi. Constat plane. So. Dum igitur in paucorum potentia juventutis educationem negligunt, permittuntque ad libidinem vivere, cogunt sæpenumero homines non ingenerosos pauperes fieri? Adi. Maxime. So. Sedent, ut arbitror, isti in civitate aculeis armati, partim alieno ære gravati, partim ignominia afflicti, partim utrisque malis oppressi, insidiantes illis quos sua noverunt possedisse, atque aliis : atque iccirco res novas quotidie moliuntur. Adi. Est ita. So. Homines autem avari, dum lucro incumbunt, eosque animadvertere non videntur, et ex reliquis eum semper, qui cedit, maxime subducto argento vulnerantes, et patris natos plurimos ac [556] fœnora reportantes, ita fucis egenisque hominibus civitatem replent. Adi. Maxime. So. Neque volunt tanti mali incendium ita exstinguere, ut non permittant quemque res suas pro arbitrio agere : neque ita rursus et secundum alteram legem talia quædam prohibentur. Adi. Secundum quam potissimum? So. Secundum eam, quæ post illam proxime sequitur, cogitque cives virtutis curam suscipere. si quis enim multa ex voluntariis commerciis sui periculo tractare jubeat, non usque adeo impudenter pecunias congregabunt, paucioraque in civitate mala nascentur talia, qualia diximus. Adi. Sic omnino. So. Nunc autem his de causis principes subditos ita in civitate disponunt : se ipsos vero et suos et juniores delicatos et molles et secordes reddunt, nullum aut animi aut corporis laborem tolerantes, voluptatibusque et doloribus succumbentes. Adi. Prorsus. So. Et ipsi quidem tales evadunt, ut nihil aliud præter questum æstiment, neque majorem virtutis curam habeant quam mendici. Adi. Sic certe. So. Ita igitur instituti, quotiens congrediuntur invicem principes ac subditi, sive in itineribus, sive in alio quopiam communi commercio atque opere, aut circa spectacula aut exercitum, vel navigantes una, vel militantes, vel etiam in ipsis periculis sese

invicem spectantes : nullo modo in his pauperes a divitibus despiciuntur, sed frequenter homo pauper, macer, cutimque sole obduratus, cum in acie ad opulentum collatus est, in umbra molliter enutritum, atque obeso corpore oneratum, eumque inspicit anhelantem et anxium, nonne censebit sua quadam ignavia viros hujusmodi divites fieri : et alter alteri, quotiens privatim in unum convenient, enarrabunt, suos superiores nullius pretii esse? Adi. Novi certe ita eos efficere. So. Nonne igitur, quemadmodum debile et valetudinarium corpus, vel minima mutatione extrinsecus injecta in morbos incidit, sæpe etiam nulla extrinsecus re nocente ipsum intra se dissidet : ita et civitas eodem modo disposita ex parva occasione, sive alii extrinsecus a paucorum potentiæ subjecta civitate subsidium præbeant, sive alii ex populari, ægrotat et secum ipsa dissentit : sæpe etiam absque externorum opera seditionibus agitatur? [557] Adi. Prorsus. So. Popularis utique gubernatio fit, ut arbitror, quando pauperes superantes divites partim enecant, partim in exsilium pellunt: reliquos autem æquis rei publicæ honoribus muneribusque afficiunt, atque ut plurimum in ea sorte magistratus obtingunt. Adi. Hujusmodi certe est popularis civitatis constitutio, sive armis fiat seu metu aliis discedentibus. So. Quænam erit igitur horum civium vita? qualis gubernatio? constat enim, quod vir talis popularis aliquis apparebit. Adi. Perspicuum. So. An non primum quidem liberi erunt omnes, civitasque libertatis plena : summaque licentia pro libidine omnia omnes audebunt? Adi. Fertur quidem. So. Ubi autem licentia, ibi quisque arbitratu suo vitam instituet. Adi. Patet. So. Omniformes in hac civitate nascuntur homines. Adi. Valde. So. Videtur utique hæc omnium esse rerum publicarum pulcherrima : atque ut pallium variis depictum coloribus speciosissimum esse videtur, ita civitas ista, diversis ex moribus varia, pulcherrima prorsus apparet : ac perinde ut pueri et mulieres varietate distinctis opificiis et spectaculis delectantur, sic multi hanc propter varietatem pulcherrimam arbitrantur. Adi. Et maxime quidem. So. Atqui facile est, o beate, in hac civitate rem publicam quærere. Adi. Quamobrem? So. Quoniam omnia rerum publicarum genera propter licentiam habet : ac videtur necessarium esse illum, qui rempublicam instituere cupit, quod modo nos fecimus, popularem civitatem ingressum, eam rei publicæ constitutionem, quæ magis placeat sibi, diligere, quasi rerum publicarum nundinas adeuntem : atque ita eligentem civitatis modum statuere. Adi. Forte exempla huic nequaquam deerunt. So. Quid vero? an non dulcis hæc prima fronte atque divina videtur vita, ut neque cogaris in hac civitate magistratibus fungi, nec etiam si ad id sufficias, [558] neque parere, si nolis, neque bellum gerere aliis bellum gerentibus, neque pacem agere agentibus aliis, nisi id placeat? vel etiam si qua te lex imperare vetet et sententias ferre, nihilominus et imperes et sententias feras in judicio, modo tibi hoc visum fuerit? Adi. Forte sic primum videtur. So. Quid autem mansuetudo damnatorum quorundam, nonne decora? an nondum hac in civitate vidisti homines morte vel exsilio condemnatos nihilominus urbem incolere ac prodire in medium, et sæpe, quasi nemo id videat aut curet, instar heroum quorundam per urbem incedere? Adi. Vidi equidem multos. So. Indulgentia vero ipsius nimia et sine ulla observatione, negligentia eorum, quæ nos dicebamus, rem ipsam honestantes, quando civitatem constituebamus, quod videlicet, nisi forte quis excellenti sit ingenio præditus, nunquam vir præclarus evadet, nisi a prima pueritia statim honestis in ludis versetur, et ejuscemodi omnia frequenter exerceat, tanquam quæ alto animo hæc pessundat omnia : ea, inquam, negligentia nihil pensi habet, ex quibus studiis aliquis se ad civilia conferat, sed honorat, si quis duntaxat ametur a vulgo. Adi. Valde admodum generosa. So. Hæc uti-

que habebit et horum similia gubernatio popularis : eritque, ut apparet, dulcis res publica et sine duce ac varia, æqualitatem quandam similiter æqualibus inæqualibusque distribuens. Adi. Manifesta admodum narras. So. Contemplare, quisnam vir talis privatim sit : an forte primo investigandum est, quemadmodum in re publica fecimus, quonam pacto talis efficiatur? Adi. Ita prorsus. So. Nonne ita maxime accidit, ut avari patris et paucorum potentiæ cupidi filius aliquis sub parentis moribus nutriatur? Adi. Cur non? So. Hic vi voluptates suas coercet, quæcunque ad sumptus alliciunt, non ad lucrum : quæ quidem voluptates non necessariæ appellantur? Adi. Manifestum est. So. An vis, ne in ambiguitate versemur, in primis quidem eas quæ necessariæ sunt cupiditates et quæ non necessariæ, discernamus? Adi. Volo equidem. So. Necessariæ quidem illæ merito vocarentur, quas amovere non possumus, et quæ cum percipiuntur, nos juvant : has enim ambas quærere naturam nostram necessarium est. nonne? Adi. Maxime. [559] So. Jure igitur eas necessarias appellabimus. Adi. Jure. So. An non recte eas necessarias esse negabimus, quæ removeri possunt, quando quis a juventute assueverit : quæve cum adsunt, nihil afferunt boni, immo plerumque nocent? Adi. Præclare quidem. So. Accipiamus earum exemplar, ut, quæ utræque sint, cognoscamus, et in figura quadam eas inspiciamus. Adi. Sic oportet. So. Cupiditas utique comedendi cibique et obsonii, usque ad salubritatem et bonam corporis valetudinem, necessaria est. Adi. Arbitror. So. Certe cibi usus duplici de causa necessarius, et quia sine ipso vita non sufficit, et quia utilis. Adi. Ita est. So. Aliorum vero condimentorum, quatenus ad bonam corporis habitudinem confert. Adi. Prorsus. So. Sin confert nihil horum concupiscentia supervacua, quæ per temperantiam a juventute coerceri potest, obest autem corpori, obest et menti ad prudentiam et temperantiam, merito non necessaria nominabitur. Adi. Merito. So. Has igitur sumptuosas cupiditates, illas vero quæstui deditas, quia conferant ad agendum, vocabimus. Adi. Quidni? So. Idemque de venereis aliisque dicemus. Adi. Idem. So. Profecto, quem fucum paulo ante nominavimus, hunc esse dicebamus, qui talibus voluptatibus et libidinibus plenus est et cupiditatibus non necessariis est mancipatus : eum vero, qui necessariis, parcum et paucorum potentiæ cupidum. Adi. Procul dubio. So. Rursus dicimus, quemadmodum ex paucorum potentiæ cupido popularis efficitur. videtur autem mihi hoc pacto ut plurimum fieri. Adi. Quonam? So. Quando juvenis, ut modo diximus, nutritus ruditer et aride nimium fucorum mel gustat, adhæretque ardentibus vehementibusque et callidis animalibus, potentibus omniformes et varias voluptates undique comparare : hinc utique existima eam oriri mutationem, qua iste ex paucorum potentia, quæ in eo est, transit in popularem. Adi. Necessarium est. So. Nunquid, quemadmodum civitas mutabatur, dum extrinsecus præsidium partium alteri præstaretur a simili simile : ita adolescentis mutatur ingenium, dum rursus externarum cupiditatum species cognata et similis alteri cupiditatum speciei earum, quæ in eo sunt, suffragatur? Adi. Prorsus quidem. So. Quod si quis contra præstetur favor naturæ ejus paucorum imperii studiosæ, sive a patre seu domesticis aliis, [560] admonentibus increpantibusque : seditio et reluctatio et pugna in ipso ad se ipsum tunc innascitur. Adi. Cur non? So. Et quandoque, ut arbitror, popularis conditio paucorum statui cedit, et nonnullæ cupiditates partim intereunt, partim excidunt, pudore aliquo in animo juvenili exorto. unde rursus excolitur. Adi. Fit nonnunquam. So. Rursus præter eas, quæ exciderunt, cupiditates aliæ coalescentes cognatæ, propter inscitiam paternæ educationis multæ vehementesque fiunt. Adi. Sic certe fieri consuevit. So. Trahunt porro ad se consuetudines, ac, dum

clam serpunt, magnum excrescunt in numerum. Adi. Quid prohibet? So. Tandem juvenilis animi arcem occupant, præsentientes vacuam esse doctrinarum honestorumque officiorum et verarum insuper rationum: qui sane optimi omnium custodes servatoresque in hominum piorum mentibus exstant. Adi. Summopere. So. Falsæ vero et superbæ petulantesque rationes et opiniones eorum in locum succedentes, eundem talis hominis locum obtinent. Adi. Maxime. So. Nonne iterum ad delicatos illos accedens, manifeste habitat? ac si a domesticis adjumentum aliquod præbeatur parciori animi ipsius affectioni, superbi petulantesque sermones, claudentes regii in eo muri portas, neque præsidium ipsum admittunt, neque legatos privatorum senum monitus excipiunt, sed ipsi prœlio superant: et pudorem quidem appellantes fatuitatem in exsilium turpiter eum expellunt: temperantiam vero ignaviam nominantes reprobantesque ejiciunt: modestiam quoque in moribus et in sumptibus moderationem, tanquam rusticitatem et illiberalitatem, penitus detestantur et fugant: et ipsi una cum multis futilibusque cupiditatibus invalescunt? Adi. Magnopere. So. Cum hæc depulerunt ex ejus animo, quem occuparunt et purgarunt, ingentibusque initiationis muneribus affecerunt, post hæc petulantiam, licentiam, prodigalitatem, impudentiam, splendidas multo cum choro deducunt coronatas, extollentes applaudentesque: dum petulantiam ingenuam educationem nominant, licentiam libertatem, prodigalitatem magnificentiam, impudentiam fortitudinem. [561] an non ita quodammodo juvenis transit ex innutrita necessariarum cupiditatum affectione in resolutam licentiam non necessariarum futiliumque voluptatum? Adi. Plane id constat. So. Vivit deinceps talis, ut arbitror, nihilo magis necessariarum quam supervacuarum voluptatum gratia erogans pecunias, labores, exercitationes. verum si ita fortunatus est, ut neque ultra modum debacchetur, immo senior factus et ingenti jam perturbatione elapsa non omnia, sed aliquid admittit, et partes excidentium suscipit, et ingredientibus haudquaquam se totum committit, voluptatibus jam ad æqualitatem reductis ita vivit, ut incidenti semper tanquam sortienti imperium sui tradat, quoad impleatur; rursusque alteri succedenti, nullam spernens, sed omnes æque nutriens. Adi. Sic accidit. So. Iste quidem rationem veram non accipit neque in custodiæ suæ arcem admittit, si quis dixerit voluptates partim esse bonarum honestarumque cupiditatum, partim vero malarum, et illas exercendas esse et honorandas, has contra moderandas et cohibendas: verum in his omnibus annuit, affirmatque omnes similes esse et pariter honorandas. Adi. Profecto, quisquis ita affectus est, id agit. So. Nonne ita in dies vivit, ut incidentibus præsentibusque semper cupiditatibus obsequatur? dum videlicet alias ebrietati modulationibusque indulget, alias aquæ potu contentus est et inedia: interdum vero gymnasticæ studiis se exercet, nonnunquam remissiori animo torpet: quandoque philosophiæ attingit studia: sæpe etiam se ad rem publicam confert, proditque in medium, quicquid obtulit sors, et dicens et faciens: ac si quandoque milites admiratur, ad eos fertur: sin mercatores, ad hos rursum adventat: neque ordine ullo aut necessitate vitam suam dirigit; sed jucundam et liberalem et beatam hanc vitam appellans, hanc assidue colit. Adi. Scite vitam popularis hominis, nullum delectum vivendi habentis, narrasti. So. Arbitror equidem plenum hunc diversis plurimisque moribus esse, pulchrumque et varium, quemadmodum civitatem illam, videri: quem sane multi atque multæ feliciter vivere arbitrarentur, cum rerum publicarum atque morum in se multa exempla contineat. Adi. Ita est nimirum. So. Esto nobis vir talis populari rei publicæ similis, [562] utpote qui popularis merito nominetur. Adi. Esto. So. Reliquum est, ut de præclara illa re publica viroque præclaro dicamus, tyrannide atque tyranno. Adi. Omnino.

So. Age videamus, o dulcis amice, quisnam tyrannidis ipsius sit modus. principio, quod ex populari oritur, ferme est perspicuum. Adi. Manifestum. So. Eadem igitur ratione ex populari tyrannis oritur, qua ex paucorum potentia popularis. Adi. Qua? So. Quod sibi cives in paucorum potentia tanquam bonum proposuerunt, per quod et paucorum potentia inolevit, id erat divitiarum copia. nonne? Adi. Istuc ipsum. So. Inexplebilis itaque divitiarum sitis ceterorumque officiorum negligentia propter ipsum quæstum eam perdunt. Adi. Verum id quidem. So. Quin etiam ejus, quod in populari bonum censetur, cupiditas inexplebilis ipsam quoque pervertit. Adi. Quid in ea potissimum censeri bonum dicis? So. Libertatem. nam istud in populari civitate censeri præclarissimum audies: ideoque in hac sola habitare par est eum virum, qui natura sit liber. Adi. Certe nomen istud libertatis in hac civitate frequentius prædicatur. So. Nonne, quod dicturus eram, hujus ipsius cupido insatiabilis ceterorumque negligentia hanc mutat rem publicam, cogitque tyrannide indigere? Adi. Quo pacto? So. Quando videlicet popularis civitas sitiens libertatem malos pincernas præsidentes nanciscitur, et ea profusius quam decet sese ingurgitans debacchatur: et principes causas tanquam rigidiores et tyrannicos punit, nisi mites admodum sint plurimumque concedant licentiæ. Adi. Sic prorsus accidit. So. Atqui et eos, qui principibus parent, objurgat tanquam serviles et pretii nullius homines: principes autem subditis pares et subditos pares principibus privatim et publice laudat atque honorat. an non necesse est hac in civitate ad summam libertatem homines pervenire? Adi. Procul dubio. So. Atque hanc insitam obedientiæ impatientem licentiam, o amice, proprias irrepere domos, seque usque ad bruta protendere? Adi. Quo pacto hoc dicimus? So. Quale videlicet, si pater filio fiat similis filiosque metuat, et filius patri sit par neque vereatur parentes neque metuat, ut sit maxime liber: [563] inquilinus præterea civi et inquilino civis æquetur, peregrinusque similiter. Adi. Sic accidit. So. Hæc utique et alia nonnulla minora similia his eveniunt. nempe ea in urbe præceptor discipulos timet eisque blanditur: discipuli præceptores spernunt, et similiter pædagogos: atque ut summatim dicam, juniores senioribus se similes præstant, verbisque et operibus adversantur, seniores autem juniorum gerunt vicem et tanquam scurræ facetiis eos delectant, ne severi imperiosique videantur. Adi. Maxime. So. Vulgi autem libertas extrema, o amice, tali in civitate quanta? quandoquidem empta mancipia nihilominus libera sunt quam emptores: et quanta mulieribus erga viros virisque erga mulieres æqualitas libertasque sit, ferme dicere obliti sumus. Adi. An non secundum Æschylum dicemus, quod nunc nobis in buccam venit? So. Sic prorsus atque ego quidem ita dico: profecto quanto liberiores sint hac in civitate bestiæ, quæ sub hominibus nutriuntur, quam alibi, nemo nisi expertus crediderit. nam et catellæ, ut habet proverbium, perinde ac dominæ sunt: et equi et asini tanta per vias libertate progredi consuescunt, ut in obvium quemque impetum faciant, nisi cesserit: ceteraque omnia summa aguntur licentia. Adi. Meum certe mihi narras insomnium. nam mihi rus proficiscenti frequenter ista contingunt. So. Vides, quo tandem omnium supra dictorum summa contendat? ita siquidem hinc delicatus civium animus redditur, ut si quis paulum quid servitutis afferat, ægre ferant neque tolerent. demum vero leges omnes, tam scriptas quam non scriptas, contemnunt, ne quis illis præsit dominus. Adi. Manifestum id quidem. So. Hæc, o amice, egregia illa et elegans res publica est, ex qua, ut mihi videtur, tyrannis nascitur. Adi. Elegans certe: sed quorsum hæc? So. Morbus porro, qui in paucorum potentia serpens eam labefactavit, idem et in hac pullulans excrescensque nimia ex licentia, popularem civitatem jugo servitutis subigit. Ac summatim excessus omnis

verti penitus in contrarium consuevit, in temporibus, in arboribus, [564] in animalibus et in rebus publicis maxime. Adi. Haud injuria. Nimia enim libertas haud in aliud videtur quam nimiam in servitutem converti, et privatim et publice. So. Certe id consentaneum. Quare non ab re dicebam, non ex alia re publica quam populari tyrannidem surgere : extrema ex libertate gravissimam et acerrimam servitutem. Adi. Sic ostendit ratio. So. At non hoc, ut arbitror, ipse quærebas, sed quinam morbus idem in paucorum potentia popularique gubernatione innatus eam in servitutem redigit. Adi. Vera narras. So. Dicebam utique otiosorum et prodigorum hominum genus partim fortius et virilius esse, partim ignavius : et illud quidem ducere, hoc autem sequi. quos quidem homines fucis in superioribus comparavimus : illos quidem fucis aculeos habentibus, hos autem aculeis carentibus fucis. Adi. Et merito. So. Isti quidem, in quacunque fuerunt civitate, eam turbant : quemadmodum pituita ac bilis corpus. quos oportet bonum medicum et legum fundatorem non minus quam solertem apum cultorem eminus præcavere, primum quidem ne oriantur in civitate : ac si oriuntur, ut cum ipsis favis protinus excidantur. Adi. Ita prorsus agendum. So. Sic igitur accipiamus, ut perspicacius, quod quærimus, cognoscamus. Adi. Quo pacto? So. Trifariam popularem civitatem, ut re ipsa est, partiamur. unum quidem hoc genus in ea propter licentiam nascitur, non minus quam in paucorum potentia. Adi. Est ita. So. Longe autem acrius in hac quam in illa. Adi. Qua ratione? So. Ibi, quia contemptui est et privatum vivit, imbelle propter desidiam fit. in populari autem id genus omne, exceptis paucis, præsidet, et quod in eo acerrimum, dicit et agit : aliud autem juxta tribunalia inhærens susurrat, nec tolerat, si quis alia dixerit. Quapropter omnia ab hoc genere, paucis exceptis, in civitate hujusmodi administrantur. Adi. Et maxime quidem. So. Aliud igitur tale semper ex multitudine excernitur. Adi. Quale? So. Ex omnibus enim quæstum agentibus, qui natura modestissimi sunt, ut plurimum ditissimi efficiuntur. Adi. Consentaneum. So. Hinc utique mellis copia et uberior et facilior fucis exprimitur. Adi. Quomodo enim ex his, qui pauca possident, copia mellis exprimeretur? So. Divites, ut arbitror, tales fucorum herba vocantur. Adi. Sic ferme. So. Populus [565] autem tertium erit genus, quotcunque ipsi sua duntaxat curant, nec alienis se implicant, haud multum pecuniosi. quod quidem genus et plurimum est et in populari civitate principalissimum, quotiens congregatur. Adi. Est certe. at non frequenter id facere vult, nisi particeps mellis efficiatur. So. Nonne semper est particeps, quatenus, qui præsident, exspoliantes divites dispertientesque populo sibi possunt ut plurimum usurpare? Adi. Profecto ita fit particeps. So. Coguntur utique repugnare hi, qui exspoliati sunt, pro viribus in populo dicentes atque agentes. Adi. Quidni? So. Occasionem itaque ab aliis acceperunt, quamvis ipsi non cuperent, rerum innovandarum, quod insidientur populo, et ad paucorum imperium intendant animum. Adi. Cur non? So. Tandem vero, postquam populum viderunt non sponte, sed inscium a calumniatoribusque seductum, conari, ut ipsis injuriam inferat, tunc sane, velint nolint, revera evadunt paucorum potentiæ studiosi, haud ultro volentesque, sed hoc illis malum ingerit fucus stimulans eos ac pungens. Adi. Valde quidem. So. Accusationes igitur, litigia contentionesque mutuæ oriuntur. Adi. Et maxime. So. Ideoque populus consuevit unum aliquem sui defensorem creare, eumque nutrire, et, uti magnum efficiat, confovere. Adi. Consuevit certe. So. Ex quo patet tyrannum ex radice tutoria pullulare. Adi. Certum id quidem. So. Quænam origo mutationis ex tutore in tyrannum? an videlicet postquam cœpit, qui præest, id agere, quod circa templum Lycæi Jovis in Arcadia fabula refert? Adi. Quidnam? So.

Quod quisquis humana viscera cum aliarum victimarum incisa visceribus forte gustarit, lupus fieri cogitur. nonne fabulam audivisti? Adi. Equidem. So. Eodem modo et iste, cujus imperio valde vulgus obtemperat, cognato non abstinet sanguine: sed falsis, ut solent, confictis criminibus in judicium trahit eos, a quibus timet, et injusta se cæde cruentat, viri vitam exstinguens, gustansque lingua impura et profano ore generis proximi sanguinem: [566] ac nonnullos expellit, enecat alios causatus scilicet æris alieni reserationes partitionesque agrorum. Quare necesse est ejusmodi hominem vel ab inimicis interfici vel tyrannidem exercere, lupumque ex homine fieri. Adi. Necesse est omnino. So. Iste quidem adversus opulentos homines seditiosus. Adi. Certe. So. Nonne ab inimicorum vi huic periculum imminet, qui, si expulsus, invitis redierit inimicis, tyrannus effectus revertitur? Adi. Constat. So. Ac si eum calumniis publicis expellere nequeunt vel occidere, violentam illi mortem cogitant, clamque insidiantur. Adi. Ita certe fieri consuevit. So. Hinc solita illa oritur tyrannis occasio exigendi. nempe omnes, qui huc ascenderunt, custodes aliquos corporis, ut auxiliator populi salvus sit, solent a plebe requirere. Adi. Maxime. So. Dat itaque eos plebs illi metuens sibi ipsi nimis confidens. Adi. Magnopere. So. Cum hæc vir pecuniosus animadvertit, qui ob pecunias plebi hostis est, tunc certe juxta oraculum Crœso datum ad Hermum lapidosum fluvium aufugit, neque moratur, neque timidus dici veretur. Adi. Haudquaquam secundo iterum vereretur. So. Sane, quisquis comprehensus fuerit, ultimo supplicio affici solet. Adi. Necesse. So. At populi ille defensor magnus magnifice haudquaquam sese gerit, sed alios prosternit plurimos, et ipse in curru residet civitatis, tyrannus ex tutore effectus. Adi. Quid prohibet? So. An vis enarremus beatitudinem viri hujus, et civitatis, in qua vir talis innascitur? Adi. Prorsus quidem. So. Principio quidem omnes salutat, arridens quibuscunque obvius fuerit, et nomen tyranni recusat, pollicetur multa et privatim et publice, ære liberat alieno, agrosque distribuit, populoque et familiaribus suis ac denique omnibus mansuetus et mitis esse simulat. Adi. Necesse est. So. At cum primum externos hostes partim sibi conciliavit, partim exstinxit, rebus jam pacatis statim, ut populus duce semper indigeat, bellum aliquod nititur excitare. Adi. Consentaneum est. [567] So. In quo illud insuper efficit, ut qui sub eo sunt, plurimis exhausti sumptibus ad quotidianum victum converti cogantur, minusque adversus tyrannum insidias meditentur. Adi. Patet. So. Quin etiam si quos agnoverit liberali esse ingenio præditos, talesque, ut imperium ejus recusaturi videantur: ut ad eos exstinguendos occasionem habeat, hostibus objicit. His de causis necesse est, tyrannum semper nova bella movere. Adi. Necesse. So. Qua de re cives sibi infensos reddit. Adi. Summopere. So. Verisimile est, ut nonnulli eorum, qui tyrannidi suffragati sunt et apud tyrannum plurimum possunt, audacter tam inter se quam cum eo, quæ geruntur, improbent, præsertim si qui altiori animo sint. Adi. Verisimile. So. Consentaneum est, ut hosce omnes tyrannus e medio tollat, si modo sit dominaturus: quousque neminem relinquat amicorum vel hostium, qui alicujus momenti sit. Adi. Manifestum id quidem. So. Acute igitur inspicere illum oportet, quis fortis, quis magnanimus, quis prudens aut dives sit. nempe usque adeo beatus est, ut, seu velit seu nolit, his inimicus futurus sit: eisque insidietur, quousque civitatem purgaverit. Adi. Egregiam sane purgationem narras. So. Contrariam plane medicorum purgationi. siquidem medici a corpore, quod deterrimum est, abstergunt. quod vero optimum est, relinquunt. contra tyrannus efficit. Adi. Ille quidem sic facere cogitur, si modo sit dominaturus. So. Beata nimirum necessitate adstrictus est, quæ illi præcipit, ut vel cum plurimis improbis vitam

agat : a quibus etiam odio habeatur, vel omnino non vivat. Adi. Talis profecto ejus conditio est. So. Nonne, quo infensiores habet cives, dum hæc agit, eo pluribus et fidelioribus satellitibus indiget? Adi. Quid prohibet? So. Quinam igitur huic fideles maxime? unde illos accerset? Adi. Ultro advolabunt undique multi mercede pellecti. So. Fucos iterum mihi videris per canem quosdam dicere, externis et variis ex gentibus confluentes. Adi. Vere tibi videor. So. Quis autem ex indigenis? nonne aliqui, si voluerit? Adi. Quo pacto? So. Scilicet si propriis servis sublatis, voluerit cives aliquos liberare et satellitibus suis asciscere. Adi. Maxima quidem, quoniam fidelissimi sibi hi sunt. So. Quam præclaram narras tyranni possessionem, [568] si quidem talibus amicis fidisque hominibus utitur, cum priores illos perdiderit. Adi. Attamen talibus utitur. So. Atqui mirantur cum amici tales, conversanturque cum eo novi cives : æquiores autem viri oderunt ac fugiunt. Adi. Quid vetat? So. Non temere igitur tragœdia sapiens artificium esse, videtur atque in ea Euripides jure clarus habetur. Adi. Quamobrem? So. Quod et hoc ex profunda mente cecinit : Sapientes tyrannos esse sapientum consuetudine : dixitque hos sapientes esse, qui cum his conversantur. Adi. Quin etiam tyrannidem tanquam rem divinam extollit : aliaque permulta iste aliique poëtæ. So. Enimvero poëtæ tragici, utpote sapientes, nobis ignoscent, et illis, qui perinde ac nos rem publicam administrant, quod eos in nostram rem publicam non admittimus tanquam tyrannidis probatores. Adi. Ignoscent, ut arbitror, quicunque inter eos facundiores sunt. So. Ceteras vero circumeunt civitates turbam congregantes : et egregiis et grandibus probabilibusque vocibus, quibus non deest pretium, respublicas in tyrannides trahunt et popularem statum. Adi. Vehementer. So. Nonne pro his pretium capiunt honoranturque? in primis quidem, ut verisimile est, a tyrannis, deinde etiam a populari conditione. at vero quo altius ascendunt in arduum rerum publicarum verticem, magis eorum deficit honor, quasi defessus crebriore anhelitu anxius progredi non valeret. Adi. Ita nimirum. So. Sed ne, postquam huc digressi sumus, ulterius digrediamur, dicamus, unde tyrannus exercitum illum suum præclarum, varium semperque diversum alat. Adi. Constat in primis, quod si quæ sunt sacræ opes in civitate, eas surripiet consumetque, quousque illa sufficient, quæ venduntur, dum leviora exigit a plebe tributa. So. Quid si opes istæ defecerint? Adi. Patet, quod ex paternis aletur et ipse et collegæ ipsius contubernalesque et scorta. So. Intelligo equidem, quod populus, qui tyrannum genuit, ipsum amicosque ejus enutriet. Adi. Ita cogitur. So. Quid vero, si succenseat populus, dicatque haud æquum esse, ut adultus filius a patre amplius nutriatur, sed contra a filio pater : neque se ad hoc eum creasse, [569] ut postquam adoleverit, tunc ipse, servis ejus ministrans, nutriat et ipsum et ipsius servos et alios omnes undique confluentes ejus adstipulatores : verum ut a divitibus his, qui præclari et boni existimantur in civitate, eo præside liberetur : atque ita jubeat populus abire illum e civitate ejusque amicos, perinde ac pater filium domo una cum debacchantium turba depellens? Adi. Agnoscet per Jovem tunc demum populus, qualis ipse, et quali bestia delectatus sit, dum eam generaret atque educaret : quamque ipse debilior potentiores ejicere tentat. So. Quid ais? audebit tyrannus patri vim inferre, et si non obtemperet, verberare? Adi. Immo vero : nam auferet arma. So. Parricidam ergo dicis esse tyrannum durumque senectutis educatorem? Atque ut videtur, hæc proprie est tyrannis : utque fertur, populus servitutis liberorum fugiens fumum, in flammam servorum dominationis incidit, loco ingentis illius et importunæ libertatis durissimam acerbissimamque servorum subiens servitutem. Adi. Ita nimirum accidit. So. An non igitur probe a nobis dictum fuerit, si

sufficienter narrasse asseveremus, quo pacto tyrannis ex populari gubernatione nascatur, et, nata cum est, qualis sit? Adi. Valde quidem sufficienter.

LIBER IX.

[571] Deinceps considerandum restat, qua ratione vir tyrannicus ex populari fiat, qualisque sit, et nunquid vitam ducat miseram, an beatam. Adi. Certe id reliquum est. So. Scis, quid adhuc desiderem? Adi. Quid? So. Nondum sufficienter distinxisse videmur; quot sint et quales cupiditates. ac nisi id constet, obscurior erit ejus, quod quærimus, inquisitio. Adi. Opportunum vero adhuc erit. So. Prorsus quidem. atque adverte, quid in eis nosse velim. est autem tale. Earum voluptatum et cupiditatum, quæ non necessariæ sunt, videntur mihi quædam esse legibus repugnantes, quæ omnibus quidem insunt, a legibus autem et melioribus cupiditatibus cum ratione pariter castigatæ in quibusdam hominibus vel omnino obsolescere, vel adeo reprimi, ut raræ admodum exilesque reddantur: in aliis autem vehementiores frequentioresque evadere. Adi. Quas potissimum istas vocas? So. Quæ in somniis sæpius excitantur, quando animi pars illa sopita languet, quæ rationis est particeps et mansueta ejusque domina. alia vero in qua feritas est et agrestis immanitas, cum sit immoderato repleta potu atque pastu, exsultat tentatque excutere somnum et solitis libidinibus indulgere. tunc quippe nihil est quod non audeat, veluti soluta et libera omnibus verecundiæ prudentiæque præceptis: ut aut cum matre corpus miscere videatur, aut cum quovis alio homine vel Deo, sæpe et bellua; atque etiam trucidare aliquem, et impie cruentari, et a nulla prorsus voragine abstinere, nec, ut brevi complectar, ab ulla insania vel impudentia temperare. Adi. Vera nimium loqueris. So. At cum quis salubri et moderato cultu atque victu quieti se tradiderit, et ea parte animi, in qua est ratio, excitata et recta, saturataque bonarum cogitationum epulis et ad se ipsam contemplando conversa, ea vero parte animi, quæ voluptate alitur, nec inopia pressa nec satietate affluenti, ut quiescat maxime neque optimam [572] partem illam aut gestiendo aut merendo perturbet, sed sinat eam per se ipsam solam ac puram considerare, indagare atque percipere quicquam ignotum hactenus vel præsentium vel præteritorum vel futurorum: illa etiam tertia parte animi, in qua irarum æstuat ardor, sedata atque restincta usque adeo, ut nulli infensa quiescat, atque ita, inquam, partibus quidem duabus pacatis, mente vero erecta, somno se comparet, tunc demum mens pura veritatem attingit, neque in somniorum visa nefaria sese objiciunt. Adi. Sic prorsus existimo. So. Quid plura? id summatim volumus. Unicuique inesse speciem quandam cupiditatum, diram, agrestem atque iniquam: atque etiam in his, qui inter homines maxime moderati videntur. quod in somnis fit manifestum. si quid ergo dicere videor et consentis, animadverte. Adi. Consentio equidem. So. Recordare, qualem virum esse diximus popularem. erat autem is, qui ab ineunte ætate sub parco nutritus est patre, qui lucri cupiditati indulsit solum, ceteras vero non necessarias, sed ludi ornatusque comites sprevit. nonne ita? Adi. Ita prorsus. So. Conversatus deinde cum elatioribus viris plenisque libidinibus his, quas modo narravimus, declinare cœpit ad petulantiam omnem eorumque mores, paternæ parsimoniæ odio. cum vero ingenio meliore esset quam corruptores, utrinque distractus, mediam nactus est utriusque moris affectionem: moderate utrumque secutus, ut ipse putat, neque illiberalem neque dissolutam vitam agens, ex pauco-

rum potentiæ cupido mutatus in popularem. Adi. Erat utique et est circa hujuscemodi virum hæc opinio. So. Pone rursus hujus grandioris effecti filium, primis ab annis sub parentis moribus enutritum. Adi. Pono. So. Ponas iterum eadem sibi accidere, quæ patri contigerant, ut ad omne trahatur flagitium et lascivientis vitæ licentiam, quæ tamen hi, qui trahunt, integram nominent libertatem : pater autem aliique domestici mediis istis cupiditatibus suffragentur : qui vero ipsi opem suggerunt, quando scilicet jam speraverint vehementes illi incantatores nutritoresque tyrannidis, adolescentem se non aliter continere posse, amorem in eo aliquem quibusdam machinationibus excitent, [573] præsidem tutoremque otiosorum et ad libidinem illi subministrantium desideriorum, alatum certe et ingentem fucum. nunquid aliud amorem talium esse putas? Adi. Nihil aliud. So. Quando vero circa ipsum susurrantes cupiditates aliæ, refertæ nidore, unguentis, coronis ac mero, resolutisque consuetudinum talium voluptatibus, coaugent prorsus aluntque desiderium illud, atque ita fuco aculeum addunt : tunc jam hic animi præses furit omnino, dementia ipsa fervet ; atque stipatus inde satellitibus et stimulo percitus, ac si quas intra se frugales et verecundas opiniones cupiditatesque offenderit, exstirpat eas protinus et expellit, quousque temperantiam omnem ejiciat, seque forensi et aliena insania repleat. Adi. Egregie tyrannici viri refers originem. So. Nonne et olim hanc ob causam Amor tyrannus est dictus? Adi. Videtur plane. So. Et ebrius vir, o amice, nonne tyrannicum gerit animum? Adi. Sane. So. Quin etiam furiosus et extra se positus non solum hominibus, sed et Diis imperare contendit, speratque se id consecuturum. Adi. Vehementer. So. Tyrannicus autem, o beate vir, revera fit, quando vel natura vel studiis vel ambobus temulentus, amori obnoxius furiosus evadit. Adi. Prorsus ita se res habet. So. Ita igitur talis vir, ut apparet, efficitur. vivit autem quo pacto? Adi. Id vero, ut aiunt, qui jocantur, mihi tu dices. So. Dico equidem. post hæc, ut arbitror, festis indulgent bachanalibus, commessationibus, scortis ceterisque hujuscemodi omnibus, hi quorum tyrannus Amor, intus animi incolens penetralia. regit omnia. Adi. Necesse est. So. Itaque multæ profecto diesque noctesque vehementes cupiditates, multorum indigæ, pullulant. Adi. Multæ quidem. So. Cito igitur, si qui proventus exstiterint, consumuntur. Adi. Quidni? So. Post hæc utique fœnora et patrimonii dissipatio. Adi. Procul dubio. So. Quando vero deficiunt omnia, necesse est cupiditates vociferari atque conqueri, quæ quidem frequentes ardentesque in nido animi delitescunt : eos autem veluti stimulis quibusdam perculsos, libidinibus scilicet aliis, præsertimque amore, aliarum omnium tanquam satellitum duce, jactari efferique ad explorandum, si quis quicquam possideat, quod vel fraude surripi vel vi eripi [574] possit. Adi. Maxime. So. Quapropter coguntur vel undique usurpare vel ingentibus stimulis et doloribus cruciari. Adi. Coguntur plane. So. Num, quemadmodum novæ cupiditates ipsius adultæ pristinas exsuperarunt et quæ illarum erant, usurpavere : ita et ipse justum esse censebit, ut ipse junior plus habeat quam parentes, et si portionem suam consumpserit, paterna insuper eroget? Adi. Cur non? So. Quod si parentes illi nequaquam permiserint, principio furari eosque decipere aggredietur. Adi. Omnino. So. Sin istud non poterit, rapiet jam vimque parentibus inferet. Adi. Sic arbitror. So. Ac si pater materque senes, o mirifice vir, resistant repugnentque, nunquid eos verebitur, atque ita se continebit, ut nihil agat tyrannicum? Adi. Patri equidem ac matri sic affecti hominis timeo. So. Per Jovem, o Adimante, nunquid gratia nuper amatæ cujusdam concubinæ non necessariæ veterem amicam necessariamque matrem, aut gratia speciosi alicujus nuper amati adolescentis non necessarii deformem et necessarium senem patrem, et

amicorum omnium antiquissimum, videtur tibi vir talis verberibus objecturus : eosque illis subjecturus, si eandem in domum conduxerit ? Adi. Per Jovem, omnino. So. Quam beatum esse videtur tyrannicum filium genuisse ! Adi. Non multum. So. Quid vero ? cum parentum supellectilis non sufficiet, in eoque jam erit examen confertissimum voluptatum, an non primo parietem alicujus perfodiet domus, vel nocte tarde euntis pallium rapiet ? deinde etiam templum aliquod exspoliabit ? atque in his omnibus eas, quas olim a pueritia de honestis et turpibus, quasi jura quædam, ex quibus judicabatur, opiniones habuerat, illæ, quæ nuper a servitute solutæ sunt, tanquam satellites stipantes Amorem, una cum eo jam superabunt : quæ quondam dormiente illo per insomnia solvebantur, quando adhuc erat ille sub legibus paternisque præceptis populari in se ipso institutus conditione ? tandem vero Amoris tyrannide irretitus, qualis raro erat in somnis, talis semper erit vigilans ? nam et a nulla cæde impia abstinebit, vel ingluvie vel facinore : sed [575] tyrannice in ipso Amor omni cum licentia et transgressione vivens, utpote qui solus sit dominus, sibi subjectum hominem, tanquam civitatem, impudenter ad omnia rapiet : unde et se ipsum et turbam suorum satellitum nutriat, partim extrinsecus ingressam ex improba quadam consuetudine, partim intrinsecus ex iisdem moribus ab ipso solutam et liberatam. nonne hæc talis hominis vita ? Adi. Hæc prorsus. So. Ac si pauci tales in civitate sint, ceteri vero omnes modesti, prodeuntes alium quempiam utpote satellites armant muniuntque tyrannum ac si uspiam bellum imminet, stipendio conducti propugnant. sive pax agatur, ibidem in civitate minuta mala permulta committent. Adi. Qualia ? So. Furabuntur, muros fodient, marsupia incident, exspoliabunt prædabunturque, sacra rapient, captos homines servire cogent : nec non calumniabuntur quandoque, si dicendo facundi sint, perjuriisque decipient homines, et muneribus corrumpentur judices. Adi. Minuta hæc dicis mala, si pauci tales sint ? So. Hæc quidem, si ad majora comparentur, dicuntur exigua. atque hæc omnia ad tyrannum pravitate et miseria civitatis haudprope, ut proverbio fertur, accedere putandum est. quotiens enim in civitate tales multi reperiuntur eosque alii sequuntur multi, sentiuntque ingentem suorum copiam, tyrannum procreant cum inscitia populi illum præ ceteris, qui inter illos ita est affectus, ut ejus in animo tyrannum habeant potentissimum. Adi. Consentaneum id quidem. tyrannus erit potentissimus. So. Nonne facile id fit, si cesserint omnes? sin autem civitas tyranno huic obstiterit, tunc sane is, quemadmodum in superioribus patrem matremque subegit, sic rursus et patriam pro viribus subiget, alios inducens juvenes : hisque servire coget olim sibi caram patriam matriamque, ut more Cretensium loquar, tam educatione quam habitu : atque is erit cupiditatis ejus hominis finis. Adi. Sic prorsus. So. Nonne isti tales privatim fiunt, antequam dominentur ? principio cum his conversantur ut plurimum, qui blandiuntur illis et in omnibus assentantur, [576] ac si qua re indigeant, idem et ipsi agunt, submittunt se, et quamcunque gerunt personam, tanquam domestici : voti vero compotes cum facti sunt, extraneos se esse declarant. Adi. Et maxime quidem. So. Omnem ita ætatem agunt. amici quidem nemini unquam. semper autem dominantes alicui servientes. libertatem vero et amicitiam veram natura nunquam tyrannica gustat. Adi. Maxime. So. Nonne hujusmodi homines jure infidos nominabimus ? Adi. Jure. So. Quinetiam injustos, quam maxime fieri potest, si modo in superioribus recte, invicem quale quid justitia sit, concessimus. Adi. Recte quidem. So. Concludamus igitur, qui sit vir pessimus. est autem is, qui talis est vigilans : qualem supra figuravimus somniantem. Adi. Omnino. So. Talis utique fit, quisquis cum natura tyrannicus maxime sit, ut solus dominetur, assequitur : et quo diutius in

tyrannide vivit, eo magis est talis. Glau. Ita necesse est. So. Quisquis iniquissimus apparet, et miserrimus apparebit : et qui diutissime, maximeque potitur tyrannide, maxime et diutissime iniquissimus revera est et miserrimus. multis autem multa videbuntur. Glau. Ita se hæc habere necesse est. So. Tyrannicus vir civitati tyrannide oppressæ simillimus : popularis vir populari, ceterique similiter. Glau. Quidni? So. Sicut se habet ad civitatem civitas virtute et felicitate, ita vir quoque se habet ad virum. Glau. Nihil prohibet. So. Quomodo se habet tyranno subjecta civitas ad eam, quæ regi paret, qualem primo descripsimus? Glau. Contra omnino. nam una quidem optima, altera pessima. So. Haud interrogabo, quam dicas. constat enim. Verum de beatitudine atque miseria eodem modo an alio, judicas? neque vero tyrannicæ civitatis speciem admiremur, ad solum tyrannum respicientes, aut ad eos paucos, qui cum eo rerum potiuntur : sed, ut decet omnem penitus civitatem ingressi, lustremus singula, et ad cuncta conversis oculis feramus sententiam. Glau. Probe admones. constat autem apud quemlibet nullam civitatem tyrannide pressa esse miseriorem, nullamque rege gubernata beatiorem esse. So. Si idem circa viros observari juberem, num recte præciperem? [577] videlicet si censerem de his judicare illum, qui cogitatione possit viri mentem irrepere ac mores penitus introspicere : neque, ut pueri solent, exteriorem intuens superficiem obstupescit, dum tyrannicam prospicit eminentiam, quam procul aspicientibus frequenter ostentant, sed perspicaciter judicat : si, inquam, existimarem oportere nos omnes audire eum, qui discernere valeat, qui et una habitaverit et domesticis actionibus interfuerit, ubi noverit, quo pacto erga familiares singulos sit affectus, in quibus maxime qualis sit apparet, omnem exutus tragicum apparatum, rursusque popularibus in periculis : atque hæc omnia dignoscentem declarare juberem, quo pacto se ad alios tyrannus habeat, quo ad beatitudinem et miseriam, nunquid recte juberem? Glau. Recte admodum et ista juberes. So. Visne fingamus et nos ex eorum numero esse, qui judicare possint atque illis adhæserint, ut aliquem habeamus qui ad ea, quæ interrogamus, respondeat? Glau. Volo equidem. So. Age utique, ita considera similitudinem, memoriam repetens civitatis ac viri : atque ita sigillatim vicissimque utriusque affectus animadverte. Glau. Dic, quales. So. Principio liberam civitatem tyrannicam dices an servam? Glau. Maxime omnium servam. So. Attamen in ea dominos ac liberos inspicis. Glau. Plane : sed exiguum quidem istud : universum vero, ut ita dicam, in ipsa et præstantissimum genus turpiter ac misere servum. So. Si igitur civitati vir similis, necesse est in illo eundem esse ordinem, multaque illiberalitate et servitute ejus animum opprimi, easque animi partes servire, quæ præstantissimæ sunt : exilem vero partem ignavissimam, dementissimam dominari. Glau. Necessarium. So. Quid porro? servum an liberum hujusmodi animum appellabis? Glau. Servum. So. Atqui serva et tyranno subdita civitas minime, quæ vult, agit. Glau. Nimirum. So. Tyrannicus igitur animus minime, quæ vult, efficiet, ut sic de toto animo dicam : sed stimulo semper percitus violento, perturbatione pœnitentiaque replebitur. Glau. Quidni. So. Tyrannicam civitatem divitemne an pauperem esse necesse est? Glau. Pauperem. So. Animum quoque tyrannicum [578] mendicum semper et inexplebilem necesse est esse. Glau. Est, ut dicis. So. Metu vero sollicitari an non necessarium est civitatem talem talemque virum? Glau. Valde. So. Lamentationes præterea, suspiria, fletus, angustias, censes in alia civitate frequentiores te reperturum? Glau. Nullo pacto. So. In homine insuper alio talia quædam plura inesse putas, quam in tyrannico isto, qui cupiditatibus amoribusque insanit? Glau. Quonam pacto? So. Profecto ad hæc respiciens

omnia, ceteraque generis ejusdem, civitatem tyrannicam civitatum omnium esse miserrimam judicasti. Glau. An non recte? So. Summopere. verum de viro rursus tyrannico quid ais, quotiens eadem hæc animadvertis? Glau. Longe cunctorum dico hunc esse miserrimum. So. Hoc non recte dicis. Glau. Quamobrem? So. Nondum hic est, ut arbitror, talis maxime. Glau. Quis ergo? So. Iste forsitan tibi hoc miserior esse videbitur. Glau. Quis inquam? So. Qui cum natura tyrannicus sit, vitam non agit privatam, sed est infelix, et sorte quadam eo deducitur, ut tyrannide potiatur. Glau. Ex his, quæ dicta sunt, vera te loqui conjecto. So. Ita est. Verum non talia quædam opinari oportet, immo vero diligentissime tali ratione investigare. de maximo enim quodam nobis disceptatio est, bona scilicet vita ac mala. Glau. Scite. So. Attende itaque, si quid dicam. videtur enim mihi ex his de hoc esse considerandum. Glau. Ex quibus? So. Ex unoquoque scilicet privatorum, quotcunque ita divitiis abundant, ut multa habeant mancipia. isti namque id tyrannis habent simile, quod multis imperant: interest autem, quod tyrannus pluribus dominatur. Glau. Interest utique. So. Nosti, quod isti securi cum familia vivunt, neque famulos metuunt? Glau. Nempe. quid enim metuant? So. Nihil. sed nunquid causam tenes? Glau. Equidem. quoniam videlicet civitas universa singulis privatorum succurrit. So. Præclare loqueris. Quid si quis Deorum virum unum, cui quinquaginta vel plura mancipia sint, educat e civitate una cum uxore ac liberis, constituatque in solitudine cum rebus suis omnibus atque mancipiis, ubi liberorum hominum nullus ferre huic auxilium possit, quali eum et quanta formidine vexatum iri existimas, ne forte mancipia ipsum et filios et uxorem interimant? Glau. Summa, ut arbitror. [579] So. An non cogetur servis quibusdam blandiri, pollicerique multa, et manumittere, cum sibi nihil opus sit? unde et ad ministros suos ipse adulator erit. Glau. Cogetur penitus vel ita facere vel perire. So. Quid si alios adhuc deus circulo disposuerit proximos illi complurimos, qui nequaquam sustineant, ut alter alteri dominetur, ac si quem deprehenderint sibi dominium vendicantem, suppliciis extremis afficiant? Glau. Deteriorem admodum ejus conditionem fore censeo, si hostium vallo circumcludatur. So. An non tali quodam carcere clausus est tyrannus, natura talis exsistens, qualem in superioribus explicavimus, multis videlicet diversisque timoribus et amoribus agitatum? Cum vero ingenio sit apprime cupido, huic soli neque egredi usquam licet, neque inspicere, quot liberi alii cupiunt: sed intra ædium parietes formidolosus, veluti mulier, commoratur, invidens civibus aliis, si quis extra mœnia spatiatur et boni quicquam spectat. Glau. Sic prorsus. So. An non hujuscemodi malis plura insuper incurrit vir ille, qui male se ipsum gubernans, quem et tu modo miserrimum judicabas tyrannicum, haudquaquam privatus vivit, sed fortunæ vi quadam, ut tyrannidem exerceat, cogitur: cumque sibi ipsi imperare non possit, aliis imperare contendit? perinde ac si quis imbecillo corpore et suis se viribus non sustinente, cogatur, ut quietem agat secum ipse nunquam, sed adversus alia corpora certet ac pugnet. Glau. Simillima inducis, o Socrates, atque verissima. So. Nonne igitur, o amice Glauco, miserabilis omnino hæc est conditio, duriorque vita est hominis nacti tyrannidem ea vita, quam tu supra durissimam judicabas? Glau. Valde. So. Est autem re ipsa, quamvis alicui non videatur, vere tyrannus vere servus, extremæ adulationi servitutique astrictus, libidinibus nequissimorum hominum adulator: qui appetitus suos explet nunquam, sed plurimis indiget semper, atque inops revera esse apparet, si quis penetralia animi ipsius inspexerit: pavore quin etiam perpetuo territus, et sollicitudine angustiaque vexatus, si modo civitatis ejus statui, cui præest, ipse est similis, similis autem exsistit. an non?

Glau. Et maxime quidem. [580] So. Præter hæc viro huic illa etiam tribuemus, quæ antea memoravimus, quod necesse est, eum et esse prius et fieri postea multo magis, cum tyrannidem est adeptus, invidum, injustum, expertem benivolentiæ, impium, omnisque nequitiæ sentinam ac fomitem : ex hisque cunctis esse miserrimum, atque alios etiam, qui adhærent ipsi, similes reddere. Glau. Nullus mentis compos his contradixerit. So. Age, quemadmodum judex omnia circumspiciens de singulis judicat, ita tu in præsentia proferas, qui tuo judicio primus beatitudine, qui secundus : ceterosque gradatim, qui in numero quinque sunt, enarra, regium, honorifici imperii studiosum, paucorum potentiæ cupidum, popularem, atque tyrannicum. Glau. At facile judicium istud. nam quemadmodum sum ingressus, istos, quasi choros, virtute et pravitate, beatitudine et huic contrario inter se comparo atque judico. So. Num præconem conducemus ? an ego hæc potius nuntiabo ? Aristonis filium judicasse virum optimum et justissimum esse beatissimum, eumque esse dixisse hominem maxime omnium regium, seque ipsum regentem : pessimum vero et iniquissimum esse miserrimum talemque cum esse, qui maxime tyrannus sit, seque ipsum et civitatem tyrannide premat ? Glau. Ita sit promulgatum. So. Nunquid adjiciam, sive lateant sic affecti homines, sive non lateant homines pariter atque Deos ? Glau. Adjice. So. Esto igitur. etenim una hæc demonstratio sit : secundam vero, si videtur, hanc convenit intueri. Glau. Quænam ista ? So. Postquam sicuti civitas tres in species divisa est, ita et cujusque anima trifariam dividetur, ut arbitror : atque hinc demonstratio secunda nascetur. Glau. Quænam ? So. Ista. Cum tres animæ partes sint, tres quoque voluptates esse videntur, sua cujusque partis propria. cupiditates quoque totidem et principatus. Glau. Quo pacto ? So. Partem unam dicimus, qua homo discit : alteram, qua irascitur : tertiam vero propter varietatem uno non potuimus proprio ipsius vocabulo nominare, sed ex eo, quod in se continet maximum vehementissimumque, concupiscibile appellavimus, propter vehementiam earum cupiditatum, quæ ad epulas et pocula et venerea rapiunt, et ea quæ ista sequuntur : nec non avarum cognominavimus, quoniam ex pecuniis [581] maxime hujusmodi cupiditates explentur. Glau. Recte. So. Ac si voluptatem ejus et affectum lucri esse dixerimus, in unam maxime summam reducemus orationem, ut aliquid nobis certum ipsi significemus : quotiens id ipsum partem hanc animæ dicimus. atque si totum hoc pecuniarum et lucri cupidum nominemus, recte admodum appellabimus. Glau. Mihi quidem ita videtur. So. Quid vero ? irascendi natura nonne ad potentiam, victoriam, gloriam, trahere totam asserimus ? Glau. Magnopere. So. Si igitur eam contentiosam ambitiosamque appellabimus, nunquid recte ? Glau. Rectissime. So. At vero partem illam, qua discimus, constat cuique omnem ad veritatem investigandam semper anniti, pecuniarumque et gloriæ minimam curam habere. Glau. Omnino. So. Si tertium hoc discendi cupidum et philosophum nominabimus, haud ab re erit nomen impositum. Glau. Est, ut ais. So. Nonne dicimus in animis quorundam unam illarum partium dominari, in aliis aliam, quamcunque contigerit ? Glau. Dicimus. So. Propterea dicimus tria hominum prima genera esse, philosophum, contentiosum, avarum. Glau. Prorsus. So. Voluptatum quoque species tres hisce subjectas, cuique suam. Glau. Omnino. So. Si unumquemque istorum seorsum interroges, quæ vita istarum dulcissima, suam quisque ceteris anteponet. avarus quidem lucri ipsius comparatione honorum vel disciplinarum oblectamenta nullius existimabit, nisi quid forsan ad argentum conferant. Glau. Vera loqueris. So. Ambitiosus autem quæstus delectationem molestam putat : rursusque eam, quæ discendo percipitur, nisi doctrina inanem et umbratilem hominum pariat gloriam.

Glau. Ita res se habet. So. Philosophum quoque ponamus ceteras voluptates flocci pendentem, dum eas ad continuum disciplinarum gaudium, quo ipse fruitur investiganda veritate, comparat: vocantemque alias necessarias, quia illas secuturus non sit, nisi cogat necessitas. Glau. Bene id nosse oportet. So. Quando igitur cujusque vitæ voluptates ipsaque vita in contentionem venient, non de hoc, quod est honestius aut turpius vivere, vel melius aut deterius, sed de suaviori pacatiorique vitæ statu: qua ratione discernemus, [582] cujus sit sententia verior? Glau. Haud satis habeo, quid respondeam. So. Sic autem animadverte: Quanam re judicare oportet, quæcunque recte dijudicanda sunt? nonne peritia, prudentia, ratione? an habet quisquam alia, quibus melius judicet? Glau. Nullo modo. So. Attende igitur. cum tres sint, quis maxime expertus est omnes, quas narravimus, voluptates? utrum avarus, discendo qualis sit veritas, magis tibi videtur expertus discendi jucunditatem quam philosophus lucri? an potius contra? Glau. Permultum interest. philosophum namque necesse est voluptatem alterius a pueritia degustasse. avarum autem haudquaquam necesse est in veritatis investigatione, quanta insit oblectatio, percepisse expertumque fuisse: immo vero, si nitatur, non facile istud assequitur. So. Longe igitur præstat avaro philosophus utrarumque voluptatum experientia. Glau. Longe. So. Ambitiosus vero nunquid magis sapientiæ, quam philosophus honoris gustavit oblectamenta? Glau. Honor quidem omnes eos sequitur, si propositum sibi officium exsequantur. Etenim dives a multitudine honoratur, et fortis, et sapiens. quapropter omnes, quanta provenit ex honore voluptas, usu ipso intelligunt. quanta vero sit in veritatis contemplatione suavitas, solus sentit philosophus. So. Igitur quantum ad experientiam attinet, optime philosophus præ ceteris judicat. Glau. Valde. So. Quin etiam una cum prudentia solus erit expertus. Glau. Nihil prohibet. So. Præterea organum illud, per quod judicandum est, non avari aut ambitiosi hominis, sed philosophi est instrumentum. Glau. Quale istud? So. Per rationes enim esse diximus judicandum. Glau. Diximus. So. Rationes autem præcipue philosophi sunt instrumenta. Glau. Patet. So. Si divitiis et lucro optima singula judicarentur, quæ laudaret vel improbaret vir quæstui deditus, necesse esset hæc esse verissima. Glau. Penitus. So. Sin autem honore, victoria, fortitudine, quæ ambitiosus et ad victoriam ardentissimus judicaret? Glau. Constat. So. Postquam vero experientia, prudentia, ratione: necesse est, quæ philosophus et rationum vir studiosus laudat, esse verissima. Quare cum tres voluptates sint, voluptas [583] partis ejus, qua discimus, erit utique suavissima: ejusque Sulcissima vita, in quo hæc pars dominatur. Glau. Nihil obstat. So. Nempe philosophus, apud quem vere judicandi est auctoritas, suam laudat vitam. Quam vero secundam esse vitam, aut quam secundam voluptatem censet judex? at constat, quod bellicosi ambitiosique hominis. propinquior enim illi hæc quam avari. postremam igitur lucri cupidi vitam locare videtur. Glau. Quidni? So. Duo hæc itaque sibi invicem ita succedunt, bisque justus jam vicit injustum. Tertium vero, Olympicorum ritu, servatori et Olympio Jovi tribuens, contemplare nullius, præterquam prudentis, voluptatem veram prorsus exsistere neque sinceram, sed umbratilem atque inanem, ut ego ex sapientum aliquo audisse mihi videor: atque hic erit gravissimus injusti casus atque ruina. Glau. Mirum in modum. verum quo pacto istud ais? So. Ita certe inveniam, te respondente perquirens. Glau. Quære. So. Dic, obsecro, nonne dolori contrariam dicimus voluptatem? Glau. Dicimus. So. Medium quin etiam quoddam ponimus, quod neque lætari est neque dolere? Glau. Ponimus. So. Et cum medium sit, quietem vacationemque animi ab utroque? nonne ita hoc dicis?

Glau. Ita plane. So. Recordaris, qualia esse solent ægrotantium verba, dum morbo laborant? Glau. Qualia dicis? So. Nihil esse dulcius sanitate: sed eos latuisse aiunt, quam dulce id sit, antequam ægrotarent. Glau. Recordor equidem. So. Nec non acerbissimis doloribus vexatos homines exclamantes audis, nihil esse dulcius quam ea afflictione vacare? Glau. Audio. So. Quin etiam aliis permultis hujusmodi afflictionibus cruciatos homines audis, dum cruciantur, vociferantes asserentesque dulcissimum esse nullo dolore affici præsentique molestia esse liberum; non autem dicentes dulcissimum esse lætari. Glau. Nempe hæc illis quies tunc forte gratissima. So. At vero cum lætari quis desinit, voluptatis cessationem illam molestam existimabit? Glau. Forte. So. Quies igitur illa, quam paulo ante utrorumque mediam esse diximus, quandoque utraque erit, tum dolor scilicet, tum voluptas. Glau. Videtur. So. Num fieri potest, ut quod neutrum est, sit utraque? Glau. Non, ut arbitror. So. Atqui quando in animo voluptas est aut dolor, ambo motus quidam insunt? Glau. Utique. [584] So. Tertium vero illud, quod neque dolor est neque voluptas, nonne quies aliqua et istorum medium esse nuper apparuit? Glau. Plane. So. Quo pacto igitur rectum est, quod non dolere est, jucundum existimare, vel quod non lætari, molestum? Glau. Nullo. So. Non istud igitur est, sed apparet, ad molestum quidem jucundum, ad jucundum vero molestum: id tunc quod medium est et quies. neque visa hujusmodi veri quicquam de voluptate nobis offerunt, sed ex quadam deceptione proveniunt. Glau. Sic monstrat ratio. So. Vide igitur voluptates, quæ dolorem nullum sequuntur, ne sæpius istud in præsenti disputatione ita natura comparatum existimes, ut voluptas quidem doloris, dolor vero voluptatis privatio sit. Glau. Quorsum aspiciam? ubinam tales sunt voluptates? So. Multæ quidem et aliæ sunt, sed præsertim, si animadvertere vis, voluptates, quæ circa olfactum fiunt. hæ namque nullo prius antecedente dolore, repente ingentes proveniunt: et cum cessant, dolor eas nullus sequitur. Glau. Verissima narras. So. Ne credamus igitur doloris cessationem puram voluptatem esse: neque dolorem voluptatis absentiam. Glau. Non. So. At vero earum, quæ per corpus ingrediuntur in animum voluptatesque dicuntur, ferme maximæ quæque ac plurimæ tales sunt, ut dolorum liberationes sint. Glau. Sunt profecto. So. Et quæ circa hæc futura ab exspectatione nascuntur, prægustationes quædam voluptatis atque doloris, eodem modo se habent. Glau. Eodem. So. Scis, quales hæ voluptates sunt, et cui maxime similes? Glau. Cui? So. Putas aliquid in natura esse supremum, infimum, medium? Glau. Equidem. So. Censes aliquem, cum ab infimo ad medium fertur, aliud arbitrari quam ad summum ascendere? et dum stat in medio, deflectitque oculos illuc, unde venerat, alibi esse opinari quam in supremo, cum id, quod revera est summum, non suspiciat? Glau. Per Jovem, non aliter hominem talem opinaturum existimo. So. Si iterum deferatur, deorsum ferri opinabitur, ac vere putabit? Glau. Quidni? So. Nonne hæc sibi eam ob causam contingunt omnia, quia nondum expertus est, quid vere supremum sit, quid medium, quidve infimum? Glau. Manifestum est quidem. So. Nunquid ergo miraberis, si veritatis imperiti homines tum de multis aliis non recte sentiunt, tum etiam circa voluptatem et dolorem horumque medium sic afficiuntur, ut quotiens in dolorem feruntur, vere judicent doleantque revera? [585] quotiens vero a dolore surgunt in medium, et repletionem et voluptatem assequi arbitrentur? et quemadmodum qui juxta nigrum solum aspiciunt fuscum, quoniam non vident album, clarissimum illum existimant: ita et qui doloris vacuitatem comparant cum dolore, veram autem experti non sunt voluptatem, in judicando decipiantur? Glau. Per

Jovem, non istud mirabor equidem. immo vero, si contra eveniret, potius admirarer. So. Sic autem considera : nonne fames ac sitis et cetera generis ejusdem vacuitates quædam sunt corporis ipsius habitudinis ? Glau. Cur non ? So. Ignorantia vero et imprudentia vacuitas quædam est habitus animi. Glau. Maxime. So. Impletur autem et illud, dum alimenta capit, et iste dum intelligentiam accipit. Glau. Cur non ? So. Quænam repletio verior ? utrum quæ per ea fit, quæ magis veriusque sunt, an quæ per alia ? Glau. Quæ per ea, quæ magis sunt. So. Quænam censes purioris esse substantiæ ? nunquid cibi, potus, obsonii alimentorumque quorumcunque genera ? an vere opinionis species, scientiæque et mentis, summatimque universæ virtutis ? in hunc autem modum judica. quod inhæret semper simili immortalique et veritati, ac etiam tale exsistit et in tali quodam fit, magis esse tibi videtur : an illud potius, quod rei nunquam simili atque mortali, nec non tale est, et in tali quodam efficitur ? Glau. Longe præstat, quod semper simili est cognatum. So. Essentia utique rei semper similis, nunquid essentiæ magis est, quam scientiæ, particeps ? Glau. Non. So. An veritatis ? Glau. Neque hoc. So. Sin autem veritatis minus, nonne et essentiæ ? Glau. Necessarium est. So. Nonne communiter omnia circa corporis cultum genera minus veritatem essentiamque participant generibus his, quæ circa animi cultum versantur ? Glau. Minus. So. Nunquid et corpus similiter minus quam animus ? Glau. Et corpus. So. Nonne quod repletur his rebus, quæ magis veriusque exsistunt, quodve magis veriusque exsistit, magis quoque repletur ? quam quod his rebus impletur, quæ minus sunt, ipsumque est minus. Glau. Quid prohibet ? So. Si ergo repleri rebus naturæ consentaneis est jucundum ; ipsum utique, quod revera verioribusque rebus impletur, naturalius ac verius vera afficit voluptate : quod autem ea, quæ et minus sunt et minus vera sunt, accipit, minus vere firmiterve repletur, fallaciorisque et falsioris voluptatis fit particeps. Glau. Necesse est omnino. So. Homines igitur prudentiæ virtutisque expertes, [586] et epulis rebusque similibus mancipati, deorsum feruntur, rursusque ad medium usque perveniunt, et circa hæc per omnem vitam oberrant : super hæc vero emergunt nunquam, et quod vere summum est, nequaquam suspiciunt, neque ad supera evehuntur, neque vera ulla re quandoque fruuntur, neque stabilem puramque gustant voluptatem : sed veluti pecora humum proni spectant, ventrique obedientes pascendo coeundoque ætatem conterunt : proque his rebus uberius potiundis calcibus inter se et cornibus ferreis unguibusque decertant, sese invicem ob inexplebilem libidinem trucidantes, utpote qui neque veram et firmam sui partem, neque veris pabulis implent. Glau. Omnino, o Socrates, vulgi vitam quasi quodam pandis oraculo. So. Necesse est eos voluptates persequi mixtas doloribus, quæ simulacra voluptatis veræ et umbræ sunt, usque adeo invicem doloris comparatione mutua inquinatæ, ut et voluptates et dolores ex ea comparatione vehementiores appareant, amoresque ipsarum hujusmodi voluptates rabidos insipientibus pariant, inflammentque ad pugnam : quemadmodum Stesichorus ait Trojanos veræ ipsius ignaros de Helenæ imagine invicem decertasse. Glau. Necessarium est omnino ita id se habere. So. Quid vero circa irascendi naturam ? nonne et alia quædam horum similia contingant necesse est, quando quis id ipsum peragit, vel invidia propter ambitionem, vel violentia propter contentionis cupiditatem, vel ira propter morum difficultatem, absque ratione ac mente sequens honoris, victoriæ iræque expletionem ? Glau. Talia necesse est etiam circa id fieri ? So. Asserere igitur audeamus, quod et circa partem quæstus avidam et aliam victoriæ studiosam, quæcunque appetitiones tales sunt, ut scientiæ rationique obtemperent, easque voluptates sequantur et capiant, quas ratio ipsa concedit, verissimas utique voluptates,

quoad earum natura verarum voluptatum est capax, adipiscentur: quippe cum pareant veritati, ac insuper sibi proprias voluptates percipiant: si quidem quod cuique optimum, id et maxime proprium. Glau. Proprium maxime. So. Quando igitur totus animus cum ea parte, in qua est philosophia, procul ab omni seditione conspirat, tunc evenit, ut quæque pars officio suo fungatur et justa sit, et sui proprias voluptates atque optimas, adde, et quoad fieri potest, [587] verissimas, consequatur. Glau. Valde. So. At vero cum partium reliquarum aliqua superat, id protinus evenit, ut neque ipsa sui propriam reperiat voluptatem, et partes alias cogat alienam minimeque veram voluptatem sequi. Glau. Sic accidit. So. Nonne quæ longissime a philosophia rationeque distant, maxime talia quædam efficiunt? Glau. Prorsus. So. Longissime autem distat a ratione, quod et a lege et ordine. Glau. Videlicet. So. Longissimo autem intervallo sejunctæ esse visæ cupiditates illæ amore ardentes atque tyrannicæ. Glau. Omnino. So. Minimo autem discrepare apparuerunt regiæ appetitiones et moderatæ. Glau. Ita. So. Tyrannus igitur a vera et propria voluptate procul admodum erit: rex autem illi quam proximus. Glau. Necesse. So. Amarissimam ergo tyrannus vitam aget: rex vero dulcissimam. Glau. Necesse id prorsus. So. Scisne, quanto vivit tristior rege tyrannus? Glau. Sciam certe, si dixeris. So. Cum tres cupiditates sint, et una quidem legitima sit, adulteræ duæ, adulterarum tyrannus suprema sortitus fastigia, dum legem fugit et rationem, servis quibusdam et satellitibus voluptatibus se commiscet: et quam longissimo intervallo a voluptate legitima sit sejunctus, haud facile aliter, nisi forsitan hunc in modum, exprimi potest. Glau. Quemadmodum? So. Ab homine paucorum imperii cupido tertius apparuit esse tyrannus. medius namque istorum popularis vir extitit. Glau. Ita est. So. Cum tertio itaque voluptatis, quo ad veritatem simulacro post illum congreditur, si vera in superioribus diximus. Glau. Sic est dicendum. So. Quin etiam paucorum potentiæ deditus tertius est a rege, si in eodem locamus optimatem ac regem. Glau. Tertius utique. So. Triplo igitur numero secundum tripli rationem distat a vera voluptate tyrannus. Glau. Apparet. So. Planum itaque simulacrum secundum longitudinis numerum tyrannicæ voluptatis exsistet. Glau. Valde. So. Secundum vero potentiam et tertium augmentum, manifestum est, quanto discrepat intervallo. Glau. Manifestum quidem computatori. So. Si quis converso ordine, quantum voluptatis veritate superat rex tyrannum, quæsiverit, peracta multiplicatione inveniet regem vitæ dulcedine superare tyrannum et tyrannum vitæ amaritudine regem, gradibus viginti novem et septingentis. Glau. Mirabile nimium intervallum hoc inter justi [588] et injusti viri vitam quoad voluptatem atque dolorem cumulavisti. So. Verus hic certe et conveniens vitis hominum numerus: si quidem ipsis conveniunt dies, noctes mensesque et anni. Glau. Conveniunt quidem. So. Atqui si tantum voluptate bonus justusque vir malum et injustum exsuperat, mirum certe est, quanto etiam magis ornamento, decore virtuteque exsuperabit. Glau. Mirum certe. So. At enim postquam huc disputando devenimus, repetamus, quæ a principio dicta sunt, ex quibus ad ista delati sumus. Dictum quandoque fuit, injuste agere illi prodesse, qui, cum omnino injustus sit, justus tamen existimatur. an non ita dictum? Glau. Ita. So. Ad hæc igitur ita in præsentia disseramus, postquam una convenimus, quam vim et justa et injusta habeat operatio. Glau. Quo pacto? So. Imaginem animæ figuremus, ut, qui illa dixit, qualia dixerit, recognoscat. Glau. Qualem? So. Talem aliquam, quales quondam memorantur fuisse naturæ Chimæræ ipsius, Scyllæ et Cerberi et aliæ multæ, in quibus feruntur variæ in eodem formæ congenitæ. Glau. Feruntur quidem. So. Finge itaque figuram

unam bestiæ variæ admodum, et capita circum multa habentis, capita inquam partim bestiarum domesticarum, partim agrestium, quæ et permutare et producere ex se hæc omnia possit. Glau. Novi fictoris artificium narras : tamen cum ad fingendum sermo quam cera facilior sit, fingatur. So. Unam præterea his adjunge superne leonis formam. huic unam insuper hominis. et amplissimum quidem primum sit, angustius vero secundum atque tertium. Glau. Facilia quidem ista, quare et formata sunt. So. Conjunge igitur hæc tria, ut ad unum conficiendum invicem cohærescant. Glau. Juncta sunt. So. Circumpone extrinsecus ipsis hominis unius imaginem, ut illi, qui nequeat interiora inspicere, sed exterius duntaxat cernat operimentum, unum animal, homo scilicet, videatur. Glau. Circundedi. So. Dicamus itaque illi, qui asserit prodesse homini huic injuste agere, juste vero vivere nequaquam prodesse, eum nihil aliud asserere, nisi prodesse illi, ut bestiam illam multiplicem pascat et leonem, et fortiorem illam leonemque efficiat ; [589] hominem vero perire fame permittat atque enervet, usque adeo ut propter imbecillitatem trahatur, quocunque cetera illa rapiunt ; neque alterum cum altero mansuefaciat invicemve conciliet, immo sinat singula se invicem morsibus lacerare, ac pugnantia se mutuo devorare. Glau. Omnino hæc diceret, quisquis laudaret injuriam. So. Ergo si quis dicat officia justa prodesse, hæc agenda dicendaque monebit, ex quibus homo ille hujusmodi animalis interior summam potentiam consequatur, feræque illius pluribus capitibus redimitæ tanquam colonus curam habeat, domestica quidem capita fovens, irrigans ac nutriens, agrestia protinus amputans, dum leonis naturam ad hoc adjutricem accipit, communiterque curat omnia, et invicem mutua benevolentia sibique conciliat. Glau. Profecto hæc ait, qui justum laudat. So. Omni itaque ratione, qui justa laudat, vera loquitur : qui vero injusta, mentitur. nam et quoad voluptatem, et quoad decus, et quoad emolumentum, justi laudator vera pronuntiat : vituperator autem neque veri quicquam affert, neque novit, quod improbat. Glau. Nullo modo, ut mihi quidem videtur. So. Mitibus itaque verbis illi persuadeamus : neque enim sponte delinquit. sic jam interrogemus : O beate vir, nonne et honesta vitæ instituta et turpia ob talia quædam esse dicimus ? honesta quidem, quæ partem naturæ ferinam homini, immo forte divino subjiciunt ? turpia vero, quæ agresti domino subigunt mansueta ? consentiet, necne ? Glau. Consentiet, si mihi crediderit. So. Estne aliquis, cui prosit ex hac ratione injuste aurum usurpare : si quidem accidit, ut, dum accipit aurum, præstantissimam sui partem ignobilissimæ servire compellat ? Etenim si accipiens aurum filium suum vel filiam mancipium efficeret agrestium et improborum hominum, haud quaquam acceptio ista prodesset, neque etiamsi multum caperet. sin autem partem sui divinissimam parti profanissimæ scelestissimæque servire cogit, neque misericordia tangitur, nonne erit miser, [590] ac multo cum graviori sui pernicie auri muneribus est corruptus, quam Eryphile, quæ contra viri sui vitam monile illud accepit ? Glau. Valde quidem, ut ego tibi pro illo respondeam. So. Nonne et intemperantiam olim appellatam tali quadam de causa putas, quoniam in ea dira illa ingensque et multiplex fera ultra, quam deceat, relaxatur ? Glau. Patet. So. Contumacia vero et insolentia improbatur, quando leoninum et serpentinum illud genus augetur adeo, ut præter omnem modestiam invalescat ? Glau. Prorsus. So. Delicata vero mollities in hujus ipsius resoluta nimium remissione, quando in ipso timiditatem et ignaviam procreat ? Glau. Quidni ? So. Assentatio insuper illiberalitasque, cum aliquis hunc ipsum animositatis vigorem turbulentæ multiplicique bestiæ subigit, ac propter quæstum ejusque inexplebilem cupiditatem dejicit illum, atque ita a primis annis assuefacit, ut ex leone vertatur in simiam ? Glau. Magnopere. So. Mechanicus

vero mercenariusque affectus cur infamis habetur? tunc certe hæc in nobis infamia, quando quis partis optimæ speciem natura sortitus est imbecillam, adeo ut bestiis, quæ in eo sunt, dominari non possit: immo colere illas queat studeatque duntaxat, et earum solum nosse blanditias. Glau. Videtur. So. Nonne ut hujusmodi vir a tali quodam duce regatur, a quali et optimus quisque regitur, servum ipsum esse debere dicimus optimi viri, divinumque in se ipso habentis imperatorem? neque ad subjecti jacturam parere illum debere superiori censemus, quemadmodum de subditis omnibus existimabat Thrasymachus: sed quia præstat cuique divino sapientique principi subjici: maxime quidem si talem in se ipso principem habeat: si non habeat, principi huic saltem exteriori: ut omnes simus, quoad fieri potest, consimiles et amici, eodem principe gubernati. Glau. Recte nimium. So. Perspicuum quidem ex lege fit, quod tale quiddam ipsius est consilium, cum omnibus civibus æque prospiciat. et imperium illud in pueros idem ostendit, quo prohibentur sui juris esse priusquam in ipsis, quemadmodum in civitate, rem publicam constituerimus, optimamque ipsorum partem colentes ex optima nostri parte exterioris hujus principis loco similem quendam in ipsis custodem in se ipso ac principem creaverimus: atque eos tunc demum liberos esse permittimus. Glau. Constat plane. So. Qua igitur ratione, o Glauco, prodesse alicui asseremus injuste vel intemperate vel turpiter aliquid facere? ex quibus operibus deterior erit, dum pecunias ampliores aut aliam quamvis potentiam consequetur? Glau. Nulla. So. Quo pacto injurianti prodesse dicemus, ut et lateat omnes et non det pœnas? nonne qui latet, etiam fit deterior? hominis autem deprehensi castigatique pars illa ferina sedatur et mansuescit, domestica vero pars liberatur? et animus totus in naturam optimam restitutus eo pretiosiorem sumit habitum, temperantiam et justitiam cum prudentia capiens, quam corpus, cum robur et formam cum sanitate consequitur, quo anima est corpore pretiosior? Glau. Sic est omnino. So. Quamobrem quicunque mentis est compos, ac hoc omnem suam instituet vitam. nempe in primis eas disciplinas plurimi faciet, quæ talem animum ipsius efficiunt, alias autem spernet. Glau. Manifestum. So. Atque neque corpus colet et nutriet ut ferinæ irrationalique voluptati indulgeat: neque ad sanitatem id referet: neque studiose id quæret, ut robustus vel sanus sit vel formosus; nisi una cum his colat et temperantiam, ita ut corporis harmoniam propter animi temperet consonantiam. Glau. Ita prorsus, si quidem revera futurus sit musicus. So. Sed neque vulgi æstimatione commotus, ordinem et concordiam in pecuniis possidendis earumque cumulum admirabitur, augebitve eas in infinitum, infinitis malis obnoxius. Glau. Non certe, ut arbitror. So. Verum ad interiorem sui rem publicam semper aspiciens cavebit, ne quid in ea e suo statu dimoveat propter indigentiam pecuniarum vel copiam. atque ita semper et in comparandis et in erogandis pecuniis pro viribus gubernabit. Glau. Summopere. So. Quin et honores ad idem referet. [592] nam eos duntaxat gustabit, ex quibus meliorem evasurum se sperat: eos autem et privatim et publice fugiet, quibus deturbari posse quandoque præsentem animi sui statum veretur. Glau. Non ergo rem volet civilem administrare, si id curaverit. So. Immo per canem, sed in ipsa sui ipsius civitate. et maxime quidem: non tamen in patria forsitan, nisi sors quædam divina contigerit. Glau. Intelligo equidem, quod ea in civitate dices, quam nos condidimus in præsentia: quæ et in verbis est duntaxat, in terris vero nusquam, ut arbitror. So. At forte in cœlo illius exstat exemplar, conspicuum illi, qui et intueri voluerit et se ipsum ad illud, cum intuitus est, instituere. nihil autem refert, sive uspiam sit sive erit. quæ enim illius officia sunt, aget solum: quæ alterius sunt, nequaquam. Glau. Consentaneum est.

LIBER X.

[595] Cogitanti mihi de hac, quam nuper verbis condidimus, civitate cum alia permulta recte admodum statuisse videmur, tum vel maxime, quæ circa poësim præcepimus. Glau. Quænam ista? So. Quod videlicet nulla poësis pars, quæ in imitatione consistit, accipiatur. præ ceteris enim nunc est perspicuum, ut mihi videtur, nihil tale a nobis esse suscipiendum, postquam singulæ seorsum animi distinctæ sunt species. Glau. Quomodo istud ais? So. Ut vobiscum ista communicem, neque enim vos me coram tragicis imitatoribusque poëtis aliis accusabitis, quicquid tale est, corruptela quædam mentis eorum esse videtur, qui, cum imitationes istas audiunt, medelam illam mentis non habent, qua potissimum, quales hæ fabulæ sint, discernant. Glau. Quorsum ista? So. Dicendum quidem: etsi amicitia quædam et reverentia, a pueritia, mihi erga Homerum contracta, me detinet. etenim insignium istorum omnium tragicorum dux et magister primus exstitisse videtur. at veritati virum non censeo præponendum. quare, quod institui, dicendum est. Glau. Omnino. So. Audi igitur: immo vero responde. Glau. Interroga. So. Nunquid explicare mihi potes omnino, quid imitatio sit? neque enim ego satis, quid sit, intelligo. Glau. An igitur ego intelligam? So. Nihil id mirum esset. nam sæpe contingit, ut qui hebetiorem habent aciem, [596] nonnulla prius intueantur quam qui cernunt acutius. Glau. Est, ut dicis. ceterum te præsente nunquam auderem, quod mihi videtur, exprimere. sed ipse videris. So. Vis hinc exordiamur, solita illa nostra ratione considerantes? speciem unamquamque ponere solemus de quibuslibet pluribus, de quibus idem nomen imponimus. an non intelligis? Glau. Intelligo equidem. So. Ponamus utique nunc quodvis e multis. ut ecce, plures lecti sunt atque mensæ. Glau. Quidni? So. Ideæ tamen harum rerum duæ sunt, una lecti, mensæ est altera. Glau. Ita est. So. Solemus autem dicere, supellectilis utriusque artificem ideam respicientem suum opus efficere: unum quidem lectos, mensas alterum, quibus ipsi utimur: ceteraque similiter. nullus enim artifex ideam ipsam fabricat. quo enim pacto? Glau. Nullo. So. Vide præterea, nunquid talem aliquem voces artificem? Glau. Qualem? So. Qui facit omnia, quotcunque unusquisque artifex eorum, qui manibus operantur. Glau. Potentem narras virum atque mirabilem. So. Nondum integram ejus vim expressi. forte vero multo magis miraberis, si expressero. nempe idem iste artifex non solum omnia potest supellectilia fabricare, sed etiam, quæcunque ex terra nascuntur, efficit, et animalia omnia atque seipsum. terram quoque, cœlum ac Deos, et quæcunque in cœlo sunt et sub terris apud inferos, peragit. Glau. Sophistam narras mirabilem. So. Diffidis? dic, obsecro, nunquid nullo modo hujusmodi artifex esse tibi videtur? vel quodam modo istorum omnium faber esse, quodammodo vero non esse? an non advertis hæc omnia te quodam modo efficere posse? Glau. Quisnam hic modus? So. Haud difficile istud. potes enim passim et celeriter omnia facere. Speculum accipe, passimque circumferas. solem protinus facies, et quæ in cœlo sunt, terram quamprimum, ocissime te ipsum, et cetera pariter animalia, supellectilia, plantas: et quæcunque nuper commemoravimus. Glau. Imagines istorum quidem, res ipsas minime. So. Opportune nimium respondisti. talis utique faber est et ipse pictor. nonne? Glau. Est. So. At ipsum dices haud-

quaquam facere vera, quæ facit, quanquam et aliquo pacto pictor quoque lectum facit. an non? Glau. Facit quidem et iste, sed apparentem. [597] So. Nonne dicebas, quod lecti faber speciem quidem ipsam non facit, quam esse dicimus id, quod lectus est, sed lectum aliquem? Glau. Dicebam equidem. So. Si id, quod est, non facit, haud sane, quod vere est, facit, sed tale aliquid, quale quod vere est, non tamen ipsum, quod est re vera. perfecte autem esse fabri aut lectorum aut aliorum artificiorum opus si quis dixerit, aberrabit? Glau. Non, ut videtur his, qui in disputationibus hisce versantur. So. Nihil mirum igitur, si et hoc ad veritatem est tenue ac frivolum. Glau. Non certe. So. Vis in istis quoque investigemus, quis imitator iste sit? Glau. Si placet. So. Nonne tres hi lecti sunt? unus quidem in natura ipsa exsistens, quem Deum dicemus, ut arbitror, effecisse. num alium quenquam? Glau. Nullum. So. Alter, quem faber conficit. Glau. Plane. So. Tertius vero, quem pictor. nonne? Glau. Est. So. Pictor itaque, lecti faber et Deus tres sunt, tribus lectorum speciebus præsidentes. Glau. Tres utique. So. Deus igitur, sive quia nolebat, sive quia aliqua necessitas inerat, non plures lectos, sed unum in natura ab eo lectum fieri, ita solum ipsum unum fecit lectum, qui sane est id, quod est lectus. duo autem tales aut plures a Deo nequedum geniti sunt neque gignentur. Glau. Qua ratione? So. Quia si duos faceret solos, unus iterum, cujus ambo haberent speciem, appareret: ipseque esset id, quod lectus est, non autem duo illi id essent. Glau. Scite. So. Hæc cum intelligeret Deus, velletque verus esse auctor veri lecti, non autem lecti cujusdam auctor quidam, unum duntaxat natura progenuit. Glau. Videtur. So. Vis ergo hunc hujus plantatorem vel tale aliquid appellemus? Glau. Par est: quandoquidem natura et hoc et alia omnia fecit. So. Fabrum vero nonne lecti opificem? Glau. Et hoc. So. Num et pictorem quoque factorem hujus operis et opificem? Glau. Nullo modo. So. At quomodo ad lectum habere se dices? Glau. Aptissime dici mihi posse videtur imitator ejus, cujus opifices illi dicuntur. So. Ergo imitatorem vocas eum, qui tertium a natura facit? Glau. Valde. So. Talis utique erit et tragicus: siquidem est imitator, tertius quidam a rege et veritate: similiterque alii omnes imitatores. Glau. Apparet. So. De imitatore quidem consensimus. [598] sed de pictore mihi dicas velim, utrum ipsum unumquodque, quod est in natura, imitari contendas, vel artificum opera? Glau. Artificum opera. So. Utrum qualia sunt? vel qualia nobis apparent? hoc præterea mihi distinguas. Glau. Quomodo istud ais? So. Sic. lectus quidem, sive ex obliquo seu e regione cernatur seu quovis alio modo, nunquid a se ipso differt? vel nihilo differt, aliter vero videtur dispositus aliter intuentibus? ceteraque similiter. Glau. Sic apparet quidem: differt autem nihilo. So. Animadverte et istud: quid in singulis intendit pictoris industria? utrum, ut se habent, res singulas imitari? an quod apparet potius, ut apparet? imaginis apparentis vel veritatis potius imitatio? Glau. Apparentis imaginis. So. Procul igitur a vero est imitator: atque, ut videtur, propterea omnia potest facere, quia exiguum quiddam cujusque attingit simulacrum, quemadmodum pictor pinget nobis coriarium, fabrum et opifices alios, cum nihil in artibus his intelligat: veruntamen, si peritus sit pictor, expresseritque fabri ipsius imaginem, quam procul ostendat, pueros dementesque homines ita decipiet, ut verus esse faber illis appareat. Glau. Quidni? So. Ceterum, o amice, hoc in hujuscemodi omnibus cogitandum. quotiens aliquis nobis de hoc ipso nuntiat, se videlicet homini occurrisse in omnibus artibus erudito, perfectissimeque præ ceteris intelligenti, quæcunque alius quivis intelligat: huic protinus respondendum, quod fatuus est, et in magnum quendam præstigiatorem incidit, cujus imitationibus est deceptus,

ut sibi visus ille sit in omnibus sapientissimus: ex eo quod ipse nequeat scientiam ab inscitia et imitationem a re vera discernere. Glau. Verissima loqueris. So. Nonne posthac tragœdiam discutere decet, ducemque ipsius Homerum? postquam a nonnullis accepimus tragicos poëtas artes omnes intelligere, humanaque omnia, tam ad virtutem quam ad vitium pertinentia, nec non et divina: porro poëtam bonum oportere, si recte, quæ componit, sit tractaturus, eorum habere scientiam, vel non posse componere. Quare discernere id debemus, utrum, qui eos laudant, imitatoria poëtarum industria decepti sint, eorumque opera dum aspiciunt, haud plane persentiant tertio gradu distare a veritate, [599] faciliaque factu esse vel homini veritatis ignaro: umbras quippe, non res veras faciunt: an forte nonnihil dicant, ac revera poëtæ boni intelligant ea, de quibus vulgo bene loqui videntur? Glau. Discernendum omnino. So. Si quis possit ambo perficere, et id quod in imitationem cadit, et ejus simulacrum, nunquid eum putas in simulacris fingendis immoraturum? idque opus sibi in vita, tanquam optimum, propositurum? Glau. Minime. So. Nempe si veram eorum, quæ imitatur, peritiam habeat, multo magis operibus ipsis quam eorum imitationibus, ut reor, incumbet: conabiturque multa et præclara opera sui monimenta posteritati relinquere: satiusque censebit, ut ipse laudetur ab aliis, quam ut ipse semper alienorum operum sit laudator. Glau. Ita equidem arbitror. neque enim æquus honor aut æquum emolumentum. So. Ceterum de aliis quidem rationem minime exigamus, Homerum aut alium quemvis poëtarum interrogantes, si quis eorum medicus revera fuerit, non solum verborum ad medicum spectantium imitator: quosnam sanos poëta reddiderit vel veterum hominum vel recentium? quemadmodum Æsculapius; aut quos reliquerit artis medicinæ discipulos? quemadmodum ille filios. Sed neque ab eis de aliis artibus sciscitemur: mittamus enim reliqua. at vero de maximis illis præclarissimisque rebus, quas tentat Homerus, bellis, castris, rebus publicis et hominum disciplinis, par est ita eum interrogare: O dulcis Homere, si non es a veritate tertius, fingisve virtutis imaginem, quem imitatorem in superioribus definivimus, sed es secundus, potesque narrare, quæ studia homines vel meliores vel deteriores privatim publiceque efficiant; dic, obsecro, quænam civitas per te rectius disposita est? sicuti Lacedæmonia per Lycurgum, perque alios multos multæ et angustæ civitates et amplæ. Cujus potissimum urbis homines legum te optimum prædicant conditorem, et beneficia in se tua commemorant? Charondam quidem Italia et Sicilia celebrant, nos Solonem: te vero quis prædicabit et qualem? Glau. Nullus, ut arbitror, beneficia ejus commemorat. Quin neque ipsi Homeri assertores testari hoc audent. [600] So. Quod præcipue bellum Homeri temporibus eo consultore vel duce feliciter expeditum commemoratur? Glau. Nullum. So. Præterea quæ viri hujus, tanquam in his rebus sapientis, inventa ad officia vitæ et artis aptissima referuntur, ut Thaletis Milesii et Anacharsis Scythæ? Glau. Nihil tale. So. Si minus publice, at saltem privatim, quibusnam Homerus ipse, dum viveret, disciplinæ dux dicitur exstitisse? qui et ejus consuetudine delectati sint, et posteris Homericam aliquam rationem vitæ tradiderint? quemadmodum et Pythagoras in hoc summa cum auctoritate vixit, et posteri etiam his temporibus vitam Pythagoream celebrantes inter ceteros illustres habentur. Glau. Neque tale quid rursus de Homero narratur. Creophylus enim, o Socrates, forsitan, Homeri familiaris, disciplina etiam magis quam nomine ridiculus apparebit, si quidem vera sunt, quæ de Homero narrantur. dicitur enim negligentior ad ejus disciplinam fuisse, dum sub hoc ipso viveret. So. Dicitur sane. At enim, o Glaucon, si revera poterat Homerus instruere homines ac reddere meliores, utpote qui in his rebus non imitationis tantum

esset, verum etiam intelligentiæ compos : cur non multos sibi vendicavit amicos ? cur non vivens honoratus est? cur non amatus? Profecto Abderites Protagoras et Prodicus Chius aliique permulti possunt hominibus sui temporis suadere, privatim singulos adeuntes, nunquam eos rem familiarem et publicam recte gubernaturos, nisi ipsi eos erudiant : et ob hanc sapientiam tam ardenter amantur, ut vix sectatores eorum se contineant, quin capite eos circumferant. Homerum autem vel Hesiodum eorum temporum homines, si poëtæ illi quicquam juvare eos ad virtutem potuissent, nunquid permisissent oberrare tam diu passim carmina decantantes? quin potius eos magis quam aurum complexi fuissent, induxissentque eos secum domi familiariter vivere ac nisi persuasissent, eos ipsi secuti essent, quocunque pergerent, quoad satis essent eorum in studiis eruditi. Glau. Vera prorsus mihi loqui videris, o Socrates. So. Ponamus igitur omnes, ab Homero incipientes, poëticos homines virtutis imaginum imitatores esse, ceterorumque similiter, quæcunque canunt : veritatem vero nequaquam attingere. Sed, ut paulo ante diximus, pictor verisimilem coriarii pinget imaginem, cum et ipse de coriaria nihil intelligat, et imago illa coriarius ipse appareat illis, qui rem ipsam nequaquam intelligunt, et ex coloribus figurisque prospiciunt. Glau. Prorsus. So. Haud secus poëtam dicemus colores quosdam artium singularum nominibus verbisque exprimere, cum ipse de his nihil intelligat, sed imitetur duntaxat, adeo ut his, qui hæc verbis considerant, bene dicere videatur, sive de coriaria dicat in versu, rhythmo et harmonia, sive de re militari, seu de quibuslibet aliis. usque adeo natura quadam aures poëtica ista demulcent. Arbitror autem nosse te, qualia videantur hæc opera poëtarum, cum musicæ coloribus spoliata considerantur. animadvertistine unquam ? Glau. Animadverti. So. Nonne perinde se habent ac facies eorum qui propter adolescentiam formosi potius sunt quam pulchri : quales visu redduntur, quando ipsos flos ipse deseruit? Glau. Omnino. So. Age igitur et hoc animadverte. imitator, simulacri auctor, rem ipsam haudquaquam intelligit, sed apparentem rei ipsius imaginem. Glau. Ita est. So. Ne imperfectum id relinquamus : sed ad sufficientiam contemplemur. Glau. Dicas. So. Pictor habenas pinget ac frenum ? Glau. Plane. So. Faciet autem coriarius ærariusque faber. Glau. Valde. So. Nunquid intelliget pictor, quales esse debent habenæ, quale frenum? vel neque ipse quidem factor, sive ærarius faber sive coriarius, sed solus ille, qui his uti scit, eques? Glau. Vera loqueris. So. An non circa omnia sic esse dicemus? Glau. Quomodo? So. Circa quodcunque has esse tres artes : utentem, facientem et imitantem? Glau. Certe. So. Virtus igitur, pulchritudo, rectitudo cujusque instrumenti, animalis et actionis non ad aliud refertur, quam ad usum, cujus gratia quodcunque est factum vel genitum. Glau. Ita est. So. Necesse igitur eum, qui utitur aliquo, peritissimum esse, et operis factori significare, qualia bona vel mala facit in usu ejus, quo utitur : quemadmodum tibicen tibiarum effectori significat, quæ tibiæ ad usum aptissimæ sint, ordinatque, quales oporteat facere : ille autem ministrat. Glau. Quidni? So. Nonne hic intelligens, de aptis et ineptis tibiis pronunciat alteri? ille vero credens efficit? Glau. Plane. So. Circa idem igitur instrumentum factor quidem rectam habet fidem de pulchritudine et pravitate, [602] adhærens intelligenti coactusque ab intelligente audire : utens autem scientiam. Glau. Prorsus. So. Imitator autem num habebit scientiam ex usu eorum, quæ pingit, utrum pulchra sint et recta vel contra? vel opinionem rectam ex eo, quod necessario intelligenti adhæreat, instructusque ab eo, qualia quæque pingenda sint? Glau. Neutrum. So. Ergo neque intelliget neque recte opinabitur imitator circa eorum, quæ imitatur, pulchritudinem vel contrarium? Glau.

Non videtur. So. Gratiosus erit in effectione imitator, quoad sapientiam, in his, quæ facit? Glau. Non multum. So. Veruntamen imitabitur, haud intelligens, quo pacto unumquodque bene se habeat an male: sed, ut videtur, quale videtur multis et ignaris esse pulchrum, hoc imitabitur. Glau. Quid enim aliud? So. Hæc sufficienter nobis asserta videntur, imitatores scilicet nihil æstimatione dignum intelligere de his rebus, quas imitantur: sed esse jocum quendam imitationem potius quam rem seriam: omnesque eos, qui tragicam poësim in iambis heroicisque carminibus tractant, imitatores præ ceteris esse. Glau. Et maxime quidem. So. Per Jovem: imitatio autem ista circa aliquod tertio gradu distans a veritate versatur. nonne? Glau. Est, ut dicis. So. Ad quale igitur eorum, quæ in homine sunt, pertinet, quatenus vim habet ejusmodi? Glau. De quonam interrogas? So. De tali quodam. Magnitudo eadem eminus atque cominus per aspectum non æqua videtur. Glau. Non. So. Eadem quoque obliqua et recta in aqua nobis et extra aquam aspicientibus, cavaque iterum et prominentia propter visus circa colores errorem videntur: omnisque hujusmodi in anima nostra turbatio inesse comperta est. quam quidem naturæ nostræ passionem aggressa adumbrationis ipsius facultas et præstigiorum ingeniositas, ceteraque machinamenta, nihil magicæ seductionis intentatum relinquunt. Glau. Vera loqueris. So. An non metiendi, numerandi, librandi peritiæ adversus hæc opportuna sunt hominum adjumenta, ne in nobis id prævaleat, quod apparet, majus vel minus aut plus aut gravius; sed quod metitur, computat, ponderat. Glau. Quidni? So. Atqui hoc rationalis animi partis est officium? Glau. Hujus ipsius. So. Hoc autem sæpenumero metiente indicanteque majora esse nonnulla vel minora aliis alia, vel æqualia, contraria simul circa eadem hæc nobis apparent. Glau. Sic accidit. So. An non alias diximus fieri non posse, ut eadem vi animæ simul et circa eadem contraria opinemur? Glau. Ac merito diximus. [603] So. Vis igitur animæ, quæ præter mensuram opinatur, haud eadem erit atque illa, quæ cum mensura? Glau. Non certe. So. Sed enim quod mensuræ ratiocinationisque credit computationi, animi pars optima est. Glau. Nihil obstat. So. Quod ergo repugnat isti, ignobilis aliqua nostri pars erit. Glau. Necesse. So. Ut hoc assereremus, supra dicebam, quod pictura et omnis imitandi facultas procul a veritate suum opus exercet: rursusque cum aliqua nostri parte, prudentiæ prorsus experte congreditur, et amicitiam contrahit, ad sincerum verumque nihil. Glau. Maxime. So. Vilis ergo imitandi facultas, vili cuidam se commiscens vilia procreat. Glau. Apparet. So. Utrum talis est ea duntaxat, quæ ad visum spectat? an ea etiam, quæ ad auditum, quam poësim vocamus? Glau. Probabile est hanc insuper esse talem. So. Ne igitur ei soli credamus, quod ex pictura verisimile nobis apparet: sed ad eam ipsam cogitationis naturam, cui sese accommodat poëtica imitatio, veniamus: videamusque, num vile quiddam sit, an pretiosum. Glau. Sic oportet. So. Hunc ergo in modum proponamus. Imitatur quidem poësis homines aut vi aliquid aut sponte agentes, existimantesque ex actionibus vel bonum sibi aliquod esse vel malum; ideoque vel dolore affectos vel voluptate. an aliud quicquam? Glau. Nihil aliud. So. Nunquid in his omnibus homo secum ipse consentit? vel potius, quemadmodum secundum visum dissidet, ut narravimus, deque eisdem contrarias in se ipso simul habet opiniones, ita et in agendo secum ipse dissidet atque pugnat? at nunc mihi venit in mentem, quod nihil est de hoc nobis in præsentia disceptandum. nam in superiori disputatione de his satis una convenimus, animum videlicet nostrum confessi multis et variis hujuscemodi contentionibus sibi eodem in tempore adversantibus agitari.

Glau. Probe. So. Probe id quidem. verum quod tunc a nobis est prætermissum, nunc mihi videtur expediendum. Glau. Quale istud? So. Vir probus, cum talem habeat animam, si filium amiserit aut aliquid aliud sibi carissimum, facilius quam ceteri feret, ut diximus. Glau. Plane. So. Nunc autem et id consideremus, utrum omnino non dolebit. vel hoc quidem impossibile: dolorem vero quodammodo moderabitur. Glau. Hoc certe est verius. [604] So. Hoc mihi de ipso in præsentia dicas, utrum hunc censeas dolori magis repugnaturum, quando a similibus spectatur hominibus, vel quando solus est, aliorum consortio destitutus. Glau. Permultum interest, si in aliorum conspectu sit. So. Porro cum solus erit, multa ex mœrore pronunciabit, quæ emittere coram aliis erubesceret: multa faciet, quæ conspici ab aliis nunquam vellet. Glau. Est ita. So. Quod obstare jubet, ratio est et lex: quod autem ad dolores rapit, perturbatio. Glau. Vera loqueris. So. Cum homo circa idem simul contrariis motibus agitetur, necessario duo quædam illa esse dicimus. Glau. Procul dubio. So. Alterum quidem legi obtemperare paratum est, utcunque injunxerit. Glau. Quo pacto? So. Lex utique dictat optimum esse in adversis, quam maxime fieri potest quietem agere neque conqueri: tanquam incertum sit, bonumne id sit an malum, quod accidit: neque propter dolorem quicquam proficiamus: neque ulla humanarum rerum magni pendenda sit: illudque, quod subito præsidio esse potest, dolor impediat. Glau. Quid hoc ais? So. Consultare, inquam, circa ea, quæ acciderunt, in primis oportet, et tanquam in talorum jactu, secundum jacta, quomodocunque ratio melius rem habere se dixerit, negotia sua disponere. neque vero, si quid adversi inciderit, prosternere nos debemus, atque, ut pueri solent, cum offendunt in lapidem, procidentes circa id, quod læsit, ejulando moram trahere: sed animum assuefacere, ut ad sanandum præsto adsit, et, quicquid ægrotat, dimissis lamentationibus corrigat. Glau. Opportunum hoc quidem est adversus fortunæ ictus remedium. So. Quod sane optimum est, rationi huic libenter obtemperat. Glau. Constat. So. Quod vero ad perturbationis recordationem luctumque rapit, in eisque diutius detinet, irrationale est, languidum, formidolosum. Glau. Ita dicendum. So. Quod querulum est, imitationem plurimam ac variam suscipit: prudentem vero pacatumque morem, semper sibi ipsi similem, neque facile possumus imitari; neque si imitemur, facile percipietur a turba in theatrum variis ex gentibus confluente. alieni namque affectus ipsis imitatio fit. [605] Glau. Sic est omnino. So. Imitatio vero poëtæ haud ad hoc intendit, ut huic animi naturæ sua sapientia placeat, si vulgo sit placitura: sed querulum animi morem variumque observat, qui imitatione facile possit effingi. Glau. Patet. So. Merito igitur imitationem poëticam reprehendemus, pictorisque imitationi alterne respondere dicemus: primo quidem in eo similes sunt, quod utræque quoad veritatem vilia operantur: deinde etiam, quod parti animæ rationis experti similiter suffragantur, et optimam deserunt. Atque iccirco jure eam in civitate legitime gubernanda nequaquam accipiemus, quoniam hanc animi partem suscitat atque alit: dumque hanc roborat, rationis compotem vim disperdit. atque ut ille, qui in civitate potentes faciens improbos, proderet civitatem, probosque destrueret: ita et imitator poëta perversam in animum cujusque inducit rempublicam, dum illi animi parti blanditur, quæ sine mente est, neque majora minorave discernit, sed eadem tum parva tum magna existimat, atque huic simulacra fingit, longe a veritate remotus. Glau. Longe quidem. So. Nondum, quod maximum ex ea malum provenit, enarravimus. vehementissimum quidem hoc existimandum est detrimentum, quod probos quoque viros, paucis admodum exceptis, corrumpere possit. Glau. Cur non possit, si quidem id ipsum efficit? So. Auscultans considera. nonne et optimi

quique nostrum, cum audimus Homerum aut alium quemvis tragicum imitantem heroum aliquem dolore afflictum, vociferantem, et deflentem querulis fortunam suam modulis, et pectora pugnis percutientem, delectamur quodammodo, inhiantesque ad illa sequimur ea, unaque afficimur, ac serio studioseque illum, ut poëtam bonum, laudamus, qui sic nos maxime moveat? Glau. Animadverti. So. Quotiens autem aliquem nostrum proprius quidam invadit mœror, ex contrario nos honestare contendimus, si quo pacto quietem agere et tolerare dolorem valeamus: quasi hoc quidem viri sit, mulieris illud, quod antea laudabamus. Glau. Plane. So. Quam præclara hæc laus! quin absurdum est, ut qui talem spectat virum, qualem esse se minime vellet puderetque maxime, non tamen abominetur, sed delectetur et laudet. Glau. Præter rationem id prorsus. [606] So. Certe, si et hoc modo istud animadverteris. Glau. Quo modo? So. Quod videlicet id, quod in propriis calamitatibus vi cohibetur, prohibeturque in lacrimas fletusque erumpere et naturæ suæ lacrimarum avidæ indulgere, illud ipsum est, quod poëtæ explent, cui penitus blandiuntur. Tunc certe et quod natura in nobis est optimum, utpote nec ratione nec usu sufficienter instructum, querulum istud desinit custodire, quasi alienas spectet perturbationes, nihilque sibi dedecori sit, si, dum vir alius, qui virtute præstare se prædicat, immo leratius defleat, ipse laudet eum et misereatur. quin oblectationem illam lucrari se putat, neque ulla ratione ex contemptu poësis illa carere se vellet. pauci sane animadvertunt, ut arbitror, quod ex alienis in propria trajicere aliquid necesse est. nempe cum in alienis ærumnis flebile ingenium illud nutriveris vehementiusque reddideris, haud facile illud in propriis coercebis. Glau. Vera nimium loqueris. So. Nonne eadem de risu est ratio? quod enim ipse effusiori risu imitari erubesceres, cum in comœdica vel privata imitatione audis, tanquam ridiculum libentissime auscultas et imitaris, idemque hic facis, quod in imitatione flebili fieri diximus. nam ingenium illud tuum ad risum pronius, quod ipse in te a risu continueris, veritus scurrilitatis crimen, hic jam resolvis in jocos, vehementioremque sensim reddis risus ipsius affectum, ut et propriis in gestibus in risus, ultra quam deceat, ipsius deferri incipias, et scurra ridiculus comœdiæ jocis imbutus evadas. Glau. Vehementer quidem. So. Idem quoque de venereis et iracundia dicimus, deque omnibus animi cupiditatibus ac affectibus, de tristibus et jucundis, quas omnes actiones nos sequi in superioribus diximus, et talia quædam poëticam imitationem in nobis effingere. nutrit enim ista, dum fovet atque irrigat, quæ potius ariditate extenuanda sint: efficitque, ut hæc dominentur in nobis, cum subesse potius deceat, ut meliores beatioresque ex deterioribus et miserioribus evadamus. Glau. Haud aliter dicere possum. So. Si quando itaque, Glaucon, Homeri laudatores offenderis, audierisque dicentes Homerum omnem Græciam erudisse, proque rerum humanarum gubernatione et disciplina poëtam hunc observari monentes, et ad ejus instituta omnem vitam instruere: [607] memento, his esse congratulandum, tanquam pro facultate sua optimis viris; concedendumque Homerum apprime poëticum esse tragicorumque præcipuum. scito autem hymnos in Deos et in optimos viros laudationes duntaxat ex poësi in civitate admittere oportere. si autem voluptuosam Musam in canticis et carminibus acceptaveris, voluptas in civitate ac dolor pro lege et pro illo, quod semper optimum visum est, ratione scilicet, dominabuntur. Glau. Vera loqueris. So. Hæc itaque in eam sententiam dicta sint nobis, quod merito e civitate poësim, quæ talis sit, expulimus. Glau. Sic enim ratio cogebat. So. Id quoque adjiciamus, ne rigiditatis nos rusticitatisque accuset, quia vetus quædam exstat inter poësim philosophiamque dissensio. cujus certe contentionis argumentum nobis dicta hæc esse possunt, quæ subjiciam, aliaque permulta, nempe, canis illa garrula ad

aures dominæ latrans id significat: et, magnus ille in dementium vaniloquiis: et, turba superstitiosorum sapientum exsuperans: item, quod dictum est, qui minuta et tenuia meditantur, paupertate premuntur: atque alia innumerabilia signa harum contrarietatis apparent. veruntamen id quoque dicatur, quod si voluptatis ministra poësis imitatioque quicquam ad eam rationem afferre possit, ut in civitate recte instituta accipi debeat, libenter accipiemus, ut ejus fruamur oblectamentis: ita enim nobis ipsi conscii sumus. enimvero, quod verum videtur, prodere nefas est. Nam et tu, o amice, nonne ab ea mulceris, præsertim Homerica? Glau. Valde. So. An non æquum est eam prodire in medium sese defendentem, vel cantilena vel metro quovis alio? Glau. Omnino. So. Concedamus utique ipsius defensoribus, quicunque poëtæ quidem non sunt, sed poëtarum amici, ut absque carmine eam defendant, asserentes eam non modo jucundam, sed et utilem esse ad rempublicam et hominum vitam instituendam. quam quidem defensionem æquo animo auscultabimus. lucro enim id nobis fore existimamus, si non suavis tantum, verum etiam utilis nobis appareat. Glau. Quid obstat, quin lucro id futurum sit? So. Alioquin, o dulcis amice, quemadmodum qui quandoque aliquid amaverunt, si deinde censeant amorem sibi illum inutilem fore, licet ægre amare desistant, desinunt tamen: ita et nos, propter ingenitum nobis talis poësis amorem ex pulchrarum rerum publicarum educatione, [608] benigne quidem exspectabimus, ut optima verissimaque appareat, quousque tamen rationem pro se ipsa afferre non poterit, ita eam audiemus, ut oratione supra a nobis exposita nosmetipsos, veluti quadam incantatione adversus pericula imminentia muniamus, caventes ne deliciis amatoriis vulgique amatoribus rursus irretiamur. Illud quoque sentiemus, non ita esse hujusmodi poësi studendum, quasi vera sit aut seria: verum cavendum ab ea audienti cuique est interiorique animi sui rei publicæ metuenti: et quæ de poësi narravimus, de hac prorsus existimanda. Glau. Consentio equidem. So. Ingens porro, o amice Glaucon, ingens, neque quantum videtur, est certamen, bonum effici aut malum. quamobrem neque pecuniarum gratia neque honoris neque potentiæ neque poëtici ullius oblectamenti justitiam ceterasque virtutes negligere dicet. Glau. Assentior equidem ex his rationibus, quæ narravimus: arbitror autem, et quemvis alium eadem confessurum. So. Atqui ingentia virtutis præmia mercedesque illi propositas nequaquam narravimus. Glau. Immensa dicis præmia, si qua majora sunt his quæ retulimus. So. Quid magnum brevi in tempore esse potest? nempe omne hoc tempus a pueritia ad senectutis extremum, exiguum quiddam est ad universum. Glau. Immo vero nihil. So. Immortalem vero rem censes brevi hoc pro tempore quidem, pro universo vero nequaquam, debere esse sollicitam? Glau. Pro omni certe. sed quorsum hæc? So. An ignoras immortalem esse hominis animam et ab interitu liberam? Tum repente conversus in me Glaucon admiratusque intulit, Per Jovem, ignoro equidem: tu vero nunquid ostendere potes? So. Certe, nisi injurius esse velim. puto autem et te id posse: neque enim difficile. Glau. Mihi quidem difficile istud. te vero libenter audirem, id, quod negas esse difficile, declarantem. So. Audies jam. Glau. Dic. So. Bonum aliquid vocas, et malum aliquid? Glau. Voco. So. Nunquid de his idem tibi, quod et mihi, videtur? Glau. Quid? So. Malum puto omne, quod dissolvit atque corrumpit: quod vero servat et juvat, bonum. Glau. Et ego. So. Bonumne cuique aliquod et aliquod malum esse dicis? veluti oculis [609] lippitudinem: et toti corpori morbum: frugibus cibisque æruginem: lignis cariem et putredinem: æri ferroque rubiginem: atque, ut dico, ferme in omnibus secundum naturam proprium cuique malum ac morbum. Glau. Equidem? So. Quotiens hujusmodi quicquam alicui accidit, deterius illud efficit, ac denique totum

dissolvit et perdit? Glau. Quidni? So. Proprium igitur cujusque malum suaque pravitas quodlibet corrumpit: ac, nisi id corruperit, nihil aliud unquam corrumpet. neque enim quod bonum est, aliquid destruit: neque rursus id, quod nec bonum nec malum. Glau. Quo enim pacto? So. Si quid igitur tale est, ut ei malum aliquod sit, quod ipsum deterius efficit, dissolvere tamen ipsum non valet, certe ita naturaliter affectæ rei nullus esse potest interitus. Glau. Consentaneum est. So. Estne aliquid, quod animam pravam faciat? Glau. Et maxime quidem, quæ commemoravimus, injustitia, intemperantia, timiditas et inscitia. So. An quicquam ex his animam perdit? atqui animadverte, ne decipiamur, existimantes iniquum et insanum hominem, cum in flagitio deprehensus est, tunc ab injustitia, quæ animæ vitium est, corrumpi. Dic, age. Nonne corpus proprium ejus vitium morbus liquefacit, resolvit, atque eo deducit, ut non sit corpus? et quæ paulo ante diximus omnia, ex proprio malo, quatenus adhæret et inest, inquinante, esse desinunt? nonne? Glau. Ita prorsus. So. Nunquid et animam eodem pacto injustitia et reliqua pravitas, cum inest, sua ipsa præsentia disperdit et tabefacit, quousque in mortem trahens a corpore separet? Glau. Nullo modo istud. So. At vero absurdum illud est, ut alienum vitium interimat aliquid, cui proprium vitium non præbet interitum. Glau. Præter rationem profecto. So. Attende, Glaucon. ex ipsa ciborum propria pravitate, qua vel vieta sint vel marcida vel quomodocunque aliter affecta dicantur, corpus perire posse non arbitramur: verum si ciborum defectus corpori proprium ipsius defectum intulerit, dicemus per illos corpus ab ejus vitio, morbo scilicet, perdi: corpus vero ipsum, cum aliud sit, ex ciborum, quorum alia natura est, [610] alieno defectu, nisi proprium defectum induxerit, dissipari posse nunquam existimabimus. Glau. Recte nimirum loqueris. So. Eadem ratione, nisi corporis detrimentum ipsi animæ ipsius animæ proprium intulerit detrimentum, haudquaquam existimare debemus ex alieno malo, absque propria pravitate, animam interire, neque alterius malo alterum dissipatur. Glau. Ita ratio monet. So. Aut igitur hæc redarguamus, quasi non recte dicantur: aut, quoad hæc integra permanent, neque ex febre aut alio quovis morbo, neque jugulatione, neque etiam si quis corpus in minutissima quæque discerpat, dissipari animam concedamus, priusquam ostenderit aliquis propter has corporis passiones animam ipsam iniquiorem profanioremque fieri. quatenus autem alienum malum adest alteri, nec proprium cuiquam malum adhæret, corrumpi aliquid minime concedamus. Glau. At enim nemo id unquam ostendet, morientium animas propter mortem injustiores effici. So. Si quis autem objicere nobis audeat, quod deterior et injustior sit, qui moritur, ne cogatur immortales esse animas confiteri, oportere dicemus, si vera is dixerit, viro injusto letiferam injustitiam esse, sicuti morbum: et ab hoc ipso perimente, sua quadam natura, eos, qui suscipiant, perimi: ocius quidem illos, qui maxime, serius contra, qui minus: neque fieri duntaxat, quod nunc fit, ut injusti propter injustitiam tunc demum moriantur, cum eos alii pœnis afficiunt. Glau. Per Jovem, haud gravissimum quiddam malum injustitia esse videbitur, si erit viro iniquo letifera; malorum siquidem liberatio erit. arbitror autem contra esse omnino, ut et alios pro viribus interficiat, et hominem sui participem vivacem maxime faciat et apprime privigilem: usque adeo longe abest ab ea, ut sit letifera. So. Scite loqueris. quando enim propria pravitas suumque malum animam perdere nequit; nunquam malum ex alterius pernicie atque ad aliud institutum ultra id, cui proprie accidit, vel animam vel aliud quicquam dissolvet. Glau. Nunquam, ut probabile est. So. Cum a nullo prorsus malo, sive proprio, sive alieno, [611] interimatur, patet eam semper esse necessarium esse: si semper esse, et immortalem exsistere. Glau. Necesse. So. Hoc igitur ita se habet:

ac si ita se habet, animadvertas easdem semper animas fore. neque enim pauciores unquam erunt, cum nulla prorsus intereat, neque rursus plures. Si enim immortalium quicquam plus efficiatur, ex mortali efficietur, eruntque demum immortalia omnia. Glau. Vera loqueris. So. At vero id nequaquam existimamus : ratio namque prohibet. neque iterum arbitramur animam verissima sui natura talem esse, ut varia, dissimilis atque differens in se ipsa sit. Glau. Quomodo istud ais ? So. Haud facile est sempiternum esse, quod ex pluribus constitutum est, neque optimam compositionem est sortitum : ut nobis de anima nunc apparuit. Glau. Consentaneum est. So. Animam igitur immortalem esse et ratio præsens et aliæ cogere possunt. Si quis vero, qualis ipsa revera sit, inspicere cupit, haudquaquam intueri eam debet communione corporis malisque aliis inquinatam : quemadmodum ipsi nunc intuemur : sed qualis, cum pura fuerit, diligenter ratione discernere. ubi certe et multo pulchrior apparebit : et clarius, cum talis erit, quid justum sit, quid non, et reliqua quæ supra diximus judicabit. Nunc quidem vera de ipsa, qualis videtur in præsentia, diximus. non aliter vero eam spectavimus, quam multi marinum inspiciant Glauconem. illi siquidem non facile possunt Glauconis antiquam considerare naturam, eo quod antiquæ corporis partes partim fractæ, partim contritæ sint, et ab undis penitus dissipatæ, aliaque illi rursus inhæreant conchylia, alga, lapides, ex quibus multo magis feræ præ se fert imaginem quam naturæ prioris aspectum. ita et animam nos semper aspicimus malis innumeris inquinatam. Sed enim illuc oculos convertere decet, o Glaucon. Glau. Quonam ? So. Ad ejus, inquam, philosophiam : et circa illam oportet animadvertere, quæ attingit animus, et quibuscum consuetudinem inire affectat et nititur : utpote qui cognatus sit divino, immortali et sempiterno : qualisque præterea futurus est, si quando ejusmodi totus sequatur naturam, per hunc affectum nixumque eductus ex pelago, quo ad præsens submergitur, nudusque emergens, excussis petris et ostreis, quæ sibi nunc, [612] tanquam ex terra nutrito, terrena, lapidosa et agrestia plurima inhærescunt, propter eam utique alimoniam, quam plerique beatam existimant. Tunc demum veram naturam ipsius animi contemplabimur, agnoscemusque, utrum varia sit an simplex, qualisque sit omnis ejus conditio. Nunc autem animi humana in vita affectus ac species satis, ut arbitror, declaravimus. Glau. Prorsus quidem. So. Nonne cetera quidem in hac disputatione exposuimus ? præmia vero ipsius et honores nequaquam attulimus, quemadmodum Homerum vos et Hesiodum adduxisse dicebatis : sed justitiam ipsam ipsi animæ optimum præmium esse comperimus : justeque agendum esse monstravimus, sive Gygis habeat anulum, sive etiam Plutonis galeam ? Glau. Vera loqueris. So. Ceterum nunc quoque præter hæc nulla invidia prohibet, quo minus justitiæ et universæ virtuti ea præmia tribuamus, quæ ipsa animæ comparat et ab hominibus et a diis tam ab vivente homine, quam defuncto. Glau. Magnopere. So. Nunquid ergo restitutis mihi, quæ in sermone mutuati estis ? Glau. Quid maxime ? So. Dedi equidem vobis : justum virum videri injustum injustumque justum. vos enim petieratis. licet enim fieri non posset, ut ista homines deosque laterent : tamen concedi hoc disputationis gratia placuit, ut injusta ipsa ad injustitiam ipsam comparata judicaretur. non recordaris ? Glau. Quidni recorder ? So. Postquam igitur judicatæ sunt, ego iterum postulo a vobis exponi, quam justitia mercedem a diis et hominibus referat, ut et palmam ab opinione et manifesta existimatione reportet, qua justitia sui participes decorat, postquam aperte visa est etiam ipsa sui præsentia beneficia nobis conferre, neque eos decipere, qui vere eam possident. Glau. Debita postulas. So. Primum quidem hoc mihi reddetis, quod qualis eorum uterque sit, et justus scilicet et injustus, deos non latet. Glau. Reddemus. So. Si deos id non latet, unusquidem a Deo

amabitur, alter odio habebitur, quemadmodum in principio confessi sumus. Glau. Est ita. So. Deorum autem amico omnia, [613] quoad fieri potest, a diis optima tribuuntur ; nisi quid mali ex priori delicto ei necessitate quadam immineat. Glau. Omnino. So. Sic itaque de justo viro existimandum, sive in pauperie seu morbis sive quibusvis aliis ex iis, quæ mala videntur, fuerit constitutus, huic demum vel viventi vel mortuo ad bonum aliquod ista conducere. neque enim a diis unquam negligitur, quicunque conari voluerit justus evadere virtutisque officiis, quoad homini licet, Deo similis fieri. Glau. Decens est talem virum a simili non contemni. So. De injusto autem contra omnino est sentiendum. Glau. Vehementer. So. Apud deos igitur justo viro hæc dabitur palma. Glau. Sic arbitror. So. Apud homines autem nonne sic evenit, si vera fateri debemus ? Callidi quidem homines et iniqui perinde faciunt ac cursores illi, qui ab inferioribus currunt bene, a superioribus minime. nam primo celeriter exsiliunt : tandem vero risum reportant, auribus demissis et sine corona discedentes. veri autem cursores ad finem perveniunt, adeptique præmium coronantur. viris justis similiter idem ut plurimum accidit. nempe in fine cujusque actionis consuetudinisque et vitæ probantur, muneraque ab hominibus referunt. Glau. Magnopere. So. Sustinebisne, ut ego de his, quæ tu de injustis, adducam ? dicam equidem. justi enim, cum ad maturam ætatem pervenerint, civitatis muneribus pro arbitrio funguntur, matrimonia quibuscum voluerint et dando et accipiendo vicissim ineunt : ac summatim, quæcunque de illis tu, ego nunc de his affirmo : rursusque de injustis hominibus assero, plerique enim ipsorum, quamvis ad tempus sua vitia celent, tandem in curriculi calce, quales sint deprehenduntur. ridiculi prorsus evadunt, et in senio miseri a peregrinis et civibus objurgantur, verberanturque eaque omnia patiuntur, quæ tu aspera esse revera dicebas. torquebuntur enim et inurentur. Porro quæcunque ipse commemorabas, audire iterum ex me putato. sed, ut dicebam, vide, an sis ista toleraturus. Glau. Perferam equidem. nam decentia loqueris. So. Hæc itaque sunt præmia, mercedes et munera, [614] quæ justo viro præter ea bona, quæ ipsa in se justitia continet, a diis et hominibus tribuuntur. Glau. Egregia valde hæc sunt et stabilia. So. At enim hæc et numero et magnitudine nihil sunt, si ad ea comparentur, quæ utrumque defunctum exspectant. Audienda vero et ista sunt, ut omnia sufficienter, quæ utrique conveniunt, comprehendantur. Glau. Dicas vero, non quidem ut jam nimis multa, sed tanquam libentissime audituro. So. Equidem tibi non Alcini apologum, sed præstantissimi viri, Eri Harmenii, genere Pamphilii, reserabo. qui cum occubuisset in prœlio, sublatis decimo die cadaveribus jam corruptis, integer quidem incorrupto corpore repertus fuit domumque delatus pro officio sepulturæ. ubi duodecima a morte die, dum pyræ esset impositus resurrexit, et, quæ interim viderat, retulit. Inquit ergo, postquam ejus anima fuisset a corpore separata, una cum pluribus quendam in locum dæmonium pervenisse. in quo terræ duos proximos vidit hiatus, duosque alios e conspectu superne in cæli regione conspexit. inter hiatus vero hujusmodi sedentes judices, qui postquam animos judicaverunt, justos quidem ad dexteram superne per cælum ascendere jubent, in anteriori eorum parte signa eorum, quæ judicaverint, suspendentes : injustos contra ad sinistram infernis omnium, quæ fecerant in vita, post tergum signa ferentes. Cum vero ad judices ipse quoque accessisset, illos asseruit respondisse, fore eum hominibus nuntium de his, quæ illic videat, oportere : jussisseque illum audire et intueri, quæcunque eis in locis fierent, diligenter. Viderat igitur illic per utramque cæli terræque portam animas lata sententia abeuntes : per alias item duas ex terra quidem ascendentes animas, pulvere, squalore macieque confectas : e cælo autem alias nitidas descendentes. viderique inquit animas undique venien-

tes, tanquam longa itineratione fatigatas, libenter in prato, quod ibi est, tanquam celebri in conventu, recumbere : ac se invicem, quæcunque mutuam notitiam habuerint, salutare : easque omnes, tam quæ ex terra quam quæ e cælo convenerint, sese ultro citroque de his, quæ suis in locis viderint, percontari, sibique vicissim ad singula respondere : has quidem dolentes ac flentes memoria malorum, [615] quæ in præterito sub terris itinere et perpessæ sunt et viderunt. esse autem illud mille iter annorum. illas vero, quæ de cælo descenderant, narrare delicias pulchritudinisque ingentis spectacula. Multa quidem illa referre, quæ longo ordine recitabat prolixæ nimium narrationis, o Glauco. summam vero hanc esse dixit : Quoscunque aliis injurias intulisse constaret, pœnas sigillatim pro quolibet decies reddidisse : hoc vero per quodlibet annorum centenarium esse, quasi hæc vitæ humanæ sit meta, ut animæ decuplam injuriæ redderent pensionem. Itaque si qui cædis multorum causa fuerint, civitatesque et exercitus prodiderint, vel homines in servitutem impegerint, vel alicujus alterius flagitii et sceleris conscii fuerint, in his omnibus pro quolibet facinore pœnas decuplas penderent. Atque iterum si qui beneficia fuerint aliqua elargiti, justitiamque et pietatem coluerint, eadem pensione præmia reportarent. De his vero, qui statim ac nati sunt decessere, aut breve tempus vixerunt, quædam parum digna memoria recensebat. Erga deos autem et parentes pios vel impios, et homicidas, qui cæde manus proprias polluerunt, majoribus et præmiis et pœnis affectos esse narrabant. Inquit enim se interfuisse, ubi alium interrogavit quispiam, ubinam Ardiæus magnus esset. hic autem in quadam Pamphiliæ civitate tyrannus fuerat, annis jam mille tempore ex illo peractis : qui senem patrem et majorem natu fratrem occiderat, aliaque plura impia scelera perpetraverat. Interrogatumque illum asseruit respondisse : Non venit Ardiæus, neque veniet. o dirum spectaculum. dum enim egressuri hiatum peteremus, cetera omnia perpessi, illum protinus vidimus aliosque cum eo, omnes ferme tyrannos, inter quos et privatos nonnullos, qui magna scelera perpetraverant : quos ascensuros se prope modum confidentes hiatus ille minime permittebat ; sed horride mugiebat, quoties aliquis eorum, qui vel insanabiles essent vel nondum purgati, egredi niteretur. Aderant igitur illic feroces quidam viri, aspectu ignei : qui cum mugitum subito perpendissent, hos seorsum rapiebant, Ardiæum scilicet ejusque persimiles : manibusque et pedibus [616] et cervice devinctis, prosternebant eos excarnificabantque, et secus viam quandam ad exteriorem partem raptatos tribulis lacerabant : prætereuntibus indicantes, quam illi ob causam talia paterentur, quodve projiciendi in Tartarum deferrentur. Ubi cum multa variaque eos terrerent, hic pavor vehementissime vexabat, cum in ascensu mugitus excitabatur : quo silente quisque libentissime ascendere videbatur. Ac pœnas quidem et supplicia hujusmodi recensebat : atque vice versa ejuscemodi beneficia. Cum vero animæ illæ in superioribus commemoratæ in prato dies septem requieverint, oportere eas dicebat octavo surgentes die illinc recedere, et quarto demum die ad locum aliquem pervenire : unde superne per totum cælum atque terram extensum videatur lumen, tanquam columna erectum, Iris simillimum, clarius tamen ac purius. In id diurno itinere processisse : vidisseque ibi in medio lumine extrema cælestium liganinum ex cælo extensa. esse enim lumen istud cæli vinculum, quemadmodum trirenium subcinturæ, atque ita circumferentiam omnem esse contentam. Ex apicibus vero suspensum Necessitatis deæ fusum, per quem omnes circuitus peragantur. cujus hasta quidem et cuspis ex adamante ; vertigium vero ex hoc aliisque generibus mixtum : cujus natura hujusmodi sit secundum figuram quidem, qualis apud nos cernitur. Animadvertendum tamen ex illius sermone, perinde se habere, ac si in uno quodam amplo concavoque vertigio, et per totum sculpto, minus aliud simileque insertum jaceat, ita congruens,

ut plerumque cadi, qui invicem inseruntur : atque ita tertium et quartum, et alia quatuor. octo enim illa vertigia esse, insertos invicem circulos, labia superne ostendentia, dorsum vero unius vertigii continuum circa hastam efficientia : hastam vero illam per medium octavum perque totum esse transjectam. Primum igitur extimumque vertigium labii circulum habere latissimum : sexti autem secundum : tertium quarti : quartum octavi : quintum septimi : quinti sextum : tertii septimum : octavum vero secundi : primi item atque maximi circulum varium esse : septimi lucidissimum : [617] octavi autem vertigii circulum colorem a septimo irradiante suscipere : secundi vero ac quinti similes invicem, illis aliquantulo flaviores : tertium sane colorem candidissimum possidere : quartum subrubeum : secundum vero sextum albedine superare. Ac fusum quidem totum volutione simili circumferri : cum vero totum volvatur, septem interiores circulos motu totius contrario tardius circumverti. Ex his plane octavum motu rapidissimo agitari : secundos vero alterum alteri consequenter : septimum, sextum et quintum. Tali vero tertium motu ferri, ut quartum circumvolvere videatur : quartum autem tertium, et quintum secundum. fusum vero in Necessitatis genibus circumverti. Superne præterea cuilicet circulo hærere Syrenem cum globo una delatam, vocem unam, tonum unum videlicet emittentem : unam tamen harmoniam ex omnibus octo concinere. Alias autem tres Necessitatis filias æquali invicem intervallo in throno sedere : Parcas vestibus albis, capite coronato, Lachesim, Clothon, Atropon : quæ ad Syrenum harmoniam canant, Lachesis quidem præterita, præsentia Clotho, Atropos vero futura. Et Clothon quidem cum matre simul, intermissione quadam temporis, dextra manu tangentem fusi extimam circumferentiam vertere : Atropon vero sinistra iterum interiores similiter : Lachesim denique vicissim utraque manu utrinque tangere. Illuc animas ergo cum venerint, statim oportere ad Lachesim accedere. ubi ilico propheta aliquis primum singulas disponit in ordinem : postea, cum ex genibus Lachesis sortes et vitarum exempla susceperit, aliquod sublime tribunal ascendens sic fatur : Necessitatis filiæ. ipsius virginis Lachesis præconium hoc. O animæ diurnæ, circuitus alterius initium, mortalis ac mortiferi generis, non vos dæmon sortietur, sed vos dæmonem potius eligetis. qui vero prior sortem ceperit, prior eligat vitam, cui necessario inhærebit. Virtus autem inviolabilis ac libera : quam prout honorabit quis aut negliget, ita plus aut minus ex ea denique possidebit. eligentis quidem culpa est omnis : Deus autem extra culpam. Hæc fatus sortes super omnes fundit : ex quibus quilibet eam rapit, quæ super ipsum ceciderit : neque licet cuipiam, quotus ordine sit, agnoscere, nisi cum ceperit. tunc enim duntaxat, quotus sit sortitus, intelligit. [618] Post hæc item exemplа vitarum coram ipsis in pavimento disponit, multo plura quam quæ hic ad præsens apparent. Esse vero hominum atque omnium animalium vitas omniformes asseruit. Tyrannides enim in illis exstare, partim perpetuas partim ad tempus, quæ medio in spatio corruant, in paupertatem delapsæ, exsilium et inopiam. Exstare et præclarorum virorum vitas, partim specie, decore, viribus certaminibusque præstantium, partim majorum generositate nobilium, ignobiliumque rursus virorum vitas similiter, et mulierum eodem modo. Animæ vero ordinem et conditionem non inesse, eo quod necesse sit, ut aliam vitam eligens conditionis alterius efficiatur. cetera vero invicem, partim divitiis et paupertatibus esse commixta, partim morbis vel sanitate : partim istorum medium obtinere. Ubi profecto, o Glauco, omne hominis consistit periculum. quamobrem omni studio danda opera est, ut quisque nostrum, omissis ceteris disciplinis, hanc quærat assequaturque pro viribus disciplinam, per quam et possit et sciat vitam bonam a mala discernere, et quoad fieri potest, ex omnibus eligere meliorem : animadvertens, quæ nunc diximus, omnia, quid conjuncta invicem vel disjuncta ad virtutem vitæ conducant. nec

non intelligat, quid pulchritudo cum paupertate vel divitiis juncta, et quali cum habitu animæ malum operatur vel bonum : quidve nobilitas vel ignobilitas, vita privata et imperium, robur et imbecillitas, velox ingenium et tardum, ceteraque hujusmodi, quæ natura circa animam sunt et quæ acquiruntur, invicem copulata faciunt : ut ex his omnibus singulorum natura valeat considerare, ad animæ naturam respiciens, meliorem vitam a deteriori discernere : deteriorem eam appellans, quæ injustiorem animam efficit ; potiorem autem, quæ justiorem : reliqua vero contemnat. vidimus enim et viventi et mortuo electionem hanc optimam esse. [619] Cum hac igitur opinione, instar adamantis firma atque rata, oportet ad inferos proficisci : ne quis illic divitias malaque hujusmodi admiretur ; neve in tyrannides et alias hujusmodi actiones incidens, multa et insanabilia scelera perpetret, ipseque rursus deteriora perpetiatur. immo vero sciat mediam semper istorum omnium missis extremis vitam eligere, et in hac vita et in futura : ita enim quisque fit beatissimus. Enimvero, qui tunc rediit illinc nuntius, significavit dixisse prophetam : quod etiam ultimo cum prudentia eligenti vita occurrit expetenda, non mala studiose viventi, ne vel primus eligat negligenter, vel novissimus propter hoc doleat atque torpeat. Cum hæc dixisset, illum, qui primo sortem acceperat, inquit illico properantem tyrannidem maximam elegisse : ac propter inscitiam aviditatemque haud sufficienter singula prius examinasse : et iccirco latuisse illum, quod ea in vita fato decretum erat, ut filios suos ederet aliaque mala plurima sustineret. postquam vero per otium electam vitam considerasset, ejulasse illum, electionem noxiam deplorantem, neque servantem quæ propheta prædixerat ; neque se ipsum, tanquam malorum causam, criminantem, sed fortunam dæmonesque et reliqua omnia potius quam se ipsum. Fuisse vero illum ex his, qui de cælo descenderant, qui sane in superiori vita in civitate aliqua moderata vixerat, virtutemque usu quodam absque philosophiæ studiis exercuerat. Neque pauciores ex his, qui ex alto cadunt, quam ex aliis, utpote malorum ignaros, decipi eligendo. Eorum vero, qui ex terra venerunt, plurimos, quia et ipsi calamitatibus laboraverint et laborantes alios viderint, haud temere vitam eligere. Quam ob causam, ac etiam propter sortis fortunam, bonorum malorumque multis animis mutationem contingere. Porro si quis semper, cum in hanc vitam venerit, sincere philosophetur, neque electionis sors ultima sibi contingat : ex his, quæ illinc nuntiantur, apparet eum non hic solum felicem fore, sed et profectionem hinc illuc regressionemque huc iterum haud sane terrenam et asperam agere, sed lenem atque cælestem. Hoc quoque consideratione dignum spectaculum esse dicebat, quomodo singulæ animæ vitas singulas eligebant. [620] miserabile quippe istud, ridiculum, visuque mirabile. electionem vero secundum vitæ prioris consuetudinem ut plurimum fieri. Animam enim, inquit, quæ olim Orphei fuerat, vidisse cygni vitam odio muliebris generis eligentem : nolentem videlicet ex mulieribus, a quibus occisus fuerat, nasci : Thamyris vero philomelæ. Cygnum etiam conspexisse ad humanæ vitæ electionem conversum, aliaque musica animalia, ut consentaneum est, similiter. Aliquam vero ex sortibus leonis elegisse vitam. hanc vero Ajacis Telemonii fuisse dicebat, fieri hominem fugientem, dum armorum judicium olim datum mente revolveret. Post hunc Agamemnonis animam propter ærumnas, odio humani generis, vitam aquilæ ascivisse. Atalantes autem animam, cui media quædam sors contigerat, intuitam dixit, quam maximis honoribus vir certator afficiatur, continere se non potuisse, quin vitam certatoris eligeret. Animam deinde Epei Panopeensis ad artificiosæ mulieris naturam protinus adventasse. Longe vero inter novissimas ridiculosi Thersitis animam simiam induisse. Casu vero Ulixis animæ sortem ultimam contigisse : quocirca et ad eligendum ultimam advenisse dicebat. præteritorum autem laborum memoria ab ambitione cessantem, diuque, prius-

quam eligeret, circumeuntem, quæsisse privati hominis minimeque curiosi vitam. eamque vix tandem alicubi jacentem et neglectam ab aliis reperisse : dixisseque non aliam se vitam electuram fuisse, etiamsi sortem primam nacta esset ; quare vitam illam libenter fuisse complexam. Ex feris item aliis in homines transire animas asserebat et invicem commutari : injustas quidem in feras agrestes, justas autem mansuetorum animalium vitam capessere : atque omnes hunc in modum confici mixtiones. Cum vitas omnes animæ gradatim, ut sors dederat, elegissent, longo illas ordine ad Lachesim vidit accedere. Lachesim vero cuique dæmonem, quem ceperat quæque, ipsius vitæ custodem præscribere electorumque operum exsecutorem. Dæmonem hunc in primis ad Clothon animam ducere, et sub illis manu revolutioneque et vertigine fusi approbare, quam sortita fortunam elegerat. cum vero ipsam tetigerit, statim ad Atropi filationem ducere, immutabilia stamina facientem. Illinc postea propere Necessitatis thronum adire, per quem cum transierint omnes, [621] sub vehementi calore et æstu in campum Lethæum proficisci, arboribus et omnibus, quæcunque terra nascuntur, penitus destitutum. Recumbere igitur ipsas adventante nocte juxta Amelitam flumen asseruit, cujus aquam vas nullum contineat. Atque ipsius aquæ bibere aliquantum cuique necessarium. eos autem, qui prudentiam ducem non habent, ultra quam deceat bibere. semper vero bibentem omnium oblivisci. Cum vero ad mediam noctem dormissent, subito tonitru et terræ motu excitos repente alium alio sursum ad generationem consurrexisse, steliarum instar prosilientes. Se vero flumine ex illo potare prohibitum fuisse narrabat : quomodo autem in corpus redierit, ignorare : sed subito in diluculo circumspicientem ait se ipsum pyra impositum conspexisse. Atque ita, o Glauco, servata est fabula neque periit : nosque servabit pariter, si ipsi parebimus, et Lethæum, id est oblivionis fluvium, bene transibimus, nullaque macula animam inficiemus. Quamobrem si meis sermonibus obtemperabimus, immortalem fore animam arbitrantes, talemque, ut et mala possit et bona omnia sustinere, viam semper ad superiora ducentem sequemur, justitiamque cum prudentia omni ratione colemus ; ut et nobis ipsi simus et diis amici, dum hanc ducimus vitam, et postquam virtutis præmia reportaverimus, tanquam potiti victoria et triumphis, et hic et in millenario annorum itinere, quod enarravimus, nos feliciter habeamus.

TIMÆUS.

SOCRATES, CRITIAS, TIMÆUS, HERMOCRATES.

[17] Unus, duo, tres: quartus autem, o amice Timæe, ubinam est? ut, qui heri a me convivio accepti estis, hodie me vicissim accipiatis. Ti. Adversa valetudine laborat, o Socrates, non enim sponte ab hoc cœtu et disputatione abstinuisset. So. Ergo tui, o Timæe, et istorum erit officii, quod quarti illius absentia deest, implere. Ti. Ita prorsus. quare nihil, quoad fieri poterit, prætermittemus. nam cum laute abs te hesterno epulo accepti fuerimus, nefas esset, si epulas tibi pro viribus similes libenter non redderemus. So. Num recordamini, quæ vobis et quam multa tractanda proposui? Ti. Partim quidem tenemus memoria, partim vero tu, si exciderint, suggeres. immo vero, nisi molestum sit, breviter illa ab exordio repete, ut nobis iterum confirmentur. So. Faciam equidem. Summa disputationis hesternæ erat res publica, qualis mihi et ex qualibus viris optima posse fieri videretur. Ti. Nobis certe omnibus valde probata sunt, o Socrates, quæ dixisti. So. Principio agricolas ceterosque artifices a militibus separavimus. Ti. Certe. So. Cum vero cuique, quod pro naturæ instinctu præcipue suum est, et singula tantum singulis artibus officia tribueremus; illis quoque, quos præ ceteris bella gerere oporteret, id unum dumtaxat, protegendæ scilicet civitatis munus, injunximus, et adversus externos hostes et adversus cives rei publicæ eversores: ita ut erga subjectos, [18] tanquam natura amicos, mites sint; contra hostes vero in prœlio ferocissimi. Ti. Ita prorsus. So. Duplicem sane naturam in custodum animis esse debere tractavimus, et iracundam et philosophico ingenio præcipue accommodatam, ut recte in suos mansueti sint, in alienos vero feroces. Ti. Procul dubio. So. Quid autem de educatione dicemus? nonne gymnicis exercitationibus et musica ceterisque decentibus disciplinis eos a nobis institutos fuisse? Ti. Valde quidem. So. Ita educatos homines neque aurum neque argentum neque aliud quicquam proprium aut habere aut putare statuimus; sed tanquam adjutores publicosque ministros sola mercede contentos esse, tanta ab his, quos tuentur, exhibita, quanta moderate viventibus sufficere videatur. stipendio præterea publico in commune uti voluimus, et ad communem inter se victum impendere, ut ceteris posthabitis omnibus solius virtutis et custodiæ curam habeant. Ti. Hæc quoque ita abs te dicta fuerunt. So. Naturam præterea mulierum non aliter quam virorum effingi præcepimus; studiaque omnia, tam belli quam pacis, mulieribus cum viris esse communia. Ti. Id quoque dictum. So. An tenetis memoria, quæ de procreandis liberis diximus? forte vero ob rei ipsius novitatem firmiter tenuistis. communes quippe nuptias liberosque statuimus, ut nemo natos suos discernat, sed omnes ab omnibus consanguinei existimentur, dum æquales ferme natu fratres sororesque vicissim se judicant, majoribus vero patrum vel avorum reverentiam exhibent, erga minores autem tanquam filios et nepotes afficiuntur. Ti. Hæc quoque memoratu facilia sunt. So. Ut autem quam

optimi ab ipso initio pro viribus gignerentur, magistratus utriusque sexus nuptiis præposuimus, qui clam sortibus quibusdam operam darent, ut pravi pravis, boni contra bonis mulieribus miscerentur, neque ulla ob hoc discordia oriretur, cum in congressu minus prospero quisque fortunam potius sit quam consilium principum culpaturus. Ti. Recordamur. So. Præterea sanximus [19] bonorum fœtus in patria alendos esse, aliorum vero alios alio clam mittendos. adultos demum utrosque diligenter considerandos, ut, si qui inter relegatos bonæ indolis sint, in patriam revocentur; si qui vero inter domesticos contra videantur affecti, similiter relegentur. Ti. Ita statutum est. So. Num satis jam hesternam disputationem, quantum compendio licet, narravimus? an aliquid etiam a me prætermissum, o amice Timæe, recenseri desideras? Ti. Nihil sane. hæc enim ferme sunt, quæ tractaveras. So. Audite deinceps, quo pacto erga hanc, quam descripsimus, rem publicam sim affectus, comparatione plane vobis aperiam. quemadmodum si quis animalia eximiæ pulchritudinis intuitus, seu picta, seu viva quidem sed torpentia, motus gestusque viventium et certamen aliquod eorum spectare desideret: sic ego nunc libenter aliquem narrantem audirem, quo pacto supra descripta civitas cum finitimis civitatibus decertaret, quidve tanta ejus educatione disciplinaque dignum in bello vel pace, tam dicendo quam agendo, erga civitates singulas demonstraret. Equidem, o Critia et Hermocrates, mihi conscius sum, non posse me eam urbem virosque pro dignitate laudare. me quidem non posse nihil mirum; sed de veteribus quoque et hujus seculi poëtis idem existimo: non quo poëticum genus contemnam, sed quod evidens unicuique sit, imitationis studiosos ea facile et optime imitari, in quibus fuerint educati; aliena vero longeque ab eorum educatione remota operibus quidem difficile, verbis etiam difficilius posse, prout convenit, æmulari. sophistas utique et dicendi et aliarum ferme præclarissimarum artium peritos esse arbitror: sed quia multas quotidie civitates pererrant nec proprias sedes ullas habent, vereor ne conjectura quidem assequi nequeant, quam multa et qualia viri philosophi atque civiles, tam bello quam pace, erga singulos verbis et operibus agant. sola igitur vestra professio superest, tum natura tum disciplina philosophiæ [20] et rerum gerendarum studio pollens. Timæus quidem iste ex Locris, quæ urbs in Italia justissime gubernatur, nobilitate et opibus præstantissimus, summis magistratibus et honoribus functus est, et ad summa totius philosophiæ fastigia, ut opinor, ascendit. Critiam quoque scimus hæc utraque consecutum. Hermocratis etiam naturam educationemque his omnibus, quæ diximus, tractandis esse accommodatam, cum multis testimoniis moneamur, dubitare non licet. quapropter rogantibus vobis heri de re publica disputari, libentissime parui, cum cogitarem, quod deinde instituto operi superforet, a nemine commodius quam a vobis, modo velitis, posse tractari. cum enim civitatem ad bellum idoneam constitueritis, soli omnium vos, quæ eam decent, vicissim omnia tribuetis. cum vero in superioribus, quæ mihi injuncta fuerant, perfecissem: quæ modo retuli, vobis tractanda commisi, vos autem communi consensu imperatum munus mutuo mihi parandi nunc sermonum convivii recepistis. ego igitur adsum ad promissas epulas paratissimus. Her. Nos quoque omnes, o Socrates, ut pollicitus est modo Timæus, quod jubes, pro viribus exsequemur: præsertim cum nulla excusandi sit ratio, quo minus id facere debeamus. nam præterito die, cum, disputatione peracta, mox ad hospitium, quo apud Critiam suscepti sumus, rediremus, et inter eundum primo et domi rursus de his rebus verba fecimus. hic igitur nobis veterem narravit historiam: quam velim, o Critia, Socrati modo recenseas, ut, cum audiverit, judicet, nunquid ad eam rem, quam nos exsequi jussit, conducere videatur. Cri. Faciundum est, si ita Timæo quoque videtur, tertio disputationis hujus

participi. Tr. Videtur sane. Cri. Audi, Socrates, miram quidem, sed plenam veritatis historiam, quam Solon septem sapientum sapientissimus recensebat. erat enim domesticus admodum amicusque Dropidis proavi nostri, quod in suis carminibus ipsemet sæpe testatur. avo autem nostro Critiæ, ut ipse nobis senex postea referebat, quandoque narravit res gestas hujus urbis memorabiles, diuturnitate temporis hominumque interitu obliteratas. unum vero præ ceteris facinus insigne recensuit, quod vobis nunc narrandum censeo, [21] ut et tibi morem geramus et Deam, cui hodierna pompa dicata est, hac narratione quasi quodam hymnorum cantu, ut par est, honoremus. So. Recte loqueris. sed quid istud tandem est, quod Critias, non quasi verbis descriptum, sed quasi ab hac civitate quondam gestum, ex Solonis narratione vobis aperuit? Cri. Referam priscam mihi puero traditam ab avo historiam. cum ageret Critias annos, ut ipse dicebat, circiter nonaginta, ego vero decem, celebrareturque solemnis ille dies, in quo ad cantum carminum pueri convocabantur, congregati sumus et nos una cum proximis notisque pueris, nobisque a parentibus carminum canendorum certamen est injunctum. ubi multorum poëtarum carmina non pauca memoriter pronuntiata sunt, et Solonis versus a plurimis puerorum, utpote novitatem poëmatis admirantibus, decantati. tum contribulis quidam, seu quod ita judicaret, sive quod Critiæ blandiri vellet, videri sibi inquit cum in ceteris sapientissimum fuisse Solonem, tum in carminibus poëtarum omnium generosissimum. his verbis, ut recte memini, valde lætatus est senex, atque ita ridens inquit: Si Solon, o Aminander, non tantum relaxandi animi gratia, sed dedita opera serioque, sicut alii, poësim esset secutus, vel historiam, quam ab Ægypto reversus instituerat, absolvisset, a qua quidem seditionibus ceterisque civitatis fluctibus deturbatus medio in cursu destitit: nec Homero Hesiodoque nec alio quoquam poëtarum, ut opinor, inferior exstitisset. Ad hæc ille: Qua de re, o Critia, tractare Solon instituit? So. De maximis, inquit, rebus ab hac civitate quondam gestis, quarum memoria apud nos temporis diuturnitate et interitu hominum exstincta est. Dic, quæso, inquit, o Critia, quid illud opus, et quomodo actum, et a quibus habitum, tanquam verum Solon narrabat. Cri. Est, inquit, Ægypti regio Delta, cujus e vertice scinduntur Nili fluenta. ejus campi Saitica pascua nominantur. in quibus maxima civitas est, quam Saim vocant: unde Amasis fuit rex. urbis ejus fundatrix Dea fuit, quam Ægyptii Neithem, Græci Athenam nominant. ipsi porro homines Atheniensium amici sunt, eisque genere quodam conjunctos esse se prædicant. quo Solon profectum se honorifice acceptum fuisse referebat. et cum de vetustatis memoria ab illis sacerdotibus, [22] qui in hac re ceterorum peritissimi erant, quæsisset, expertum se esse dicebat neque se ipsum neque alium Græcorum quenquam cognitionem antiquitatis ullam habere. quandoque vero coram sacerdotibus, ut eos ad sua narranda provocaret, de antiquissimis illis Athenarum historiis verba fecisse, Phoroneo primo et Niobe, postque inundationem mundi de Pyrrha et Deucalione eorumque posteritate, et de temporibus, quibus singula contigerunt. tunc ex sacerdotibus quendam grandem natu dixisse: O Solon, Solon, Græci pueri semper estis, nec quisquam e Græcia senex. Cur istud diceret, percontante Solone, respondisse sacerdotem: Quia juvenis semper vobis est animus, in quo nulla est ex vetustatis commemoratione prisca opinio, nulla cana scientia. quod ideo vobis contigit, quia multa et varia hominum exitia fuerunt eruntque. maxima quidem aut ignis conflagratione aut aquæ inundationibus provenire necesse est, minora vero aliis quibuslibet calamitatibus fieri. nam quod apud vos fertur, Phaëthontem quondam Solis filium currus ascendisse paternos, nec patris aurigatione servata exussisse terrena, ipsumque flammis cœlestibus confla-

grasse, quamvis fabulosum videatur, verum quodammodo esse putandum est. fit enim longo temporum intervallo cœlestis circuitus permutatio quædam, quam inflammationis vastitas necessario sequitur. tunc hi, qui edita et arida incolunt loca, magis pereunt quam mari fluviisque vicini. nobis porro Nilus cum in plerisque rebus salutaris est, tum hujusmodi a nobis arcet exitium. quando vero Dii aquarum colluvione terræ sordes diluunt, pastores ovium atque bubulci, qui juga montium habitant, periculum illud evadunt: vestræ autem civitates, in planitie sitæ, impetu fluminum ad maria rapiuntur. sed in hac nostra regione neque tunc neque alias unquam aqua in agros superne descendit: contra vero sursum e terræ visceribus scaturit. quamobrem antiquissimarum rerum apud nos monumenta servantur. proinde, ubicunque nec imbrium tempestas nimia nec incendium ingens contingit, licet alias pauciores, [23] alias plures, semper tamen homines sunt. quæcunque vero a nostris sive a vestris sive aliis nationibus gesta sunt memoratu digna, modo ad aures nostrorum pervenerint, nostris in templis descripta servantur. apud vos quidem et alias gentes res gestæ nuper literis monumentisque traduntur; sed certis temporum curriculis illuvies immissa cœlitus omnia populatur. ideo, qui succedunt, et literis et Musis orbati sunt. quo fit, ut quasi juvenes iterum sitis et rudes, præteritarum rerum omnium prorsus ignari. nam et ea ipsa, quæ modo ex vestris historiis recensebas, a fabulis puerilibus, o Solon, parum distant. primo, quod unius tantum inundationis memineritis, cum multæ præcesserint: deinde quod genus majorum vestrorum in regione vestra clarissimum et optimum ignoretis, ex quo tu et Athenienses ceteri nati estis, exiguo semine quondam publicæ cladi superstite. quod propterea vos latuit, quia superstites illi eorumque posteri literarum usu multis seculis caruerunt. fuit enim ante exitialem illam terræ illuvionem, o Solon, Atheniensium civitas tam belli quam pacis officiis præstantissima: ejusque opera legesque omnibus, quorum memoria ad nos pervenit, excelluerunt. Tunc admiratum Solonem obnixe sacerdotes obsecravisse ait, ut omnia diligenter priscorum civium opera revelarent. Atque illi sic a sacerdote quodam fuisse responsum: Nulla hoc invidia prohibet, Solon. dicam equidem libenter, tui et civitatis vestræ gratia: maxime vero gratia Deæ, quæ et vestram illam et hanc nostram condidit, educavit, instituit; priorem vestram annis mille, ex Terra et Vulcano accipiens semina: posterioris autem hujus nostræ urbis res octo annorum millibus gestæ in sacris literis continentur. illorum ergo civium, qui in hoc novem millium annorum tempore ante nos fuerunt, instituta et præclara facinora breviter, Solon, in præsentia tibi perstringam. [24] deinceps vero, cum plus dabitur otii, accepto historiarum libro latius exponemus. Ac primum leges illorum considera, quo pacto cum his nostris conveniant. multa enim hic similia illis reperies. principio, quod sacerdotes separati ab omni turba vitam agunt: deinde varia opificum genera ita inter se discreta sunt, ut suum quisque agat, promiscue vero nullus. similiter pastorum, venatorum, agricolarum inter se distincta sunt opera. milites quoque hic, ut nosti, ab aliis omnibus segregati, bellica duntaxat tractare a lege jubentur. armatura etiam, ut clypeorum jaculorumque usus, apud utrosque persimilis. his primi nos in Asia usi sumus, et Dea, ut illis in locis, sic vobis primis hæc tradidit. prudentiæ quoque et modestiæ magna, sicut vides, nostris legibus ab initio cura fuit; divinationis insuper et medicinæ: et sanitas nobis per hæc divinitus procurata. demum quæcunque ad hæc attinent disciplinæ, diligenter institutæ a lege reperiuntur. Hujusmodi institutione et ordine priorem vestram urbem Dea a primordiis exornavit, cum in urbe condenda eam regionem elegisset, quæ ob aëris temperiem prudentissima ingenia procrearet. utpote enim bellicosa et sapiens Dea regionem eligendam censuit talem, quæ esset sui similes

homines editura. his itaque legibus, vel etiam honestioribus institutionibus formati veteres Athenienses, omni virtutum genere ceteris omnibus excelluerunt, ut decebat eos, qui Diis geniti eruditique essent. multa quidem et mirabilia vestræ civitatis opera in monumentis nostris leguntur, sed unum magnitudine et virtute præcipuum facinus. traditur enim vestra civitas restitisse olim innumeris hostium copiis, quæ ex Atlantico mari profectæ prope jam cunctam Europam Asiamque obsederant. tunc enim erat fretum illud navigabile, habens in ore et quasi vestibulo ejus insulam, quas Herculis columnas cognominatis : ferturque insula illa Libya simul et Asia major fuisse ; per quam ad alias proximas insulas patebat aditus, atque ex insulis ad omnem continentem e conspectu jacentem, [25] vero mari vicinam. sed intra os ipsum portus angusto sinu fuisse traditur. pelagus illud verum mare, terra quoque illa vere erat continens. in hac Atlantide insula maxima et admirabilis potentia exstitit regum, qui toti insulæ illi multisque aliis et maximæ terræ continentis parti, præterea et his, quæ penes non sunt, dominabantur : siquidem tertiæ mundi parti, quæ Libya dicitur, usque ad Ægyptum imperaverunt ; Europæ vero usque ad Tyrrhenum mare. horum vis omnis una collecta nostram, o Solon, vestramque regionem, et quicquid intra columnas Herculis continebatur, invasit. tunc vestræ civitatis virtus in omnes gentes enituit. quæ cum omnes magnanimitate bellicisque artibus antecelleret, partim una cum aliis Græcis, partim sola, ceteris deserentibus, extrema discrimina subiit hostesque expugnavit, amicis servata vel reddita libertate. post hæc ingenti terræ motu jugique diei unius et noctis illuvione factum est, ut terra dehiscens vestros illos una omnes bellicosos homines absorberet, et Atlantis insula sub vasto gurgite mergeretur. quam ob causam innavigabile pelagus illud propter absorptæ insulæ limum relictum fuit. Hæc, o Socrates, eorum, quæ Critias major a Solone accepta narrabat, summa est. sed dum præterito die de re publica civibusque suis dissereres, subiit mihi quædam ex recordatione admiratio, cogitanti videlicet divina quadam sorte factum esse, ut simillima quædam haud ab re Solonis historiæ traderes. ob eam vero causam nihil tunc protuli, [26] quoniam ex diuturna negligentia non satis reminiscebar. satius igitur ipse censui, ut, priusquam referre vobis inciperem, mecum ipse repeterem. ideo vero statim imperio tuo consensi, quia confidebam, ut in rebus hujusmodi maxime decet, aliquid me, quod propositæ rei congrueret, reperturum. ita heri, ut iste ait, post discessum protinus his, prout tunc recordabar, recensui. a nocturnis deinde vigiliis pæne omnia recuperavi. profecto, quæ in pueritia discimus, diutius firmiusque, ut fertur, meminisse solemus. atque haud scio, an quæ heri audivi, referre nunc omnia memoriter possim : quæ vero puer accepi, mirabor equidem, si quid eorum e memoria mihi exciderit. ea quippe cum voluptate et joco audiebam, cum et senex ille libenter me doceret, et ego ab illo sedulo sciscitarer. quapropter quasi quædam literarum inustæ indelebiliter notæ ea mihi omnia infixa memoriæ permanserunt. atque his etiam ante solis ortum ipsa narravi, ut una mecum essent ad hanc orationem paratiores. Verum ut ad id, quo hæc omnia spectant, me conferam, paratus sum, o Socrates, non modo summatim, sed sigillatim, sicut audivi, omnia enarrare. civitatem utique et cives, quos quasi per fabulam hesterna disputatione finxisti, rem veram esse ponemus. civitatem quidem illam Atheniensem hanc urbem esse ; cives quoque, quos ipse excogitabas, nostros illos majores, a sacerdote narratos, fuisse censebimus. nempe omnino hæc congruent ; neque ab re fuerit, si cives tuos revera priscos illos exstitisse dixerimus. quare communiter rem ipsam inter nos partientes, conabimur omnes muneri abs te nobis imposito pro viribus satisfacere. sed vide, o Socrates, nunquid sermonem hunc probemus, an alium exigamus. So. At enim quem, o

Critia, sermonem magis quam istum probabimus, qui præsentibus Deæ sacris propter propinquitatem quandam mirifice congruit? maximum vero illud est, non fictam a nobis fabulam, sed veram historiam recenseri. quonam igitur pacto et unde, hac spreta, disputationem aliam exordiemur? certe non licet. ideo bonis fortunæ auspiciis oportet jam tam vos disserere, [27] quam me pro hesterna narratione hodie silentio vos audire. Cri. Considera, Socrates, an commode mutuum tibi convivium disposuerimus. visum nobis est, ut Timæus, tanquam in astronomia nostrorum omnium peritissimus, maximeque in rerum natura cognoscenda versatus, primus edisserat, ita ut a mundi generatione exordiens usque ad generis humani naturam deveniat, atque ego deinde, suscipiens homines a Timæo quidem genitos, a Critia vero ut plurimum institutos, secundum Solonis sermonem legemque in judicium vestrum adducam, civitatisque istius cives efficiam eos, qui prisci illi Athenienses fuerunt, quos jam exstinctos sacræ Ægyptiorum literæ in lucem e tenebris eruerunt, adeo ut de illis deinceps tanquam de veteribus Atheniensibus verba fiant. So. Copiosam et splendidam disputationis mensam apparavisse mihi videris. tua ergo interest, o Timæe, invocatis secundum legem Diis, disputationem jam exordiri. Ti. Probe consulis, Socrates. nam cum omnes, qui mentis quoquo modo compotes sunt, in operis cujuslibet vel magni vel parvi principio invocare Deum soleant: quanto nos æquius est, de Universo, sive genitum sit sive ingenitum, disputaturos, nisi forte desipimus, invocare divinam opem? Ergo Deos omnes Deasque precamur, in primis quidem, ut ea dicantur a nobis, quæ illis placeant: deinde, ut nobis ipsi constemus. quantum ad Deos attinet, sic a nobis oratum sit: sed quod ad nos spectat, poscendum est, ut et vos facile assequamini, et ego secundum mentis propositum rem ipsam, qua de agitur, transigam. Principio ita mihi distinguendum esse videtur, quid sit, quod semper est carens generatione; quid vero, quod gignitur quidem, neque est unquam. [28] illud intellectu per rationis indaginem percipi potest, cum semper sit idem: hoc opinione per irrationalem sensum attingi, cum gignatur et intereat neque vere unquam sit. quicquid autem gignitur, ex aliqua causa necessario gignitur; sine causa vero oriri quicquam impossibile est. quando igitur opifex in operis alicujus constructione ad id, quod eodem modo se habet semper aspicit, et hujusmodi quodam usus exemplo ideam vimque in opus educit, pulchrum fieri tunc opus omne necessarium est: quando vero ad id, quod factum est, respicit, minime pulchrum. universum igitur hoc cœlum sive mundum, sive quo alio vocabulo gaudet, cognominemus. de quo primum consideremus, quod in quæstione de universo ante omnia investigari debet, utrumne semper fuerit, sine ullo generationis principio; an genitum sit, ab aliquo principio sumens exordium. idque profecto cernitur tangiturque et corpus habet. omnia vero hujusmodi sensus movent. quæ sensus movent, opinione per sensum percipiuntur. hæc vero talia esse constat, ut gignantur et genita sint. quicquid autem gignitur, ab aliqua causa necessario gigni asseruimus. opificem quidem et patrem mundi invenire difficile: et cum jam inveneris, prædicare eloqui vulgo impossibile est. rursus considerandum est, utrum mundi faber sit imitatus exemplar: [29] idne, quod idem semper et simile est, an id, quod genitum fuerit. atqui si pulcher est hic mundus et opifex mundi bonus, sempiternum certe exemplum maluit imitari: sin secus, quod ne dictu quidem fas est, generatum exemplar est pro æterno secutus. cum vero et mundus omnium genitorum pulcherrimus sit et ejus auctor causarum omnium optimus, dubium non est, quin sempiternum sit secutus exemplum. sic igitur generatus, ad id est effectus, quod ratione et sapientia sola comprehendi potest et immutabile permanet. ex quo efficitur, ut necesse sit hunc mundum alicujus simulacrum esse.

rationem vero originis naturaliter explicare difficillimum est. ideo de simulacro et exemplo sic distinguamus. Rationes utique cum iis rebus, quas exprimunt, cognationem quandam habere videntur. ergo cum de re firma et stabili et mente comprehendenda disseritur, stabiles similiter immutabilesque et, quam maxime fieri potest, inexpugnabiles rationes esse oportet. cum vero de ipsius rei firmæ stabilisque simulacro disputatur, verisimiles rationes sufficiunt, quæ ita se ad superiores habeant rationes, ut simulacrum ad exemplum. nempe quod est ad generationem essentia, id ad fidem est veritas. cum ergo, o Socrates, multa de Diis mundique generatione a multis dicta sint, ne mireris, obsecro, si rationes de iis probatissimas exactissimasque afferre non possim. satis enim factum putare debebis, si non minus probabiles, quam quivis alius, rationes attulerim. æquum est meminisse, et me, qui disseram, et vos, qui judicabitis, homines esse: ut, si probabilia dicentur, nihil ulterius requiratis. So. Scite loqueris, o Timæe. quare nos, ut jubes, agendum putamus. exordium quidem hoc orationis mirifice approbavimus. sed age, deinceps disputationem perage. Ti. Dicamus igitur, quam ob causam ille rerum auctor generationem et hoc universum constituit. bonus erat. bonus autem nulla unquam aliqua de re invidia tangitur. ergo cum livor ab eo alienissimus esset, omnia sibi, quantum fieri poterant, simillima fieri voluit. si quis hanc gignendi mundi causam præcipuam a prudentibus viris acceperit, rectissime profecto accipiet. [30] itaque cum vellet Deus bona omnia fore, nihil vero, quoad natura pateretur, malum: quicquid erat, quod in cernendi sensum cadere posset, assumpsit, non tranquillum et quietum, sed temere agitatum et fluitans, idque ex inordinata jactatione redegit in ordinem; hoc enim judicabat esse præstantius. fas autem neque erat neque est, quicquam nisi pulcherrimum facere eum, qui est optimus. cum igitur excogitasset, invenit nihil eorum, quæ secundum naturam aspectui subjecta sunt, si expers intelligentiæ sit, intelligente alio totum toto pulchrius unquam fore; intellectum vero alicui sine anima dari non posse. hac ratione mentem quidem animæ, animam vero corpori dedit, totumque ita mundum constituit, ut pulcherrimum natura opus optimumque foret. quocirca, sicut ratio nobis hæc probabilis persuadet, dicendum est hunc mundum animal esse, idque intelligens, revera divina providentia constitutum. hoc posito, quod sequitur, videamus, ad cujus animalis similitudinem Deus mundum constituit. uni cuidam propriæque animalium speciei similem fecisse ne arbitremur. nam si imperfecto animali similis esset factus, pulcher certe non esset. immo vero illius animalis eum simillimum esse ducamus, cujus animalia cetera, et singulatim et generatim, partes sunt. illud siquidem viventia omnia, quæ sola mente percipiuntur, in se ipso complectitur: quemadmodum mundus hic nos et cetera, quæ cernuntur, animalia continet. volens itaque Deus omnium, quæ intelligi possunt, pulcherrimo et undique absoluto mundum hunc simillimum reddere, animal unum ipsum effecit, aspectui subjectum, animalia cuncta naturæ suæ convenientia intra suum limitem continens. [31] Proinde rectene mundum unum diximus? an rectius plures innumerabilesve dici oportuit? Unum profecto: si modo ad unius similitudinem sit formatus. quod enim viventia omnia, quæcunque intelliguntur, continet, socium alterum habere non potest. alioquin aliud animal, quod hæc duo contineat, esse oporteret, cujus duo hæc partes sint: nec illorum, sed tertii hujus, mundus hic simulacrum rectius diceretur. ut igitur hic mundus esset animali absoluto simillimus, ex eo, quod solus atque unus esset, iccirco neque duo neque innumerabiles procreati sunt, sed unus mundus unigenitusque factus est et erit. Quoniam vero corporeus spectabilisque et tractabilis erat futurus, ac sine igni videri nihil potest, nihilque sine solido tangi,

et solidum absque terra nihil : ideo in operis hujus exordio Deus ignem primo terramque creavit. sed duo sola absque tertio quodam commode cohærere non possunt, mediumque aliquod vinculum utrorumque desiderant. vinculorum vero id est aptissimum atque pulcherrimum, quod ex se et ex iis, quæ astringit, quam maxime unum efficit. hoc maxime proportio ratioque alternæ comparationis assequitur. quando enim in tribus numeris aut molibus aut viribus medium [32] ita se habet ad postremum, ut primum ad medium; vicissimque ut postremum cum medio, ita medium cum primo congruit: tunc, quod medium est, et primum fit et postremum; postremum quoque et primum media fiunt. ita necessitas cogit, ut omnia, quæ sic devincta fuerint, eadem inter se sint. eadem vero cum facta sint, efficitur, ut omnia sint unum. quod si universi corpus latitudinem habere debuisset, nullam vero profunditatem, unum sane, tum ad se ipsum tum ad extrema vincienda, interjectum medium suffecisset. sed cum soliditatem mundus requireret, solida vero non uno, sed duobus semper mediis copulentur : inter ignem et terram Deus aërem aquamque locavit, eaque ita inter se invicem, quoad fieri poterat, comparavit, ut, quemadmodum ignis ad aërem, ita aër ad aquam, ut aër ad aquam, sic aqua ad terram congrue conferatur. qua ex conjunctione ita constitutus est mundus, ut aspici tangique possit. propterea ex hujusmodi rebus numero quatuor mundi corpus conflatum est; ea connexum comparatione, qua dixi. ex quo se ipsum amicitia concordi complectitur, atque ita apte cohæret, ut nequeat dissolvi ullo modo, nisi ab eodem, a quo est colligatum. quatuor igitur earum rerum quamlibet integram mundus accepit. ex omni quippe igni, aëre, terra ipsius faber ita ipsum composuit, ut nullam cujusquam istorum partem aut vim extra relinqueret. idque ea ratione fecit, primum quidem, ut totum hoc animal quam maxime perfectum ex perfectis partibus esset : [33] deinde, ut esset unum, cum nihil extra relictum fuerit, ex quo alterum generetur : postremo, ne quis ipsum morbus aut senectus attingeret. videbat enim eam esse naturam corporis, ut importuna caloris vel frigoris aliarumque rerum nimis vehementium accessione lædatur, et in morbos seniumque impulsum deficiat. quam ob causam rationemque unum totum ex omnibus totis et perfectis perfectum, morbi et senectutis expertem, Deus mundum constituit. cui et figuram maxime congruam et decoram dedit. animal quippe hoc, quod intra suum ambitum erat animalia omnia contenturum, eam figuram præcipue requirebat, in qua figuræ omnes continerentur. quapropter sphæricum fecit, in quo omnis extremitas paribus a medio radiis attingitur : quæ quidem figura omnium perfectissima sibique ipsi simillima judicatur. putabat enim simile dissimili multo pulchrius esse. Lævem præterea hunc globum extrinsecus undique expolivit. nec immerito summa eum æqualitate tornavit. nec enim oculis indigebat, quia nihil extra, quod cerni posset, relictum erat : nec auribus, cum nihil superesset foris, quod audiretur. nec erant aëre circumfusa externa mundi, ut respirationem requireret : nec membris quidem talibus opus erat, per quæ nova alimenta susciperet aut decocti cibi excrementa emitteret. nulla decessio fieri poterat, nulla accessio : nec enim erat, aut quo aut unde talia fierent. ipsum enim se consumptione et senio sui ipsius alit. ita nempe divina arte fabricatus est mundus, ut omnia in se ipso et a se ipso patiatur et agat. ratus enim est ille auctor mundum, si sibi ipse sufficiat, præstantiorem fore quam si aliorum amminiculis egeat. nec ei manus necessarias esse duxit, quia neque capiendum quicquam erat neque repellendum. nec pedibus aut aliis ad progressum statumve membris opus erat. [34] motum enim illi congruum suo corpori tribuit, qui ex septem motibus unus ad mentem maxime et intelligentiam pertinet. ideoque cum illum per eadem et in eodem et in se ipso circumduxisset, effecit ut circulari conversione mo-

veretur. sex autem reliquos motus separavit ab eo, et ab eorum errore et pervagatione penitus liberavit. ad hanc igitur conversionem, quæ pedibus non egebat, crura pedesque non dedit. Cum hæc igitur Deus ille, qui semper est, de aliquando futuro Deo cogitaret, lævem eum effecit æqualemque, et a medio ad summum undique parem, corpusque ex corporibus totis et perfectis totum atque perfectum. animam autem in ejus medio collocavit perque totum tetendit; atque ea corpus ipsum etiam extrinsecus circumtexit, mundumque hunc unum et solum solitariumque et circularem volvi in circulum statuit, qui propter virtutem secum ipse facile cohærere possit, nullius alterius indigens, satisque ipse sibi notus atque amicus. itaque omnibus his de causis mundum opifex ejus beatum Deum effecit: sed animam haud ita, ut modo dicere cœpimus, tum denique, cum corpus ei effecisset, procreavit. neque enim qui hæc conjunxit, parere juniori antiquius permisisset. sed nos multa, utpote fortunæ participes, inconsiderate et temere loquimur. ille vero tam generationequam virtute priorem antiquioremque animam corpore constituit, utpote quæ obedienti corpori esset imperatura; ex his videlicet atque hoc pacto. [35] Ex ea substantia, quæ individua et semper eadem similisque est, et ex ea rursus, quæ circa corpora dividua fit, tertiam substantiæ speciem commiscuit mediam, quæ rursus esset naturæ ipsius ejusdem et naturæ ipsius alterius particeps, eamque per hæc mediam constituit inter individuam substantiam et eam, quæ circa corpus dividitur. ea cum tria sumpsisset, in unam speciem omnia temperavit: ubi naturam ejus, quod alterum diversumque vocamus, commixtioni repugnantem, cum eo, quod idem dicitur, vi quadam conciliavit. postquam vero duo illa cum substantia commiscuit et ex tribus unum fecit, rursus id totum in ea, quæ decuit, membra partitus est, quorum quodlibet ex tribus, eodem, altero, substantiaque constaret. fuit autem talis illa partitio: unam principio accepit ex universo portionem: secundam autem primæ partis duplam: deinde tertiam, quæ secundæ sexquialtera esset, primæ tripla: postea quartam secundæ duplam: quintam deinceps tertiæ triplam: sextam primæ octuplam: postremo septimam, quæ partibus sex et viginti primam excederet. [36] post hæc dupla et tripla intervalla replevit, partes rursus ex toto desecans: quas intervallis ita locavit, ut bina essent in singulis media sive, ut ita dixerim, medietates: quarum una eadem parte excedit alterum extremorum, eadem ab altero superatur; altera medietas pari numero extremum unum superat, pari superatur ab altero. cum vero sexquialtera intervalla, sexquitertia et sexquioctava sumpsisset: ex his nexibus in primis spatiis, sexquioctavo intervallo sexquitertia omnia explebat, particula singulorum relicta. hujus autem particulæ intervallo assumpto, ea inde habebatur numeri ad numerum in terminis comparatio, quæ est inter ducentos quinquaginta sex et ducentos quadraginta tres. jam vero commixtum illud, unde ista secernebat, totum hujusmodi partium sectione consumptum erat. tunc seriem hanc universam in longum secuit, et ex una duas fecit, mediamque mediæ in speciem χ, Græcæ literæ, accommodavit: deinde in orbem torsit, quoad ita coirent inter se capita, ut lineæ ipsæ et secum et inter se invicem e regione intersectionis ipsius conjungerentur: atque eo motu, qui in eodem et similiter semper revolvitur, undique est eas circumplexus: et circulorum alterum exteriorem, interiorem alterum fecit. exteriorem quidem lationem ejusdem naturæ, interiorem vero alterius nominavit. atque illam, quæ erat ipsius ejusdem natura cognata, in latus ad dexteram partem; eam vero, quæ alterius, per diametrum ad lævam flexit: sed principatum dedit ejusdem ipsius similisque agitationi. eam namque solam indivisam reliquit. interiorem vero cum sexies divisisset, septemque orbes inæquales dupli et tripli intervallis effecisset, singula, cum tria sint utriusque, contrariis

inter se cursibus orbes peragere jussit: et ex septem interioribus tres quidem pari celeritate, quatuor vero et ad se et ad reliquos tres celeritate quidem impari, debita tamen ratione converti. Postquam igitur secundum creatoris illius mentem tota animæ constitutio absoluta fuit, mox omne corporeum intra ipsam effinxit, mediumque mediæ accommodans apto modulamine copulavit. at illa a medio per omne usque ad cœli extrema se porrigens, eique extrinsecus circumfusa, seque in se ipsa convertens, ita sempiternæ sapientisque vitæ in universum tempus divinum dedit exordium. et corpus quidem cœli spectabile factum est; anima vero oculorum effugit obtuitum, rationis et modulaminis compos, [37] ab auctore suo, omnium quæ semper sunt et sub intelligentiam cadunt optimo, ipsa quoque optima omnium, quæ genita sunt, effecta. quoniam igitur ex tribus partibus, eodem scilicet et altero et essentia, conflata est, ratione proportionis distincta atque compacta, nec non in se ipsam orbe reflectitur: quotiens aliquid attingit, quod essentiam dividuam habet et quod individuam, in se ipsam omnino conversa, quid sit utrumque, discernit, et cui quid idem sit, a quo alterum et diversum, ad quid quæque, et ubi, quomodo, et quando esse hujusmodi aliquid vel pati contingat, tam in his quæ gignuntur, quam in illis quæ semper sunt eadem. ratio porro ad ipsum, quod idem est, vergens atque veridica, tam circa alterum quam circa idem versata, et sine sono strepituque omni in eo, quod se ipso movetur, revoluta, quando ad sensibile aliquid se convertit, si tunc etiam alterius diversæque naturæ circulus recte per omnem ipsius animam rem ipsam nuntiet, opiniones fideique assensiones firmas verasque producit. quando rursus circa rationale se versat, et ipsius, quod idem est, circulus se apte revolvens rem denuntiat, intellectus necessario scientiaque perficitur. hæc quisquis in alio quam in anima fieri dixerit, a vero penitus aberrabit. Cum igitur hoc a se factum sempiternorum Deorum simulacrum moveri et vivere pater ille, qui genuit, animadverteret, delectatus est opere, et hac ductus lætitia opus suum multo etiam magis primo illi exemplari simile reddere cogitavit. itaque quemadmodum illud sempiternum animal est, ita universum hoc pro viribus tale facere statuit. illius quidem animalis æterna natura est: quod genito operi congruere omnino non potest. iccirco imaginem ævi mobilem effingere decrevit: ac dum cœlum exornaret, fecit æternitatis in unitate manentis æternam quandam in numero fluentem imaginem, quam nos tempus vocamus. dies porro et noctes et menses et annos, qui ante cœlum non erant, tunc nascente mundo nasci jussit: quæ omnia temporis partes sunt. atqui erat et erit, quæ nati temporis species sunt, non recte æternæ substantiæ assignamus. [38] dicimus enim de illa, est, erat et erit. sed illi re vera solum esse competit. fuisse vero et fore deinceps ad generationem tempore procedentem referre debemus. motus enim quidam duo illa sunt. æterna autem substantia cum eadem semper et immobilis perseveret, neque senior se ipsa fit unquam neque junior, neque fuit hactenus, neque erit in posterum, neque recipit eorum quicquam, quibus res corporeæ mobilesque ex ipsa generationis conditione subjiciuntur. nempe hæc omnia temporis imitantis ævum seque numero revolventis species sunt. sæpe etiam dicimus, quod factum est, esse factum: quod fit, in generatione esse: quod fiet, esse faciendum: et quod non est, non esse. quorum nihil recte et exacta ratione dicimus. sed exquisitam de iis discussionem præsens disputatio non requirit. tempus vero una cum cœlo factum est, ut una orta una etiam dissolvantur, si qua his dissolutio unquam contigerit: et ad exemplar æternæ naturæ ideo factum est, ut mundus hic illi præstantiori, quoad potest, simillimus sit. ille enim mundus, hujus exemplar, omne per ævum est: hic vero perpetuo per omne tempus fuit fitque solus et erit. hac ratione consilioque Dei, tempus creare volentis, sol et luna aliæ quinque stellæ, quæ vocantur erraticæ, factæ sunt, quo temporis nume-

rus distinguatur atque observetur. cum vero stellarum hujusmodi corpora septem fecisset Deus, septem orbibus, qui alterius ipsius diversæque naturæ circuitu volvuntur, adhibuit. lunam in primo supra terram circuitu posuit: in secundo solem: Luciferi deinde globum et Mercurii sacrum, ut dicitur, orbem circulis affixit soli velocitate æqualibus, potentia vero illi contrariis. quo fit, ut apprehendant se invicem et a se vicissim apprehendantur similiter hæ stellæ, Sol, Lucifer et Mercurius· ceterarum stellarum ordines progressusque et rationes si quis omnino percurrere velit, plus erit opere ipso, quod operis gratia sumetur. hæc enim forte a nobis pro dignitate rei alias, si dabitur otium, tractabuntur. postquam vero singula, quæ ad seriem temporis pertinebant, convenientem sibi progressum sortita sunt, corporaque nexibus compacta vitalibus animalia evaserunt, præscriptum tenorem et institutum ordinem tenuerunt: [39] ut videlicet secundum alterius diversæque naturæ obliquam agitationem ejusdem ipsius agitationi subjectam, orbes illi partim ampliorem, partim angustiorem circulum peragant: et quæ minorem, velocius, quæ majorem, tardius revolvantur. secundum vero ipsam ejusdem naturæ lationem, quæ velocissime percurrunt, comprehendentia a tardioribus comprehendi videntur. omnes quidem eorum circulos superna illa vertigo varia circuitione revolvens, propterea quod isti duobus simul contrariis motibus agitantur, id, quod tardissime ab ipsa, quæ velocissima est, recedit, proximum declaravit. ut autem esset quædam velocitatis illorum tarditatisque mensura certissima, omniumque octo motuum perspicua esset chorea: accendit lucem clarissimam Deus in secundo a terra circulo, quam modo Solem vocamus, cujus splendore cœlum omne illustraretur, et animantes omnes, quæcunque natura numeri capaces sunt, ipsius participes efficerentur, usum numerandi discentes ab illo ejusdem similisque naturæ circuitu. hinc quoque noctis dieique varietas orta est. propter hæc etiam unius sapientissimique circuitus revolutio. mensis vero proventus, quando luna lustrato circulo suo solem consecuta est, anni, ubi sol suum peragravit orbem. ceterorum autem siderum ambitus ignorantes homines, præter admodum paucos, neque nomine certo illos appellant, neque numeris inter se distinctis commetiuntur. itaque, ut ita dixerim, nesciunt horum pervagationes id ipsum esse, quod rite dicitur tempus, multitudine infinita et varietate mirabili præditas. est tamen intellectu facile, quod perfectus numerus temporis perfectum tunc demum compleat annum, cum octo ambitus, confectis suis cursibus, quos orbis ille semper idem similiterque procedens metitur, ad idem se caput retulerint. has ob causas nata sunt ea astra, quæ per cœlum meantia conversiones habent, ut hoc omne animal, quod videmus, esset perfectissimo animali illi, quod mente perspicitur, harmoniæ imitatione simillimum. Jam vero cetera usque ad temporis ortum ad imaginem propositi exemplaris effinxerat. sed quia mundus hic nondum animalia omnia intra suum ambitum continebat, ex ea parte deficiebat ad illud exemplar imaginis hujus similitudo. hoc igitur, quod deerat, superni illius exemplo Deus explebat. quot igitur et quales mens ideas in eo, quod est animal, inspicit: totidem et tales hoc mundo contineri oportere excogitavit. sunt autem quatuor. una quidem Deorum cœlestium genus continet, [40] alia volatile et aërivagum, tertia aquæ liquoribus accommodatum, quarta terrenorum animantium genus, divini quidem animalis speciem ex igni maxima ex parte componebat, ut splendidissimum esset visuque pulcherrimum. cumque illud universi figuræ simile vellet fore, rotundum fecit; posuitque in ipsius optimi sapientia, atque illud sequi jussit; circumque omne cœlum distribuit, ut verus illi ubique ex hac varietate ornatus accederet. dedit autem divinis duo genera motus: alterum, quo in eodem semper et similiter volverentur, cum de eisdem semper secum ipsis eadem cogitent: alterum, quo in anteriorem partem ab ejusdem ipsius si-

milisque vertigine ducerentur. reliquos autem quinque motus ab iis esse voluit alienos, ut unumquodque illorum, quoad fieri potest, optimum esset. qua ex causa facta sunt astra illa erroris expertia, quæ divina animalia sunt : proptereaque in eodem semper circuitu perseverant. quæ vero vaga sunt et mutabili ratione labuntur, ita deinceps, ut supra diximus, disposita sunt. terram autem, altricem nostram, circa polum per universum extensum alligatam, dici noctisque effectricem et custodem esse voluit, nec non primam antiquissimamque Deorum omnium, qui intra cœlum sunt geniti. horum vero Deorum choreas, et inter ipsos concursiones, circulorumque ipsorum revolutiones varias et accessus, quales præterea fiant conjuncti sibi invicem vel oppositi, sive ante inter se sive retro, quidve ex illorum serie nobis proveniat, quibus temporibus et quo pacto delitescant singuli vel emergant, quidve portendant, quando orientes hominibus harum rerum peritis timorem incutiunt, hæc, inquam, omnia absque diligenti simulacrorum ipsorum inspectione explicare velle inanis est labor. sed de his satis : et jam, quæ de natura Deorum illorum, qui tales geniti sunt, ut cernantur, dicenda erant, finem habeant. Ceterorum vero, qui dæmones appellantur, et cognoscere et enuntiare ortum majus est opus, quam ferre nostrum valeat ingenium. priscis itaque viris hac in re credendum est, qui Diis geniti, ut ipsi dicebant, parentes suos optime noverant. impossibile sane Deorum filiis fidem non habere, licet nec necessariis nec verisimilibus rationibus eorum oratio confirmetur. verum quia de domesticis rebus loqui se affirmabant, nos, legem secuti, fidem præstabimus. sic igitur, ut ab his est traditum, horum Deorum generatio habeatur atque dicatur. Terræ Cœlique filii Oceanus et Tethys fuisse traduntur : ab iis Phorcyn, Saturnus et Rhea geniti, et reliqui horum fratres. ex Saturno [41] et Rhea, Jupiter et Juno et reliqui, quos eorum fratres quotidie memorari audimus, nati dicuntur. ex his deinceps, ut traditur, alii. Postquam orti sunt omnes, et qui cœlo volvuntur Dii, nostris oculis manifesti, et qui eatenus nobis conspicui fiunt, quatenus ipsi volunt, tum ad eos mundi genitor ita fatur : Dii deorum, quorum opifex ego et pater sum, hæc attendite. quæ a me facta sunt, me ita volente indissolubilia sunt. omne siquidem, quod vinctum est, solvi potest ; sed mali est, quod pulchre compositum est seque habet bene, velle dissolvere. quapropter, quia generati estis, immortales quidem et indissolubiles omnino non estis. nec tamen unquam dissolvemini, nec mortis fatum subibitis. nam voluntas mea majus præstantiusque vobis est vinculum ad vitæ custodiam quam nexus illi, quibus estis tunc, cum gignebamini, colligati. sed nunc jam, quid jubeam, cognoscite. tria adhuc genera mortalium nobis generanda restant : absque horum generatione cœlum imperfectum erit. omnia enim animantium genera ambitu suo non continebit. contineat autem oportet, si est mundus omnino perfectus futurus. hæc vero si a me fiant solo vitaque donentur, Diis adæquabuntur. quapropter accedite vos secundum naturam ad animalium generationem, ita ut vim imitemini meam, qua in ortu vestro sum usus. atque ejus quidem animalis, quod in ipsis tale futurum est, ut cum immortalibus appellatione conveniat, divinumque vocetur, principatumque teneat, et justitiam simul ac vos ultro colat, ego vobis semen et initium tradam : vos cetera exsequi par est, ut immortali naturæ mortalem attexentes, faciatis generetisque animalia, subministrantesque alimenta augeatis, et consumpta rursum recipiatis. Hæc fatus in eodem rursus cratere, in quo mundi totius animam permiscens temperaverat, superioris temperationis reliquias miscendo perfudit, modo quodam ferme eodem. non tamen perfectas similiter, sed et secundo et tertio gradu a primis deficientes. denique cum universum constituisset, astris parem numerum distribuit animarum, singulis singulas adhibens, eisque tanquam vehiculo impositis monstravit universi naturam, ac leges fatales edixit ; ostendens quidem primam

omnibus generationem ordine quodam unam fore, ne quis ab eo minus aliquid sortiatur. satis autem et quasi sparsis animis per singula singulis convenientia temporum instrumenta, fore ut animal nasceretur, quod omnium animalium maxime esset divino cultui deditum. [42] esse autem naturam hominis geminam : cujus id genus fore præstantius, quod viri nomine sit appellandum. cum vero animæ corporibus necessitate quadam insertæ fuerint, et corporibus earum accesserit aliquid vicissimque abscesserit, primum utique necessario sensum unum omnibus intimum et naturæ conjunctum illic a violentis passionibus excitari, deinde voluptate et dolore mixtum amorem, post hæc metum et iram, et quæcunque vel ista sequuntur vel ab istis ut contraria dissident. hæc qui superaverint, eos juste victuros : injuste vero, qui ab his fuerint superati. atque illum, qui recte curriculum vivendi a natura datum confecerit, ad illud astrum, cui accommodatus fuerit, reversum beatam vitam acturum : contra vero agentes cogi in ortu secundo, sexu mutato, fieri mulierem. et qui ne tum quidem finem peccandi faciet, quatenus depravatur, eatenus in brutorum naturam suis moribus similem permutari : nec prius a mutationibus laboribusque cessare, quam illam sibi insitam ejusdem ipsius similisque naturæ conversionem secutus ipse, eique subjiciens turbulentos multiplicesque affectus, postea ex igni, aqua, aëre et terra contractos, ratione sedaverit, et ad primum optimumque sui habitum jam redierit. Quæ cum illis ita designavisset, ne qua penes se futuræ pravitatis causa esset, alios in terram, alios in lunam, alios in alia temporis instrumenta spargens quasi serebat. post hujusmodi sementem, quod reliquum erat, Diis junioribus agendum mandavit, ut corpora mortalia fingerent, quantumque esset humanæ animæ, quod reliquum huic deberet accedere, id omne et quæ consequentia essent, adjungerent regerentque, et, quam optime et pulcherrime fieri posset, mortalis animalis naturam gubernarent, nisi ipsum sibimet malorum causa esset. Atque is quidem, qui hæc cuncta disposuit, rite in suo habitu permanebat. quo quidem permanente ejus filii, cum parentis ordinem cognovissent, eum protinus sequebantur. itaque accepto ab illo mortalis animantis immortali principio, sui effectorem imitati, ignis, aëris, aquæ, terræ particulas, quas rursus redderent, a mundo mutuabantur : [43] easque inter se copulabant, haud iisdem illis indissolubilibus vinculis, quibus ipsi fuerant colligati, sed talibus, quæ propter parvitatem cerni non possent : crebrisque hujusmodi clavis conjunctis, unum ex omnibus corpus efficiebant, atque in hoc ipsum tum influente tum effluente corpore, animæ divinæ circuitus illigabant. itaque hi circuitus, in profundum flumen immersi, neque tenebant neque tenebantur, sed vi ferebantur atque ferebant. ex quo factum est, ut totum animal moveretur, sine ordine tamen, et fortuita quadam jactatione. cui quidem sex pervagari motibus contigit, undique per sex loci naturas progrediendo, videlicet ante et retro, ad dexteram et lævam, sursum atque deorsum. cum vero plurimus inundaret fluctus atque defflueret, unde animal nutriretur, multo etiam major a passionibus extrinsecus illatis turba sequebatur, cum corpus aliquod ignis exterioris incurrisset offensionem, vel a terræ soliditate aut aquæ humore aut aëris flatu læsum esset. porro ab iis omnibus per corpus motus usque ad animam transeunt, qui propterea et initio et nunc sensus cognominati sunt. hi quidem ab initio continue multos et maximos motus cient, rivo illo jugiter fluente, atque his fluctibus vehementer animæ circuitus quatiunt : et circuitum quidem illum ejusdem similisque naturæ in ipso cursu prorsus impediunt ; alterius vero circuitum distrahunt, usque adeo, ut dupla illa et tripla utrinque disposita intervalla tria, medietatesque et colligationes, sexquitertia, sexquialtera, sexquioctava ratione interjectas, quæ dissolvi a nullo, nisi ab eo, qui conjunxit, possunt, omni revolutionis genere torqueant, omnesque anfractus et varietates orbium, quotcunque contingere queunt,

inducunt : ita ut ambitus ipsi, vix sibi invicem connexi, ferantur quidem, sed sine ratione ferantur, tum contra, tum ex obliquo, tum resupina quadam dispositione. ceu si quis caput pro pedibus humi figat, pedes vero pro capite tollat in altum : tunc arbitror tam ejus, qui sic affectus est, quam eorum, qui spectant, dexteræ partes sinistræ, et contra sinistræ dexteræ sibi invicem esse videntur. [44] itaque cum hoc ipsum ceterave hujusmodi animi quoque ambitus maxime patiuntur, si tunc in extrinsecum aliquid ejusdem ipsius vel alterius generis inciderint, falso, quid idem alicui sit quidve alterum ab aliquo, judicant : ideoque mendaces tunc dementesque sunt, nec ullus princeps et dux in eis tunc est circuitus. cumque extra positi sensus pulsaverint animam vehementius, totamque eam possederint, tunc illi, subjugati quidem et servientes, dominari videntur. quas ob res ab initio anima, cum mortalis corporis vinclis includitur, amens efficitur. at postquam nutritionis et augmenti rivus lenius minusque fluit, animæque circuitus tranquilliore motu iter suum peragunt, processuque temporis sedatiores fiunt, et in figuram naturæ suæ congruam restituuntur : tunc singulorum circulorum directæ conversiones ejusdem et alterius naturam probe discernunt, hominemque sic institutum prudentem efficiunt. quod si quis educationi rectæque nutritioni disciplinam quoque et eruditionem convenientem adjunxerit, morbo gravissimo devitato sanus et integer prorsus evadet : sin autem neglexerit, claudum vitæ iter ingressus, tanquam mancus et omnino inutilis rursus ad inferos decidit. sed hæc quidem post ortum contingunt. nunc vero de prima hominis compositione exactius disserendum, ac probabili ratione monstrandum, qua causa et providentia Deorum singula membra corporis ad singula animæ officia sint accommodata. Principio Dii figuram capitis ad rotunditatem mundi finxere, in eoque duos illos animæ divinos circuitus statuerunt. est autem caput membrum corporis divinissimum reliquorumque membrorum princeps : cui totum corpus connexum Dii subesse et parere jusserunt. excogitaverunt enim motuum omnium, quotcunque esse queant, compos id fore. cum vero inæqualis et aspera ac partim quidem acclivis, partim declivis terra sit, si humi caput serperet, perque terræ superficiem volveretur, hos anfractus sine offensione transire non posset. quod sane malum ut vitaretur, procerum hunc habitum corporis ad faciliorem progressum Dii pro vehiculo capiti subjecerunt. corpori præterea quatuor in longum porrecta et flexibilia membra annexuerunt, quibus facile divina providentia moveretur, apprehenderet videlicet objecta quæque, staret et sisteret perque omnia graderetur, caput superne substruens divinissimi sacratissimique habitaculum. [45] hanc igitur ob causam nobis crura manusque dedere. anteriores autem partes posterioribus præstantiores et ad imperandum aptiores arbitrati, in anteriorem quoque partem moveri nos ut plurimum voluerunt. oportebat porro anteriora discreta et dissimilia esse. quapropter primum globo capitis faciem adjecere, facieique instrumenta, quæ adminicularentur omni animæ providentiæ, assignaverunt, decreveruntque naturalæ hominis imperium in hac parte anteriori priorique consistere. sed ex omnibus faciei partibus primi luciferi oculorum orbes coruscant, hac de causa dati. ignis certe illius, qui non urit quidem, sed illuminando suaviter diem invehit mundo, participes oculorum orbes Dii fecerunt. intimum siquidem nostri corporis ignem, hujus ignis germanum sincerumque, per oculos emanare voluerunt, in quibus lenis congestusque ubique ignis hujusmodi sit, sed per eorum duntaxat solidiorem angustamque medietatem ignis purior evolet, crassior vero cohibeatur. itaque cum diurnum lumen applicat se visus radio, tunc ea duo inter se similia concurrentia atque commixta, quo oculorum acies diriguntur, ibi in unius jam domestici coporis cohærent speciem, ubicunque videlicet tam intimi quam externi luminis fit concursus. totum igitur hoc propter similitudinem passionem eandem sortitum, cum quid aliud

tangit vel ipsum ab alia tangitur, motum hujusmodi ad corpus omne perque id ad animam usque diffundens, sensum efficit, qui visus vocatur. at postquam in noctem discesserit cognatus ignis, visionis radius evanescit. nam in aërem sibi dissimilem erumpens permutatur atque exstinguitur, cum nullam habeat cum proximo aëre, utpote ignis splendore carente, naturæ communionem. iccirco videre desinit, somnumque inducit. etenim salubre palpebrarum tegmen Dii oculis machinati sunt, quibus obductis vis illa ignis intimi conniventia tegminis coërcetur, compressaque interiores motus perfundit et mulcet : quibus relaxatis atque mollitis quies oritur. si profundus ob multam quietem motuum nos occupat sopor, exigua sequuntur insomnia. sin vehementiores aliqui motus quasi vigiliarum reliquiæ relicti sint, [46] quales quidem et qualibus ex locis haustæ reliquiæ sunt, talia somniorum simulacra nascuntur, eorumque nobis expergefactis restat memoria. at vero simulacrorum, quæ vel in speculis oboriuntur vel in perspicua lævique cernuntur superficie, facilis assecutio est. nam ex utriusque ignis, tam intimi quam extra positi, communione, ejusque rursus concursu et congruentia, qui passim terso lævique corpori accommodatus est, necessario hæc omnia oriuntur, cum ignis oculorum cum eo igne, qui est e conspectu effusus, circa læve nitidumque corpus sese confudit. Dextera vero videntur, quæ læva sunt, quia contrariis partibus oculorum insolito more contrarias partes attingimus. respondent autem dextera dextris, læva lævis,quando commixtum lumen cum eo, cui permiscetur, transilit : id fit, cum speculorum lævitas hinc illincque altitudinem assumpsit. et ita dextram oculorum partem in lævam speculi lævamque in dextram detorsit. quod si speculum ad vultus longitudinem convertatur, vultum reddidit resupinum, cum superior luminis pars ad inferiora, inferior vero ad superiora vertatur. atque hæc omnia ex eorum genere sunt, quæ principales rerum adjuvant causas, quibus ut ministris utitur Deus ad optimi, quoad fieri potest, ideam perficiendam. sed existimant plerique non adminicula hæc principalium causarum, sed has ipsas esse omnium causas, quæ frigoris et caloris, rari et densi, ceterorumque similium naturam habeant, rationem vero mentemque nequaquam. mentem enim a nulla re alia, nisi ab anima, possideri convenit. hæc vero aspectum effugit oculorum. sed ignis, aqua, aër ac terra corpora sunt atque cernuntur. oportet autem mentis et scientiæ amatorem principales sapientis naturæ causas quærere : atque eas, quæ necessario ab aliis quidem moventur, alia vero movent, secundas causas arbitrari. quocirca a nobis sic censeo faciendum, ut de utroque causarum genere disseramus, separatim autem de his, quæ cum intelligentia effectrices sunt pulchrarum rerum atque bonarum, et de iis rursus, quæ vacantes prudentia quodlibet passim sine ordine faciunt. at de secundis quidem causis oculorum, ad eam vim, quam habent, conducentibus, satis esse dictum puto : maximum vero opus, cujus gratia utiliter nobis a Deo donati sunt, deinceps explicandum censeo. [47] rerum enim optimarum, ut arbitror, cognitionem nobis oculi attulerunt. nam hæc, quæ de mundo disputantur, nunquam inventa essent, si neque sidera neque sol neque cœlum suspici potuissent : cognitio vero diei ac noctis, ab oculis orta, fecit, ut dinumeratione quadam mensium annorumque ambitus metiremur, tempus cognosceremus, universæ naturæ ordinem scrutaremur. quibus ex rebus philosophiam adepti sumus ; quo bono nihil unquam majus mortalium generi datum est Deorum munere, neque dabitur. hoc igitur maximum oculorum beneficium esse dico : minora alia prætereo. quibus, qui a philosophia alieni sunt, orbati si querantur, frustra querentur. nobis vero asserendum est ob hanc potissimum rationem Deum oculos genuisse, ut mentis circuitus, qui in cœlo peraguntur, intuiti in usum redigamus nostræ mentis, cogitationisque nostræ discursiones illis cognatas, sed perturbatas quodammodo ad illorum temperiem revocemus. et cum illos agnove-

rimus, et recta ratione secundum naturam prædíti singulorum ordinem perceperimus, conversiones Dei, quæ sine ullo errore aguntur, imitemur, atque ad earum exemplum discursiones nostræ cogitationis vagas et erraticas componamus. Vocem quoque auditumque ejusdem rei gratia Deos dedisse nobis existimo. nam ad hæc ipsa sermo pertinet, plurimumque conducit ; omnisque musicæ vocis usus harmoniæ gratia est tributus. atqui et harmonia, quæ motiones habet animæ nostræ discursionibus congruas atque cognatas, homini prudenter Musis utenti non ad voluptatem rationis expertem, ut nunc videtur, est utilis : sed a Musis ideo data est, ut per eam dissonantem circuitum animæ componamus et ad concentum sibi congruum redigamus. rhythmus quoque ad hoc videtur esse tributus, ut habitum in nobis immoderatum gratiaque carentem aptissime temperemus. Hactenus opera mentis, paucis exceptis, tractavimus. oportet autem de his quoque, quæ, necessitas invehit, dicere. [48] mundi enim hujus generatio ex necessitatis mentisque cœtu mixta est. nam cum mens necessitati dominaretur, propterea quod persuadendo eam ad optimos ut plurimum rerum eventus induceret, ipsaque hac ratione cedens sapienti persuasioni pareret, mundi hujus exordia constiterunt. oportet igitur eum, qui mundi constitutionem vere narraturus erit, erraticæ quoque causæ speciem pro naturæ ipsius instinctu miscere. quod ita commode fiet, si horum ipsorum convenienti principio sumpto, sic de his, quemadmodum de superioribus, ab ipsa rursus origine disseramus. naturam ergo et passiones ignis, aquæ, aëris atque terræ, generationem cœli præcedentes, considerabimus. nullus prefecto ad hoc usque tempus eorum generationem ostendit : sed quasi notum sit, quid sit ignis et reliqua, sic de illis verba facimus, eaque mundi primordia constituimus, cum nec syllabarum quidem, nedum elementorum, vicem tenere apud homines mentis quoquo modo compotes debeant. nos vero in præsenti nihil de principio universorum, sive principiis, sive quomodocunque aliter id appelletur, dicendum putamus. cui quidem disputationi nihil aliud impedimento est, nisi quod difficile sit præsenti disputandi modo, quæ de his videntur, exprimere. neque igitur vos id exspectabitis, neque ego mihi persuadebo recte me tantum opus aggredi posse. quod autem ab initio dixi, verisimilitudinis vim servabimus, studebimusque in rationibus verisimilibus circa hæc assignandis nulli cedere : atque ita singula et universa a principio exponemus. deum igitur etiam nunc, disputationis servatorem, in primis oremus, ut nos ex admirabili et insolita expositione ad verisimilem doctrinam traducat : atque ita instituti disputationem exordiamur. sed hanc de universo disputationem ab ampliori divisione, quam supra, ducamus. tunc enim duas in species facta divisio est ; nunc tertium genus addendum. duo enim in superioribus sufficiebant, unum quidem exemplaris loco, semper idem solaque intelligentia comprehendendum : [49] alterum simulacrum ab hoc exemplari deductum, generationi oculisque subjectum. cum vero duo hæc sufficere putaremus, tertium non adjunximus. nunc autem cogere nos ratio videtur, ut difficilem et obscuram speciem declarare conemur. quam igitur vim, quamve naturam habere putandum ? hanc utique, generationis horum omnium receptaculum et quasi nutricem esse. quod quamvis vere dicatur, paulo tamen apertius est dicendum. arduum id quidem, eo maxime, quod ad hujus rei demonstrationem dubitare prius necesse est et inquirere de igni et reliquis, quæ elementa vocantur, quid istorum aquam potius quam ignem, aut aërem potius quam terram, aut certum aliquid unum magis quam cuncta vocare oporteat. difficile sane certum aliquid et firmum de istis asserere. quonam igitur pacto, et qua ratione ? et quid probabile in hujusmodi inquisitione dicemus ? principio id corpus, quod modo aquam nominavimus, quando in solidam concrescit materiam, lapis et terra fieri videtur : quando vero liquescit et diffluit, spiritus atque aër. item aër exustus ignis

efficitur : ignis exstinctus et corpulentior factus aërem creat. rursus crassior factus aër in nebulas nubesque concrescit. his etiam magis compressis pluviæ defluunt. ex aqua rursus terra lapidesque gignuntur. atque ita videmus hæc omnia circuitu quodam sibi invicem vices fomentaque generationis vicissim tribuere. quæ cum nunquam eadem appareant permanere, quisnam sine rubore redargutionisque suspicione poterit istorum aliquid unum potius quam aliud certe et firmiter appellare? nemo certe. quare tutissimus in his hic erit loquendi modus : hoc, quod semper alias aliter formatum, videtur, et plerumque juxta ignis effigiem, non est utique ignis hoc aliquid, sed tale, id est, igneum quiddam ; nec aqua hoc aliquid, sed tale quid, id est, aqueum ; nec aliud quicquam, velut ullam habens stabilitatem. denique nec pronominibus quidem ullis hæc signanda sunt, quibus in rei cujuslibet demonstratione, cum hoc vel istud dicimus, uti solemus : fugiunt enim, nec exspectant vel eam demonstrationem, quæ hoc et hujus et huic designat, vel appellationem, quæ de his tanquam de exsistentibus et stabilibus habeatur. igitur hujusmodi omnia neque hoc neque istud, sed tale potius aut tale propter similitudinem aliquam appellare debemus. et ignem quidem ubique tale, ac de ceteris, quæ gignuntur, eodem pacto. at vero illud, in quo fieri singula hæc videntur ac deinde dissolvi, [50] solum iis pronominibus, quibus hoc vel istud signamus, appellandum puto. quale vero quodammodo, calidum scilicet vel album vel aliquid tale contrariorum vel ex contrariis, illud minime appellandum. sed apertius, quod volumus, exponamus. si quis enim cunctas figuras, ex una eademque auri materia fictas, continue in alias et alias reformet, deque una quadam illarum præsens aliquis, quid sit, quærat, vere admodum et tutissime respondere possumus aurum illud esse : triangulum vero esse aut aliam figuram earum, quæ impressæ in eo sunt et continuo permutantur, quasi revera sint, non licet dicere. sola quippe illa responsione, tanquam tutissima, contenti esse debemus. eadem de illa natura, quæ cuncta recipit corpora, ratio est : idem semper esse dicenda est, siquidem ex propria potentia recedit nunquam. suscipit enim semper omnia ; nec ullam unquam iis similem ullo pacto sibi formam contrahit. omnis sane naturæ fictioni subjecta est, agitataque ab ingredientibus et figurata quodammodo, alias aliter se habere videtur : quæ vero ingrediuntur et exeunt, vere ac semper exsistentium rerum simulacra sunt, miro et vix explicabili modo ab ipsis rebus, quæ vere sunt, figurata, quemadmodum deinceps narrabimus. tria in præsenti genera sumenda sunt : unum, quod gignitur : aliud, in quo gignitur : aliud, a quo similitudinem trahit, quod nascitur. iccirco comparare hæc ita decet : quod recipit, matri : unde recipit, patri : naturam istorum mediam proli. sed ita intelligendum est, quod cum esse debeat effigies rerum omni formarum varietate distincta, nunquam illud ipsum formationis hujus gremium bene erit præparatum, nisi informe sit et suapte natura omnibus formis, quas recepturum est, careat. nam si erit alicujus eorum, quæ in se recipit, simile, cum contrariam ejus, cujus simile est, naturam aut aliam prorsus suscipiet, nequaquam ejus similitudinem et effigiem exprimet, cum præ se tulerit suam. quo fit, ut nullam sibi propriam habat speciem, quod est omnia genera suscepturum. ut qui unguenta suaviter redolentia confecturi sunt, humidam materiam, quam certo condire odore volunt, ita præparant, ut odorem nullum proprium habeat ; et qui materiis mollibus impressionique cedentibus figuras imprimere aliquas volunt, nullam omnino priorem in eis figuram apparere patiuntur, sed exactissima quadam lævigatione eas poliunt : [51] ita illud, quod in omnibus passim æternorum omnium simulacris recte figurandum est, his omnibus formis natura sua carere necesse est. quamobrem universi, quod et genitum est et sensibus omnibus manifestum, matrem ipsam receptaculumque, ne-

que terram neque aërem neque ignem neque aquam esse dicamus, neque rursus ex his aliquid constitutum aut aliqua, ex quibus proprie hæc ipsa subsistunt: sed invisibilem potius speciem quandam et informem sinum omnium capacem, qui modo quodam ambiguo et vix explicabili divinæ et intelligibilis naturæ fit particeps. ipse quidem comprehendi per se nullo pacto potest: sed quantum ex supra dictis naturam ejus attingere licet, sic utique recte possumus dicere; ignem quidem partem ejus ignitam videri: humefactam vero partem aquam: terram quoque aëremque similiter, quatenus ipsorum simulacra suscipit. sed de his ita distinguentes ratione considerare debemus: sitne ignis aliquis seorsum a materia ipse permanens in se ipso, et cetera, quæ sæpe dicimus per se ipsa manere? an hæc sola sunt, quæ corporis sensu percipimus, et talem in se continent veritatem: nec ullo pacto præter hæc ulla sunt uspiam, sed frustra intelligibilem uniuscujusque speciem aliquam ponere solemus, nec aliud hæc sunt quam verba. quod quidem neque ita vel aliter se habere, temere et sine examinatione asserendum, neque ad præsentem disputationem natura sua prolixam alia quoque prolixa et ad rem minime pertinens addenda videtur. ea vero circumscriptio, quæ brevibus magna comprehendat, admodum opportuna videbitur. ita igitur ipse meam hac de re sententiam feram. si intellectus et vera opinio duo genera sunt, necesse est hujusmodi species esse, quæ per se ipsæ sint, et intelligentia potius quam sensibus comprehendantur: sin autem, ut quibusdam videtur, vera opinio ab intellectu nihilo differt, omnia, quæ corporis sensus attingit, certe habenda sunt. sed opinor duo esse dicenda, quia seorsum sunt facta et dissimilia sunt. quippe quorum alterum doctrina nobis insinuat, alterum persuasio: et illud quidem semper cum ratione vera, hoc autem sine ratione: illud nulla persuasione mutabile, hoc contra huic mutationi subjectum. veræ quidem opinionis vir quilibet particeps: intelligentiæ vero Dii quidem omnes, homines vero pauci admodum participes sunt. quæ cum ita se habeant, fateri oportet esse speciem, quæ semper eadem sit, sine ortu atque interitu: [52] quæ nec in se accipiat quicquam aliud aliunde, nec ipsa procedat ad aliud quicquam; sensuque corporis nullo percipiatur: atque hoc est, quod ad solam intelligentiam pertinet, ejusque intentionis est proprium. sed est aliquid post hoc, quod cum ipso non ratione, sed nomine convenit, ejusque similitudinem gerit, genitum, sensibus manifestum, quod fertur et sustentatur ab alio semper, et in aliquo loco gignitur, rursusque inde recidit, opinione per sensus comprehendendum. tertium genus locus est, qui interit quidem nunquam, sed omnibus, quæ gignuntur, sedem exhibet. hic sine tangentis sensu tangitur, adulterina quadam ratione vix opinabilis. denique cum ad hunc animo respicimus, somniamus quodammodo, necessariumque putamus, ut, quicquid est, in aliquo sit loco positum regionemque obtineat aliquam; et quod neque in terra neque in cœlo sit, minime esse credimus: atque has omnes et similes passiones a pervigili vereque exsistente natura, ipsi hujusmodi somniis occupati, secernere non valemus. ideoque nec discernere id etiam possumus, quod imagini quidem, postquam id ipsum, in quo facta est, non ipsius est, sed ea semper alterius fertur simulacrum, non injuria convenit, ut in alio quodam sit, atque ita quodammodo essentiæ fiat particeps, aliter vero esse nullo modo possit. ei autem, quod vere est, vera hæc et exquisita ratio suffragatur, docens quod, dum res ita se habet, ut hoc quidem aliud sit et illud aliud, neutrum in neutro unquam factum unum simul idem et duo fient. hæc tandem meæ mentis summatim sententia sit, esse et ante cœli ortum ratione triplici fuisse tria hæc, exsistens, locum et generationem. generationis vero nutricem, ignitam et humefactam, terræ item et aëris formas suscipientem, passionesque horum pedissequas perpetientem, omniformem aspectu videri: verum quia nec similibus neque ad

pondus exæquatis viribus referta est, nulla ex parte æquilibrem esse, sed inæqualiter undique vergentem declinantemque ab illis quidem, quæ diximus, agitari, rursusque ipsam commotam eadem agitare : quo pulsu concita in diversa raptari atque discerni, perinde ut quæ in frumenti purgatione pistoriis instrumentis jactata atque excussa discerni vedemus, atque alio solida graviaque, alio rara et levia ferri. [53] sic illa tunc quatuor genera ab ipso eorum receptaculo, instrumenti illius pistorii instar, tumultuante et discernente commota, dissimillima quæque a dissimillimis longe separabantur, simillima vero rursus coibant : atque iccirco etiam ante mundi exornationem sedibus divisa erant. sed neque his ratio inerat neque modus : at vero ubi cuncta redigi ad modum placuit, Deus ignem primo ac terram aëremque et aquam, quæ quidem elementorum præferebant vestigia, sed ita erant affecta, ut par est illa, a quibus Deus abest, distinctis figuris, speciebus et numeris exornavit. ea vero apud nos sententia semper rata indubiaque præ ceteris habeatur, quod Deus illa, cum talia non essent, quam pulcherrime optimeque fieri poterat, ordinavit. nunc jam dispositionem genituramque ipsorum sigillatim demonstrari convenit, novo quidem et inusitato demonstrationis genere, sed vobis, qui omnes eruditionis ingenuæ vias peragravistis, plano atque perspicuo. Principio, quod ignis et terra, aqua et aër corpora sint, nemo utique dubitabit. omnis autem corporis species profunditatem habet. profunditatem vero planis constare necessarium est. rectitudo porro planæ basis ex triangulis constituitur : atque trianguli omnes ex duobus initium habent, habentibus utrisque rectum angulum unum, acutos duos. quorum alter utrinque anguli recti partem obtinet, æqualibus distincti lateribus ; sed in altero inæqualibus inæqualia distribuuntur. igitur per rationes probabiles necessitati conjunctas incedentes, ignis ceterorumque corporum hujusmodi ponamus exordium. superiora vero his horum principia Deo nota sunt atque ei, qui Dei sit amicus. videamus igitur, qua potissimum ratione quatuor corpora pulcherrima fiant : dissimilia quidem inter se, sed quæ in se invicem dissolvantur et ex se invicem generentur. si id comprehenderimus, veritatem ipsam de generatione ignis terræque et eorum, quæ competenti ratione servata horum media fiunt, tenebimus. tunc enim nemini concedemus, dicenti alicubi esse oculis patentia pulchriora his corpora, quorum quodlibet secundum unum sit genus. conandum igitur quatuor corporum genera pulchritudine præcellentia constituere : atque ita asserere horum nos naturam sufficienter comprehendisse. e duobus quidem triangulis isosceles, id est, qui cruribus constat æqualibus, unicam habet naturam : qui vero altera parte est oblongior, infinitas. ergo, si recte exordiri volumus, infinitorum quoque pulcherrimum præcligere nos oportet. [54] ac si quis pulchriorem a se electum ad horum constitutionem afferre voluerit, ejus, non tanquam adversarii, sed tanquam amici, sit sententia potior. unum itaque, reliquis posthabitis, triangulorum multorum pulcherrimum ponimus, a quo æquilater triangulus ex tertio constitit. ratio vero, cur ita sit, prolixior esset. at eum, qui diligenti dicussione ita esse comperiet, dulce manet victoriæ præmium. Propositi sane nobis sint duo e multis trianguli, ex quibus ignis ceterorumque corpora composita sunt. horum unus isosceles sit, æqualibus cruribus constans triangulus : alter vero sit ille, qui longius latus semper breviore latere potentia triplo majus habet. verum, quod securi nimium in superioribus diximus, nunc magis est distinguendum. videbantur quidem nobis, neque id quidem satis recte, omnia quatuor genera ex se invicem generari. profecto quatuor genera ex triangulis, quos elegimus, generantur. tria quidem ex uno, inæqualia habente latera : quartum vero unicum ex triangulo isoscele componitur. non igitur possunt omnia ita in se invicem resolvi et commutari, ut ex multis parvis pauca ingentia, vel converso, efficiantur. tria certe possunt. cum enim

ex uno hæc facta sint omnia, quando majora solvuntur, multa exigua ex eisdem constituuntur, parvas congruasque sibi figuras adepta : rursus, quando multa per triangulos disperguntur amplificata, unum unius molis faciunt numerum, magnamque aliam speciem unam perficiunt. hæc utique de mutua ipsorum generatione dicta sint hactenus. reliquum est, ut, qualis quæque eorum facta sit species, et ex quibus concurrentibus numeris coacervata, dicamus. erit utique prima species, quæ ex paucissimis composita fuerit, elementum ejus, quod latus oblongius breviori latere duplo majus habet. cum vero bini hujusmodi secundum diametrum componantur, terque id fiat, et diametri lateraque breviora in idem quasi centrum ducantur, unus triangulus æqualiter ex triangulis numero sex conficitur. trianguli autem æquilateres quatuor compositi secundum ternos planos angulos, unum solidum faciunt angulum, qui angulum planorum omnium obtusissimum deinceps ortu subsequitur. [55] atqui triangulis hujusmodi quatuor natis, prima solida species totius circumferentis distributiva in partes æquales ac similes oritur. secunda vero ex eisdem quidem triangulis, sed secundum æquilateres triangulos octo constitutis, unum facientibus solidum angulum ex planis quatuor, factisque sex hujusmodi corpus secundum absolvitur. at tertium ex elementis bis sexaginta copulatis et angulis solidis duodecim, quorum quilibet quinque planis triangulis æquilateribus continetur, habens viginti æquilateres bases, nascitur. jam igitur elementum alterum sic hactenus ista genuerit. verum isosceles triangulus quarti generavit naturam, secundum quatuor constitutus, et ad centrum rectos congregans angulos, unumque quadrangulum æquilaterem faciens. sex vero hujusmodi copulati angulos octo solidos, quorum quilibet per tres planos rectos coaptatus est, effecerunt. corporisque ita constituti figura cubica facta est, sex planos quadrangulos æquilateres bases adepta. est et quinta quædam compositio, qua Deus ad universi constitutionem est usus, eaque descripsit et figuravit, quæ contemplatus aliquis non absurde dubitaverit, utrum infinitos esse mundos an finitos existimandum sit. infinitos quidem dicere illius putabit esse proprium, qui nullam rerum cognitione dignarum peritiam habeat. sed utrum unus mundus an quinque revera nati sint, inquirere minus utique putabit absurdum. ratio quidem nostra unum ipsum verisimili probatione asserit esse natum. alius vero quis, ad alia respiciens, aliter opinabitur. sed hæc dimittenda sunt, et jam genera quatuor a nobis paulo ante digesta, in ignem, terram, aquam aëremque distribuamus. terræ cubicam speciem assignemus. nam omnium quatuor maxime immobilis terra est, et corporalium omnium compacta maxime. tale vero illud præcipue factum esse necessarium est, quod firmissimas tutissimasque possidet bases. in triangulis porro a principio positis, qui æquilateres sunt, firmiorem tutioremque quam inæquilateres basem possident. et quod ex utroque compositum est planum æquilatere æquilateri quadrangulum, certe triangulo, tam quoad totum quam quoad partes, stabilius necessario provenit. [56] quamobrem si convenientem probabilemque sequi rationem velimus, terræ id tribuamus : aquæ deinde, quod tribus reliquis est immobilius : igni, quod mobilissimum : aëri medium. et corpus quidem minimum igni, aquæ maximum, aëri medium. acutissimum quoque igni, secundum ab hoc aëri, aquæ tertium. ex his omnibus quod bases paucissimas habet, velocissimum esse necessarium est. est enim ad penetrandum promptissimum, quippe cum prorsus sit omnium acutissimum : levissimum quoque, cum ex paucissimis partibus eisdem constet. quod secundum est, secundo loco habeat hæc oportet : tertio tertium. igitur secundum rectam probabilemque rationem pyramidis species solida elementum semenque sit ignis. secundam vero generatione speciem aëri, aquæ tertiam tribuamus. de his omnibus adeo parvis ita putandum est, quod, si singula duntaxat singulorum generum capiantur, nullum eorum propter par-

vitatem cerni a nobis poterit : sin multa invicem congregentur, eorum moles magnitudinesque cernentur. quin etiam hæc omnia a Deo tanta ubique, quoad multitudines, motus atque potentias, proportione exacte absoluta connexaque sunt, quantam necessitatis natura libens et persuasa capere poterat. Ex omnibus sane, quorum genera supra narravimus, ita merito se res habere videtur. terra cum in ignem inciderit, ejus acumine dissoluta fertur, resoluta in ignem aut aërem aut aquam, quousque partes ipsius congressæ iterum sibique invicem copulatæ terram reficiant. non enim in aliam unquam speciem transmigraret. aqua præterea ab igne vel aëre divisa in partes, unum, partibus suis reconciliatis, ignis corpus, aëris duo facit : portiones vero aëris ex una dissoluta parte duo ignis corpora faciunt. rursus quando ignis ab aëre vel aqua vel terra aliqua occupatur, et ipse quidem paucus in multis movetur, atque in agitatis pugnat jactatusque distrahitur, duo corpora ignis in speciem aëris unam concrescunt : deinde superato aëre atque disperso, ex totis duobus atque dimidio una aquæ tota species coalescit. denique sic ea rursus consideremus. [57] quotiens ab igne comprehensum aliorum genus aliquod angulorum laterumque ipsius acumine scinditur, tum demum discerpi desinit, cum in ignis naturam transierit : simile enim idemque genus quodlibet a simili eodemque minime patitur : quousque vero in aliud permutatur, imbecilliusque cum potentiore luctatur, dissolvi non desinit. rursus quando minora a multis majoribus circumventa sunt, et pauca lacerata exstinguuntur, cum in vincentis ideam constitui velint, cessant exstingui, fitque ex igni aër, ex aëre aqua. quod si in hæc transitus fuerit, et aliorum aliquod genus impugnet, non cessant agitata dissolvi, priusquam aut omnino, cum dissolubilia sint, depulsa ad cognatum refugiant ; aut expugnata in unum quiddam ex multis superanti simile tandem evadant, familiariterque cum victore permaneant. enimvero per has passiones sedes vicissim cuncta commutant. generis namque cujuslibet multitudines per locum proprium distinguuntur, ob sedis ipsius agitationem : quæ vero dissimilia invicem facta sunt, propter fluctum concussionemque ad locum eorum, quibus similia evasere, feruntur. Corpora igitur immixta ac prima ex causis hujusmodi fabricata sunt. quod autem in eorum speciebus alia quoque innata sunt genera, causa est elementi utriusque constitutio, quæ non solum ab initio unum cum magnitudine triangulum peperit, sed etiam majora et minora, tot quidem numero, quot in speciebus sunt genera. quapropter mixta hæc in se ipsis atque invicem infinitam habent varietatem : cujus peritos esse eos oportet, qui de natura sunt rationem probabilem reddituri. Igitur nisi quis, quo pacto et cum quibus una motus et constitutio fiat, certe comprehenderit, multa disputationi, quæ manet a tergo, impedimento futura videntur. de his partim quidem dictum est, partim vero restat dicendum. in ipsa leni planaque natura motus esse nunquam solet. nam agitandum absque agitaturo vel agitaturum absque agitando difficile est, immo impossibile, reperiri. motus autem horum omnium minime est. hæc vero lenia planaque esse nunquam possunt, sic itaque statum quidem in planitie lenitateque, motum vero in contraria semper natura ponemus. [58] inæqualitas porro naturæ hujus est causa, quæ leni planoque contraria est. inæqualitatis vero generationem jam tractavimus ; sed quonam modo singula secundum genera non divisa moveri invicem ferrique desinunt, nequaquam exposuimus. id ergo deinceps sic explanabimus. universæ naturæ circuitus cum circulari ambitu suo genera complexus sit, et secum ipso congredi studeat, constringit omnia ; locumque vacuum relinqui nusquam patitur. quocirca ignis per omnia maxime penetravit, deinde aër, utpote qui ipsi tenuitate est proximus ; et alia simili ratione deinceps. quæ enim ex maximis partibus sunt composita, vacuitatem quoque in sua constitutione maximam reliquere : minima contra minimam. coarctationis

autem ipsius angustia, parva in magnorum contrudit inania. quare cum parva magnis insinuata sint, et ipsa quidem parva quæ magna sunt discernant, majore vero minora coërceant, omnia sursum deorsumve in sua loca feruntur. nam quodlibet mutata magnitudine sedem mutat. sic utique et has ob causas naturæ lenitati contrariæ semper generatio conservata, horum motum et in præsenti et in futuro perpetuum exhibet. Post hæc sciendum est multa esse ignis genera : flammam videlicet, et quod ab ea est accensum ; quod urit quidem, lumen vero nullum oculis affert : quodve exstincta flamma intra illa, quæ accensa fuerant, remanet. similiter aëris genus aliud purissimum agilissimumque, quem ætherem nuncupant ; aliud turbulentissimum caligine nubibusque obscurum : aliasque species sine nomine esse putandum est, propter ipsam triangulorum inæqualitatem. Aquæ genera duo sunt præcipua : unum humidum, alterum fusile. humidum quidem, quia generibus aquæ parvis et inæqualibus constat, facile a se ipso et ab alio propter inæqualitatis conditionem et figuræ speciem moveri solet. quod autem ex grandioribus æqualibusque et lenibus est compositum, stabilius illo, et grave propter lenem æqualitatem compactum est, sed propter ignis penetrantis dissolventisque impetum æqualitate amissa motus fit particeps : factumque agile mobileque, a proximo aëre pulsum extensumque per terram, duo quædam patitur : nam et liquescit et in terram decidit. primum illud molis purgatio, hoc fluxus cognominatur. rursus igne hinc evolante, quippe cum non fiat in vacuum exitus, [59] proximus aër pulsus mobilem adhuc molem humidam in ignis sedes impellit, ipsique ipsam commiscet. moles denique compulsa, iterumque lenem æqualitatem adepta, cum ignis inæqualitatis artifex jam abierit, in idem secum coacervatur : atque ignis abscessum frigefactionem, copulam vero congressumque, igni abeunte factum, conglutinationem gelidamque rigiditatem vocamus. ex his vero quas aquas fusiles appellavimus, quod ex tenuissimis lenissimisque fit densissimum, uniforme, splendidum flavumque, pretiosissima res est, aurum florescens per petram compactum est. auri autem ramus, propter densitatem durissimus et nigro præterea colore suffusus, adamas appellatur. sed quod auro proximas habet partes, pluresque una species continet, auro quoque densius, et terrenæ partis paucæ tenuisque particeps, adeo ut asperius duriusque sit, verum ex eo, quod intervalla intrinsecus habet magna, levius est, hoc genus nitentium concretarumque aquarum unum est, atque æs nominatur. at quando terrena pars huic immixta propter vetustatem a ceteris partibus ejus secernitur, ad extremamque emissa superficiem per se ipsa aspectui patet, rubigo jam nascitur. cetera generis ejusdem verisimilibus rationibus assequi haudquaquam laboriosum est. quod si quis remittendi studii gratia, rationibus eorum, quæ semper sunt, intermissis, consideraverit verisimiles de generatione probationes, atque ejusmodi consideratione sine pœnitentiæ accessione delectetur, moderatum in vita prudentemque ludum consequetur. his utique nunc ita concessis, deinceps, quæ de eisdem probabilia videbuntur, ita percurrenda videntur. Igni sæpe miscetur aquæ pars tenuis atque humida fluidaque, sic ideo nominata, quia lubrica terra circumfluit : mollis quoque ob eam causam, quia ejus bases minus firmæ stabilesque quam terræ, facile cedunt atque labuntur. hæc quando ab igni destituta, ab aëre quoque deseritur, fit lenior, et alienis expressis cogitur in se ipsam : atque ita compacta, si supra terram id contigerit, grando fit ; si in terra, glacies. quæ quidem tunc fiunt, cum riget cohærescitque maxime gelu : cum vero minus congelatur, si supra terram accidit, nix, sin in terra ex rore crassior facta, pruina. verum quando plurimæ aquæ species invicem commiscentur, universum illud genus, a terra per arbores stillans, liquor humorque vocatur. [60] liquores vero singuli, propter mixtiones dissimilitudinem nacti, multa quidem alia sine nomine faciunt genera. sed quatuor igneæ species evi-

dentes et perspicuæ maxime sortitæ sunt nomina. quod enim animam simul cum corpore calefacit, vinum dicitur : quod vero lene est, discernitque visum, ideoque aspectu splendidum atque nitens et pingue nobis apparet, uncta et olearia species est, pix, gummi et oleum ceteraque id genus. at quod oris angustos meatus ad penetralia usque naturæ perfundit, hac vi dulcedinem adhibens, mel communiter nuncupatur. denique quod carnem dissolvit uritque et spumeum est, ex omnibus secretum liquoribus, succus vocatur. Terræ vero species per aquam emergens hoc modo fit lapis. congelata enim aqua, quando in commixtione deficit, in aëris speciem transit : hic aër suum in locum recurrit. vacuum autem ipsorum nihil : proximum ergo aërem pulsat. iste si gravis sit, pulsus circumfususque terrenæ moli vehementer illidit, seque ipsum in eas sedes, unde novus ascenderat aër, conducit. terra denique, ab aëre indissolubiliter cum aqua coacta, lapides concreat : pulchriores quidem illos, qui perspicue ex æqualibus planisque partibus emicant ; deformiores vero, qui contra. ubi vero ignis acumine humor omnis resolvitur, corpusque illo aridius redditur, ea restat species, quæ solida vocatur fusilisque tellus. quandoque etiam humore relicto, terraque fusili per ignem facta, ac deinde accedente gelu, niger fit lapis. quando vero id ipsum similiter ex commixtione multo privatur humore, sed tenuioribus terræ partibus constat, salsumque est, et semiglaciale fit, perque aquam emergit, partim quidem olei terræque purgatorium genus nitrum dicitur ; partim vero quotidiano victui commodissimum legitime, sal Deo amicum corpus. At enim communia ex utrisque, aqua quidem non solubilia, igni vero propter tale aliquid ita conglutinantur. ipsas terræ moles ignis et aër non liquefacit. cum enim duo hæc tenuissima sint et vacuitatibus terræ minutiora, ita per capacissimos ejus meatus sine ulla violentia permanant, ut neque eam dissolvant neque liquefaciant. aquæ vero partes, quia majores sunt, violento fluxu liquefaciunt. [61] terram itaque male compactam sic sola aqua vi solvit, compactam vero dumtaxat ignis : nihil enim præter ignem hanc penetrat. aquæ rursus concretionem, violentissimam quidem solus ignis, debiliorem vero utraque, et ignis et aër, diffundunt : aër, inquam, per vacua, ignis etiam per triangulos. aërem vero vi constrictum nihil nisi per elementum solvit : sine vi cohærentem solus resolvit ignis. corpora ex aqua terraque ita composita, ut aqua terræ inania vi coarctata obstruat, sic prorsus se habent, ut aqua exterior influere per ea non possit, ideoque minime liquefaciat : sed ignis, aquæ meatus penetrans, quemadmodum et aqua terræ inania, atque ita aquam afficiens, ut ignis aërem, communi corpori liquefactionis causam præbeat. hæc vero partim aquæ minus habent quam terræ, quemadmodum vitri genus, et lapides illi, qui fusiles apellantur : partim contra plus aquæ, qualia sunt omnia, quæ conglutinata sunt cereaque evadunt et vapores emittunt. Hactenus eas species, quæ figuris, communionibus commutationibusque invicem variantur, pæne jam demonstravimus : quas vero ob causas passiones earum nascantur, deinceps demonstrare conabimur. principio sensum his, quæ dicta sunt, adesse semper oportet. carnis vero et eorum, quæ ad carnem attinent, generationem, animæ quoque quantum mortale est, nondum declaravimus. sunt enim hæc a passionibus, quæcunque cum sensu sunt, minime separata, et illæ sine his exponi sufficienter non possunt ; simul vero expleri ferme nequeunt. primo igitur alia ponenda sunt, deinde, quæ sequuntur, expedienda. ut ergo deinceps in disputando genera passiones ipsæ sequantur, prima nobis exstent, quæ ad corpus et animam pertinent. In primis, qua ratione ignis calidus dicitur, videamus : quod ita demum perspiciemus, si discretionem divisionemque, ab eo in nostro corpore factam, consideremus. quod enim acumen quoddam ea passio est, ferme est omnibus manifestum : tenuitatem vero angulorum laterumque subtilitatem, parvitatem particularum, motus velocita-

tem, quibus omnibus vehemens et penetrans est, velociterque, quod occurrit, dividit semper et dissipat, considerare debemus, figuræ ipsius generationem memoria repetentes. [62] ea quippe, non alia natura, corpora nostra dividens, et in partes exiguas partiens, merito passionem illam, quæ legitime calor nominatur, inducit. contraria vero huic passio, licet cuique manifesta, sua tamen exp'anatione non careat. humidæ namque partes corporum, partibus nostris humidis grandiores, cum in corpus influunt nostrum, minores quidem partes extrudunt, sed in earum sedes sese insinuare non possunt: humorum autem nostrum coagulant, atque ex inæquali et agitato immobilem propter æqualitatem coagulumque faciunt, inque angustum cogunt. quod autem præter naturam coactum est, secundum naturam renititur seque revocat in contrarium. in hac reluctatione quassationeque tremor rigorque consistit: omnisque hujusmodi passio frigus, quodve eam infert, frigidum nominatur. Durum autem dicimus illud, cui caro nostra cedit: molle, quod carni: resque ipsas invicem et duras et molles eadem ratione vocamus. cedit autem, quicquid parvo nititur. quod vero ex triangularibus basibus firmamentisque est, utpote plano vehementer innixum, renititur maxime atque resistit: quodve summopere densum est, contra venientia vehementer repercutit. Grave præterea et leve cum ea natura simul, quæ sursum deorsumve dicitur, commodissime declarabitur. sed illud dictu absurdum est, esse duo quædam natura loca, a se invicem longo intervallo distincta, et unum quidem deorsum vocari, ad quem locum ea deferantur omnia, quæcunque molem quandam corporis habent; alterum vero sursum, ad quem vi omnia moveantur. cum enim cœlum omne rotundum sit, quæcunque a medio æque distantia extrema facta sunt, similiter esse oportet extrema. medium quoque æqualibus lineis ab extremis undique distans, e regione æque omnia respicit. quoniam igitur ita mundus dispositus est, si quis dictorum quicquam sursum esse dixerit vel deorsum, non injuria errare videbitur. medius enim locus in ipso neque sursum neque deorsum dici debet, sed medius. quod rursus undique circuit, neque medium est neque partem in se habet aliam ab alia differentem, quoad ipsum medium, et omnino quicquid sit e regione locatum. ei vero, quod sui ipsius simillimum est, contraria nomina jure nullus attribuet. si quid enim solidum æquilibratumque in universi medio sit, ad nullam extremorum partem propter perfectam ipsorum similitudinem declinabit: [63] at si quis circa illud obambulet, sæpe sibimet plantis stabit oppositis, eandemque illius partem tum sursum tum deorsum vocabit. itaque universum, quemadmodum paulo ante diximus, cum sit rotundum, locum habere superiorem aut inferiorem vir prudens minime affirmabit. sed unde nominata sunt ista, et in quibus ea intuiti, ex illis ad mundum totum transtulimus, hujusmodi quædam in primis ponentes investigemus. si quis in ea mundi regione, quam ut plurimum sortitus est ignis et ad quam undique fertur, insideat, vimque aliquam nanciscatur, per quam ignis partes arripiat libretque, aut ubi in stateræ lancibus collocavit, ut deorsum in dissimilem detorqueat aërem: constat plane minorem ignis portionem majori facilius coactum iri. ubi enim duo simul uno robore suspenduntur, minus quidem magis, plus autem minus inferenti vim cedit. et unum quidem grave deorsumque ferri dicitur, alterum vero sursum ac leve. idem nobis terram habitantibus accidit. nam terræ innixi perque eam gradientes terrena genera invicem separamus atque distinguimus, et sæpe terram in dissimilem aërem jacimus violenter præterque naturam, sæpe partes utrasque, cognatæ naturæ participes. hic portio minor facilius quam major, ad dissimilem locum jacta, prius violentiæ cedit: eamque levem cognominamus, et locum, ad quem compellimus, sursum: contrariam his affectionem grave quiddam atque deorsum. hæc utique differre invicem necessarium est, prop-

terea quod generum multitudines locum aliis contrarium obtinent. quod enim in alio loco leve est, levi, quod in loco est contrario : et grave similiter, gravi : et ei, quod deorsum dicitur, id quod deorsum : eique, quod sursum, id quod dicitur sursum. omnia enim hæc transversa invicem et contraria ac penitus differentia esse fierique reperientur. unum tamen id de his omnibus cogitandum, quod via gressioque singulorum, ad simile atque cognatum ferens, grave facit id, quod fertur : locum vero, in quem tale quid fertur, deorsum. quæ aliter se habent, aliter afficit. harum igitur passionum hujusmodi quædam dictæ sint causæ. Lævis item et asperæ passionis causam quilibet intuitus aperire aliis poterit. durities enim hanc inæqualitati permixta, illam vero æqualitas exhibet densitati. [64] Sed earum passionum, quæ circa totum corpus communiter accidunt, ea restat maxima, quæ voluptatis doloris-que est causa in his, quæ diximus : similiter quæcunque per corporis partes sensibus patent, doloresque et voluptates cient. ita igitur omnis tam sensibilis quam insensibilis passionis causas capiamus, inprimis memoria repetentes, quod de ea natura, quæ facile movetur, deque ea, quæ movetur difficile, supra distinximus. hoc enim pacto ea persequi debemus omnia, quæ comprehendere cupimus. quando in id, quod facile moveri solet, aliqua vel brevis incidit passio, partes ejus quælibet sequentibus partibus undique passionem ipsam transfundunt, quousque ad prudentiæ sedem perveniatur, ubi per hos quasi nuntios potentia illius, quod passionem intulit, noscitur. quod vero contra est affectum et immobile quodammodo permanet, circularem illam transfusionem non habet, et ipsum quidem patitur solum, proxima vero minime movet. quapropter cum partes aliæ aliis passionem primam non impertiant, totumque animal hinc minime agitetur, sensus expers id, quod patitur, exstat. id profecto circa ossa capilliosque et reliquas partes, quæ terrenæ ut plurimum in nobis sunt, accidit. visus vero et auditus instrumenta aliter omnino efficiunt, quia illis ignis aërisque vis maxima inest. quod præterea ad voluptatem attinet et dolorem, ita consideretur. passio violenter præterque naturam abunde simulque nobis illata molesta fit : rursus quæ in naturam abunde simulque revertitur, dulcis : quæ contra fit, contra. passio vero magna cum facilitate illata sentitur quidem maxime, voluptatis autem et doloris minime particeps est. hujusmodi sunt, quæ ex aspectu proveniunt, cui quidem corpus nostrum cognatum fieri in die supra narravimus. huic adustiones sectionesve, et quæcunque passiones hujusmodi, dolorem non inferunt ; nec etiam, quando in suam speciem fit restitutio, voluptatem. sensus tamen vehementes clarissimique ipsi competunt, quatenus aliquid patitur, incurritque in aliquid et attingit. violentia siquidem hujus discretioni concretionive nulla penitus inest. Corpora vero ex partibus grandioribus constituta et vix agenti cedentia, quando motiones illatas in totum corpus trajiciunt, voluptates doloresque continent : quando videlicet e suo statu moventur, dolores, [65] quando redeunt, voluptates. quæcunque paulatim abscessus evacuationesque sui perpetiuntur, repletiones vero simul atque abunde, cum evacuationis quidem sensum habeant nullum, repletionis autem habeant, mortali animæ ipsius potentiæ dolores nullos, voluptates vero maximas afferunt : quod ex suavium odorum perceptione cognoscitur. at quæ e sua natura simul et abunde pelluntur, paulatim vero vix in eam restituuntur, contra quam superiora affici solent. hoc plane in secandis urendisque membris apparet. Jam communes toti corpori passiones easque inferentium cognomenta tractavimus. nunc igitur eas, quæ certis nostri corporis partibus accidunt, et unde proveniunt, quibusve causis inferuntur, pro viribus exponamus. principio, quæ supra, quando de humoribus agebamus, reliquimus, cum linguæ passiones sint, si quo modo possumus, declaremus. videntur autem hæc, quemadmodum et alia multa, discretionibus qui-

busdam et concretionibus fieri, ac præterea lævitate asperitateque magis quam cetera uti. tenduntur a lingua venæ ad cordis sedem, saporum nuntiæ : in quas si qua ita inciderint, ut humidam carnis mollitiem penetrantia, terrestri sua natura modice liquefacta, venas ipsas contrahant arefaciantque, sapores hujusmodi pariunt : videlicet, si asperiora sunt, acerbos acresque ; sin aspera minus, austeros et ponticos. quæ et illas purgant, et, si qua linguæ inhærescunt, abluunt : si ultra modum id faciant, naturæque ipsius nonnihil liquefaciant, qualis est in nitro potentia, amara omnia nominantur. sin autem vim nitro temperatiorem habent leniusque abstergunt, salsa, sine amaritudinis asperitate, magisque amica nobis apparent. quæ autem applicata oris caliditati, ab eoque mollita et fervefacta ipsum vicissim fervefaciunt, suaque levitate sursum ad sensus capitis elevantur, suoque attactu singula dividunt propter hujusmodi vires, acuta vocantur. [66] quandoque vero hæc eadem, ex putredine attenuata, angustas venas ingrediuntur, coguntque partes interiores, tam terrenas quam quodammodo aëreas, jactatas invicem commisceri, permixtasque circumlabi alias, et alias ingredi, ingressuque suo penetratas concavas tensasque efficere : ubi concavus et ampullosus humor aëri circumfunditur, isque humor alias terreus quoquo modo est, alias purus, fitque ex aqua concava vasculum aëris humidum atque clarum. sed quod ex pura nascitur aqua, perlucet undique, ampullaque vocatur ; quod autem ex lutulento magis humore, simul agitato quidem elatoque et circumtenso, conficitur, ebullitio, bulla fermentumque dicitur. harum omnium passionum causa acida qualitas appellatur. his omnibus, quæ de his dicta sunt, contraria passio a contraria causa proficiscitur. quando vero ingredientium qualitas humida est linguæ qualitati naturaliter concors et consentanea, ac lenit mollitque eam, contractamque demulcet asperitatem, et quæ in nobis præter naturam contracta vel sparsa fuerunt, relaxat vel colligit, ac summatim naturalem singulis restituit habitum, suave hujusmodi omne amicumque est omnibus, violentarum quoque passionum medicina atque remedium, dulceque vocatur. Circa narium vim species non sunt. semigenia enim odorum natura. speciei vero nulli competit odorem ullum habere : sed nostræ circa hæc venæ ad terræ et aquæ genera angustiores sunt, ad ignis vero aërisque genera latiores. quocirca nemo unquam istorum aliquem sensit odorem : sed in madefactione quorundam vel liquefactione vel evaporatione gignuntur odores. cum enim in aërem aqua vel aër in aquam transit, in medio istorum odores fiunt, omnisque odor aut fumus est aut caligo. sed horum quod ex aëre mutatur in aquam, caligo ; quod vero ex aqua in aërem, fumus. hinc fit, ut aqua odores tenuiores sint, aëre crassiores. quod maxime perspicuum fit, quando, certa quadam re naribus occurrente, aliquis in se ipsum vehementer spiritum retrahit. tunc sane nullus simul influit odor, spiritus autem ab odore nudus solus sequitur. duæ igitur hæ in his varietates absque nomine sunt, [67] nec ex pluribus nec ex simplicibus speciebus : sed duo ibi nomina tantum manifesta sunt, suave scilicet et molestum. hoc quidem disturbat violatque omnem eam capacitatem, quæ a summo capitis vertice ad umbilicum protenditur. illud vero eandem mulcet, et amico quodam ingressu naturalem ejus servat habitum. Tertiam præterea vim sentiendi, auditum videlicet, ita considerare debemus, ut, quibus ex causis passiones ejus proveniant, exponamus. omnino igitur vocem ponamus pulsationem quandam ab aëre per aures cerebrumque et sanguinem usque ad animam penetrantem. natam quoque ex ea motionem, incipientem a capite et in sedem jecoris desinentem, auditum vocemus. motio quidem velox acuta provenit, tarda gravis : una æqualis atque lævis, contraria vero aspera. magna, quæ multa : parva, quæ pauca. harum vocum concordiam consonantiasque in sequentibus declarabimus. Sequitur quartum sentiendi genus exponendum, quod

varietatem in se plurimam continet : et quæ sub eo sunt omnia, colores vocantur. est autem color veluti flammula quædam fulgorque a singulis corporibus emanans, partes habens visui ad sentiendum accommodatas. causas vero, ex quibus visus gignitur, supra tractavimus : nunc de coloribus potissimum hoc pacto probabilia dicenda videntur. quæ ab aliis delata partibus in aspectum cadunt, partim minora, partim majora, partim visus ipsius partibus æqualia sunt. æqualia quidem sentiri non possunt, quæ diaphana, id est utrinque perspicua, nominantur. minora vero aut majora partim discernere partim contrahere visum dicimus, instar eorum quæ caliditate vel frigiditate carnem, aut eorum quæ acrimonia vel acumine caliditateve linguam contrahunt vel discernunt. atque ea, quæ visum sic afficiunt, alba nigrave vocamus : quæ quidem passiones eorum sunt, quæ modo narrabam, et illorum quidem germana eademque quodammodo, sed in genere alio, diversa tamen propter has causas esse videntur. sic utique appellanda sunt ista : quod visum disgregat, album ; nigrum vero, quod congregat. motionem profecto acutiorem alteriusque generis ignis, incidentem dispergentemque visum usque ad oculos, orbesque ipsos oculorum meatusque vi diverberantem liquefacientemque, [68] ignem esse dicimus ex opposito obviantem, cujus occursu lacrima, corpus ex igni et aqua mixtum, effunditur. et uno quidem igne velut e coruscatione quadam exsiliente, altero vero penetrante et ab humore exstincto, varii creantur ex hujusmodi mixtione colores : atque ipsam passionem fulgorem coruscationemque vocamus ; quodve id facit, splendidum atque coruscum. horum medium ignis genus ad oculorum humorem perveniens, illique se miscens, minime quidem coruscum, sed ex ipsa ignei radii ad humorem admixtione, sanguineum creante colorem, rubeum nominamus. splendidum albumque rubeo mixtum flavum procreat. quo autem mensuræ modo singula singulis misceantur, etiamsi quis noverit, narrare prudentis non est : præsertim cum neque necessariam neque verisimilem de his rationem afferre ullo modo possit. rubeum cum albo nigroque purpureum generat. paulo obscurior moreus luteolusque fit color, quando his invicem conflatis adustisque magis est adjuncta nigredo. fulvum flavi fuscique temperatione producitur. fuscum vero albi et nigri confusione. pallorem albi flavique copula generat. splendidum albo adjunctum plurimaque offusum nigredine cæruleum efficit. cæruleum cum albo glaucum creat. fulvi nigrique temperie color viridis nascitur. cetera ferme ex his omnia manifesta fiunt. si quis enim superiores mixtiones imitatus reliquos colores exsequitur, probabilibus rationibus disputabit. at si quis horum discussionem probationemque opere ipso aggredietur, quid inter humanam divinamque naturam intersit, ignorare videbitur. nempe Deus multa in unum colligere rursusque unum in multa producere sufficiens est : scit enim simul ac potest. homo autem nullus, qui alterutrum valeat, aut est nunc aut unquam erit. Hæc sane omnia, ita tunc naturaliter affecta, ex necessitate ille pulcherrimi optimique operis fabricator in his, quæ gignebantur, assumebat, quando Deum se ipso sufficientem et perfectissimum generabat, utens quidem causis ad hæc ministris ; quod autem bene se habebat, ipse in singulis agens. duas enim causarum species distinguere decet, unam quidem necessariam, alteram vero divinam : ac divinam in omnibus quærere, ut beatam vitam, quoad naturæ nostræ possibile est, adipiscamur : [69] necessariam quoque causam illorum gratia perscrutari. cogitare enim oportet, absque his illa, in quibus studium ponimus, non posse intelligi vel comprehendi vel quomodocunque aliter percipi. Quoniam vero nobis in præsentia veluti fabris materia subjacet, causarum videlicet genera, vicem ferme jam præparatæ materiæ obtinentia, ex quibus est sequens disputatio contexenda, rursus ad principium breviter redeamus, citoque illuc regrediamur, unde hucusque processimus, atque ita demum finem apicemque dispu-

tationi, qualem superiora exigunt, imponamus. quemadmodum ab initio diximus, cum hæc ordine carerent, singulis Deus, et ad sese et ad alia invicem, eatenus modum rationemque proportionis indidit, quatenus suscipere singula poterant. tunc profecto nihil erat ordinis, nisi forte casu aliquo, particeps ; nec quicquam tunc aqua vel ignis vel aliud aliquid eorum, quæ modo apud nos nominantur, jure vocandum erat : verum hæc primum omnia exornavit, deinde ex iis hoc universum constituit, animal unum, animalia in se omnia mortalia et immortalia continens. et divinorum quidem ipse est auctor, mortalium vero generationem natis suis tradidit absolvendam. illi igitur, suum imitati parentem, principiumque animæ immortale suscipientes, animam ipsam mortali corpore clauserunt, totumque corpus animæ quasi vehiculum subdidere, atque in eo aliam animæ speciem mortalem fabricaverunt, quæ gravibus necessariisque perturbationibus afficeretur : quarum prima foret voluptas, esca maxima mali ; dolor deinde, fuga impedimentumque bonorum, audacia præterea metusque, consultores amentes : accederet et implacabilis iracundia, spes etiam blanda conciliatrixque, cum irrationali sensu amoreque omnium invasore. illi ergo, ista miscentes, necessario mortale genus composuerunt. Ceterum, ne divinum ulla mortalium contagione, nisi quantum summa necessitas cogeret, polluereturque, seorsum ab illo in alia corporis sede mortale collocaverunt, atque a pectore caput cervice et collo interjecto separavere. in pectore igitur et thorace mortale genus animæ posuerunt : cumque id naturaliter partim melius partim deterius esset, disposuerunt rursus thoracis capacitatem, discernentes sedem tanquam virorum alteram, alteram feminarum. [70] cartilaginem enim quandam, nomine diaphragma, quod etiam phrenas vocant, inter hæc mediam interjecerunt. partem igitur animæ fortitudinis iracundiæque participem contentiosamque capiti propinquiorem fecere, inter diaphragma cervicemque mediam : ut hæc obediens rationi una cum ipsa cupiditatum genus vi illata coërceat, si quando rationis, in arce capitis habitantis, jussa cupiditas respuat. Cor vero, venarum originem fontemque sanguinis per omne corpus impetu quodam manantis, in stipatorum regione suspendere voluerunt, ut, quando iræ vis exardescit, ratione nuntiante, si quid extrinsecus injuste fiat vel intrinsecus aliqua concupiscentia turbet, tunc celeriter per angustos quoslibet meatus, quicquid in corpore sensus est particeps, jussa minasque persentiat, atque ita obediat obsequaturque omnino, toleretque in omnibus præstantissimi illius imperium. Cum vero cognoscerent cor rerum terribilium objectu trepidaturum et ira sæpius flagraturum, idque opus omne per ignem fore, æstus hujusmodi temperandi gratia pulmonum tegmen cordi adhibuerunt, molle primum atque exsangue, deinde cavis intrinsecus fistulis spongiæ instar distinctum, ut, spiritu potuque hausto, cordis ardorem hujusmodi respiratione et refrigerio tepefaciat. quam ob causam arterias, tanquam aqua ductus, per pulmonum substantiam derivarunt, eamque cordi, quasi mollem saltum, circumdedere, ut, quando nimia fervet ira, inde ad faciliorem obedientiam temperatum deferveat, sedatoque tumultu rationi facilius cum ira ministrare et obsequi valeat. postremo eam animæ partem, quæ esculenta et poculenta cupit, et reliqua omnino, quibus corpus indiget, concupiscit, mediæ regioni inter diaphragma et umbilicum applicavere : ubi quoddam quasi præsepe ad totius corporis alimoniam exstare volebant, et ibidem illam vim animæ, tanquam agreste animal, alligaverunt. hic sane illam corpus suum alere necessarium est, si quidem mortale quandoque futurum est genus. ut ergo ad præsepe semper illa pascatur, habitetque procul a consultore, ideoque illum clamore et strepitu suo minime turbet, [71] sed permittat præcipuum nostri ducem tranquillo in otio communi omnium utilitati consulere, regionem iccirco inferiorem ipsi habi-

tandam Dii dedisse videntur. Quoniam vero videbat Deus partem illam animæ talem fore, ut rationem non exaudiret et, si quo sensu pulsaretur ; nullo modo rationibus obtemperaret, sed simulacris visisque nocte dieque maxime raperetur : iccirco naturam jecoris procreavit, et in ejus habitationem disposuit, densam, inquam, naturam, lævem, claram, dulcem et amaritudinis non expertem ; ut cogitationum ex mente descendens potentia in ipso jecore, velut in speculo figuras suscipiente aspectuique simulacra reddente, quandoque recepta terreat ipsum, quandocunque cognata amaritudinis parte usa minasque intendens et toti repente suffusa jecori felleos terribilesque colores ostendat ; contrahens præterea ipsum rugosum et asperum totum reddat, ac fibras ejus, bilem ejusque ventriculum et venas, quæ portæ vocantur, sic afficiat, ut partim ex habitu recto deflectens atque contorquens, partim obstruens et concludens, dolores detrimentaque præbeat. ac rursus quando mansuetudinis ex mente inspiratio contraria visa effingit, amaritudinem quidem sedans ex eo, quod adversam sibi naturam neque ciere neque attingere velit ; dulcedine vero illi ingenita utens, et omnia recta, lævia, libera in ipso digerens : tunc sane pacatam mansuetamque partem animæ in jecore habitantem facit, adeo ut etiam in somno moderate affecta sit, vaticinioque utatur, quando rationis prudentiæque est expers. qui enim nos composuerunt paterni illius mandati memores, quo mortale genus præceperat quam optimum pro viribus fieri, ita deteriorem nostri partem instituerunt, ut ipsa quoque veritatis foret quodammodo particeps, siquidem in ea expleri vaticinium statuerunt. quod autem dementiæ humanæ Deus divinandi vim dederit, illud argumento esse nobis potest, quod nemo, dum sanæ mentis est, divinum et verum vaticinium ullum assequitur ; sed cum vel somno prudentia vis præpedita est, vel oppressa morbo, vel divino aliquo raptu e suo statu dimota, fieri divinatio solet. prudentis vero duntaxat officium est, quæ a fatidico furenteque ingenio dormiendo vel vigilando pronuntiata sunt, intelligere : et quæcunque visa illuxerint, [72] ratiocinatione ita discernere, ut qua quidque ratione, et cui futurum aliquid vel præteritum præsensve bonum vel malum portendere videatur, explanet. illius autem, qui mansit manetque adhuc in furore, non est officium, quæ viderit aut protulerit, judicare. scitum profecto priscum id dictum : agere sua seque ipsum cognoscere solius prudentiæ est opus. hinc lex jubet divinis vaticiniis judices præesse prophetas, quos vates quidam nominant, ignorantes prorsus eos oraculorum visorumque, quæ obscuris velaminibus involvuntur, interpretes esse, non vates. quare qui vaticinia judicant, non vates illi quidem, sed prophetæ, id est vaticiniorum interpretes pronuntiatoresque, vocandi. atque jecoris quidem natura ob hanc causam talis facta est et in ea sede, qua diximus, collocata, divinationis scilicet gratia. ac etiam vivente unoquoque talium signa clariora exprimi solent : vita vero privato cæcitas accidit, nec evidens quicquam fit vaticinii signum. proximum huic ad sinistram locatum est hujus gratia membrum, ut purum hoc semper clarumque reddat, et instar speculi nitens atque perspicum, ad imaginesque exprimendas accommodatum. quapropter, quando propter corporis morbum sordibus jecur abundat, lienis raritas id purgans eas combibit, cum membrum hoc concavum sit et exsangue. unde purgamentis impletum excrescit tumetque sanie ; ac rursus, cum mundatum corpus est, restrictum in se ipsum considet. Quid igitur anima mortale, quid divinum habeat, et ubi, et quibuscum, et quare hæc inter se disjuncta sint, diximus. at quod revera ita sit, ut diximus, ita demum assereremus, si divinum confirmaret oraculum. quod vero verisimile sit ita esse, et nunc et deinceps diligentius etiam investigando asseverare non dubitamus. atque in præsentia ita sit nobis assertum : quod autem hæc sequitur, similiter est tractandum. reliquum est enim, qua ratione cetera corporis membra digesta sunt, enarrare. itaque

hac potissimum ratione constare hæc decet. Cognoscebant illi profecto nostri generis fabricatores nos ad cibum potumque intemperatos fore, ac propter ingluviem plus, quam modus aut necessitas postularit, ex his sumpturos. igitur ne subitus propter morbos interitus proveniret, atque ita imperfectum mox genus mortale desineret,[73] inferiorem ventrem fabricaverunt ad esculentorum poculentorumve superabundantiam capiendam. eum præterea spiris intestinorum circumplicavere, ne subito alimenta nobis assumpta defluerent, ac rursus novi alimenti confestim necessitas immineret. ob illam enim inexplebilem perpetuamque voraginem genus nostrum philosophiæ musicæque et moderationis omnis expers relictum fuisset, illi parti, quæ in nobis divinissima est, minime obsecutum. Ossium vero et carnis ceterorumque hujusmodi ita est natura composita. his nempe omnibus medullæ generatio initium præbuit. vincula enim vitæ illius, quam anima corpori juncta ducit, applicata medullæ, ex eaque per omne diducta, vinciunt fulciuntque corporis nostri compaginem: ipsa vero medulla est ex aliis generata. sunt quidem trianguli primi quidam et indeflexi lævesque, ad ignis, aëris, aquæ, terræ exactissimam generationem accommodatissimi: e quorum generibus singulis Deus secernens singulos, et invicem contemperatos permiscens, totius generationis mortalium sementem fomitemque constituit, dum medullæ ex his substantiam procrearet: postea vero serens in ea animarum genera alligavit. figuras præterea, quotcunque et qualescunque ex singulis speciebus adesse medullæ oportuit, tot penitus atque tales statim in prima illa distributione distinxit. et illam quidem medullæ partem, in quam, velut agrum quendam, divinum semen jaciundum erat, globosam et undique teretem finxit: atque encephalum, id est cerebrum, iccirco voluit nominari, quia, unoquoque animali denique absoluto, vasculum cerebri capax cephalum, id est caput, vocandum erat. quod autem reliquas mortalesque animæ vires comprehensurum erat, rotundis simul oblongisque figuris ornavit, totumque medullam voluit nominari: atque ex iis, quasi quibusdam ancoris, jaciens totius animæ vincula, circa illas jam universum nostrum corpus absolvit, ossiumque textura extrinsecus eas fulcivit. os vero ipsum ita composuit. terram atterens puram lævemque miscuit madefecitque medulla. id postea in ignem jecit: deinde in aquam mersit, rursus in ignem, iterum et in aquam. atque ita sæpe transferens in utrumque, tale reddidit, ut a neutro liquefieri posset. hoc igitur usus sphæra ossea, quasi torno facta, cerebrum circumsepsit. [74] huic angustos reliquit meatus, et circa cervicis simul dorsique medullam ex ipso rotulas vertiginesque effingens, quasi cardines subdidit, ita ut a capite per totum protenderit. sic utique semen omne servavit, dum lapideo ambitu circumvallavit. articulos insuper addidit, alterius ipsius natura usus in ipsis, tanquam media quadam exsistente potentia, motus flexionisque gratia. arbitratus vero ossium naturam aridiorem rigidioremque quam oporteat fore, et, cum ignita evaserit atque etiam frigefacta, illisuram corrupturamque cito semen internum, nervorum carnisque genus effinxit, ut nervis quidem membra reliqua vincientibus, intensis remissisque circa cardines ipsos, corpus omnem ad flexionem tensionemve promptum et agile redderet: caro vero tegmen foret adversus frigus atque calorem, et, quemadmodum externa corporis fulcimenta solent, ad casus varios munimentum; præsertim quia talis erat futura, ut molliter leniterque corporibus cederet. cui calidum iccirco humorem indidit, ut æstate quidem roscida madidaque extrinsecus toti corpori domesticum præbeat refrigerium, hieme vero rursus proprio igni exteriorem glaciem moderate repellat. hæc cum fictor ille nostri corporis cogitaret. mixtione quadam ex aqua, igne et terra contemperata, et acuto illis salsoque fermento adhibito, succi plenam ac mollem carnem conflavit: naturam vero nervorum ex osse et carne non fermentata, unam ex

utrisque potentia mediam temperavit, flavoque infecit colore. hinc fit, ut carne quidem tensior et aridior, ossibus autem agilior molliorque sit nervorum substantia. his Deus medullam simul et ossa devinxit, et hæc omnia carnibus cooperuit. quæ igitur ossa animata maxime erant, paucissimis carnibus adoperuit: quæ vero minime, contra plurimis atque crassissimis. juncturis insuper ossium, præterquam ubi necessitatis ratio aliter postulabat, paucas carnes adjecit, ne flexionibus impedimento forent, tardaque ad motum corpora facerent, neve sua quadam solida crassitudine obtusiorique mole sensuum aciem hebetarent, memoriam impedirent, ingenii acumen obtunderent. quamobrem inguinum, tibiarum, iliorum, brachiorum, [75] lacertorum ossa, et cetera omnia, quæ articulis carent, quæve intus latentia ossa propter animæ paucitatem in medulla prudentia vacua sunt, multis sunt carnibus adoperta. paucioribus vero, quæ prudentiam habent: nisi forte carnosa quædam moles proprie ad sensum aliquem aptata sit, qualis est lingua. in ceteris est, ut diximus. natura enim, ex necessitate genita atque nutrita, nullo modo os compactum carnemque multam simul et acutum sensum admittit. maxime namque omnium ea capitis compositio habuisset, si una concurrere potuissent: genusque hominum pingue, nervosum robustumque habens caput vitam duplam ac etiam multo diuturniorem, validiorem, placidiorem, quam nos, possedisset. ceterum nostris illis fabricatoribus, de nosto genere consultantibus, utrum diuturnius quidem, sed deterius, an brevioris quidem vitæ, sed melioris efficerent, visum fuit vitam brevem melioremque diuturnæ et deteriori esse omnino anteponendam. itaque caput osse raro texere, sed carnibus nervisque, quia flexiones non erat habiturum, non fulciverunt. his omnibus de causis caput membris omnibus acutius ad sentiendum prudentiusque, sed imbecillius est constitutum. nervos autem ob hanc rationem atque hoc pacto Deus extremæ parti capitis circumponens, spinæ dorsi eos quadam similitudine circumplicavit, summasque illis maxillas sub vultu devinxit: reliquos per omnia membra disseminavit, articulum connectens articulo. Nostri præterea illi exornatores oris naturam dentibus, lingua, labiis, ita ut nunc videmus, necessariorum simul et optimorum gratia ornaverunt. nam ingressum quidem necessariorum, egressum vero optimorum gratia excogitavere. nempe necessarium est, quicquid ad alimoniam in corpus admittitur; verborum autem effluxio, ministra prudentiæ, effluxionum omnium optima est atque pulcherrima. Caput præterea nudo osse relinqui, omni alio tegmine destitutum, non poterat propter caloris frigorisque excessum: neque rursus carnium pondere prægravatum, sensus expers obtusumque reddendum erat. carne igitur non penitus desiccata residuum, [76] quod majus supererat, segregatum est, cutisque ipsa, circa cerebri humorem sibi ipsi juncta et germinans, caput circumvestivit. humiditas autem, sub juncturas scaturiens, irrigavit compegitque ipsam ad verticem. juncturarum vero species varia propter circuitionum alimoniæque potentiam facta est: et his quidem magis invicem pugnantibus plures minus vero pauciores. hanc omnem cutem undique igne pupugit percussitque Deus. per cutis inde quasi sauciæ rimulas humor effluxit: quodve illic humidum calidumque sincerum erat, abiit; quod vero ex iisdem, quibus et cutis, erat permixtum, emanationis impetu extra productum, in longum extensum est, tenuitatem punctioni penetrationique illi æqualem habens: sed propter tarditatem a spiritu circumstante retusum, rursusque sub cutem revolutum, radices egit. his utique causis capilli in cute sunt nati, secundum pellis coriique similitudinem cuti quam proximi, sed propter coagulationem a frigiditate factam duriores cute atque densiores. nempe capillus extra cutem productus frigore riguit. hoc pacto constipatum hirsutumque caput nobis Deus instituit, causis quidem usus illis, quas diximus: tegmen vero ipsum ad cerebri tu-

telam non carnibus ponderosum, sed leve esse voluit, quod ad frigoris calorisve intemperiem repellendam sufficeret et sensus acumen minime impediret. ea vero, quæ in digitis est, nervi, pellis et ossis complexio, aridior facta, communi quodam uno duriorique cutis tegmine est adoperta. cujus quidem accessoria ministraque causa in iis, quæ diximus, constitit: principalis autem causa in ea intelligentia, quæ id futuræ commoditatis gratia fabricavit. quod enim ex viris quandoque mulieres et ceteræ animantes erant futuræ, nostri illi opifices non ignorabant. quin etiam, quod unguium usum bestiæ quoque multæ ad opera multa erant habituræ, intelligebant. quapropter homines statim genitos unguibus armaverunt. hac utique ratione et his de causis pelle, capillis, unguibus extrema membra operuere. Quoniam vero partes et membra omnia mortalis animantis in mutua quadam cognatione genita erant, [77] vitamque necessario in igne ac spiritu possidebant, ne animal ipsum ab his resolutum exhaustumque cito deficeret, hoc Dii consilio providere. quippe humani generis naturam quandam cognatam aliis formis sensibusque miscentes, quasi animal quoddam aliud plantaverunt. talia sunt domesticæ arbores, plantæ, semina, quæ consita nunc cultaque ab arte mitia nobis sunt; quondam vero sine cultura agrestia. quicquid enim vitæ est particeps, jure animal nominabitur. quod autem nunc dicimus, tertiæ animæ speciei est particeps, quam inter diaphragma et umbilicum locavimus: cui opinio, ratio, mens nulla penitus inest; sensus vero suavis et tristis una cum cupiditatibus convenit. omnia siquidem continue patitur. cum vero in se ipso ad semet convertatur, externumque respuat motum, et proprio motu domesticoque utatur, iccirco huic natura non tribuit, ut quicquam pensi habens suorum aliquid consideraret. quapropter vita quidem fungitur, nec est ab animali diversum: quia vero illa vi, qua quid se ipsum transfert, orbatum fuit, stetit rigens et fixum radicibus hæsit. Cum hæc omnia superiores illi nostri ad nutrimentum nobis inferioribus suppeditassent, in nostro corpore, quasi quodam horto, meatus veluti aquæductus varios diduxerunt, ut liquoris derivatione irrigaretur. principio meatus occultos sub conflatione cutis et carnis, duas scilicet venas in tergo diviserunt, secundum geminam corporis ipsius figuram, ad dextram et sinistram. has utique ad spinam demiserunt, mediamque medullam genitalem comprehendere, ut et hæc quam maxime vigeat pulluletque, et uberior hinc ad alia, quasi declivis effusio, irrigationem æquabilem præbeat. Post hæc partientes circa caput venas, easque invicem ex opposito implicantes, partim a dextris ad sinistra, partim a sinistris ad dextra corporis dispertierunt: ut capiti ad reliquum corpus una cum cute connexio foret, postquam nervis quidem non erat circulo quodam secundum verticem comprehensum atque distinctum: atque etiam ut sentiendi vis ab utrisque partibus per totum corpus undique demanaret. hinc vero aquæductum hoc ordine deduxerunt: [78] quem plane perspiciemus, si hoc inter nos primum asseverabimus. quæcunque ex minutioribus componuntur, majora detinent: quæ vero ex grandioribus, minutiora cohibere non possunt. ignis autem præ ceteris generibus minutissimis constat particulis: ideoque aquam, aërem, terram, et quæ ex his componuntur omnia, penetrat transilitque usque adeo, ut nihil ipsum valeat cohibere. idem quoque de nostro utero cogitandum. nempe cibos et potus ingestos retinet, spiritum vero et ignem, quia ejus compositione tenuiores sunt, demorari non potest. his igitur usus est Deus ad irrigationem ab utero in venas perficiendam. rete enim quoddam ex aëre atque igne instar gibbosæ sagenæ contexuit. ubi duo sunt ad ipsum introitum gibbi convexa: quorum alterum bifariam bino pulsu iterum implicavit, et ab ipsis gibbi convexis veluti funes per totum corpus usque ad texturæ illius extrema circumtetendit. interiora igitur ipsius tricæ omnia ex igne composuit, convexa vero et recepta-

culum ipsum ex aëre. demum hæc assumens in animali formato, hoc pacto disposuit: convexa quidem in os demisit. cum vero convexum gibbosumque sit duplex, per arterias alterum in pulmonem usque trajecit, alterum circa arterias in uterum. alterum vero partitus utramque illius partem ad fistulas narium communiter duxit, ita ut, quando alterum ad os non pervenit, ex hoc ipso omnes illius fluxus meatusque repleantur. alteram vero gibbi retisque capacitatem circa omnes partes corporis concavas esse voluit; idque omne alias quidem in convexa incurvaque confluere molliter, quasi aër illic sit, effecit; alias autem convexa incurvaque ipsa refluere. rete vero, quoniam rarum sit corpus, penetrare per ipsum rursusque emergere: radios autem ignis interiores successione continua subsequi, in utramque partem aëre traseunte. idque, donec mortale consistit animal, fieri nunquam cessat. hujusmodi agitationem merito exspirationem respirationemque nominatam esse censemus. omne autem hoc opus omnisque nostra hæc passio in corpore fit irrigatione quadam et refrigerio ad vitam et nutrimentum. quando enim exspirante et respirante halitu ignis simul interior sequitur, [79] perque uterum diffusus poculenta esculentaque offendit, liquefacit protinus ipsa, partitur in minima, per exitus, qua progressio patet, tanquam ex fonte quodam educit: in meatus videlicet venarum trajicit, quæcunque exhausit, atque per corpus quasi vallem venarum fluenta diducit. sed videamus iterum, quibus causis respiratio hunc in modum, quem nunc cernimus, fuerit instituta. cujus quidem rei talis erit consideratio. quoniam vacuum nusquam est, quo quicquam eorum, quæ perferuntur, ingredi queat, spiritus autem e nobis evolat: cuivis constat non in vacuum quidem hunc spiritum evolare, sed proximum sibi e sua sede depellere; depulsum rursus illum proximum sibi semper extrudere, ac secundum necessitatem hujusmodi quicquid in sedem illam repercutitur atque impellitur, unde exclusus est halitus, ingressum illuc replensque halitum ipsum subsequi: idque totum simul revolutione quadam, quia nusquam sit vacuum, fieri. quamobrem cum pectus pulmonesque spiritum efflaverint, mox aëre corpori circumfuso meatus corporis penetrante, replentur. ac rursus evolans a corpore aër et emissus anhelitus inspirationem intro retrahi cogit per oris nariumque meatus. Causam vero, quæ his principium dat, hujusmodi ponimus. omne universi hujus animal in venis et sanguine calorem, quasi fontem ignis aliquem, possidet. idque reti sagenæ comparavimus, per medium extensum, totumque ex igne contextum, cum exteriora omnia ex aëre sint. calorem sane putandum est natura sua in regionem suam extra ad id, quod sibi cognatum est, emanare. cum vero discursiones duæ sint, una per corpus extra, altera rursus per os ac nares: cum anhalitus ad alia impetum facit detruditque, alia contra retrahit atque repercutit. quod autem retractum est, in ignem incurrens calescit: quod exhalavit, friget. dum ergo caliditas permutatur, et, quæ alio transitu utuntur, calescunt, ac rursus, quod fervet, ad naturam suam emigrat, et hac emigratione alia in aliud iter repercutit, rursusque hæc idem perpetiuntur aguntque semper: certe anhelitus hic, circulo quodam hinc et illinc jugiter fluctuans, exspirationem et inspirationem continet. Quin etiam causæ passionum, quæ ex attractu ampullarum ex corpore a medicis fiunt, [80] atque etiam potionis, et eorum insuper, quæ jaciuntur, sive emittantur sublimia seu deferantur humi, hac utique ratione tractandæ videntur. voces præterea, quæcunque veloces et tardæ, acutæ et graves audiri solent: alias dissonæ propter motus ejus, qui in nobis ab ipsis fit, dissimilitudinem, alias propter similitudinem consonæ. priorum enim velociorumque cessantes motus, jamque ad simile quiddam progressos, tardiores ipsæ voces succedentes illis, eosque moventes, occupant comprehendendo ac superant: comprehendentes vero non alium quidem motum injiciendo perturbant sed tardioris

lationis initium, secundum principium velocioris, inducunt. dum vero desinentes motionis similitudinem sibi quandam accommodant, unum ex acuta et gravi concentum contemperant. unde insipientibus voluptatem, sapientibus gaudium, propter divinæ harmoniæ imitationem in lationibus mortalibus repertam, tribuunt. Eadem ratio est de aquarum fluxibus, de fulminum impetu, de electri mirabili illo attractu, lapidisve illius, qui Heraclius nominatur, revera nullius horum attractio fit: sed cum nusquam sit vacuum, et hæc se invicem pulsent atque repulsent, concretaque et discreta suum locum singula poscant, diligenti harum rerum investigatori ex his mutuis passionibus eventus illi mirabiles contingere videbuntur. atque respiratio, unde huc digressi sumus, ab his causis et hunc in modum, ut supra diximus, provenit. dum videlicet ignis cibos dividit, elevaturque intrinsecus assecutus spiritum, venas a ventre communi elevatione hujusmodi replet, ex eo quod attrita inde haurit: et ob hanc rationem per totum animalium omnium corpus alimentorum liquores penitus diffunduntur. statim vero attrita et a cognatis suis ablata, partim fructibus partim graminibus, quæ Deus ad alimoniam corporis nostri produxit, colores propter mixtionem omnino varios habent: sed plurimus in his rubeus prævalet color, cujus natura ex ignis portione et abstersione in humido facta provenit. propterea ejus, quod in totum corpus permanat, color talis aspectu est, qualem diximus. id sanguinem nominavimus, carnium et universi corporis pabulam: [81] unde irrigatio distributa passim exhausta cuncta replet. modus autem impletionis evacuationisve talis est, qualis in universo cujuslibet latio, per quam cognatum quodlibet ad se ipsum se confert. quæ enim nobis extrinsecus circumfusa sunt, resolvunt nos assidue et singulas nostri portiones ad species suas foras emittunt. sanguinea vero, in nobis attrita inclusaque visceribus, ut par est in quolibet animali fieri sub cœlo constituto, totius lationem imitari coguntur. cum igitur attrita quælibet in nobis cognatum poscant, exhausta quælibet implent. porro quando abscedit plus quam accesserit, decrescit animal: quando contra fit, augetur. recens igitur animalis cujuslibet compositio cum novos velut ex ligneo quodam contextu triangulos habeat, validam quidem eorum compaginem possidet: moles autem ejus tenerior tota coaluit, quippe quæ ex recentiori medulla concrevit nuper et lacte nutrita est. susceptos ergo triangulos illos extrinsecus incidentes, quibus cibi potusque conflantur, triangulis propriis antiquiores imbecillioresque juniorum vi pervincit et conterit, et grande animal ipsum reddit, dum ex multis similibus alit. at cum triangulorum radicem compagemque relaxat, ex eo quod magnis laboribus longo tempore adversus multa certando fatigata et domita sit, tunc sane alimenta suscepta in similitudinem suam non potest comminuendo redigere: sua vero membra ab ingredientibus facile dissipantur. hinc jam minui ac deficere omne incipit animal, cum superatur: detrimentumque istud senectus appellatur. finis vero tunc obvenit, quando triangulorum illorum, ex quibus medulla conficitur, olim coaptata vincula nihil amplius nectunt, sed defatigatione jam relaxata nexus animæ deserunt. anima vero clam secundum naturam cum voluptate protinus evolat. quicquid enim contra naturam fit, molestum est: quod autem pro rei natura, jucundum. similiter. et mors quam morbi et vulnera intulerunt, violenta est atque molesta: quæ vero senio paulatim ad finem deducente naturaliter subrepit, inter omnia mortis genera levissima est, et cum voluptate potius quam dolore contingit. Morbi autem unde nascantur, quis dubitet? nam cum quatuor illa sint, ex quibus compactum est corpus, [82] terra, ignis, aqua, aër, horum non naturalis excessus defectusque, et ex loco proprio in alienum translatio, per quam, quod sibi conveniens est, non tenent, intestinam quandam seditionem et morbos inferunt. quando enim præter naturam unumquodque fit

aut transfertur, calescunt utique, quæ ante frigebant, arida madent, gravescunt levia, et cetera omnia similiter permutantur. solummodo vero idem aliquid sibimet secundum idem atque similiter et debita proportione servata accedens vel decedens, permittet se idem sibi ipsi sospes integrumque manere. quod autem aberrat, sive accedendo seu decedendo, mutationes varias, morbos, corruptiones infinitas inducit. ex secundis quoque compositionibus secundum naturam constitutis secunda bonæ vel malæ valetudinis conjectura id quærenti cuique dabitur. cum enim medulla ex illis et os et caro et nervi constiterint, sanguis præterea ex iisdem, quamvis alio modo, concreverit: ceteri quidem eventus plurimi, quemadmodum superiora, contingunt, maximi vero morbi atque gravissimi hoc pacto nascuntur: quando videlicet ordine converso ista ex se invicem fiunt, procul dubio corrumpuntur. nempe secundum naturam carnes et nervi ex sanguine generantur; nervi quidem a villis et ligamentis propter cognationem, carnes autem a coagulatione quadam ejus, quod secretum a villis et ligamentis concrevit. quod rursus a nervis et carnibus emanat glutinosum et pingue, simul quidem carnem ut plurimum ad ossium naturam, ac etiam os ipsum medullam circumdans, nutriendo exauget. quod rursus per ossium crassitudinem stillat purissimum genus triangulorum lævissimumque et pinguedine abundantissimum, dum defluit ex ossibus atque delabitur, medullam irrigat. quatenus igitur singula hunc in modum fiunt, bona valetudo servatur: mala vero sequitur valetudo, quando fit contra. nam quotiens eliquata caro tabem rursus transmittit in venas, sanguis una cum spiritu multus ac varius in venis, coloribus diversis, amaritudineque et acidis salsisque infectus saporibus, bilem, cruorem, pituitam gignit quam plurimam. quæ quidem omnia rursus sic genita et corrupta sanguinem ipsum in primis inficiunt, et ipsa nullum nutrimentum adhibentia corpori, [83] feruntur passim per venas, nullo prorsus naturalis circuitus ordine observato. inimica sane inter sese ista sunt, propterea quod nullum sui sibi invicem præbent usum. naturali præterea corporis habitudini suoque in statu perseveranti dissolvendo et liquefaciendo plurimum adversantur. portio namque carnis vetustissima cum liquescit, ad digestionem concoctionemque ineptissima, propter veterem exustionem nigrescit. quia vero contabuit penitusque exesa est, amaritudinem contrahit, ceteris omnibus corporis partibus nondum contaminatis adversam. et tum quidem pro amaritudine niger ipse color acerbitatem et acrimoniam habet, eo jam, quod amarum fuerat, magis attenuato: tum vero amaritudo rursus sanguine tincta colorem habet rubeum; sed nigro huic admixto felleum. præterea flavus color cum amaritudine coit, quando ob ignis flammam nova caro liquescit. et nomen quidem omnibus his commune bilem imposuit vel medicus aliquis vel certe eo ingenio præditus quispiam, quo multa et dissimilia dispicere posset, ac rursus genus in multis unum uno cognomento dignum inspicere. quæ vero bilis species appellantur, pro colorum varietate rationem singulis propriam acceperunt. cruor præterea, qui sanguinis residuum et defluxus est, lenis est ac mitis: qui vero bilis atræ acrisque, agrestis, quando propter caliditatem salso sapori miscetur. hujusmodi quiddam acida pituita nuncupatur. sæpe vero tenerioris recentisque carnis portio quædam una cum aëre colliquescit: deinde vento inflatur incluso, humiditate protinus circumfusa: fiuntque ex hoc ampullæ, quæ sigillatim propter parvitatem videri non possunt, junctæ vero simul et in grandiorem tumefactæ molem conspiciuntur, coloremque propter spumæ generationem habent album. omnem hanc tenerioris carnis eliquationem una cum spiritu factam, quæ ex humiditate vento circumfusa tumescit, albam pituitam appellamus: recentis item pituitæ residuum defluxumque lacrimas atque sudorem, et quotcunque alia, in quæ quotidie corpus resolvitur. atque hæc omnia instrumenta morborum, quando scilicet sanguis non cibis et potibus secundum naturam, sed ex contrariis præter naturæ leges

excrescit. quando igitur caro quælibet circumciditur ejusque radix permanet, dimidia quædam est calamitatis potentia ; facile enim restauratur. [84] quando vero quod carnes ossibus alligat, ægrotat, et sanguis ex illis ac nervis defluens haud amplius nutrit ossa carnemve revincit, sed ex pingui et glutinoso asper, salsus, siccus et squalidus iniquitate victus est factus : tunc certe quod omnia ista perpetitur, abscissum ab ossibus sub carne nervisque riget. caro etiam a radicibus decidens nudos relinquit nervos et salso obductos humore, et in fluenta sanguinis permanans morbos, quos supra diximus, numero etiam plures reddit. graves quidem istæ corporibus passiones ; quæ vero has præcedunt, admodum graviores : quando videlicet os ob carnis crassitudinem respirationem non habet sufficientem, ideoque putredinis calore vexatum atque restrictum alimenta non suscipit, rursusque ipsum in illam contra decidit frigefactum, illa vero in carnem, caro in sanguinem rursus delabitur. unde acriores superioribus morbi nascuntur. extremum vero omnium est, quando medullæ natura propter defectum aliquem aut excessum ægrotat. hinc enim omnium vehementissimi et ad mortem periculosissimi morbi proveniunt ; tunc enim omnis compago corporis necessario dissipatur. Tertiam post hæc morborum speciem tripartito dividimus. alius enim spiritu, alius pituita, alius bile creatur. nam cum spiritus ipsius custos et quasi penuarius, pulmo, distillatione occlusus libera et expedita spiracula nobis non exhibet, et hinc quidem nullus mittitur spiritus, illinc vero plus quam oportet accipitur, tunc quæ respiratione et refrigerio carent, marcescunt. quod vero accipitur nimium, per venas traductum eas contorquet liquefacitque corpus ejus in medio diaphragma medium scilicet interpositum occupans. hinc morbi admodum molesti multo cum sudore innumerabiles oriuntur. sæpe etiam intra corpus discreta et rarefacta carne innascitur spiritus : qui cum foras egredi nequeat, iisdem, quibus et ingressi aliunde spiritus, doloribus afficit. sed ingentibus tunc affligit doloribus, quando nervis proximisque venulis circumfusus hæc inflat, et ligamenta continuosque nervos a tergo intendit atque detorquet. qui sane morbi ab ipsa intendente et inflante passione tensiones et a tergo contortiones cognominantur : quorum difficile remedium est. subortæ enim febres hos maxime solvunt. [85] alba vera pituita propter ampullarum spiritum intus inclusa difficilis, ad exteriorem cutem delapsa mitior : sed corpus variis sordibus aspergit, albisque inficit maculis, atque morbos alios ejusmodi generat. atræ vero bili permixta, cum divissimos capitis meatus illabitur, dissipare eos solet atque turbare. si dormientibus id contingat, mitior : sin vigilantibus, expulsu difficilior. cum vero sacræ naturæ languor iste sit, haud ab re sacer morbus est appellatus. proinde pituita acida atque item salsa languorum omnium, qui distillatione fiunt, origo est. quoniam vero plurima loca illabitur, malas gignit valetudines plurimas. quæcunque autem partes corporis tumescere dicuntur, a bilis incendio et combustione vexantur : quæ cum exspirat extrinsecus, varios æstu suo tumores producit ; intrinsecus vero cohibita urentes edacesque morbos plurimos procreat. tunc autem pessima est, quando puro sanguini mixta villorum ligaminumque fila suo ex ordine dimovet. quæ ideo in sanguinem diductæ et sparsæ sunt, ut mediocrem tenuitatis et crassitudinis habitum consequatur ; neque propter caliditatem, cum ipse sit lubricus, raro ex corpore defluat, neque, si crassior sit, ad motum fiat ineptior atque ægre per venas fluat et refluat. ad hanc utique naturæ commoditatem hujusmodi peroportuna sunt ligamenta : quæ si quis, etiam mortuo et ob frigus rigente sanguine, invicem conducat et contrahat, reliquus sanguis omnis diffunditur. cum vero missæ fuerint, illico cum præcedente frigore restringuntur. quoniam vero hanc vim villi hujusmodi in sanguinem habent, cum bilis natura sanguis vetus evaserit, ac rursus ex carnibus in hunc fuerit resoluta, calida et humida paulatim primum incidens villorum illorum vi compressa restringitur, compressa vero exstinc-

taque violenter procellam intus tremoremque ciet. ceterum quando uberior affluit, calore proprio ligamenta exsuperans præterque modum exæstuans, servat quidem ; ac, si continue ad finem usque idonea victoriæ sit, penetrat in medullas, adustisque radicibus inde animæ vincula, quasi navis funes, resolvit et amputat, liberamque dimittit. sed cum inferior adest corpusque liquescens ei resistit, ipsa devincta aut per totum corpus excidit aut per venas in ventrem inferiorem superioremve compulsa, tanquam transfuga ex seditiosa civitate, sic effugit e corpore, morbosque eos inducit, [86] quos diarrhœas vocant et dysenterias, id est fluxus ventris lubricos fluxusque mordaces, nec non multas generis ejusdem alias molestias infert. quando igitur corpus ignis potissimum excessu languet, continua febre laborat : quando vero aëris, quotidiana discreta : aquæ, tertiana, propterea quod aqua segnior est quam ignis et aër. terræ demum excessu, quartana, terra siquidem omnium tardissima quarto gradu cum sit, temporis circuitu quarto fervet defervetque : hinc quartanas invehit febres, quæ vix seroque sanantur. Atque hoc quidem pacto corporis morbi contingunt. animæ vero morbi propter corporis habitum ita nascuntur. morbum animæ dementiam esse censemus. ejus genera duo ponimus, insaniam et imperitiam. quæcunque igitur passio alterutrum istorum infert, animi ægritudo est nuncupanda. iccirco voluptates doloresque admodum vehementes morborum animæ omnium gravissimi judicandi. quisquis enim vel nimia gestit lætitia vel nimio dolore deprimitur, dum illam avidius importuniusque asciscere, hunc vitare obnixe conatur, neque cernere neque audire recte quicquam potest, sed rabie furit, et in eo habitu constitutus minime rationis est compos. qui vero plurimo fluidoque circa medullam abundat semine, atque ut arbor pluribus quam conveniat fructibus gravida nimia ubertate luxuriat, is profecto multis passim doloribus, multis item voluptatibus in libidinibus ipsis earumque fœtibus fructibusque affectus, per omnem ferme vitam ob ingentes voluptates doloresque insanit ac furit : cumque hujus animus propter corpus æger sit atque insipiens, vulgo tamen non æger, sed pro voluntate sua, ut libet, affectus falso putatur. veritas autem sic habet. nempe venereorum intemperantia maxima ex parte propter generis unius habitum, per ossium raritatem in corpore lubricum madidumque, animi infirmitas est. ac ferme omnis voluptatum incontinentia, quæ, perinde ac si sponte improbi simus, vituperari solet, non recte ita vituperatur. nemo enim sponte malus, sed propter pravum quendam corporis habitum rudemque educationem malus omnis fit malus. omnibus autem adversa inimicaque ista sunt, et mala noxiaque contingunt. rursus dolore afflictus animus similiter propter corpus in pravitatem plurimam incidit. acris enim et infesta pituita, amari item felleique humores, quando oberrantes per corpus non exhalant, sed per viscera revoluti vaporem suum penetralibus animæ ipsius infundunt, languores animæ varios, et magis et minus, tum plures tum pauciores efficiunt. [87] perferuntur sane ad tres animæ sedes humores vaporesque hujusmodi, ac pro loci diversitate unusquisque varias species generat difficultatis atque molestiæ, audaciæ rursus timiditatisque, oblivionis præterea atque hebetudinis. sæpe etiam ad pravum hunc corporaturæ et affectionis habitum accedunt mores civitatis iniqui sermonesque et privati et publici non parum animo noxii ; nec ullæ doctrinæ ad tantorum malorum remedia a tenera ætate discuntur. atque ita, quicunque nostrum pravi sunt, duabus ex causis, præter voluntatem maxime contingentibus, pravi fiunt. hujusmodi quidem malorum causæ serentibus potius quam satis, educantibus quam educatis, attribuendæ. conandum tamen pro viribus, educationis, studiorum, doctrinarum diligentia improbitatem rejicere, assequi probitatem. sed horum quidem tractatio alio constat disserendi modo. Nunc jam converso, quo cultu quibusve causis corporis animique salutem adipiscamur, decet exponere. justius enim est de bonis

quam de malis verba facere. omne bonum pulchrum : pulchrum vero sine mensura et moderatione esse non potest. ideoque animal, quod tale futurum est, convenienti mensura moderatum esse oportet. ex eorum autem numero, quæ commensurata moderataque dicuntur, exigua quædam persentimus et judicamus, præcipua vero et maxima ignoramus. porro ad bonam et malam valetudinem, ad virtutes et vitia, nulla moderatio vel immoderatio majoris momenti, quam animæ ad ipsum corpus, esse videtur. horum nihil consideramus, neque animadvertimus quod, quando robustam magnamque animam imbecillior inferiorque velit species vel quando contra ista junguntur, totum ipsum animal pulchrum esse non potest. maxima enim mensura et moderatione caret. quod autem contra affectum est, spectaculorum omnium ei, qui id valeat intueri, pulcherrimum amabilissimumque apparet. corpus quidem, quod grandioribus vel inæqualibus cruribus, aut quo visalio modum excedente membro secum ipso dissentit, et deforme est et in ferendis laboribus contorquetur, vacillat, lassatur et concidit, innumerabiliumque malorum sibi causam præbet. idem quoque judicandum de eo ex anima et corpore composito, quod animal appellamus. quando enim anima corpore admodum potentior est, exsultat in eo atque effertur, [88] et totum ipsum intrinsecus quatiens langoribus implet. quando etiam ad discendum investigandumque collectis in unum viribus vehementer incumbit, liquefacit protinus corpus et labefactat. denique cum ad docendum disserendumque privatim et publice ambitiosa quadam concertatione contendit, inflammat corpus atque resolvit. nonnunquam etiam destillationes fluxusque commovens, medicorum plurimos decipit, cogitque illos contrarias causas judicare. rursus quando corpus grande et pigriori mole superexcedens pusillæ exilique cogitationi animi copulatur, cum geminæ sint in homine secundum naturam cupiditates, una quidem per corpus alimentorum, altera vero per id, quod divinissimum nobis inest, prudentiæ : tunc sane potentioris illius prævalentes agitationes quod suum est adaugent ; quod vero animi, hebes, indocile, obliviosum reddunt, atque ita infirmitatem maximam, videlicet imperitiam, generant. una demum est ad utrumque salus et conservatio, ut neque animam sine corpore neque corpus absque anima moveamus, ut in mutua contentione exæquatis invicem viribus insurgentia bonam totius valetudinem tueantur. quapropter quicunque mathematicis doctrinis operam dat, aut cuivis mentis indagationi vehementius studet, debet etiam motum corporis adhibere et in gymnastica exercitatione versari. ac rursus qui summa corpus diligentia firmat et roborat, animæ quoque vicissim motus adjungere, musica et omnibus philosophiæ studiis usus, si modo quis jure bonus simul et pulcher sit appellandus. Similiter quoque partes curare debemus, totius speciem imitati. cum enim corpus ab ingredientibus incendatur intus frigidumve fiat, et iterum ab externis aridum madidumve reddatur, et, quæ deinceps ista sequuntur, perpetiatur, quando quis otium agens corpus motionibus his committit, superatum ab his dissolvitur. at si quis in curando corpore illam imitetur naturam, quam altricem universi vocavimus, ita ut nunquam torpere permittat, sed moveat semper, jugique agitatione internis externisque motibus secundum naturam ubique resistat, et moderata quadam commotione orberrantes passiones corporis partesque, cognationis ratione servata, vicissim in ordinem redigat et exornet, secundum sermonem illum superiorem, quem de universo habuimus, nequaquam sinet inimicum inimico admotum prœlia in corpore morbosque ciere, sed efficiet potius, ut amicum adhærens amico sanitatem corporis tueatur. [89] omnium vero motuum optimus ille est, qui in semet ex se ipso fit : nam et mentis et totius ipsius motioni cognatissimus est : qui vero ab alio fit, deterior. deterrimus autem motus, quando jacens et quietem agens corpus ab aliis secundum partes movetur. quapropter purgationum constitutionumque omnium corporis, quæ exercitatione gymnastica fit, saluberrima

est. proxime ad hanc accedit vectio facilis, sive navi seu quovis alio vehiculo peragatur. tertia commotionis species tunc demum, cum summa cogit necessitas, utilis, aliter vero nullo modo sanæ mentis homini suscipienda. medicorum illa purgatio est, quæ pharmacis, id est solutivis medelis, fieri solet. morbi enim nisi periculosissimi sint, pharmacis irritandi non sunt. omnis namque morborum constitutio animalium naturæ quodammodo similis est. sane animalium compositio ab ipso generationis exordio certis temporum curriculis terminatur : idque et genus universum patitur, et animal unumquodque ab ortu fatale vivendi spatium in se ipso, exceptis necessariis passionibus, continet. etenim trianguli ab ipso initio singulorum vim possidentes, usque ad certum tempus sufficienter ad usum vitæ cohærent : ultra id vita nemini prorogatur. idem quoque constitutionis modus langoribus convenit, quos si quis citra fatalem temporis cursum pharmacis amputare contenderit, ex parvis ingentes, ex paucis multi evadere consueverunt. quapropter diligentia victus corrigendi et gubernandi sunt morbi, prout cuique datur otium : neque difficile infestumque malum pharmacis instigandum. ac de communi quidem animali et parte illius corporea, qua diligentia regenda et gubernanda sint, ut ratio vivendi servetur, satis sit dictum. ipsum vero, quod gubernaturum est, multo magis ac prius ita pro viribus instruendum est, ut quam optime atque pulcherrime ad regendum sit præparatum. exacta quidem hujus rei discussio propriam sibi et integram disputationem exigeret ; quantum vero forte ad id, quo de agimus, attinet, si quis per superiorum vestigia gradiatur, non absurde sic maxime procedendo ad commodum istorum finem perveniet. sæpe in superioribus diximus tres esse animæ species in nobis trifariam distributas, singulasque suos motus habere. ita tunc paucis concludamus, quæcunque illarum torpet et a suis motibus otium agit, imbecillisimam necessario reddi ; quæ vero agit assidue, robustissimam. quapropter danda est opera, ut species singulæ motus suos inter se moderatos convenienti tenore conservent. [90] de præstantissima igitur animæ nostræ specie ita est sentiendum : nempe hanc Deus, ut dæmonem nostrum, cuique tribuit : hanc in summa corporis arce sedem habere dicimus, atque ad cœli cognationem a terra nos tollere, tanquam animalia cœlesti potius quam terreno semine nata. quod quidem recte admodum dicitur. unde enim primus animæ datus est ortus, inde divina vis caput radicemque et originem nostram pendentem suspendens, totum dirigit corpus. in eo igitur, qui concupiscentiæ et ambitiosæ iracundiæ affectibus explendis incumbit, necesse est opiniones omnes mortales fieri, atque eum, quam maxime fieri potest, mortalem prorsus evadere, cum mortalem naturam pro viribus auxerit : at eum, qui totus discendæ veritatis cupiditate flagraverit, atque omnem ejus operam præcipue in hoc uno impenderit, necesse est omnino, si quidem veritatem attingat, immortalia et divina comprehendere ; et quatenus humana natura immortalitatem assequi potest, eatenus hunc penitus immortalem evadere, nulla videlicet immortalitatis parte dimissa ; quin etiam cum semper divinum colat, ipsumque familiarem dæmonem in se habeat ornatissimum, præcipue beatum fore. cultura autem cujusque omnino una est, proprium cuique pabulum motumque tribuere. ei vero, quod in nobis divinum est, motus cognati sunt universi ipsius cogitationes atque circuitus. hos itaque secutum unumquemque nostrum oportet discursiones illas nostras in capite, olim a prima generatione corruptas, per ipsam mundanæ harmoniæ revolutionisque intelligentiam ita corrigere, ut intellectæ rei intelligentem vim secundum pristinam naturam similem reddat, per quam similitudinem vitæ, a Deo optimæ nobis propositæ, et in præsenti tempore et in futuro finem adipiscamur. Sed jam disputatio illa de universo usque ad generationem hominum nobis proposita finem pæne suum adepta videtur. ceterorum vero animantium generationem, quatenus duntaxat necessitas postulat,

paucis perstringemus. sic enim modum in hac disputatione tenere sibi quisque videbitur. verum de his jam ita dicamus. quicunque virorum injusti timidique vixerunt, quemadmodum probabilis ratio nobis ostendit, in generatione secunda in feminas sunt conversi, [91] quo quidem tempore hanc ob causam. Dii coitus amorem machinati sunt. igitur in viris unum quiddam, in feminis alterum vitæ et animæ compos ita composuerunt: ipsum potus discursum, quo per pulmones sub renes in vesicam defluens et spiritui mixtus elisusque depromitur, Dii in fistulæ modum in compactam medullam a capite per cervicem et spinam derivaverunt: quod quidem sperma, id est semen, in superioribus nuncupavimus. hoc autem, utpote animatum ac respirans, qua parte spirat, per eandem vitale effluendi desiderium gignit, atque ita generandi amorem nobis inseruit. quocirca pudendorum naturæ in viris insita vis inobediens atque imperiosa, et quasi animal non exaudiens rationem, furiosarum libidinum violentia subjicere sibi cuncta conatur. vulva quoque matrixque in feminis eadem ratione animal avidum generandi, quando procul a fœtu per ætatis florem aut ultra diutius detinetur, ægre fert moram ac plurimum indignatur, passimque per corpus oberrans meatus spiritus intercludit, respirare non sinit, extremis vexat angustiis, morbis denique omnibus premit, quousque utrorumque cupido amorque quasi ex arboribus fœtum fructumve producunt: ipsum deinde decerpunt, et in matricem velut agrum inspargunt. hinc animalia primum talia, ut nec propter parvitatem videantur necdum appareant formata, concipiunt: mox, quæ conflaverant, explicant, ingentia intus enutriunt, demum educunt in lucem, animaliumque generationem perficiunt. mulieres hunc in modum et feminæ omnes sunt genitæ. avium autem genus ex nostro ita est apte formatum, ut pro pilis pennas acciperet. in hoc illi homines transeunt, qui simplices et innocentes cum sint, leves tamen sunt et frustra in rebus sublimibus curiosi: quive adeo fatui sunt, ut oculorum judicio confici hoc altissima quæque firmiter demonstrari posse non dubitent. gressibilium vero ferarum genus ex his natum hominibus, qui a philosophia penitus alieni ad cœlestia nunquam oculos erexerunt, ex eo quod volutionibus illis, quæ in capite peragi solent, usi nunquam sunt, sed illas animæ partes secuti, quæ in ventre et pectore dominantur. ex his utique studiis anteriora membra et capita ob ipsam cognationem humi penitus defixerunt: in longum productum ac diversum corporis verticem tenuere, [92] quandoquidem ibi propter desidiam singulorum collisi sunt et confracti circuitus, et ideo, quod quatuor pedum ac etiam plurium est instituta figura, ut insipientioribus Deus majorem ex pedibus multis atque progressu occasionem præstet, per quam magis etiam deflectantur ad terram. eos autem, qui horum insipientissimi erant, corpusque in terram penitus prosternebant, quasi nihil ultra pedibus opus foret, in corpora carentia pedibus et humi serpentia permutarunt. quartum genus aquaticum est, ex illis natum, qui stolidissimi et imperitissimi fuerant: quos nostri illi transformatores pura respiratione dignos iccirco non judicaverunt, quia propter extremæ transgressionis iniquitatem animam impurissimam prorsus habebant. ideo ex tenui ac pura aëris illa respiratione in aquæ respirationem profundam turbidamque merserunt. unde piscium et ostrearum ac denique aquatilium omnium orta est multitudo: in qua certe mutatione illi ex sedium extremarum habitatione inscitiæ quoque extremæ dant pœnas. hunc in modum et olim et nunc in se invicem animalia migrant, dum mentis et dementiæ jactura vel adeptione mutantur. Jam igitur nostra hæc de universo disputatio finem habeat. mortalia enim et immortalia viventia mundus hic sortitus, atque inde completus, ita denique factus est visibile visibilia comprehendens animal, intelligibilis Dei imago, sensibilis, maximus, interminatus, pulcherrimus, perfectissimus cœlum unum hoc atque unigenitum.

CRITIAS.

TIMÆUS, CRITIAS, SOCRATES, HERMOCRATES.

[106] Quam grata longum post iter defesso requies, o Socrates, tam mihi post longas disputationis ambages dulce silentium. hunc autem scilicet mundum, re quidem ipsa jamdiu, sermone vero nuper Deum effectum, obsecro, ut si quid decenter dictum est, servet ipse nobis atque custodiat: sin autem indecens quicquam in superioribus non sponte protulimus, meritas a nobis exigat pœnas. debita vero ejus, qui per ignorantiam negligentiamve aberravit, pœna est, ut sciens efficiatur et diligens. quamobrem ut posthac rectius de Deorum generatione loquamur, medicinam nobis a Deo medicinarum omnium perfectissimam saluberrimamque dari, scientiam, exoptamus. actis denique votis sequentem disputationem Critiæ, ut inter nos convenerat, jam concedimus. Cri. Accipio equidem, o Timæe: et quam tu supra veniam petisti, tanquam de rebus magnis disputaturus, eandem ego nunc peto. immo vero majorem quoque veniam in his, quæ restant, tribuendam existimo: [107] quamquam scio procacem quodammodo rusticamque petitionem hanc meam videri posse. dicendum tamen. quod quidem non recte abs te superiora dicta sint, nemo sanæ mentis objecerit: quod autem, quæ restant dicenda, utpote difficiliora, majorem exigant indulgentiam, conabor ostendere. facilius enim est, ut qui de Diis disserit, satis facere hominibus videatur, quam qui mortalium retexit historiam. imperitia namque et ignoratio audientium licentiam plurimam ad ea, quæ ignota sunt, effingenda præstare dicentibus consuevit: quomodo vero simus circa Deos affecti, non ignoramus. ut autem quod sentio planius vobis aperiam, sic attendite. quæcunque a nobis dicuntur, tanquam imitationem quandam similitudinisque expressionem existimare debemus. neque nos lateat, quæ in pictorum configuratione circa divina humanave corpora vel facilitas sit vel difficultas ad hoc, ut sufficienter ea repræsentasse spectantibus videantur. profecto, cum terram pingunt et montes, flumina, silvas cœlumque omne, quæve circa cœlum consistunt et quæ vagantur, primum quidem satis putamus effectum, si quis illorum vel exiguam quandam referre possit imaginem: deinde, utpote talium prorsus ignari, neque examinamus pictorum opera neque etiam redarguimus, sed confusa quadam adumbratione fallacique utimur. cum vero quis fingere aggreditur nostrorum corporum similitudinem, tunc propter familiarem ipsam rerum nostrarum animadversionem acutius errata persentimus, severique et acres judices exactoresque sumus adversus eum, qui non singula lineamenta coloresque expresserit. idem quoque in sermonibus intueri licet. nam satis agi putamus, si de cœlestibus divinisque rebus quicquam, vel parum quid conveniens afferatur: mortalia vero humanaque opera exacte nimium examinare solemus. quamobrem si minus pro dignitate, quæ statim sunt dicenda, tractabimus, ignoscere decet. neque enim facile, immo certe difficile, mortalia ad opinionem imitatione ipsa exprimi posse putanda sunt. hæc itaque omnia dixi, o Socrates,

[108] cupiens et vos admonere et majorem a vobis veniam ad ea quæ restant, expetere. vos autem, si justa petere videor, ultro hanc veniam largiamini. So. Nihil obstat, o Critia. quo minus tibi, quod postulas, tribuatur. quin etiam Hermocrati hoc idem a nobis tertio detur. constat enim hunc paulo post, cum dicturus erit, eadem precaturum. ut igitur aliter exordiatur neque eadem cogatur repetere, sciat veniam sibi esse tributam, et quasi id constet, ad dicendum protinus accingatur. Prædico autem tibi, o amice Critia, theatri sententiam, quod poëta prior in eo mirifice est probatus. quapropter plurima tibi venia opus erit, si ea sufficienter es comprehensurus. Her. Idem mihi, o Socrates, quod et isti, nuntias. ceterum segnes pusillanimesque nunquam palmam consecuti sunt, Critia. sermonem igitur aggredi forti animo decet, ab Phœbo Musisque vocatis antiquos cives, excellentes viros, summis laudibus illustrare. Cri. O amice Hermocrates, cum postera tibi dies assignata sit, dicentem alium es secuturus, ideoque confidis. quale vero id sit, ipse tibi forsitan declarabit. exhortanti itaque tibi et ad rem ipsam penitus inflammanti parendum: et ultra Deos, quos tu memorabas, alios insuper invocare decet, præcipueque Mnemosynem, id est memoriam: ferme namque maxima quæque sermonum nostrorum in hac dea consistunt. nempe si sufficienter memineri-mus recensuerimusque nunc vobis, quæ quondam a sacerdotibus tradita a Solone huc advecta fuerunt, videbimur theatro huic, ut arbitror, satis quæ conveniunt peregisse. hoc itaque jam agendum, neque ultra cunctandum. Primum autem commemoremus, quod summa erat annorum novem millium, ex quo bellum exstitisse traditum est inter eos omnes qui ultra et eos qui citra columnas Herculis habitant, quod in præsentia enarraturi sumus. horum quidem dux fuit hæc civitas, bellumque omne, ut dicitur, confecit: illorum autem insulæ Atlanticæ reges, quam insulam Libya Asiaque majorem fuisse quandoque perhibuimus, postea vero cœnum ibi invium, submersa insula ex terræ concussione, relictum, quod quidem hinc illuc altum in mare navigantibus obstat, ne ultra enavigare liceat. [109] gentes quidem barbaras, quæ tunc erant, Græcasque generatim orationis ipsius progressus passim, prout occasio dabitur, enarrabit: Atheniensium autem, qui tunc erant, adversariorumque vires in primis res publicasque, et belli ordinem atque successum, exponere decet. horum vero ipsorum nostra primum narrabimus. Dii quondam universum terræ orbem sigillatim sortiti sunt, in regiones singulas distributum. neque partitionem hanc contentio fecit. nam procul a ratione id esset, quod Dii vel quæ unicuique ipsorum conveniunt, ignorarent, vel cognoscentes, quæ potius aliis competunt, aliena jura vicissim usurpare contenderent. ceterum judicii jurisque sortibus sua quæque ad votum suscipientes, curantesque amicorum singula, regiones habitandas disposuerunt: hosque veluti greges ipsorum possessionesque et armenta nutrivere, hoc tamen excepto, quod corporibus corpora cogere noluerunt, quemadmodum plagis pecora jumentaque pastores: at vero tanquam docile et obediens animal, quasi ex puppe ratem agilem dirigentes, persuasione pro gubernaculis utebantur, eaque animam attingebant, et ad mentem ipsorum ita ducentes mortale genus omne gubernabant. et alii quidem Dii aliorum locorum gubernationem sortiti ea instituebant. Vulcanus autem Minervaque, naturam habentes communem, tum quia eodem ex patre sunt, tum quia per sapientiæ studium perque artium diligentiam ad eadem tendunt, ita communem sortem hanc nacti sunt regionem, utpote virtuti prudentiæque natura propriam atque congruam: procreantesque in ea viros indigenas admodum generosos, eorum mentibus rei publicæ ordinem infuderunt. quorum duntaxat nomina restiterunt, opera vero propter eorum, qui acceperunt, interitum et longa temporum intervalla e memoria hominum delcta sunt. semper enim superstes hominum genus, ut in

superioribus diximus, montivagum atque rude, cui potentum in regione virorum nomina solum audita : at præter hæc ex rebus gestis exiguæ quædam notæ fuerunt, quapropter filiis suis posteri quodam amoris affectu nomina priscorum imposuerunt, virtutum legumque superiorum ignari : nihil enim de his habebant præter auditum, et hunc non satis certum. cum vero multa per secula rebus ad victum necessariis indigerent, [110] ipsique et filii mentem his adhiberent, quorum penuria premebantur, deque his verba facerent, rerum antiquarum memoriam neglexerunt. confabulatio enim priscarumque rerum investigatio in civitatibus cum otio simul oriri consueverunt, cum necessaria vitæ parata jam sunt ; prius vero nequaquam. atque ita priscorum nomina sunt absque operibus reservata. dico autem hæc ita conjectans, quoniam inquit Solon sacerdotes illos in veteris belli narratione plurima inseruisse nomina posteris persimilia, ut Cecropem, Erechtheum, Erichthonium, Erisichthonem, aliaque ex his, quæ supra Theseum memorantur. mulierum quoque nomina similiter atque opera eadem, Deæque Palladis figuram et statuam, ita ut belli studia viris tunc essent mulieribusque communia. nempe ea tempestate armatam Deam palam elatam exstitisse, exemplum daturam omnibus, quod in singulis animalium gregibus mas feminaque sortis ejusdem, pro generis cujusque virtute ita natura instituta sunt, ut aggredi omnia communiter valeant. habitabant profecto tunc in hac regione alia genera civium, qui in artium operibus et agricultura versabantur. milites autem, a divinis viris principio segregati, seorsum vivebant, habentes omnia tum ad alimenta tum ad educationem conferentia. quorum nullus proprium aliquid possidebat : nam communia inter se cuncta existimabant. ultra vero victus ipsius sufficientiam nihil ab aliis civibus exigebant : exercebantque ea omnia, quæ heri de custodibus, quos descripsimus, exposita sunt. Quin etiam vere illud et probabiliter de regione nostra est dictum, primum quidem illis temporibus fines suos versus Isthmum habuisse distinctos, quodque vergebat in partem alteram continentis usque ad summum Cithæronem atque Parnethem; qui fines ipso descensu ad dexteram Oropiam habuerint, ad sinistram versus mare Asopum distinguentes. virtute vero universam terram ab hac exsuperatam fuisse traditur. quapropter potuisse tunc regionem hanc universum circagarum exercitum alere. argumentum plane virtutis ejus evidentissimum, quia, quod ex ea reliquum est, cum quavis alia hoc ipso certare potest, quod et fert omnia, et fructus profert optimos, pascuisque abundat animali cuique accommodatis. [111] tunc vero non modo speciosa hæc omnia, sed etiam uberrima producebat. quanam ratione id probabile? quibusve indiciis, has esse reliquias illius terræ, conjectari potest? omnis ab alia continenti in pelagus longe porrecta extrema quodammodo jacet : quam altitudo maris proxima passim profunditate circumdat. cum itaque multa ingentiaque diluvia in annorum novem millium intervallo præcesserint, tot enim ex illo tempore ad præsens anni fluxere, tellus his temporibus colluvionibusque ex altis defluens, et tumulos ferme nullos, ut alibi solet, exaggerat, et semper circum decidens in profundum occulitur. quapropter relicta sunt, quemadmodum in angustis insulis, præsentia hæc ad illa, quasi corpore per morbum extenuato ossa detersa nudataque terra molli quondam et pingui : solum vero tenue corpus atque aridum restitit. olim integra terra altissimos montium colles habebat: et agri, qui nunc Phyllei nominantur, solo pingui fertiles erant : silva in montium vertice frequens, cujus nunc etiam conjecturæ quædam apparent. sunt enim montes nonnulli, qui solas nunc apes pascunt : olim vero, nec multo tamen anteacto tempore, fingentes inde incisæ arbores, operimentis et trabus conficiendis aptissimæ ; ex quibus ædium amplissimarum confectæ texturæ adhuc exstant. erant et aliæ multæ arbores domesticæ, mites atque proceræ : quin

etiam pascua pecorum uberrima. præterea regio hæc quotannis ab Jove frugiferam pluviam hauriebat: neque, ut nunc, per declive præruptumque diluta ex terra in mare aquam fundebat, sed hanc ex altis abunde absorptam tenaci quadam concavitate recondens combibensque in viscera demittebat. unde passim juges fluviorum fontiumque liquores scaturiebant: quorum etiam nunc in veteribus fontibus sacra quædam signa relicta conspiciuntur. quapropter in præsentia de his vera narrantur. atque hæc erat regionis hujus conditio. excolebatur præterea tunc ab agricultoribus, ut consentaneum est, et veris et ad eadem hæc intentis, ingeniosis profecto viris et honestorum admodum studiosis, solum fertile nactis, aquam copiosissimam, temperiem aëris singulis anni temporibus saluberrimam. Urbs autem eo tempore sic instituta. primo quidem arcis tunc alia quam nunc erat dispositio. [112] nunc enim unius noctis illuvio terra nudatam ipsam diluit et terræ concussione collisit, et ante illud tempore Deucalionis exitium post tertiam inundationem factum similiter traditur accidisse. superiori vero tempore magnitudo ejus usque ad Eridanum Ilissumque protensa Pnycem intus et Lycabetum comprehendebat, terminum e regione Pnycis habens. terrena erat omnis, paucisque exceptis plana superne. colebantur exteriora ejus sub transversis ipsius partibus ab artificibus agricolisque, qui proxime agros colebant. superna milites soli prope Minervæ Vulcanique templum inhabitabant, veluti ædis unius viridarium uno ambitu circumdati. loca ejus ad Boream versa colebant communes ædes habentes atque cœnacula, quibus hieme communia parabant convivia, et quæcunque communi civitatis vitæ conveniebant per domorum institutionem· tam in his quam in sacris, sine auro et argento servabant, nulla siquidem in re unquam his utebantur: verum medium inter superbiam illiberalitatemque secuti honestas habitationes struebant, in quibus et ipsi consenescentes et nati natorum. eas posteris sibi similibus relinquebant. hortis vero gymnasiisque et cœnaculis Austrum versus expositis utebantur æstate. erat fons unus, ubi nunc arcis est locus: quo ob terræ motum exhausto rivuli circum exigui relicti sunt. tunc autem affatim omnibus humorem suggerebat irriguum: cujus erat ad æstatem atque hiemem temperies salutaris. hac illi ratione loca hæc habitabant, civium quidem suorum custodes, ceterorum vero Græcorum volentium duces, observantes in primis, ut semper idem illorum esset numerus, virorum videlicet feminarumque jam in re bellica fortium: neque minor erat unquam viginti millibus numerus militum. Cum igitur tales illi essent, semperque ratione hujusmodi patriam suam et universam Græciam juste disponerent, per omnem Europam et Asiam tam egregio corporis habitu quam innumeris animi dotibus omnium, qui tunc erant, probatissimi et clarissimi habebantur. deinceps vero quales adversariorum ab initio res essent, nisi forte, quæ pueri audivimus, e me moria exciderunt, vobiscum tanquam amicis communicabimus. [113] Sed antequam referam, admonendi estis, ne miremini, si plurima barbarorum nomina Græce nunc audieritis. id enim ex eo contigit, quia Solon, cum cogitaret illa carminibus suis inserere, vim ipsam est nominum perscrutatus, invenitque primos illos Ægyptios harum rerum scriptores in eorum vocem ea nomina transtulisse. quare et ipse rursus uniuscujusque nominis sensum accipiens, in vocem nostram convertit. atque hæc scripta apud avum meum erant, et nunc adhuc apud me sunt: quæ a pueritia meditatus sum. si ergo talia nunc audieritis nomina, qualia apud nos sunt, ne miremini: nam hujus rei causam intelligitis. prolixæ autem orationis tunc exordium illud, quod et in superioribus de Deorum sortibus est inductum. Partiti quidem sunt universam terram, partim in ampliores portiones, partim angustiores, templaque et sacra sibi instituerunt. tunc sane Neptunus, insulam sortitus Atlanticam, filios ex mortali femina in tali quodam insulæ loco proge-

nuit. secus mare quidem plana insula erat, sed in media insula planities erat, quæ omnium speciosissima feracissimaque dicitur exstitisse. prope planitiem rursus in medio mons erat brevis stadiis quinquaginta distans. hic vero ab aliquo eorum, qui a principio ex terra nati sunt, nomine Euenore colebatur. qui ex Leucippe uxore Clitonem unicam filiam genuit. parentibus vero mortuis et matura viro puella, Neptunus ejus desiderio captus illi se miscuit; circumsepsitque collem, quem habitabat, spiris aquæ circumfluis terræque zonis alternc, partim amplioribus. partim angustioribus. ex quibus duo quidem terræ, tres vero maris fuere circuitus: qui veluti torno descripti, pari undique intervallo insulam per mediam distabant, inaccessibilemque hominibus collem ipsum reddebant. neque enim tunc naves erant neque navigandi peritia. ipse vero, utpote Deus, facile mediam insulam exornavit, humoremque duplicis aquæ ex terræ abditis per fontes exteriores jussit erumpere, partimve calidum partim frigidum scaturire: alimenta item varia per terras et abundantia pullulare, quinque præterea masculorum filiorum geminos partus progenuit et nutrivit. atque omnem Atlanticam insulam decem in plagas partitus, primogenito maternam habitationem et plagam, [114] quæ circum erat, tribuit, maximam profecto sortem atque potissimam: regemque illum statuit reliquorum, ceteros vero multarum gentium regionumque principes. singulis imposuit nomina. primogenitum quidem vocavit Atlantem, totius insulæ regem; unde et pelagus cognominatur Atlanticum. eum vero, qui gemino partu statim post illum est natus, patria voce Gadirum, quem Græce dicimus Eumelum: qui extremas insulæ partes ad columnas Herculis est sortitus, suoque locum nomine Gadiricum nuncupavit. secundi partus unum Ampherem, alterum Eudæmonem nominavit; tertii primum natum Mneseum, secundum Autochthonem; quarti autem Elasippum priorem, Mestorem vero posteriorem; quinti demum primum Azaëm, Diaprepem vero secundum. Hi omnes posterique ipsorum multa ibi secula habitarunt, aliis multis per mare insulis dominantes, et Ægyptum usque Tyrrheniamque his qui citra habitant, ut prædiximus. in maxima certe veneratione universum Atlantis erat genus, semperque rex antiquior regnum primogenito relinquebat: quod imperium multa per secula conservarunt. tanta vero illis divitiarum copia, quanta nullis antea regum superiorum fuerat, nec ullis unquam posterorum facile comparabitur. structa ordinataque illis erant in civitate totoque regno omnia, quorum usus expetitur. multa quidem ad eos extrinsecus propter imperium accedebant: permulta quoque insula ipsa ad sufficientem vitæ usum pertinentia producebat. primum quidem omnia, quæcunque ex terræ visceribus eruuntur, et quæ solida permanent et quæ funduntur: quodve nunc nominatur solum, tunc certe plurimum effodiebatur aurichalcum multis ex insulæ locis, insigne metallum, tunc apud eos ceterorum, excepto auro, pretiosissimum. et quæcunque silva producit ad fabrorum artificium, ferebat abunde. pascua quin etiam animantibus tam feris quam domesticis suggerebat. Elephantum præterea ingens ibi copia. alebat nempe sufficienter, quæcunque per paludes, lacus et flumina, sive montes agrosve pascuntur: [115] pascebat quoque vastum animalium genus et voracissimum. Ferebat et quæcunque tellus nunc odorifera nutrit, radices, gramina, ligna, liquentes succos, flores ac fructus. suavem præterea vitis humorem et solidum alimentum, quibus ipsi nutrimur. illa item, quibus pro cibo utimur et obsonii gratia, quæ legumina vocitamus. nec non liquores ex arboribus, atque escas ad sitim famemque exstinguendam. neque deerant his unguenta. Accedebant et deliciarum gratia fructus variarum arborum copiosissimi. aderant quoque satietatis solatia bellaria, fastidientibus requisita. hæc omnia insula, quæ quondam extabat, sacra, speciosa, miranda, uberrima producebat. atque hæc colligentes ex terra, templa et

regias ædes, portus, navalia et universam regionem struebant. profecto hoc pacto spiras illas maris disposuerunt, quæ antiquam circumdabant metropolim, hoc est matris eorum patriam sedem. primo quidem constructis pontibus transitum ad exteriora et ad sedem regiam præbuere, ubi in Dei ipsius majorumque suorum sedibus statim ab initio regias ædes ædificarunt. alterque ab altero ornata suscipientes, continua successione superiores in exornando pro viribus superabant, quoad machinas magnitudine decoreque mirandas fabricaverunt. foveam porro a mari ad extimum circulum deduxerunt, quæ tria jugera in latitudinem protendebatur, centum pedes in altum, in longum stadia quinquaginta. atque ut ex hoc mari ad circulum illum, velut ad portum, applicare naves possent, effecerunt patefacto illius ore, ut naves ingentissimas caperet. Zonas item terræ, quibus spiræ maris distinguebantur, pontibus secuerunt, ut una triremi enavigare inter se invicem possent, supra vero texerunt, ut subnavigare liceret. terrenarum namque zonarum labra profunda mare superemincbant. maximus plane circuitus, per quem inundabat mare, latitudine stadia complebat tria : proximus huic orbis terræ prorsus æqualis : sequentium vero duorum humidus quidem orbis stadia duo, aridus autem humido præcedenti rursus æqualis : stadium denique unum, qui ipsam insulam in media positam circumdabat. [116] insulæ vero, in qua regia erat, diameter stadia quinque. et hanc circum orbesque et pontem latum ad plethri mensuram hinc atque inde muro quodam lapideo clauserunt, turres portasque in singulis super pontes secundum maris pertransitus fabricantes. lapidem sub insula, quæ jacebat in medio, inciderunt circum : et sub ipsis orbibus, intus pariter atque extra, partim album, partim nigrum, partim rubrum : navium receptacula duo moliti sunt concava geminaque intrinsecus, quorum fornices hac ipsa sunt petra contextæ. ædificia vero partim simplicia, partim varia mixtis ex lapidibus effecerunt, ipsa varietate ludum delectationemque secuti. ejus insuper muri, qui exteriorem orbem claudebat, superficiem omnem ære tenui vestierunt : ejus vero, qui interiorem, stanno : ejus denique, qui circumdabat arcem, aurichalco igneo fulgore corusco. Regia vero ipsa intra arcem ita constructa. in medio sacrum et inaccessibile Clitonis Neptunique templum, aureo ambitu circumdatum. illuc a principio convenientes genuerunt decem regum genus : atque ibidem quotannis ex decem regionibus congregati, unicuique illorum sacra solemnia peragebant. erat Neptuni templum stadium unum longum, jugera latum tria, altum vero, quantum longitudo ejus latitudoque exigere videbantur. figura ejus speciesque barbarica. Faciem exteriorem præter suprema fastigia argento omnem exornaverunt : nam culmina ipsa et apices auro, intus autem laquearia tota eburnea, auro, argento, aurichalco varie cælata suspiciebantur. verum parietes, columnas, pavimenta aurichalco exornaverunt. statuas quin etiam ex auro crexerunt. Deum quidem curru insistentem, tenentemque equorum alatorum habenas, laquearia alta cervice tangentem. circa hunc delphinis insidentes Nereides centum, tot enim esse tunc existimabantur. aderant et statuæ donariaque complurima privatorum. extrinsecus exstabant imagines aureæ mulierum omnium regiarum, virorumque, quicunque ex regibus decem descenderant : multaque et ingentia simulacra donariaque alia regum et privatorum, tum ea ex urbe tum ex aliis eorum imperio subditis. aderat item altare, [117] magnitudine et artificio, quod ad reliquum apparatum spectabat, decentibus. eadem ratione et regia, tam amplitudini regni quam ornamentis sacris, convenientia. utebantur autem fontibus tam calidi liquoris quam frigidi, jugi humore exuberantibus : quibus inerat ad utrumque usum mirifica cum jucunditate salubritas. porro circa fontes habitationes constructæ erant et aquaticæ arbores consitæ, receptacula quoque aquarum circumposita, partim quidem sub divo patentia, partim vero sub tecto

calidis lavacris hiberno tempore accommodata : regia seorsum, seorsumque privata, atque alia mulieribus, alia item equis ceterisve jumentis. decens plane et conferens unicuique servabantur. Defluum vero irriguumque humorem in Neptuni deduxere lucum, ob fœcunditatem soli arboribus variis et altitudine specieque mirandis refertum : atque inde in exteriorem circuitum per aquæductus juxta pontes derivaverunt. ubi templa multa delubraque Deorum, viridaria atque gymnasia, partim hominum, partim equorum : seorsum in utraque orbium insula : sed circa mediam insulam omnium maximam præcipuus erat hippodromus, id est cursus equorum, cujus latitudo stadium, longitudo per omnem circulum porrigebatur ad equestre certamen. circa hippodromum utrinque erant stipatorum custodumque dispositæ domus. fidis quidem militibus intra ipsum angustiorem circuitum, arci quam proximum, commissa custodia : his autem, qui ceteris fide præstabant, in arce ipsa circa reges habitationes concessæ. navalia præterea triremibus omnibusque ad eas pertinentibus instrumentis referta, singulaque sufficienter exposita. atque hic erat regiarum ædium apparatus. transeunti vero tres portus exteriores, apparebat murus a mari incipiens valli instar, et stadiis quinquaginta ab amplissimo circulo ac portu undique distans, qui ad os foveæ versus mare in idem concludebatur. totum vero id colebatur, et reliquum quidem spatium multis et frequentibus ædificiis abundabat : sinus autem ipse portusque latissimus plenus erat navibus mercatoribusque undique confluentibus. ubi ob frequentem turbam die nocteque clamor continuus ac strepitus ingens sentiebatur. Atque ita de urbis et antiquæ sedis dispositione, ut olim traditum est, in præsentia jam retulimus : deinceps vero commemorare conabimur, quæ natura quive cultus reliquæ regionis exstiterit. [118] Principio locus omnis editus admodum et mari abscisus memorabatur. regio vero circa urbem campestris omnis, ambiens quidem urbem et ambitu exteriori comprehensa. montes enim hanc secus mare claudebant. ipsa vero illuc usque æqualis ac plana et altera quidem ex parte ad tria stadiorum milia protendebatur ; ad medium vero a mari supernc stadiorum milia duo. situs autem insulæ ad Austrum vergebat, a septentrione Boreæ expositus. montes ejus frequentia, altitudine, pulchritudine omnes, qui nunc exstant, exsuperabant. in eis vici complurimi accolarum atque ditissimi. neque deerant amnes, lacus, prata, quibus animalia tum fera tum domestica abunde nutriebantur. silva item crebra ac varia singulis operibus materiem affatim suppeditabat. atque ita locus ille tam natura dispositus, quam multorum regum diligentia opibusque longo tempore erat excultus. quadrata regio fuit, plurimum recte in longum vergens, sed propter foveam circum erutam recta amissa figura. cujus profunditas, longitudo et amplitudo incredibiles dictu. impossibile namque videtur tam vastum opus, cum aliis collatum operibus, manibus hominum esse factum. dicendum tamen, quod audivimus. jugeris unius erat profunditas, latitudo omnium stadium : cumque esset per omnem agrum effossa, longitudo ejus stadiorum decem millia. hæc sane fluenta ex montibus demanantia suscipiebat, perque agros revoluta ad urbem hinc atque illinc perveniens, hac tandem erumpebat in mare. desuper autem ab ipsa latæ pedes centum foveæ, rectaque excisæ per agrum rursus in foveam mari proximam demittebantur : altera vero ab altera stadiis centum sejungebatur. deducebant ex silvis ligna in urbem, et alia suis quæque collecta temporibus, duplicibus per foveas navibus. fovearum enim tractus oblique sese usque ad urbem intersecabant. geminos ex terra fructus ac fruges annis singulis colligebant. hieme quidem Jovis beneficio pluviis tellus madebat, æstate rivis ex aquæductibus irrigabatur. circa numerum vero virorum in campestri regione ad rem militarem utilium hic erat ordo, ut suum quæque ducem sors eligeret præberetque. [119] sortis au-

tem magnitudo decies stadia decem, cunctarum vero sortium millia sexaginta. sed eorum, qui montes et alia loca colebant, numerus infinitus : per loca vero et pagos in hujusmodi sortes secundum duces distributi erant cuncti. igitur institutum erat ducem in bellum inferre sextam currus bellicosam partem, ad millia curruum decem, equos duos et equites : rursusque jugales equos absque bigis, ubi esset et qui parvo clipeo munitus descenderet, et qui ambos habenis vicissim regeret equos. armigeros item duos, et sagittarios et funditores utrosque duos ; levis armaturæ milites, jactores lapidum jaculatoresque tres utrosque : nautas quatuor, ad ducentarum milliumque navium complementum. hac itaque ratione in regia civitate erant res bellicæ præparatæ. reliquarum vero novem urbium apparatus alibi alius erat : quarum rerum prolixior foret narratio. Magistratus autem honoresque sic erant a principio instituti. unusquisque decem regum jurisdictione sua in propria civitate hominibus plurimisque legibus dominabatur, puniebatque pro arbitrio unumquemque, ac morte damnabat. imperium profecto et communio inter illos secundum Neptuni mandata dirigebantur, quemadmodum leges illis et literæ nuntiabant, a majoribus in columna quadam ex aurichalco circa medium insulæ in templo Neptuni ipsius inscriptæ. illi igitur quinto quoque anno, interdum et sexto alterne transacto congregabantur, tam pari quam impari æquam partem distribuentes. congregati vero de publicis rebus deliberabant : diligentique examine judicantes, si qua in re prævaricatus quis essét, damnabant. cum igitur foret judicium ineundum, tali se fide invicem adstringebant. nam cum essent in templo Neptuni dimissi solutique tauri, seorsum ab aliis ipsi decem vovebant Deo, gratam illi victimam, se sine ferro capturos. unde lignis et laqueis venabantur. et quemcunque ceperant taurum, ad columnam tractum, in ejus columnæ vertice, uti scriptis erat mandatum, protinus jugulabant. exstabat autem in columna præter leges juramentum exsecratioque, terribilia his, qui non parerent, imprecans. quando itaque, sacrificiis de more paratis, expiaturi jam crematuri erant singula tauri membra, [120] ex impleto cratere guttam sanguinis per singulos diffundebant : reliqua dabant igni, lustrantes columnam. His denique actis, phialis aureis haurientes ex cratere et super ignem libantes, jurejurando interposito promittebant judicaturos se secundum inscriptas columnæ leges, puniturosque eos, qui antea deliquissent : præterea literarum illarum normam sponte nunquam se transgressuros. addebant neque præter patris ipsius leges vel imperaturos se unquam vel imperanti obedituros. hæc unusquisque illorum sibi ipsi posterisque precatus, bibensque et offerens Deo phialam, ad cœnam se et necessaria convertebat. et adventante nocte, igneque victimarum ferme exstincto, singuli cælestem colore et quam pulcherrimam induti vestem, ac penes hostias ambustas humi sedentes, totumque per noctem ignem in sacris accensum exstinguentes, judicabantur simul et judicabant. si quis eorum quempiam tanquam legum transgressorem accusavisset. postquam vero judicaverant diesque illuxerat, in aurea tabula sententias insculpentes, eas una cum vestibus, monumenta futura posteris, suspendebant. Leges autem et aliæ multæ circa sacra regum propriæ singulorum, sed hæ præcipuæ : ne unquam sibi inter se bellum inferrent, immo succurrerent omnes, si quis aliqua in civitate ipsorum genus regium exstirpare aggrederetur. tunc demum communiter, quemadmodum superiores, deliberassent de bello deque ceteris actionibus, imperii jus Atlantico generi tribuebant. cædis autem auctoritatem adversus aliquem cognatorum regi non concedebant, nisi plures ex decem quam quinque in eandem sententiam convenissent. Talem itaque tantamque potentiam, quæ in illis tunc erat locis, Deus certo quodam ordine ad hæc rursus loca deduxit, tali quadam, ut fertur, occasione : multa sane per secula, quo-

ad natura illis divina perseveravit, legibus obediebant, et erga divinum genus ipsis cognatum benigne affecti erant. magnificæ namque illorum animis et veræ cogitationes inerant : unde et modestia utebantur prudentiaque, et ad ea, quæ accidebant, et invicem. quocirca spernentes præter virtutem omnia, parvi faciebant præsentia, neque efferebantur, [121] sed tanquam onus quoddam existimabant auri ceterorumque copiam. neque velut ebrii gemino ex alimento facti, in aliquo per incontinentiam aberrabant : immo vero utpote sobrii acute cernebant hæc omnia communi ex amicitia una cum virtute incrementum suscipere : horum vero studio et admiratione disperdi hæc et virtutem amicitiamque deficere. quoad in eis mens talis et natura divina viguit, creverunt, quæ supra narravimus, omnia : postquam vero divina sors in eis longo abusu crebrisque mortalium rerum affectibus inquinata evanuit, mosque humanus prævaluit, tunc primum, quia non possent ferre præsentia, dedecori succubuerunt. nam apud eos, qui cernere poterant, turpiter affecti existimabantur, cum pulcherrima ex pretiosissimis perdidissent : qui autem rectam ad beatitudinem vitam inspicere non valebant, tunc eos præclaros beatosque putabant maxime, cum maxime iniqua plus habendi cupiditate et violentia replerentur. tunc sane Deus Deorum Juppiter, qui regit omnia legibus, quique potest hæc talia cernere, cum depravari generosam stirpem animadverteret, hominesque eos punire vellet, ut adepti temperantiam modestiores concinnioresque evaderent, Deos omnes in sedem eorum honoratissimam convocavit, unde, tanquam ex medio mundi throno, quæcunque generationi subjecta sunt, conspiciuntur. vocatoque concilio sic est exorsus.

DE LEGIBUS

LIB. I.

ATHENIENSIS HOSPES, CLINIAS CRETENSIS, MEGILLUS LACEDÆMONIUS.

[624] Deumne an aliquem hominum, o hospites, condendarum legum causam existimatis? Cli. Deum, o hospes, Deum, inquam, ut decet asserere: apud nos quidem Jovem, apud Lacedæmonios autem, unde hic est, Apollinem dicturos istos existimo. nonne? Meg. Certe. Athen. An Homerum secutus ita dicis? quasi Minos semper per novennium patris collocutionem petierit, ejusque monitis civitatibus vestris leges posuerit. Cli. Sic nostri ferunt. fratrem quoque ejus Rhadamanthum justissimum fuisse auditis. [625] eumque nos Cretenses, quia tunc recte jus unicuique distribuerit, hanc laudem consecutum fuisse censemus. Athen. Egregia profecto laus, maximeque filio Jovis conveniens. verum quia in hujusmodi moribus atque legibus ambo educati estis, tu scilicet atque iste, spero nobis non injucundum fore, si inter eundum de constituendis civitatibus ac legibus disseramus. est autem a Cnoso in antrum templumque Jovis via satis, ut audivimus, longa: diversoriaque per ipsam sub altis arboribus, ut in æstu convenit, umbrosa sunt. nostræ igitur ætati conveniens erit frequenter in his requiescere, mutuoque orationis solamine sine molestia iter hoc omne transigere. Cli. Atqui cum progessi fuerimus, hospes, cupressos offendemus in lucis proceritate specieque mirabili, prata quoque amœna, in quibus requiescentes libenter commorabimur. Athen. Recte nimium loqueris. verum hæc magis affirmabimus, cum viderimus. sed eamus jam bona fortuna comite. Cli. Fiat. Athen. Sed dic mihi, oro, quamobrem convivia exercitantes armorumque artem lex vobis instituit? Cli. Arbitror equidem, o hospes, nostra hæc esse facillima cognitu. naturam enim regionis hujus universam videtis non esse, ut Thessaliæ, planam. iccirco equis illi magis, nos cursibus utimur. inæqualitas hæc locorum ad pedestrem exercitationem cursumque est aptior. quapropter armaturam quoque leviorem esse necesse est, ne pondere suo cursum impediat. arcuum ergo sagittarumque levitas maxime congruit. hæc igitur omnia ad bellum nobis accommodata sunt: ad idque respiciens legislator cuncta, ut mihi videtur, instituit. quippe hujus gratia ipsam etiam convivendi legem sanxisse videtur: cum omnes videret in militia, re ipsa coactos, custodiæ suæ gratia convivia habere communia. in quo sane arbitror eum stultitiæ crimine ceteros condemnasse, quod minime intelligant bellum semper inesse civitatibus omnibus ad omnes juge atque perpetuum. nam si, dum est bellum, custodiæ causa convivia celebrare, [626] præfectosque aliquos una cum subjectis suis armatos tueri urbes oportet, id ipsum est pacis etiam tempore faciundum. quam enim plerique pacem nominant, id esse nomen solummodo existimandum: re vero ipsa omnibus civitatibus ad omnes bellum esse natura, ne indictum quidem. reperies utique, si ita consideres, Cretensium legumlatorem omnes ferme leges, tam privatim quam publice, ita nobis conscripsisse, quasi ad bellum respiceret: atque ita illis parere jussisse, quasi ceterarum rerum

nulla esset utilitas, non possessionum, non artium, nisi quis bello superet; cum omnia bona eorum, qui invicti sunt, ad victores illico transeant. Athen. Probe, o hospes, ad perficiendas Cretensium leges exercitatus mihi videris. sed id planius dicas. recte dispositam civitatem tunc demum dicere visus es, cum sic instituta est: ut ceteras bello vincere possit. nonne ita? Cli. Ita prorsus. hunc etiam arbitror consensurum. Meg. Haud aliter, o divine vir, Lacedæmoniorum quispiam responderet. Athen. Utrum civitas ad civitatem ita se habet; vicus autem ad vicum aliter? Cli. Non aliter. Athen. Similiter ergo se habent. Cli. Similiter. Athen. Nunquid et domus ad domum, quæ eodem in vico sunt, et singuli viri ad singulos? Cli. Similiter et ista. Athen. Quid porro de viro quolibet ad se ipsum est dicendum? utrum quemlibet ad se ipsum, quasi hostem ad hostem, affici dicemus? an aliter? Cli. O Atheniensis hospes. non enim ego te Atticum nominare volo. videris namque Deæ ipsius Athenas, id est Palladis, cognomento dignior esse. nempe universam hanc rationem ad principium reductam ita planam fecisti, ut facilius inveniri queat, modo probe fuisse dictum, hostes videlicet omnes omnibus esse, tam publice quam privatim, et singulos sibi ipsis. Athen. Quomodo id ais, o vir mirifice? Cli. Primam, o hospes, et optimam esse dico victoriam, ut se ipsum quis vincat: turpissimum vero quiddam et pessimum, ut a se ipso vincatur. atque hæc omnia bellum esse singulis ad se ipsos significant. Athen. Orationem illam iterum resumamus. nam cum quisque nostrum aut superior se ipso sit aut inferior; [627] dicendumne est eodem se modo domum, vicum et civitatem habere? an aliter? Cli. Sitne superior aliqua se ipsa, aliqua inferior, dicis? Athen. Id ipsum. Cli. Istud quoque recte quæsisti. non enim minus civitatibus id contingit: immo maxime hoc in eis perspicuum. nam ubi meliores multitudinem pejoresque superant, recte profecto civitas illa superior se ipsa dicetur, et hac victoria non injuria laudabitur: contra vero, ubi contrarium fit. Athen. Sed utrum quod pejus est, meliore aliquando superius et potentius sit, ad præsens prætermittatur; longiore namque oratione indiget. quod autem abs te dictum est, sic intelligo, quod cives quandoque cognati et civitatis ejusdem, multi et improbi, adversus justos, qui pauci, conspirabunt, vimque inferent, ut eos subjiciant: ac, si vicerint, civitas illa se ipsa inferior pravaque dicetur, sin autem victi fuerint, superior atque proba. Cli. Mirum est, hospes, quod dicitur. sic tamen fateri necesse est. Athen. Age jam, et hoc rursus consideremus. multi ab uno patre matreque eadem fratres nasci possunt: nec mirum, si plures eorum injusti erunt, justi vero pauciores. Cli. Nihil mirum. Athen. Nec mihi modo neque vobis decorum est in hoc verba aucupari, in quo dicitur domus et cognatio universa inferior se ipsa videri, si pravi superent: superior, si vincantur. neque enim de his disputamus elegantiam vel ruditatem verborum observaturi, quod multi facere solent: sed quæ recta ratio secundum naturam in legibus sit, quis error, indagaturi. Cli. Vera loqueris, hospes. Meg. Probe profecto hucusque mihi quoque dictum videtur. Athen. Hoc præterea consideremus. utrum dictis modo fratribus judex quispiam præesse poterit? Cli. Procul dubio. Athen. Uter igitur melior erit judex? num qui improbos perdet, efficietque ut probi sibi ipsi imperent? an qui probos quidem faciet imperare, improbos autem, cum sponte subire imperium persuaserit, vivere patietur? tertium virtute judicem his addamus, si quis talis reperietur, qui dissidentem cognationem ita commendatam habeat, ut neminem perdat, [628] sed reconciliatis leges conscribat, quibus inter se perpetuo amici futuri sint. Cli. Longo melior talis judex legumque conditor erit. Athen. Atqui contra, quam si ad bellum respiceret, ipsis leges conscribet. Cli. Vera loqueris. Athen. Quid

autem? qui ad bellum respiciens civitatem constituit, utrum externa bella respiciet, et ad illa vitam civium referet: an intestina, quæ seditiones appellantur, quæ minime omnium esse in civitate sua quivis eligat, et si accidant, quam ocius fieri potest, sedari cupiat? Cli. Ad hæc plane. Athen. Utrum vero perdita civium parte pacem ex seditione consequi, cum altera pars potita victoria sit, malit quispiam; an potius per reconciliationem facta pace amicitiaque firmata, ad externa bella totius animum civitatis converti? Cli. Hoc profecto potius quam illud civitati suæ accidere quisque optabit. Athen. Nonne et legumlator similiter? Cli. Similiter. Athen. An non ipsius optimi gratia leges omnes ferendæ sunt? Cli. Ipsius nempe. Athen. Atqui optimum nec bellum nec seditio est: omnes enim deprecantur, ne quid horum sibi ineundum sit: sed pax mutuaque benevolentia. sed neque victoria illa, qua civitas ipsa se ipsam superat, optimum quiddam est, sed necessarium potius. putare autem optimum civitatis statum in pugnando et vincendo consistere, simile est ac si quis optime cum ægrotante agi putet, dum curatur: nec de illo omnino quicquam cogitet, qui nunquam ægrotaverit. et si quis similiter de civitatis vel privati hominis felicitate existimet: nec civilis revera unquam vir erit, dum externa solum atque in primis bella respiciet; nec exquisitus legum conditor, nisi gratia pacis de bello potius quam belli gratia de pace leges conscribat. Cli. Recte hæc, hospes, dicta esse videntur. ego vero mirarer, si quis forte tam nostras quam Lacedæmoniorum leges non belli gratia sedulo positas esse contendat. [629] Athen. Fortasse ita sit. oportet autem non contentiose, sed quiete rem inquirere, studio quam maxime tam a vobis quam ab illis hujusmodi rebus adhibito. attendatis igitur, oro. incipiamus a Tyrtæo, natura quidem Atheniense, Lacedæmoniorum postea cive, qui præ ceteris hominibus maxime hujusmodi rebus incubuit. Nullam, inquit, illius ipse facio mentionem, nec omnino ullius pretii existimandum censeo, etiamsi ditissimus omnium sit, etiam si multa bona possideat. omnibusque fere numeratis infert: qui non semper optime se gerat in bello. hæc tu quoque forsan carmina audivisti. nam hunc obtusum jam esse audiendo arbitror. Meg. Vulgatissima hæc apud nos sunt. Cli. Ad nos quoque ista advecta de Lacedæmone pervenerunt. Athen. Communiter igitur hoc modo hunc poëtam interrogemus, O divine poëta Tyrtæe, sapiens certe ac bonus nobis esse videris, quia excellentibus eos extulisti laudibus, qui in bello excelluerunt: de quo jam ego et hic et Clinias Gnosius valde tibi assentire videmur. utrum autem eisdem de viris dicamus, an non, plane scire vellemus. quare nobis explana, num tu quoque, sicuti et nos, duo belli genera arbitreris, an aliter. Ad hæc arbitror non Tyrtæum solum, sed et quemvis illo longe dejectiorem duo protinus responsurum: alterum, quod seditionem appellamus omniumque gravissimum esse modo concessimus, alterum vero belli genus, quod omnes ponimus multo mitius illo, quo adversus externos et alienigenas utimur. Cli. Cui dubium? Athen. Dic igitur nobis, quos viros in quo belli genere ita valde laudasti, et quos usque adeo vituperasti? videris enim eos laudasse, qui externa magno animo bella gerunt. sic enim in carminibus dixisti, Eos quidem prorsus despicio, qui sanguinolentas cædes spectare cominusque cum hoste pugnare non audeant. hinc nos, o Tyrtæe, eos te laudare colligimus, qui in externis bellis gerendis præ ceteris clareant. concedet ista Tyrtæus? Cli. Quidni? Athen. Nos autem, cum isti clari sint, [630] longe clariores eos existimamus, qui maximo in bello præstant. testemque et nos poëtam habemus Theognim Megarensem civem ex Sicilia, qui ait *fidelem virum omni argento atque auro in seditione meliorem.* hunc itaque dicimus in gravissimo bello tanto illo esse meliorem, quanto sola fortitudine melior est justitia, temperantia, sapientia fortitudini conjuncta. nemo enim integer et fidelis

sine omnium virtutum numero in seditionibus reperiri poterit. multi autem etiam mercenarii, quod non negabit Tyrtæus, reperiuntur, qui externo in bello intrepide pugnant: quorum plurimi feroces, injurii, contumeliosi, paucissimisque exceptis omnium amentissimi. quorsum hæc? quidque ex his declarandum? quod videlicet omnino tam ille, qui leges hic ab Jove dedit, quam alius omnis legumlator, si quid modo profuturus est, ita leges condet, ut non ad aliud quam ad amplissimam semper virtutem respiciat. est autem, ut inquit Theognis, fides illa, quæ maxime in periculis lucet, quam justitiam perfectam quis nominabit. ea vero, quam summopere Tyrtæus laudavit, etsi pulchra est et a poëta opportune laudata, virtute tamen et numero quarto loco rectissime honoranda est. Cli. Ergo, hospes, legum nostrarum conditorem inter ultimos legum conditores projiciemus? Athen. Non illum, o vir optime, sed ipsi nos ipsos: si quidem putemus et hic et apud Lacedæmonios Lycurgum et Minoem ad bellum respicientes leges condidisse. Cli. Quomodo igitur de hoc dicere nos oportebat? Athen. Ut veritas et justitia postulat eos dicere, qui de divina re publica disserunt: non ad particulam virtutis, et præsertim ad dejectiorem, sed ad universam ipsos virtutem respexisse putandum, et per singulas earum species leges quæsisse, nec eas species investigasse, quas multi modo proponentes quærunt. id enim quisque maxime quærere solet, quo maxime indiget: alius de hereditate, alius de injuria, alius de ceteris hujusmodi multis. nos autem tunc de legibus bene quæri putamus, cum ita, [631] ut nos modo incepimus, quæritur. ac tuum equidem ingressum ad exponendas leges valde probo. quod enim a virtute fecisti principium, dicens leges virtutis gratia conditas, recte quidem aggressus esse videris: quod autem ad particulam virtutis, et eam minimam, respexisse conditorem legum affirmasti, haud recte mihi visus es dicere, atque iccirco longiore postea oratione usus sum. quomodo autem te nobis distinguere voluissem, si vis, tibi dicam. Cli. Volo equidem. Athen. Hunc in modum dicere oportebat, o hospes. Cretensium leges non temere omnibus Græcis in primis probantur. recte enim positæ sunt, cum utentes eis beatos efficiant. omnia enim bona his porrigunt. duplicia vero bona sunt, alia humana, divina alia: dependentque a divinis humana. si qua vero civitas majora suscepit, minora quoque possidet: sin autem illis caret, utrisque privatur. minorum primum est sanitas, forma secundum, tertium vires ad cursum ceterosque corporis motus, quartum divitiæ, quæ cæcæ non sunt, sed acute cernunt, si prudenter sequuntur. quæ quidem prudentia divinorum bonorum dux primus exsistit. deinde post mentem temperatus animi habitus. ex his duobus, cum fortitudine mixtis, justitia tertio emergit. fortitudo quartum tenet locum. quæ omnia humanis illis natura præponuntur. quare oportet ut legum quoque lator et ipse hunc ordinem sequatur, et mandet omnibus ut semper ad hæc ipsa respicientes in singulis operentur. humana enim ad divina, divina vero ad mentem principem referenda. curet præterea oportet nuptias inter cives et generationes educationesque liberorum, masculorum pariter et feminarum, tam juventutem quam ætate provectorum, et eos, qui recte in hisce se gerunt, ut decet, honoret, contra vero dolores, voluptates et cupiditates in omni conversatione vituperet. [632] considerabit etiam diligenter, ad quæ studia quemque raptat amor: rectaque officia per leges laudabit, vituperabit contraria. docebit item atque definiet, quid in cujusque affectu honestum sit, quid turpe, circa iram videlicet atque metum et alias, quæcunque vel adversis in rebus accidunt perturbationes, vel secundis delicias, atque circa omnes denique motus, qui ex morbo, bello, paupertate vel horum contrariis homines vexant. post hæc necesse est, ut legislator quæstus impensasque civium diligenter observet, et, quomodo fiant, agnoscat, commercia item in his omnibus ac solutiones,

quas vel sponte vel coacte faciant, quicquid horum inter se contraxerunt, ubi justitia adsit, ubi absit, animadvertat, et parentibus quidem honores, non parentibus debitas pœnas constituat. demum omnibus ad finem usque rei publicæ pertractatis, animadvertat statuatque necesse est, quomodo monumenta mortuis exstrui quive defunctis singulis honores impendi debeant. his denique declaratis, legislator omnibus istis custodes præficiet, alios prudentia, alios vera opinione agentes, ut mens in unum hæc omnia colligens eo deducat, ut temperantiam et justitiam potius quam divitias ambitionemve sequantur. ita equidem, hospites, voluissem, atque etiam volo, a vobis exponi, quo pacto in legibus Jovis et Apollinis Pythii, quas Minos et Lycurgus scripserunt, insint hæc omnia, et quonam ordine posita pateant illi, qui artificio vel usu quodam legum peritiam habet; nobis vero aliis nullo modo pateant. Cli. Quo pacto igitur, hospes, quæ sequuntur, tractanda sunt? Athen. Ab initio rursus, ut supra cœpimus, tractanda in primis ea mihi videntur, quæ ad fortitudinem pertinent: deinde aliam atque aliam virtutis speciem transigemus, si vobis etiam ita placet. verum jam primum pertractemus; ad ejusque exemplar cetera, ut confabulatio levamen nobis itineris afferat. postremo vero, cum de universa virtute tractaverimus, ea, quæ modo retulimus, illuc respicere, si Deus voluerit, ostendemus. Cli. Recte dicis: [633] conareque primo nobis Jovis hunc laudatorem comprobare. Athen. Conabor et te simul et me ipsum. communis enim pertinet hæc nobis oratio. dicite igitur: num convivia exercitiaque ad bellum a legumlatore inventa fuisse diximus? Cli. Utique. Athen. An tertium vel quartum ad idem inventum fuisse dicendum? forte enim ita dinumerare oportet, tum in hoc virtutis genere, tum in ceterarum virtutum sive parte, sive quomodocunque aliter declarationis duntaxat gratia nominare deceat. Meg. Tertium vero ipse dicerem, nec Lacedæmoniorum quisquam negaret, venationem excogitatam fuisse. quartum autem et quintum invenire conemur. quartum itaque pono apud meos præcipuum, scilicet doloris tolerantiam: quæ res pugnis inter se ac rapinis quibusdam multis cum vulneribus quotidie adhibetur. ad hæc occultatio quædam mirabilis et ad tolerantiam valida, nudis in hieme pedibus, nudo etiam sæpe reliquo corpore, sine ministris die nocteque per omnem regionem errantium enarratur. præterea in nudorum exercitationibus adolescentum mirabilis apud nos tolerantia, cum intensi caloris potentiæ resistendum sit: multa hujusmodi apud nos alia sunt, quæ non facile quispiam enumeraret. Athen. Probe loqueris, hospes Lacedæmonie. sed utrum ad timores solum atque dolores fortitudini pugna est duntaxat? an etiam ad cupiditates voluptatesque ac vehementes quasdam blanditias, quæ eorum etiam, qui honesti videntur, animos flectunt et quasi cereos faciunt? Meg. Adversus hæc omnia. Athen. Si recte dictorum meminimus, hic civitatem aliquam se ipsa inferiorem et virum aliquem inferiorem se ipso esse dicebat. itane, hospes Gnosie? Cli. Ita prorsus. Athen. Utrum igitur eum, qui dolore frangitur, an eum, qui voluptate superatur, deteriorem vocare oportet? Cli. Eum, arbitror, qui superatur a voluptate: omnesque voluptate illaqueatum hominem inferiorem se ipso magis, et quidem cum opprobrio, quam dolore demollitum putant. [634] Athen. Quare Jovis et Apollinis legumlatores claudam fortitudinem posuerint, quæ ad sinistram quidem adversis resistere possit; ad dextram vero rebus secundis et lætis blandientibusque succumbat: immo ad utrumque sufficientem. Cli. Ad utrumque, arbitror. Athen. Exponamus itaque similiter, quænam officia vestris in civitatibus sunt, quæ gustent quodammodo voluptates, non fugiant omnino, quemadmodum nec dolores refugiunt; sed perinde, ut de doloribus agunt, ducant in medias voluptates, ad easque superandas compellant

et honoribus persuadeant. ubinam vestris in legibus id conspicitur, quod æque contra voluptates, sicuti contra dolores, homines fortes efficiat, victoresque, quorum oportet, ostendat : nec ullo modo patiatur a proximis cuique intra se et gravissimis hostibus superari ? dicite, obsecro, quid apud vos tale ? Meg. Non ita facile, hospes, quemadmodum multas dolori oppositas leges, ita etiam voluptati possem producere : nec magnas perspicuasque partes adversus voluptates habeo ; parvas vero forsan reperiam. Cli. Nec ego in Cretensium legibus similiter id ostendere possem. Athen. Nec mirum est, optimi hospites. verum si quis inter nos veri et optimi diligens investigator nonnihil in patriis cujusque nostrum legibus reprehendat, non gravi quidem, sed æquo animo, vicissim ferre debemus. Cli. Probe loqueris, Atheniensis hospes. quare tibi parendum censeo. Athen. Profecto non aliter, Clinia, hujus ætatis et conditionis homines facere decet. Cli. Non certe. Athen. Utrum recte, necne, Laconicam et Cretensem rem publicam quis reprehendere possit, alia quæstio est. quæ vero a multis dicuntur, forsitan ego magis quam uterque vestrum referre possum : vobis quidem, si recte constitutæ sunt leges, una certe lex erit præclarissima, quæ jubeat, ne quis juvenum quærere audeat, rectene an contra se leges habeant, sed uno omnium ore unaque voce recte tanquam a Diis positas concedi præcipiat ; nec ullo modo aliter pati quicquam a juvenibus cogitari : senem autem, si quid excogitarit, principibus et æqualibus, nemine juvenum audiente, referre. Cli. Recte loqueris, hospes : ac licet tunc a mente conditoris abfueris, tamen, tanquam vates, [635] scite ista nunc conjecisse videris veraque penitus dicere. Athen. Itaque nobis ad præsens juvenes nulli adsunt : ipsi vero, propter senectutem, sine peccato soli de his inter nos disserere a legislatore permittimur. Cli. Est, ut dicis. quare nec parcas : sed libere leges nostras reprehende. neque enim turpe est discere, si quid non probe se habet, in quo delinquit. nam hinc, si quis non cum invidia, sed cum benevolentia accipiat, remedium invenitur. Athen. Præclare tu quidem. ego tamen non reprehendendo ante, quam pro viribus diligenter considerem, sed dubitando potius verba faciam. solis enim vobis Græcorum barbarorumque omnium, quorum notitiam habemus, legislator præcepit a maximis voluptatibus jucundissimisque ludis cavere, nec ex his quicquam gustare. de doloribus autem et timoribus, quod modo tractavimus, censuit : quod videlicet si quis a primis annis eos declinare assuetus fuerit, quotiens necessarios dolores, metus atque labores subire oportebit, fugiet quidem illos, qui in his exercitati sunt, eisque serviet. hoc ipsum, ut ego arbitror, oportuit eum de voluptate etiam cogitare, ac secum dicere : quodsi ineunte ætate maximarum cives voluptatum expertes erunt, nec præmeditati continere se in voluptatibus nihilque turpe jucunditatis voluptariæ gratia facere : ita succumbent, quemadmodum qui timore vincuntur : et modo quodam alio ac turpiore illis servient, qui mediis in voluptatibus sese continere assueti sunt, et illis qui inter voluptates conversantes oblectamenta sibi suppeditare possint, pessimis forsan hominibus. atque ita animum partim servum partim liberum habebunt : nec omnino fortes ac liberi appellari debebunt. considerate igitur, si quid ex dictis probe vobis dici videtur. Cli. Videtur quidem. Athen. Sed juvenum, immo vero amentium penitus esset, de tantis rebus statim ac facile assentiri. verum si, quemadmodum proposuimus, ita nunc prosequamur, o Clinia hospesque Lacedæmonie : moderationem ponebamus : quam differentiam inveniemus inter has et ceteras res publicas, quæ casu, non lege gubernari videntur, [636] quemadmodum nunc in bello ? Meg. Non est ferme id facile. Cli. Videntur tamen communia convivia certaminaque gymnastica commode utrisque adinventa fuisse. Athen. Videtur autem, o hospites, arduum

esse, in rebus publicis ut verbis, ita et re ipsa, undique tutum aliquid certumque inducere. nam quemadmodum in corporibus fieri non potest, ut aliquod unum uni corpori studium accommodetur, quod aliis prodesse, aliis obesse eidem corpori non videatur : sic et in civitate. nempe exercitationes hæ commessationesque ad alia quidem civitatibus conferunt : ad seditiones autem obsunt omnino. cujus rei Milesii et Bœotii et Thurii nobis exemplo sunt. atqui studia hæc prisca ex lege nobis consueta sunt, videnturque naturales venereorum voluptates, non in hominibus solum, sed in bestiis, pervertisse. qua in re primæ civitates vestræ possent accusari, et aliæ omnes, quibus maxime cura gymnasticarum exercitationum est. ac seu joco sive serio intelligere oportet, intelligendum est quod, cum femina et masculus ad generandum conveniunt, conventus hujuscemodi voluptas secundum naturam his tributa videtur. quotiens autem mares maribus aut feminæ feminis commiscentur, voluptas ea præter naturam : et qui primum tale facinus ausi sunt, voluptatis incontinentia id fecerunt. omnes porro Cretensium fabulam de Ganymede vehementer culpamus, quod adversus Jovem ficta sit, ut cum ab eo leges ipsorum originem habuisse credantur, eum Deum imitantes, qui leges tradidit, hac etiam voluptate fruantur. sed fabula quidem valeat. eorum autem, qui de legibus considerant, cogitatio pæne omnis de voluptatibus et doloribus tam circa publicos quam circa privatos cujusque mores esse debet. duo namque hi fontes natura scaturiunt, a quibus qui haurit, unde, quando quantumque oportet, felix est, privatus scilicet et civitas omneque animal : qui autem insipienter et præter opportunitatem, contra vivit infelix. Meg. Recte ista dicuntur, o hospes : nec, quid adversus hæc dici possit, videmus. videtur autem mihi Lacedæmoniarum legum conditor recte, fugiendas esse voluptates, jussisse. Gnosiis autem legibus Clinia hic, si volet, opitulabitur. nam apud Spartiatas, [637] quæ ad voluptates pertinent, optime omnium disposita esse arbitror. quo enim omnes homines summopere in voluptates vehementissimas petulantiamque et insaniam incidunt, id ab universa regione lex nostra exterminavit, nec in agris nec in urbibus, quas Spartiatæ gubernant, compotationes videbis ; sed nec compotationibus conjuncta, quibus ad omnes voluptates movemur. nec ullus est, qui cuidam ebrietate lascivienti obviam factus non maximo ipsum supplicio statim afficiat : neque Bacchanalium occasio ipsum liberet : quemadmodum apud vos in curribus vidi et apud Tarentinos, qui nostri coloni sunt, omnem in Bacchanalibus ebriam civitatem. apud nos autem nihil tale conspicitur. Athen. Laudanda hæc omnia sunt, o hospes Lacedæmonie, ubi continentia quædam est : ubi autem omnino permittuntur, emolliunt. cito enim quispiam nostra defendens te reprehendat, si mulierum apud vos licentiam aperuerit. una certe in omnibus istis et Tarentinos et nos, immo vero et vos responsio liberat, quod hæc probe, non improbe se habeant. quisque enim peregrino admiranti, quod insolita videat, respondere poterit : noli mirari, o hospes : hæc apud nos exstat lex. apud vos autem iisdem de rebus forsan alia lex est. nobis vero in præsentia, o amantissimi viri, non de hominibus aliis sermo est, sed de conditorum ipsorum virtute ac vitio. verum latius de universa ebrietate dicamus. non enim exigua res est, neque ad abjectum quemque ejus spectat judicium. non dico, utrum bibendum sit vinum necne : sed de ebrietate quærendum, inquam, utrum ita utendum sit, quemadmodum Scythæ ac Persæ utuntur, Carthaginenses præterea et Celtiberi et Thraces, quæ omnes gentes bellicosissimæ sunt : vel quemadmodum vos, qui, ut ais, omnino abstinetis. Scythæ vero ac Thraces mero penitus utuntur, tam viri quam mulieres : ac mero vestes perfundunt, præclarum hoc et beatum vitæ genus existimantes. Persæ vero aliis quoque deliciis, quas vos spernitis, valde utuntur, quamvis moderatius, quam

isti. [638] Meg. Sed omnes istos nos tum, cum arma ceperimus, fundimus atque fugamus. Athen. Noli hæc, o vir optime, dicere. permulti namque et fugarunt alios et ab aliis fugati sunt, de quibus certa quæpiam ejusmodi causa reddi non potest. quare non certum, sed ambiguum argumentum signumque de honestis officiis et contrariis in vita sumemus, si ad victoriam belli fugamque respexerimus : præsertim cum minores civitates a majoribus in servitutem pugnando redigantur : ut a Syracusanis Locrenses, qui optimis inter eas gentes legibus usi sunt ; et ab Atheniensibus Cei ; similiaque hujusmodi multa liceat intueri. igitur victoria et offensione belli prætermissa, conemur de unoquoque officio secundum se considerantes, quod in quoque verum est, nobis persuadere. dicamus autem, quemadmodum hoc quidem tale bonum est : illud autem tale non bonum. sed imprimis me audiatis, quomodo in hujuscemodi rebus bonum malumque considerari debet. Meg. Quo pacto id ais? Athen. Quicunque rem aliquam statim in disputatione propositam vituperant aut laudant, delinquere mihi videntur, idemque facere ac si quis cerealem cibum, ab aliquo laudatum ut bonum, statim vituperet, priusquam ejus effectus percipiat, et qua ratione, quibus, cum quibus, quomodo præparantes, et quomodo affectis corporibus offerri debeat. quod nos modo facere in disputando videmur. qui, cum primum ebrietatis facta mentio est, statim alii vituperamus, alii vero laudamus et valde quidem id absurde. testibus enim assertoribusque utentes id facimus. et alii, quia plures habemus, aliquid fide dignum afferre putamus ; alii, quia vino abstinentes vincant in pugna : quod tamen ambiguum nobis est. si ergo hoc modo etiam in aliis procedemus, nihil mea sententia faciemus. quomodo autem mihi quidem videtur, conabor ipsius ebrietatis exemplo viam nobis pro viribus ac rationem rectam in hujusmodi omnibus aperire : præsertim cum gentes innumerabiles, de eisdem dubitantes, duabus cum civitatibus vestris contendant. Meg. Audiendum est omnino, si qua de his recta consideratio invenitur. [639] Athen. Consideremus itaque sic. si quis caprarum cultum et genus id animantis habendum ac possidendum probet ; alius vero vituperet, cum absque pastore eas per sata pasci damnumque facere viderit, et omne adeo pecus, cum vel sine pastore vel malis pastoribus gubernatum conspexerit : nunquid justam ejus vituperationem censebimus ? Meg. Nullo modo. Athen. Gubernator vero utrum gubernandæ navis probus erit princeps, si gubernandi solummodo artem habeat, sive nausea exagitetur sive non, vel quo modo aliter dicimus ? Meg. Nequaquam, si ad artem hæc accedit turbatio. Athen. Quid autem ductor exercitus ? si bellandi probe teneat artem, nunquid ex hoc sufficiens dux putandus est, etiamsi timidus sit et in periculis ebrietate quadam metus ipsius nauseet ? Meg. Quonam modo ? Athen. Quid porro, si neque artem habeat et sit timidus ? Meg. Ignavum et inutilem narras omnino, neque virorum sed vilium quarundam mulierum principem. Athen. Qui vero laudat aut vituperat societatem aliquam, cujus esse dux aliquis possit, sitque utilis societas, quotiens suum nacta est gubernatorem ; ille vero nunquam eam recte viderit gubernatam, sed semper aut absque principibus aut cum improbis : nunquid recte unquam vituperare eam aut laudare poterit ? Meg. Quo pacto id faciet, qui nunquam societatem recte gubernatam prospexerit? Athen. Age, jam attendite. compotatores compotationesque nonne de multis communionibus unam ponemus? Meg. Summopere. Athen. Hanc vero nunquid unquam recte gubernatam aspexit quisquam ? sed vobis respondere facillimum, nunquam id perspexisse : neque enim id vobis ex patriis legibus consuetum : ego autem multis passim interfui, diligenterque de omnibus, ut breviter dicam, quæsivi : nullamque ferme recte universam administrari aut vidi unquam aut audivi ; sed particulas quodammodo parvas

quasdam et paucas. multas autem, ut sic dixerim, penitus aberrare cognovi. Cli. Qua ratione hæc dicis, o hospes? apertius enodato. nos enim, ut aiebas, cum nullam hujus rei peritiam habeamus, non illico, quid recte, [640] quid non in ea fiat, cognoscere possumus. Athen. Consentaneum id quidem: sed conare me dicente perdiscere. in omni conventu atque communitate quarumcunque rerum gerendarum principem esse oportere fateris? Cli. Procul dubio. Athen. Atqui paulo ante dicebamus, fortem esse pugnantium principem oportere. Cli. Dicebamus. Athen. Fortis autem vir a timore minus, quam timidus, perturbatur. Cli. Est ita. Athen. Si quis modus inveniri posset, ut exercitui ducem prorsus intrepidum præficeremus, nonne ad id omni studio niteremur? Cli. Maxime. Athen. Nunc autem non de exercitu, nec imperaturo adversus hostes in bello, sed de gubernaturo in pace jucundam amicorum inter se consuetudinem dicimus. Cli. Sic est. Athen. Qua in societate si ebrietas aderit, nonne turbatio quoque aderit? Cli. Aderit prorsus. Athen. Primum igitur etiam his opus est duce. Cli. Maxime omnium. Athen. Utrum igitur principem, qui non perturbetur, si fieri possit, deligere oporteat. Cli. Oportet sane. Athen. Societatis conciliandæ peritum hunc principem esse oportet. ejus enim officium esse debet, ut et præsentem amicitiam illis conservet, et majorem insuper ex eo contubernio fieri procuret. Cli. Vera loqueris. Athen. Nonne igitur sobrius et sapiens ebriorum princeps, non contra, constituendus est? nam si juvenis nec sapiens, sed ebrius ipse etiam erit ebriorum princeps, bona secum agetur fortuna, si temeritate sua omnia non everterit. Cli. Optima certe. Athen. Si quis ergo compotationes, dum, quoad fieri posset, recte in civitate dispositæ sint, accusaret, rem ipsam accusans, recte quandoque id forsan faceret. sin autem compotationem nullo ordine gubernatam inspexerit propterea que omnem compotationem vituperet, primum quidem patet ignorare eum eam non recte disponi: deinde constat omnia hoc modo, cum absque sobrio domino ac principe fient, improba visum iri. an non animadvertis, quod ebrius navis aut cujusvis rei alterius gubernator evertit omnia, [641] sive naves sive currus seu exercitus seu quodvis aliud ab eo regatur? Cli. Vere omnino id dixisti, hospes: sed et hoc pro nobis expone. quid nobis compotationes istæ, si recte aguntur, conferent? ut, quod modo dicebamus, recte ductus exercitus victoriam in bello afferret, bonum profecto non parvum: idemque de ceteris judicandum. computatione vero recte gubernata quid magni vel civitati vel privatis accedet? Athen. Quid autem puero uno vel uno quodam cœtu recte instituto magni civitas adipiscetur? at enim ita de hoc interrogati respondebimus, parvam ex unius duntaxat educatione civitati utilitatem accedere. si autem universaliter de juvenum bene institutorum eruditione, quid potissimum conferat rei publicæ, quæras, haud difficile dictu erit: bene eruditi viri probi evadent: probi autem facti tum cetera bene agent, tum etiam hostes pugnando vincent. disciplina utique victoriam præstat, victoria nonnunquam negligentiam et ruditatem gignit. multi enim in victoria elati alia quoque multa per insolentiam contraxerunt. et disciplina quidem nulla unquam Cadmea fuit: victoriæ vero multæ hujusmodi et fuerunt et erunt. Cli. Videris, o amice, quasi magnam disciplinæ partem communem in vini potu consuetudinem, si recte fiat, laudare. Athen. Profecto. Cli. Poteris ergo deinceps, verum id esse, ostendere? Athen. Vera hæc ita esse, o hospes, approbare, cum multi de his ambigant, solius Dei est. si tamen, quod sentio, dicturus sum, nulla obstabit invidia, postquam de legibus et re publica verba facere in præsentia statuimus. Cli. Age, conemur, quod tibi de his ambiguitatibus videtur, perdiscere. Athen. Oportet autem, cum et vos discere et ego declarare cupiamus, quodammodo orationem protrahere. sed primum illud audiatis. Græci omnes civitatem nos-

tram et eloquentiæ studiosam judicant et verbosam : Lacedæmonem vero atque Cretam, alteram breviloquam, alteram intelligentiæ magis quam verbositati studentem. [642] vereor itaque, ne vobis, tanquam verbosus, parva de re loqui multa videar, dum de ebrietate, re quidem parva, nimis longa utor oratione. compotationis autem ipsius recta secundum naturam constitutio nunquam poterit sine recta musicæ regula aperte et sufficienter oratione tractari ; nec musica sine universa disciplina. quæ omnia profecto multis indigent verbis. videte igitur, quid agendum sit. an, his in præsentia prætermissis, ad aliam quandam legum quæstionem jam transeundum? Meg. Ignoras forsan, Atheniensis hospes, domum nostram communem civitatis vestræ hospitem esse? atque forte omnibus etiam pueris accidit, ut, cum audiunt majores suos civitatis alicujus hospites fuisse, benivolentia quædam erga illam, quasi secundam patriam, confestim a teneris usque annis eorum animis illabatur. quod quidem mihi quoque contigit. audiebam equidem a pueritia Lacedæmonios, quotiens aliquid vel succenserent Atheniensibus vel laudi darent, ita dicere : Vestra, Megille, urbs nobis id mali intulit aut boni. atque hæc audiens pugnabam adversus eos, qui vos vituperabant, magna erga vos affectus benivolentia. ac mihi quidem nunc vestra vox valde jucunda est, quodque vulgo fertur, probos Athenienses præcipue probos esse, vere prorsus mihi dictum videtur. soli enim suapte natura, divina quadam sorte, non coacti neque ficti, sed vere probi sunt. quare mea quidem causa libere, quotcumque velis, enarrato. Cli. Si me quoque audies, hospes, quæcunque in mentem tibi veniant, summa fiducia proferes. fortasse namque audisti Epimenidem virum fuisse divinum : qui ex familia nostra fuit, ac decem annis ante Persicum bellum, Dei oraculo monitus, ad vos pervenit, et sacrificia quædam Dei oraculo edita fecit, Atheniensibusque Persicam formidantibus classem prædixit decennio Persas nequaquam venturos ; sed et postquam venerint, infecta re discessuros, pluraque perpessos mala quam fecerint. tunc quidem majores nostri vestros hospitali affectu complexi sunt, et ex illo tempore parentes nostri egoque vobis benivoli sumus. [643] Athen. Parati ergo vos quidem estis audire, ut videmini. ego autem ad dicendum voluntate promptus sum potius quam facultate paratus. conabor tamen, ut potero. primum vero, quo ad hunc sermonem, quid disciplina sit, quamque vim habeat, definiamus. per hanc enim eundum est disputationi nobis in præsentia institutæ, quousque ad Deum ipsum perveniat. Cli. Ita certe faciendum est, si tibi placet. Athen. Dum ego, quid disciplina sit, dico, considerate, nunquid mea vobis sententia placeat. Cli. Dicas. Athen. Assero equidem eos, qui præstantes viri in aliquo evasuri sunt ab ineunte statim pueritia oportere id ipsum tam ludendo quam studendo, in singulis ipsi convenientibus meditari. nempe si quis peritus agricola aut ædificator futurus est, ludentem oportet a prima ætate vel colere terram vel pueriles quasdam domos ædificare : atque eum, qui educat utrumque, utrique instrumenta quædam parva, verorum instrumentorum imagines, præparare. ex doctrinis quoque eas perdiscere debent, quæ ad rem suam faciunt. quippe futurus faber mensurare ac regula uti, eques futurus equitare ludendo, aut aliquid hujusmodi facere. in omnibus enim ludendo conari debemus, ut eo voluptates et cupiditates puerorum vertamus, quo eos tandem pervenire desideramus. caput autem disciplinæ rectam educationem dicimus, quæ ludentis animum in amorem præcipue illius perducit, quod in virili ætate perfecte comparata virtute operis est acturus. sed considerate nunc, ut dicebam, si, quæ dicta sunt hactenus, vobis probantur. Cli. Quid prohibet? Athen. Neque tamen indeterminatum relinqui debet, quid potissimum disciplinam esse dicamus. cum enim vituperamus aut laudamus singulorum educationes, dicere solemus disciplina instructum hunc

esse, illum disciplinæ expertem, quamvis cauponariam et navigandi artem ceteraque hujusmodi optime calleat. quippe non hanc disciplinam putamus, sed eam, quæ a pueritia desiderari amarique virtutem facit : et quidem illam, qua perfectus quispiam civis effectus, jure imperare sciat atque parere. hanc educationem hic sermo solam disciplinam appellandam esse determinat : [644] illam vero, quæ ad colligendam pecuniam vel ad corporis robur augendum vel ad peritiam quandam aliam absque mente et justitia conquirendam tendit, mechanicam atque illiberalem et disciplinæ appellatione ducit indignam. sed nos de verbo quidem non contendamus : hoc autem, nuper assertum, inter nos conveniat, quod, qui rectam nacti sunt disciplinam, omnes ferme probi evadunt; qui contra, improbi. quare nulla in re disciplina negligenda est, quæ præclarissimarum rerum prima præstantibus hominibus adest. et si quis in re aliqua excidit potestque corrigi, se ipsum emendet, idque per totam vitam pro viribus faciat. Cli. Recte loqueris. iccirco, quæ dicis, concedenda sunt. Athen. Atqui olim jam concessimus, bonos esse illos, qui sibimet imperare possunt; malos autem, qui nequeunt. Cli. Scite admodum. Athen. Resumamus igitur id ipsum, ut clarius innotescat, quod dicimus. ac vos per imaginem istud, ut liqueat, accipiatis, si quo modo possim rem nobis hanc aperire. Cli. Dic jam. Athen. Nonne quemlibet nostrum unum putamus? Cli. Unum. Athen. Habentem videlicet in se consiliarios duos, contrarios atque amentes, quos voluptatem ac dolorem appellamus. Cli. Et hoc. Athen. Ad hos futurorum opiniones accedunt, quibus commune nomen spes est : proprie vero, quæ ante dolorem spes est, timor, quæ ante contrarium, confidentia. ad hæc omnia : rationis judicium, dictans, quid istorum melius sit, quid pejus. hoc si commune decretum civitatis efficitur, lex nominatur. Cli. Vix ego te sequor. dic tamen, quæ restant, perinde ac si sequerer. Meg. Idem mihi quoque accidit. Athen. Sic autem de his cogitemus, ut miraculum quoddam divinum in animantium genere unumquemque nostrum existimemus, sive ludo seu studio quodam (non enim id novimus) a superis constitutum. illud autem non ignoramus, quod hi affectus in nobis, quasi nervi aut funes ingeniti, trahunt nos contraque invicem retrahunt ad contrarias actiones, ubi virtus et vitium discreta versantur. ratio enim tractionem unam sequendam semper neque unquam relinquendam, sed ad illam ceteros quoque nervos retrahendos aperte dictat, [645] eamque judicii rationalis esse perductionem auream atque sacram, quæ civitatis lex communis vocatur. et ceteras quidem duras ac ferreas esse; hanc mollem, quod aurea sit : et uniformem præterea ; ceteras multiformes. oportere itaque pulcherrimam legis ductionem sequi semper eique favere. nam cum rationis judicium honesta res sit, et mitis quidem potius quam violenta, ministris ductionem ipsius egere, ut aureum in nobis genus alia genera superet. et sic illa fabula, qua mira res homo esse narratur, virtute servabitur, et qua ratione superior quis et inferior quodammodo se ipso dicatur, planius cognoscetur, et quod oporteat privatum quemque, vera in se ipso de his tractibus ratione percepta, ad eam ipsam vitam suam dirigere : civitatem vero, vel a Deorum aliquo vel ab hoc ipso, qui hæc cognovit, ratione accepta, eam habere pro lege, ad ejusque normam officia sua secum et cum aliis civitatibus instituere. atque ita virtus et vitium clarius nobis distincta patebunt : quibus plane perceptis, et disciplina et reliqua studia magis forsan clarescent, consuetudo præterea, quæ in vino habetur, de qua longiorem habere sermonem vile fortassis putabitur. Cli. Forte vero non videbitur prolixa oratione indigna. Athen. Probe loqueris : quare dicamus, quid in ea sit dignum. Cli. Prosequere jam. Athen. Si miræ huic rei ebrietatem afferamus, qualem ipsam reddemus? Cli. Ad quid modo istud rogitas? Athen. Nondum dico ad

quid. sed si mira hæc res vino se misceat, qualis redditur? verum apertius etiam, quod volo, dicere conabor. tale quiddam interrogo, an vini usus voluptates, dolores, iras, amores vehementius concitet. Cli. Maxime quidem. Athen. Utrum etiam sensus, memoriam, opinionem, intelligentiam similiter vehementiora efficiat, an prorsus exstinguat, si quis ebrietate fuerit occupatus? Cli. Omnino certe exstinguit. Athen. Ad eum igitur animi habitum redit, quem puer primis ab annis habebat. Cli. Profecto. Athen. Quare minime tunc sui ipsius compos erit. [646] Cli. Minime. Athen. Erit itaque pessimus. Cli. Valde. Athen. Non solum igitur senex, ut videtur, bis erit puer, sed ipse etiam temulentus. Cli. Optime istud, hospes, est dictum. Athen. Poteritne ratio nobis aliqua suadere hanc rem aliquo pacto gustandam esse, neque esse totis viribus fugiendam? Cli. Poterit forsitan, ut tu ais: et modo paratum te dicere ostendebas. Athen. Optime meministi. nempe et nunc paratus sum, quandoquidem utrique libenter audituros vos promisistis. Cli. Quidni audiamus? et si non ob aliud, tamen quia mirum absurdumque videtur, si oportebit quandoque hominem sponte se ipsum in omnem pravitatem immittere. Athen. Animine dicis? Cli. Animi. Athen. Nunquid autem mirabimur, o amice, si quis in corporis pravitatem, maciem dico, deformitatem, imbecillitatem sponte deveniat? Cli. Quidni? Athen. An igitur putamus eos, qui ultro medicorum pharmaca accipiunt, ignorare se paulo post ita corpus per aliquod dies affectum habituros, ut, si affectum similiter perpetuo sint habituri, vivere nolint? an etiam ignoramus, eos, qui gymnasia et labores subeunt, imbecilles lassitudine confestim fieri? Cli. Hæc omnia novimus. Athen. Atqui et istud, quod cuncti futuræ utilitatis gratia ad hæc ultro proficiscuntur. Cli. Præclare. Athen. Nonne eodem modo de ceteris rebus existimandum? Cli. Eodem prorsus. Athen. Non aliter quoque de compotatione vini est cogitandum, si datur hoc in istis recte considerari. Cli. Sic certe. Athen. Si utilitatem aliquam habere perspicietur nihilo inferiorem, quam quæ in corporali exercitatione inest, bene quidem: principio tamen in hoc exercitationem corporis superat, quod hæc dolorem habeat, illa non habeat. Cli. Recte id quidem. sed mirarer equidem, si quid tale in eo possemus percipere. Athen. Hoc ipsum jam explanare conandum. quare mihi dicas, an duas timoris species invicem pæne contrarias possumus cogitare? Cli. Quas dicis? Athen. Has, inquam. timemus profecto mala, cum futura exspectamus. Cli. Timemus. Athen. Metuimus quoque sæpenumero existimationem, cum formidamus, ne dicendo aut faciendo aliquid minus honestum mali videamur. [647] quem quidem timorem nos, immo omnes, ut arbitror, pudorem appellamus. Cli. Cui dubium? Athen. Hos equidem timores duos dicebam, quorum alter contrarius quidem est doloribus ceterisque timoribus, contrarius est et plurimis ingentibusque voluptatibus. Cli. Recte admodum. Athen. Nonne igitur et legislator et quivis alius, qui prodesse hominibus quoquo modo possit, hunc timorem maximo honore colat, vocetque pudorem? confidentiam vero, hujus contrariam, impudentiam nominet, ac maximum privatim et publice malum hominibus arbitretur? Cli. Recte dictum. Athen. Is utique timor et in aliis multis ingentibusque nos maxime servat, et in bello, si unum uni comparetur, hic certe maxime omnium victoriam nobis salutemque largitur. duo enim sunt, quæ victoriam pariunt: adversus hostes quidem audacia, adversus amicos autem turpis infamiæ timor. Cli. Est ita. Athen. Intrepidum itaque unumquemque nostrum et timidum fieri oportet. quamobrem vero ita utrumque oporteat, jam distinximus. Cli. Omnino. Athen. Atqui quotiens intrepidum aliquem reddere volumus, in multarum terrorem formidinum lege impulsum, talem efficimus. Cli. Ita videmur. Athen. Cum vero perti-

mescentem recto judicio aliquem efficere volumus, eum profecto debemus rebus ad impudentiam declinantibus tentare, exercentes ipsum in pugna contra voluptates suas, aut institutum anteactæ vitæ, et ad victoriam cohortantes atque ita vincentem perfectum ad fortitudinem reddere. qui vero nec periculum sui fecerit ullum, neque in his certaminibus exercitatus fuerit, nec mediam quidem suarum virium partem ad virtutem habebit. temperatus autem quomodo erit perfecte, nisi voluptatibus atque cupiditatibus plurimis ad impudentiam et injuriam compellentibus fortiter repugnaverit; ac ratione opereque et arte tam jocosis quam seriis in rebus devicerit? an temperans erit, inquam, qui nihil hujusmodi sit perpessus? Cli. Haudquaquam verisimile est. Athen. Sed hic, oro, aliquodne ad inducendum timorem pharmacum aliquis Deus dedit hominibus? ut, quanto plus ex eo quispiam bibat, tanto ex qualibet potione infeliciorem se fieri putet, cum omnia tam præsentia quam futura sibi metuat; [648] atque ad omnem formidinem, etiamsi fortissimus omnium sit, tandem deveniat: cumque dormierit et a potione hujusmodi liberatus fuerit, rursus sibi idem quotidie accidat? Cli. Et quam, o amice, hujusmodi potionem in hominum vita fuisse unquam dicemus? Athen. Nullam utique. tamen si reperiretur hæc potio, essetne ad fortitudinem conditori legum idonea? ut tale quid de ipsa dicere ad latorem legis possemus: Age, primum dic, legum conditor, sive Cretensibus sive quibuscunque aliis leges conscribis, utrum velles de civibus tuis posse fortitudinis et ignaviæ periculum facere? Cli. Velle se profecto quilibet responderet. Athen. Deinde utrum id tuto neque magno imminente periculo: an contra? Cli. Tuto scilicet atque secure quilibet confitebitur. Athen. Num igitur potione hac uteris, ita eos ad terrores compellens, et in ipsis perturbationibus arguens monitu tuo ac jussu, ut cives tuos imperterritos facias, alios honorans, alios autem vituperans, si tuis monitis non paruerint? atque eos, qui strenue exercendo se gesserint, impunes relinquas: at eos, qui contra, damno afficias? an nullo modo uteris, quamvis nihil habeas, in eo aliud quod accuses? Cli. Cur non utatur, hospes? Athen. Exercitatio quidem, o amice, præter consuetas miræ facilitatis est, qua unus et pauci possunt, et quotcunque volueris, exerceri. ac sive quis in deserto solus pudorem plurimi faciens, quod, anteaquam fortior sit, videri ab aliis nolit, ita adversus formidinem se exerceat, potione hac sola præ multis rebus aliis præparata, probe aliquid profecto efficiet: seu quis confidens, natura se et usu satis instructum, non formidet cum multis compotatoribus exercitatus potentiam quæ est in necessaria differentia potionis ostendere, usque adeo prævalens et exsuperans, ut in nulla re magna per impudentiam erret, et propter virtutem e suo statu non moveatur; ac juxta ultimam potionem ante ebrietatem discedat, apprime cavens meri in omnes homines violentiam. Cli. Certe et iste, o hospes, ita se gerens, moderatus evadet. Athen. Rursus ad conditorem legum ita dicamus: [649] o legis conditor, neque Deus tale adhuc hominibus timoris dedit pharmacum, neque ipsi excogitavimus. ipsos namque veneficos in convivio nequaquam dico. confidendi autem valde et intrepide præterquam oportet audendi in quibuscunque, utrum est potio quædam, an nulla? Cli. Vinum esse dicet. Athen. Porro contra id facit, quam ea potio, de qua modo facta est mentio. nam cum biberit quis, primo alacrior fit quam prius erat: deinde quo plus biberit, eo majore et meliore spe atque insuper potentia pro sua opinione repletur. tandem, quasi sapiens, ea homo confidentia, libertate audaciaque repletur, ut intrepide et dicat et faciat, quicquid placet. Cli. Arbitror equidem omnes id concessuros. Meg. Certe omnes. Athen. Recordemur itaque nunc duo quædam esse, quæ in nostris animis curanda superius diximus: alterum ut maxime confidamus; al-

terum ut maxime formidemus. Cli. De pudore dicta hæc existimamus. Athen. Recte tenetis. sed quoniam fortitudinem imperterritique animi habitum in timoribus præmeditari oportet, considerandum, nunquid contrarium in contrariis præmeditari conveniat. Cli. Consequens id est. Athen. In his igitur, quæ perpessi confidentes audacesque maxime fieri natura solemus, cogitandum videtur, ut quam minime impudentes et audaces simus; sed contra formidolosi ad dicendum aut patiendum aut agendum quicquam turpe. Cli. Ita videtur. Athen. Nonne hæc ea sunt, in quibus tales sumus, ira, amor, petulantia, inscitia, avaritia, secordia: et ad hæc illa, divitiæ, forma, vires, et quæcunque voluptatis ebrietate quadam homines amentes faciunt? ad horum omnium facile et innocuum periculum faciendum inducendamque exercitationem nullam habemus voluptatem commodiorem ea, quæ in vini ludo mores examinat, si modo prudens quædam cautio adhibeatur. consideremus autem, utrum difficilis et agrestis animi, unde plurimæ perpetrantur injuriæ, in ipsis commerciis summo cum rerum discrimine, [650] an potius in Dionysii spectaculo faciendum periculum sit. an vero animi ad venerea proni affectum considerare ita debemus ut summo cum periculo conjunctissimas sibi, filias videlicet ac filios, committamus? permulta insuper afferre quis poterit, neque verbis consequetur, quantum præstet cum joco simpliciter, sine damno hominum mores exquirere. qua de re neque Cretenses neque alios hominum ullos dubitaturos unquam putamus, quin hujusmodi morum examinatio conveniens sit ac præ ceteris facilis, tuta, brevis. Cli. Verum id quidem. Athen. Hoc igitur utilissimum quiddam erit, naturas et habitus animorum arte illa cognoscere, qua ista curanda sunt. est autem hoc, ut arbitror, civilis facultatis officium, an non? Cli. Sic est omnino.

LIB. II.

[652] Deinceps autem de his considerandum est, utrum id solum bonum habeant, ut perspiciamus, quomodo naturæ nostræ se habent, an magna etiam utilitas multo studio digna in vini compotatione, si recte regitur, insit. quid igitur dicimus? Inest utique, ut sermo significare videtur. ubi autem et quomodo, attente, obsecro, audiamus, ne ab eo præpediamur. Cli. Dic igitur. Athen. Repetere itaque memoria cupio, quid esse rectam dicimus disciplinam. hujus enim, ut in præsentia conjicio, [653] est in hoc officio, quando recte institutum est, salus. Cli. Magnum dicis. Athen. Primum profecto puerorum sensum esse dico voluptatis atque doloris, atque hæc duo esse, in quibus primum virtus et vitium animo innascuntur. si cui autem prudentia et vera opinio ac stabilis vel in senectute affuerint, felix est. perfectus porro vir est, qui hæc, et quæ in his sunt, omnia possidet bona. disciplinam appello virtutem, quæ primo pueris advenit, si voluptas et amor dolorque et odium recte in animos inflant, antequam ratione moveantur, et, ratione deinde præsente, rationi consentiant propter superiorem bonorum morum consuetudinem: hæc ipsa consensio universa quidem virtus est. ipsam vero decentem circa voluptates et dolores assuetudinem, per quam ab initio, usque ad extremum vitæ, homines oderint quæ odisse oportet, et ament quæ amanda sunt, si per se ipsam seorsum ratione consideratam disciplinam vocaveris, recte, ut ego arbitror, appellabis. Cli. Etenim quæ antea, hospes, et quæ nunc de disciplina disseruisti, probe dicta videntur. Athen. Bene igitur est. hujusmodi vero voluptatum atque dolorum rectam educationem, quæ disciplina dicitur, transgrediuntur homines in vita

ac sæpe pervertunt. dii autem, genus hominum laboribus natura pressum miserati, remissiones laborum ipsis statuerunt, solemnia videlicet festa vicissim in ipsorum Deorum honorem instituta præbentes. musas quin etiam et Apollinem Musarum ducem et Bacchum concelebratores, Deorumque consilio emendatores inter solemnia morum adhibuere. considerandum igitur, utrum hic sermo secundum naturam nobis ac verus est, qui dicit, tenerioris ætatis omnes, ut uno verbo complectar, non posse nec corpore nec voce quiescere, sed moveri semper et loqui velle, alios exsultantes ac gestientes et veluti cum voluptate saltantes ludentesque ; alios variis vocibus conclamantes. ac cetera quidem animalia ordinem ordinisve defectum, qui sane ordo in motibus inspicitur et rhythmus harmoniaque vocatur, nequaquam advertere. nobis autem ab his Diis, [654] quos concelebratores datos esse nobis diximus, rhythmi et harmoniæ participem sensum esse tributum, eosque movere nos cum voluptate, chorumque nobis ducere, cantibus et saltationibus nos invicem copulantes, quem quidem chorum achara, id est lætitia, nominaverint. primum vero considerandum, num concedamus disciplinam primam per Musas et Apollinem esse. an quomodo ? Cli. Ita prorsus. Athen. Disciplinæ igitur expers dicendus est, qui nunquam chorea usus est : disciplinæ vero compos contra, qui satis id fecit. Cli. Sic ponimus. Athen. Chorea vero omnis tripudium simul est et concentus. Cli. Necesse est. Athen. Quisquis ergo bene disciplina instructus est, et saltare et cantare bene potest. Cli. Videtur. Athen. Sed videamus, quid est, quod modo diximus. Cli. Quid istud ? Athen. Cum bene cantare et bene saltare quempiam dicimus, utrum etiam bona cantare et bona saltare, addendum est ; an non ? Cli. Addendum. Athen. Quid porro ? si quis honesta, ut sunt, ita honesta esse arbitratur, et turpia similiter turpia, atque ita his utitur, melius choream musicamque tenebit, quam ille qui corpore atque voce, quod honestum putat, sufficienter exsequi passim valet ; nec honestis tamen gaudet, nec odit turpia ? an ille, qui quamvis voce corporeque non potest, ut decet, assequi, voluptate tamen et dolore assequitur, ut bonis quidem gaudeat, prava autem oderit ? Cli. Magnum vero disciplinæ discrimen, o hospes, narras. Athen. Si ergo cantus tripudiique bonum nos tres non ignoramus. cognoscimus utique, et qui disciplina recte potitus est, et qui contra, sin autem hoc ignoramus, neque, si qua disciplinæ conservatio est et ubi est, scire unquam poterimus. nonne ita ? Cli. Ita prorsus. Athen. Deinceps igitur, sicuti canes per vestigia, decentem figuram, melodiam, cantum et saltationem investigemus. nam si ista nos fugiant, frustra de recta disciplina sive Græca sive barbara disputabimus. Cli. Sic arbitror. Athen. Quam igitur figuram et melodiam bonam vocare decet ? [655] num fortis animi et timidi similes figuræ vocesque in eisdem æquisque laboribus sunt ? Cli. Quomodo similes, quando neque colores ? Athen. Scite, o amice. sed in musica et figuræ sunt et concentus, cum circa rhythmum et harmoniam versetur. quare boni rhythmi harmoniæque figuram et cantum licet dicere : boni autem coloris non possumus recte dicere, perinde imaginantes, ut magistri choreæ solent. ignavi autem et fortis viri figura quædam est et cantus : atque hæc recte in viris fortibus honesta, in ignavis turpia nominantur. sed ne in his longior sim, omnes simpliciter virtuti animi vel corporis aut virtutis imagini adhærentes figuræ atque concentus honesti, contrarii vero turpes. Cli. Recte tu quidem ; atque ista sic se habere, in præsentia judicamus. Athen. Præterea et hoc animadvertamus, utrum omnes omnibus choreis similiter delectemur, an multum intersit. Cli. Multum omnino. Athen. Quid igitur esse dicemus, quid in errorem nos impulit ? utrum non eadem sunt honesta bonaque nobis omnibus ? an ipsa quidem eadem sunt, non tamen eadem esse videntur ? neque

vero dicere quisquam audebit vitiosam choream virtutis participe meliorem esse. neque fatebitur unquam aliquis quidem figuris pravis lætari, alios autem contraria quadam Musa. quanquam plerique prædicant rectam musicæ rationem in vi quadam consistere, quæ voluptatem animis offerat. quod neque ferendum est neque dicendum omnino: nefas enim. hæc autem potius erroris causa est. Cli. Quænam? Athen. Quoniam in chorea variorum morum variarumque rerum variis in fortunis moribusque gestarum imitationes fiunt, quibus illa, quæ dicuntur aut decantantur aut sub specie saltationis exprimuntur, vel natura vel consuetudine vel utrisque probantur, atque animo eorum conveniunt, hos gaudere illis laudareque et honesta mancipare necesse est. quibus autem præter naturam vel morem vel consuetudinem aliquam, hi neque gaudere ipsis possunt neque ea laudare, immo turpia appellare necesse. at vero quibus hæc natura recte contingunt, consuetudine autem contra, vel consuetudine quidem recte, contra vero natura, isti laudes voluptatibus contrarias proferunt. singula enim horum jucunda asserunt esse, sed et prava esse concedunt. [656] atque iccirco coram aliis, quos mentis compotes putant, verentur corpus eo pacto movere, verentur quoque ea cantare, honestaque et studio digna asserere. ipsi vero secum iis omnibus delectantur. Cli. Verissima loqueris. Athen. Nunquid damnum aliquod infertur illi, qui pravis figuris aut cantibus delectatur? vel utilitas eis, qui voluptates in contrariis capiunt? Cli. Verisimile id quidem. Athen. Utrum verisimile tantum, an etiam necessarium sit, ita id se habere? sicuti cum quispiam cum hominibus improbis conflictatur, neque mores eorum odit, sed delectatur his potius et indulget; et tamen joci loco vituperat, quasi per somnum ipse in se eorum percipiens pravitatem. tunc quippe necesse est, ut similis efficiatur illis, quibus gaudet, etiamsi laudare vereatur. qua quidem re quidnam majus aut bonum aut malum ex omni necessitate accedere nobis existimemus? Cli. Nihil puto. Athen. Nunquid arbitramur, ubi leges bene constitutæ sunt, aut et in posterum ita erunt, in disciplinis jocisque Musarum eam poëticis fore licentiam, ut, quicquid poëtam delectet vel rhythmo vel cantu vel verbo poëtico, idem et docere ei liceat, et bene institutorum civium pueros adolescentesque in choreis, quacunque contingit, vel ad virtutem vel ad vitium flectere? Cli. Præter rationem id est. Me. Certe. Athen. Id modo, ut breviter dicam, ubique præterquam in Ægypto agere licet. Cli. Quo autem pacto id in Ægypto hanc legem sancitum esse dicis? Athen. Mirum hoc quidem auditu est. nam id olim, mihi videtur, illi cognoverunt, oportere, quod nunc nos diximus, ut in civitate juvenes bonis figuris et bonis cantibus assuescant. quæ vero et qualia sint hujusmodi, in sacris ab eis est institutum: ac præter illa neque pictoribus neque aliis figurarum vel quorumcunque artificiorum fabris nova ulla licebat inducere, neque etiam excogitare alia præter patria; neque hodie licet, aut in universa musica. itaque si curiose rimeris, invenies ibi, quæ jam decem annorum millibus depicta vel aliter figurata fuerunt: quasi non adeo vetera sint, ut ita dicam; nec pulchriora neque turpiora his, quæ hodie depinguntur. [657] eadem arte confecta. Cli. Mirabile auditu est, quod dicis. Athen. Immo civile nimium maximeque legum positioni conveniens. invenies ibi alia quædam levia. sed hoc circa musicam verum est dignumque animadversione: quod videlicet poterat de rebus hujusmodi certa stabilique lege caveri, atque licebat adducere summa cum fiducia concentus tales, qui natura rectitudinem exhiberent. quod quidem aut Dei aut divini alicujus viri opus est: quemadmodum et ibi ferunt antiquissimos illos apud eos concentus Isidis esse poëmata. quamobrem, ut dicebam, si quis quoquo modo istorum possit rectitudinem intelligere, illum oportet bona cum spe hæc ad ordinem legemque reducere. nam

nova semper circa voluptatem et dolorem appetitus ipsius affectio, quæ quidem tentat ut nova semper musica uti quæramus, haud magnam fortasse vim habet ad eas choreas vetustatis incusatione corrumpendas, quæ sunt sacris legibus institutæ. nempe Ægyptiorum choreas nequaquam tanto tempore corrumpere potuisse videtur, sed contra omnino. Cli. Ita se res habet, ut ex tuis verbis colligitur. Athen. Dicamus igitur confidenter, usum ludorum musicæque cum chorea hoc pacto rectum esse. lætamur, quotiens feliciter vivere nos opinamur: quotiensque lætamur, rursus feliciter vivere ducimus. nonne ita? Cli. Ita prorsus. Athen. Atque etiam dum ita lætamur, quiescere non valemus. Cli. Est, ut dicis. Athen. Nonne igitur, juvenes nostris choreas celebrare parati sunt? nos autem seniores in his spectandis decenter versari putamus, dum eorum ludis et celebritate gaudemus: quandoquidem nos corporis levitas dereliquit, quam desiderantes certamina his imponimus, qui quam maxime queant ad juventæ nos memoriam revocare. Cli. Vera narras. Athen. An igitur frustra nimium illud a multis de celebratoribus dictum esse putamus? quod eum sapientissimum et victoriæ compotem judicare oporteat, qui nos lætari atque gaudere quam maxime faciat? nam postquam ludere in istis permittitur, conveniens esse videtur, ut eum, qui quam plurimos et quam maxime ad gaudium provocet, præcipue honoremus: et ut modo dicebam victorem esse dicamus. rectene id ita dicitur? [658] recteque fieret, si ita fieret? Cli. Forte. Athen. Sed, o beate, ne adeo citam feramus sententiam, sed hoc ipsum in partes distinguentes hoc modo consideremus. si quis ad certamen plurimos concitet, nec gymnicum aut musicum aut equestre determinet, sed omnibus civibus congregatis voluptatis gratia certamen dumtaxat instituat, præmiaque ei proponat, qui spectatores maxime delectabit judicatusque fuerit id optimeque omnium effecisse, cum nullus delectandi modus expressus sit: quidnam ex præconio eventurum putamus? Cli. Qua de re dicis? Athen. Par est, ut alius, sicut Homerus, rhapsodiam ostendat, alius citharœdiam, tragœdiam alius, alius vero comœdiam. neque deerit, qui miraculo ostendendo victoriam se opinetur consecuturum. cum tales et alii generis ejusdem certatores multi confluxerint, possumusne dicere, quis non injuria victor evadet? Cli. Absurdum quod petis. quis enim scite ad id respondere poterit, priusquam ipse ibi præsens singulos certatores audiverit? Athen. Vultisne igitur, ut ipse ad absurdum istud respondeam? Cli. Quidni? Athen. Si pueri admodum parvi sententiam dicant, eum qui miracula ostentet vicisse alios judicabunt. an non? Cli. Quid obstat? Athen. Pueri vero majusculi comœdum ceteris anteponent. sed mulieres eruditæ atque adolescentuli et ferme omnium multitudo tragœdiam fortasse laudabunt. Cli. Fortassis ita continget. Athen. Seniores autem nos jucundissime rhapsodum forsitan audiemus, qui Homericum aliquid, Iliada vel Odysseam, aut aliquid Hesiodicum bene cecinerit: victoremque omnium prædicabimus. quis ergo jure victor sit, declarandum nonne restat? Cli. Sane. Athen. Perspicuum quidem est, ut et mihi videtur et vos necessario concedetis, eum revera esse victorem, qui vicisse a nostris æqualibus judicabitur. usus enim rerum, quem ab ætate habemus, omnium quidem civilium magnum quiddam ubique est et optimum. Cli. Procul dubio. Athen. Concedo igitur ipse hoc multis, voluptate musicam judicandum; non tamen quorumvis hominum voluptate: sed illam ferme Musam esse dico pulcherrimam, quæ optimos satisque eruditos delectet, præcipue vero, quæ virum virtute et disciplina præstantem. [659] quapropter virtute egere harum rerum judices affirmamus. nam et prudentiæ eos et fortitudinis oportet esse participes, prudentiæ quidem, quia non debet verus judex, quæ determinanda judicio sunt, ab alio discere, et quasi stupefactus tam clamore multorum quam ignorantia sua ita

ferre sententiam: fortitudinis autem, quia nec etiamsi per se ipsum intelligit, debet propter ignaviam et formidinem ex eodem ore, quo judicaturus Deos invocavit, desidiose iniquum judicium promulgare. non enim ut discipulus, sed ut magister spectatorum, sicut par est, judex sedet pro tribunali, ineptis spectantium voluptatibus adversaturus. licebat prisca Græcaque lege, quemadmodum nunc Sicula et Italica: quæ multitudini spectatorum rem permittens, et manibus tensis victorem declarans, depravavit quidem poëtas ipsos, qui ad judicum vulgarium pravam voluptatem componunt omnia, ita ut ipsi spectatores poëtas et se ipsos erudiant. corrupit et ipsius spectaculi voluptates. nam cum eos oporteat, qui intersunt, meliora semper moribus suis audire, atque ita meliorem consequi voluptatem, nunc eis ex theatro contrarium accidit. quid igitur hæc ita dicta sibi volunt? animadvertite, num hoc sit, quod volunt. Cli. Quidnam? Athen. Ter jam aut quater ad idem circumvoluta oratio mihi videtur, disciplinam educationem esse puerorum, quæ ad eam vivendi rationem perducit, quam lex rectam esse dictat, et viri æquitate præstantes senioresque usu rerum sicuti rectam vere comprobarunt. ut igitur puerorum animus legem ita sequatur, ut non contrariis, sed iis, quibus lex et senior, doleat atque gaudeat, probus legum conditor suadebit: et, si opus fuerit, coget poëticum hominem honestis in verbis temperatorum et fortium et omnino bonorum hominum gesta describere, tam figuras eorum in rhythmis, quam accentus in harmoniis ut decet effingentem per eos cantus, quas odas vocamus, quæ revera epodæ, id est, incantationes, circa animos sunt, de industria ad id compositæ, ut hominum animi in dolendo et gaudendo legibus obsequantur. quia vero teneriores animi seria studia non suscipiunt, joci et cantus ista dicantur et fiant: idemque in his efficitur, quod agere solent, qui homines corpore ægrotantes curant. [660] hi namque alimenta convenientia quidem jucundis condimentis illiniunt: noxia vero amaris inficiunt; ut asciscere altera, altera rejicere consuescant. Cli. An igitur in aliis civitatibus nunc, hospes, servari hæc censes? nam quantum ego scio, quæ tu præcipis, nusquam nisi apud nos et Lacedæmonios fiunt. nova enim semper et in saltationibus et in alia musica excogitantur, non a legibus mutata, sed a voluptatibus quibusdam vagis: quæ nullo pacto aut eædem sunt aut eodem modo permanent: sed variæ semper fiunt, contra mores illos Ægyptiorum, quos narrasti. Athen. Probe, o Clinia. si autem visus sum tibi, quæ modo dicis, quasi ubique nunc fiant, supra dixisse, non mirarer, si minus clare, quæ sentio, exposuerim. dixi equidem, quæ in musica fieri vellem: et ea tibi, quasi fiant, dicere visus sum. vituperarc enim rem insanabilem et errore longe provectam nullo modo jucundum, interdum vero necessarium est. verum postquam in his consentimus, nonne quæso apud vos et apud istos hæc magis quam apud alios Græcos fieri asseris? Cli. Cur non asseramus? Athen. Si et apud ceteros similiter fierent, nonne melius quam nunc agerentur? Cli. Multo certe præstantius, si ita disposita essent, quemadmodum apud istos et apud nos, et ut paulo ante tu præcepisti. Athen. Age, videamus, nunquid hæc sint, quæ apud vos in omni disciplina et musica prædicantur. poëtas carminibus dicere cogitas bonum virum, quia temperatus justusque sit, felicem esse atque beatum, sive magnus atque robustus sive parvus ac debilis: sive pauper sit seu dives: injustum autem hominem, etiamsi ditior sit quam Cinyras aut Midas, miserum esse et in mœrore vitam ducere. itaque poëta nobis, si recte loquatur, inquiet: nunquam ego de illo mentionem faciam, neque virum appellabo, qui non omnia quæ bona dicuntur, cum justitia possideat atque disponat. [661] is igitur justitia exornatus cominus pugnare cum hostibus delectetur. injustus autem sanguinolentam cædem videre non audeat, neque currendo Thraicium queat

Boream superare: nec ei quicquam eorum, quæ bona dicuntur, unquam affuerit. quæ enim vulgo appellantur bona, non recte bona dicuntur. aiunt nempe optimum esse sanitatem: ei proximum bonum formam: vires tertium: quartum vero divitias. innumerabilia ferme cetera hujusmodi bona narrantur. nam et acute cernere atque audire aliisque sensibus integre uti bona videntur, et ad hæc omnia posse tyrannica licentia facere, quæcunque cupias. summamque totius beatitudinis esse ferunt, si cum istorum omnium possessione fueris quam citissime immortalis. ego autem ac vos una convenimus; justis sanctisque viris optimam esse istorum omnium possessionem: injustis autem omnium pessimam, ab ipsa sanitate incipientium. sanum namque esse, et videre atque audire ac omnia facile sentire, et omnino vivere vel immortalem pessimum est, si cum horum omnium possessione semper vixeris expers justitiæ ceterarumque virtutum. minus autem malum, si quam brevissimo tempore sic affectus vitam finieris. hæc utique et ipsi vestros invitabitis et cogetis poëtas dicere, perque his consentaneos numeros et concentus adolescentiam erudire. num ipsi hoc animadvertitis? ego enim assero, quæ vulgo mala dicuntur, injustis bona esse, justis autem mala, quæ vero dicuntur bona, bonis quidem vere bona, malis autem mala. convenimusne igitur adhuc, an non? Cli. Partim quidem consentire videmus, partim minime. Athen. Forte vobis non persuadeo non esse beatum illum sed miserum, qui injustus et contumeliosus est, etiamsi sanitatem habeat et divitias perpetuamque tyrannidem, invictas præterea corporis vires et animositatem immortalitatemque possideat, nihilque ex his perpetiatur, quæ vulgo mala dicuntur. Cli. Vera loqueris. Athen. Esto. sed quid deinde dicendum? et si viribus pollet formosusque est et dives, cunctaque per omnem vitiam facit quæ concupiscit, [662] nonne vobis videtur, si injustus contumeliosusque sit, ex hoc dumtaxat necessario turpiter vivere? an turpiter quidem conceditis? Cli. Prorsus. Athen. Quid autem, nonne et male? Cli. Haud similiter istud. Athen. Injucunde vero atque incommode sibi non conceditis? Cli. Quo pacto hæc concedemus? Athen. Utinam Deus quispiam, o amici, consensum nobis animi tribuat, fere namque inter nos dissentimus. mihi enim ista magis necessaria videntur esse, o amice Clinia, quam Cretam esse insulam. ac si Cretensibus ipse leges conderem, tam poëtas quam ceteros omnes cives sic loqui compellerem, ac pœnam pæne omnium maximam intentarem, si quis ea in regione assereret esse aliquos quandoque homines pravos, qui jucunde vivant; vel alia esse utilia et conducentia, alia justiora. multaque equidem contra ea, quæ nunc a Cretensibus et Lacedæmoniis dici videntur, immo vero a ceteris quoque hominibus, dicere civibus meis persuaderem. agite igitur per Jovem atque Apollinem, optimi viri, si hos ipsos Deos, qui leges vobis dederunt, interrogemus, sitne jucundissima vita injustissima; an duæ quædam vitæ sint, altera jucundissima, justissima altera, nobisque ita quærentibus ipsi duas esse respondeant, ab eis forsan iterum percontabimur, si recte sciscitari voluerimus, utros beatiores oporteat dicere, justissime an jucundissime viventes: ac si jucundissime viventes responderint, turpis erit responsio. vellem autem, de patribus legumque latoribus viris potius, quam de Diis, tale aliquid esse dictum. quare, quæ petii, a patre legisque latore me petiisse existimetis. responsumque mihi esse, beatissimum esse illum, qui jucundissime vivat. ego autem ita deinde opponam, O pater, nonne quam beatissime volebas me vivere? Certe. at nunquam cessabas jubere, ut quam justissime viverem. quisquis autem hæc una concedit, sive legumlator sive pater, et absurde loquitur et sibi ipsi non constat. quod si justissimam vitam beatissimam esse respondeat, quæret, ut arbitror, quicunque id audiet, Quidnam ea in vita bonum et pulchrum, tanquam voluptate melius, lex ipsa laudat? [663] quid enim a

voluptate separatum justo boni adesse potest? dic, obsecro, an laus et gloria tam apud homines quam apud deos, bonum quidem est atque honestum, injucundum autem? infamia vero contra? minime dicemus, o legislator. sed injuriam neque inferre neque pati, num jucundum quidem sit, bonum vero atque honestum: cetera autem jucunda quidem, turpia vero et mala? quo pacto id ais? ratio igitur, quæ neque jucundum a justo neque bonum separat ab honesto, probabilis est, et si non ad aliud, attamen ad hoc, ut sancte ac juste quis vivere velit, multum conducit. quocirca legislatori turpissima et admodum contraria oratio est, si hæc ita habere se neget. nemo enim sponte id aget, cui non plus lætitiæ quam doloris inest. quod vero procul aspicitur, omnibus, ut ita dicam, vel ipsis pueris, caliginosam affert vertiginem. quare vertigine tenebrisque ablatis in contrarium legislator opiniones civium ducet, et tum laudibus tum consuetudine tum rationibus quodammodo ipsis persuadebit, tam justa quam injusta esse obumbrata; atque injusta quidem contra apparere quam justa. nempe injusto ac pravo jucunda videri, cui justa videntur injucundissima. justo autem utraque contra omnino videri. Cli. Sic apparet. Athen. Revera autem utram sententiam potiorem existimabimus? meliorisne an deterioris animi? Cli. Melioris necessario. Athen. Necesse est igitur injustam vitam non turpiorem solum ac pejorem justa sanctaque vita esse, verum etiam injucundiorem. Cli. Ita certe ex hac ratione, o amice, videtur. Athen. Legis itaque lator, ex quo exigua sit proventura utilitas, etiamsi non ita id se haberet, ut modo diximus, non alienum tamen sua gravitate putaret ad juventutis utilitatem falso aliquid, si modo quid unquam aliud falso dicendum sit, dicere: maxime cum nullum mendacium hac falsitate utilius excogitare possit, quod videlicet ita trahere audientes valeat, ut non vi sed sponte justitiam velint suscipere. Cli. Pulchrum certe, o hospes, et stabile quiddam est veritas. videtur autem plerumque non facile persuadere. Athen. Esto. at enim Sidonii fabula illa, etsi nihil verisimilitudinis habuit, facile nihilominus persuasit, aliæque permultæ similiter. Cli. Quemnam? Athen. Quod a dentibus quondam satis armati milites nati sint. magnum enim id legislatori exemplum est, [664] posse animis juvenum, quodcunque velit, persuadere. quapropter nihil aliud scrutari debet, quam quibus rebus persuasione acceptis maximum bonum conferat civitati, ad idque omni incumbere studio, ut civitas universa de his rebus unum atque idem quam maxime ac semper in cantibus, fabulis et omni sermone decantet. equidem ita sentio: si vero vos aliter, nulla invidia sit contradicere. Cli. Neuter nostrum posse unquam de his dubitare videtur. Athen. Prosequar igitur asserens choros omnes, qui tres sunt, teneris adhuc et mollibus puerorum animis et alia bona, quæ diximus, et quæcunque narrare possimus, quasi incantatione quadam insinuare oportere. caput autem illud sit, quod videlicet, si vitam eandem optimam et jucundissimam judicari a Diis asseruerimus, et vera loquemur et magis illis, quibus opus est, persuadebimus, quam si aliter diceremus. Cli. Concedenda sunt, quæ dicis. Athen. Primus itaque puerilis Musarum chorus hæc studiose toti civitati decantaturus ingrediatur. secundus illorum chorus, qui ad triginta usque annos provecti sunt, Pæana testem veritatis dictorum invocet, et junioribus propitium suppliciter esse precetur. tertius eorum sit chorus, qui triginta annos inter et sexaginta ætatem agunt. his autem seniores, quia non amplius de eisdem moribus fabulas poterunt decantare, dimittendos divino oraculo censemus. Cli. Quosnam, hospes, tertios hos choros dicis? non enim clare, quid de his dicere velis, comprehendimus. Athen. Hi profecto sunt, quorum gratia plurima in superioribus sunt inducta. Cli. Nondum intelligemus. quamobrem apertius dicito. Athen. Dictum est in disputationis principio, si recordamur, ita ardentem juvenum omnium

naturam esse, ut neque corpore neque voce quiescere possit, sed sine ordine semper clamet et saltet: atque ordinis utrorumque istorum nullum aliud animal, præter solam hominis naturam, sensum habere. [665] ordinis autem, qui in motu conspicitur, nomen rhythmus i. e. numerus esse potest, sed ejus, qui in voce, acuto et gravi simul contemperato, harmonia i. e. concentus. utrumque vero simul chorea nominabitur. Deos quoque diximus nostri misertos choreæ concelebratores ac duces dedisse nobis Apollinem et Musas: tertiumque, si recordamur, Dionysium numeravimus. Cli. Cur non recordari debeamus? Athen. Atqui Apollinis et Musarum chori dicti jam sunt: tertius autem, qui reliquus est, Dionysio necessario tribuetur. Cli. Quo pacto? latius expone. nam primo auditu valde absurdus Dionysiacus seniorum chorus esse videtur, si ultra trigesimum annum et ad quinquagesimum jam provecti et usque ad sexagesimum eo utantur. Athen. Vera loqueris, sed ratione ad hæc opus esse arbitror, ut appareat, quo pacto opportune id fieri possit. Cli. Cur non? Athen. Nunquid superiora illa inter nos constant? Cli. Quænam? Athen. Quod oporteat viros omnes et pueros, liberos et servos, mares et feminas, et universam civitatem toti civitati quotidie, quæ diximus, variis modis et carminibus decantare, ut ex innumerabili hymnorum varietate, inexplebili quoddammodo voluptate concinentes afficiantur. Cli. Nihil obstat, quo minus concedatur ita fieri oportere. Athen. Sed quo optima hæc civitatis pars, cui propter ætatem atque prudentiam summa inest ad persuadendum auctoritas, optima canendo maximorum bonorum causa erit? an id ita stulte omittemus, in quo optimorum et utilissimorum cantuum vis inest præcipua? Cli. Haud omittere licet, ut modo apparet. Athen. Quomodo igitur decenter id fiet? videte, quæso, an ita? Cli. Quo pacto? Athen. Unusquisque senior, circa cantus jam satietate affectus, his minime delectatur: et cum res postulat canere, quanto senior atque modestior est, tanto magis cantare veretur. an non ita? Cli. Ita prorsus. Athen. Sed multo magis in theatro coram multitudine rectus cantare præ pudore non tolerabit: præsertim si seniorum chori, quemadmodum qui de victoria contendunt, et ii quidem clarificandæ vocis gratia tenues atque jejuni cantare cogantur. sic enim non sine molestia et pudore cantabunt, et ad ista tardiores accedent. [666] Cli. Necessaria narras. Athen. Quo igitur pacto paratos eos ad cantum reddemus? principio lege sanciemus, ut pueri usque ad duodevigesimum annum vini usum prorsus ignorent. nempe eos monebimus non oportere ignem igni in corpus atque animam suggerere, antequam viri effecti subire labores incipiant. furiosum namque habitum juventutis cavere oportet. deinde vino moderate utantur, usque ad annum ætatis trigesimum: ab ebrietate vero et vini repletione juvenes omnino abstineant. sed cum ad quadragesimum pervenerint, tunc in conviviis liberius discumbentes, cum alios Deos tum Dionysium ad sacra senum et ludos invocent, qui hominibus vinum quasi remedium adversus senectutis duritiem est largitus, ut rejuvenescere videamur, et mœstitiæ nos oblivio capiat, ipsaque affectio animi, sicuti ferrum in igne ex duritie in mollitiem deducta flexibilior fiat. primum quidem sic affectus quisque, sumpta fiducia, minus verebitur inter aliquos ac suos non tamen multos et alienos canere, et una, quod jam sæpius repetivimus, incantare. Cli. Et maxime quidem. Athen. Ad eos igitur inducendos, ut cantibus interesse velint, modus hic haud indecens erit. Cli. Non certe. Athen. Qua autem voce et qua Musa hi viri cantabunt? an ea videlicet, quæ ipsis conveniat? Cli. Ea dumtaxat. Athen. Quænam igitur divinis viris conveniens erit? nonne ea, qua chori decantant? Cli. Nos quidem, hospes, et tu non possumus aliud canere, quam quod in choro didicimus. in hoc enim cantu assueti sumus. Athen. Par est. optimum enim cantum non didicistis: quasi enim castrensem rempubli-

cam habetis potius quam urbanam. propterea juvenes profecto tanquam pullos gregatim pascentes habetis. unde nemo vestrum arripit suum, et ad cohibendam ejus ferocitatem cuidam, quasi equorum magistro, committit, qui erudiat ipsum leniter tractans et mansuefaciens, et cetera, quæ educationi conveniunt, peragens. ex quo non modo probus miles efficiatur, sed civitatum quoque et urbium idoneus gubernator: [667] quem quidem in principio diximus Tyrtæi militibus fore bellicosiorem, quarto virtutis loco, non primo, semper et ubique privatim et publice fortitudinis munera colentem. Cli. Nescio, quo modo rursus, hospes, legumlatoribus nostris derogas. Athen. Non ex animo id facio, bone vir, si quidem facio. sed proficiscamur, quo ratio ducit, si vultis. nam si Musam habemus, chororum et theatri communi Musa præstantiorem, hanc illis exhibere conemur, quos diximus illam quidem vereri et aliam quærere meliorem. Cli. Omnino. Athen. Omnibus igitur, quæcunque gratia quædam sequitur, inesse id oportet, ut vel ea ipsa gratia sola in his alliciat sitque præcipuum, vel rectitudo, vel utilitas. exemplo, quod dico, exponam. cibus ac potus et alimentum omne gratiam habet quam voluptatem dicimus, rectitudinem vero et utilitatem, si confert ad sanitatem. Cli. Prorsus. Athen. Sic et in discendo gratia inest, quæ voluptas nominatur: rectitudo etiam atque utilitas, et bonus habitus atque pulcher, quæ ab ipsa veritate efficiuntur. Cli. Ita est. Athen. Quid porro in artibus, quibus similia effinguntur, nonne id ipsum inspicimus? voluptas profecto ex illis quandoque provenit, quam par est gratiam nominare. Cli. Certe. Athen. Rectitudinem vero talium, ut universaliter dicam, æqualitas ipsa tanti talisque efficit potius quam voluptas. Cli. Præclare. Athen. Voluptate igitur sola id merito judicabitur, quod neque utilitatem neque veritatem neque similitudinem neque rursus damnum efficit, sed solum causa gratiæ illius fit, quæ concomitatur alia: quam voluptatem recte possumus nominare, quando videlicet nihil istorum ipsam sequitur. Cli. Voluptatem dicis solam, quæ minime noceat? Athen. Nempe, et jocum ac ludum rursus eam ipsam appello, quando nec nocumenti neque utilitatis aliquid affert æstimatione dignum. Cli. Vera loqueris. Athen. Sequitur ex his, quæ diximus, nullam imitationem voluptate et opinione non vera judicandam esse, [668] similiter etiam æqualitatem nullam. non enim quia huic videatur aut quoniam hic gaudeat, iccirco æquale ipsum æquale est aut commensurabile ipsum etiam commensurabile; sed nullo alio quam veritate sola. Cli. Sic est omnino. Athen. Atqui musicam omnem imitatricem et similium effectricem esse dicimus. Cli. Cui dubium? Athen. Cum ergo quis sola voluptate musicam asserit judicari, minime audiendus est, minimeque hujusmodi musica, si alicubi colitur, quærenda est; sed illa, quæ per imitationem boni similitudinem possidet. Cli. Vera hæc sunt. Athen. Qui ergo cantus speciem et Musam quærunt optimam, non eam, quæ jucunda, sed quæ recta est, quærere debent. rectitudo enim imitationis in hoc consistit, ut dicebamus, si tantum et tale fiat, quod imitatione exprimitur, quantum et quale in se ipso est. Cli. Cui dubium? Athen. Atqui illud de musica omnes concederent, omnia videlicet poëmata ejus imitationem esse atque assimilationem. quod et poëtæ omnes et auditores histrionesque concederent. Cli. Magnopere. Athen. Oportet igitur circa unumquodque poëma et figmentum, ut videtur, quid sit, quod effingitur, cognoscere illum, qui in ipso non sit erraturus. nam qui nec novit, quid essentia ipsius velit, nec cujus imago sit, nunquam rectitudinem ejus et errorem intelliget. Cli. Nunquam certe. Athen. Qui autem rectitudinem operis non intelligit, num, bene an male factum sit, cognoscet? obscurius equidem loquor. forte vero planius ita mihi dicetur. Cli. Quo pacto? Athen.

Multæ ad adspectum pertinentes similitudines fiunt. Cli. Certe. Athen. Si quis corporis depicti modum non teneat, cognoscetne unquam, utrum recte sit pictum? ut puta, utrum articulos corporis et singulas particulas habeat et numerum et qualitatem et locationem singulorum, prout decet ad singula, colores præterea atque figuras: vel contra, utrum perturbate hæc omnia picta sint? an censes hæc aliquem cogniturum, qui animal, quod pingitur, minime noverit? Cli. Nullo modo. Athen. Sin autem cognoscat aliquis, hominem esse id, quod pictum vel quoquo modo formatum est, [669] suasque partes omnes et figuras et colores ab arte accepisse; num idem necessario, sicubi defectus aliquis pulchritudinis in eo sit, continuo agnoscet? Cli. Omnes ferme hoc modo, hospes, quæ in animalibus pulchre se habent, cognosceremus. Athen. Recte loqueris. nonne igitur in imagine omni, sive per picturam sive per musicam sive quomodocunque aliter fiat, tria hæc prudentem judicem habere oportet? primum ut cognoscat, quid sit, quod in imitationem cadit: secundum ut recte: tertium ut bene, quælibet similitudo verbis, concentibus, numeris effecta sit, noverit? Cli. Videtur. Athen. Ne pigeat igitur difficultatem, quæ in musica est, exponere. porro, quoniam magis hæc quam aliæ similitudines celebratur, majore quam in ceteris opus est diligentia. nam qui in hac aberrat, maxime læditur, cum sub ejus suavitate malos imbibat mores. difficile autem id cognitu est, quoniam poëtæ non ita, ut Musæ, artem poëticam tenent. nunquam enim illæ tantum errare possent, ut in effingendis virorum verbis colorem mulierum concentusque redderent; vel in concentibus figurisque liberorum servorum et illiberalium numeros; vel id numeris figurisque liberis concentum vel sermonem numeris contrarium. nunquam insuper ferarum voces atque hominum pulsandorumque instrumentorum et strepitus omnes, quasi unum aliquid imitarentur, in unum confunderent. humani vero poëtæ hujusmodi multa perturbate et sine ratione commiscent, risumque hominibus commovent: quos Orpheus delectationis gratiam sequutos ait. omnia enim hæc et confusa cernunt et ipsi quoque distrahunt poëtæ, numerum quidem atque figuras a concentu seorsum, orationes nudas absque concentu metrice componentes, atque etiam concentus et numeros absque verbis, nudæ citharæ pulsationi et tibiæ sono accommodantes. qua in re difficillimum est cognoscere, quid numerus et concentus sine verbis factus sibi velit, et cui imitationi similis sit earum, quæ ratione sunt dignæ. intelligere autem oportet multa ruditate esse refertum id omne, quodcunque sive velocitatem seu tarditatem vocemque ferarum proxime sequitur, ut aliter tibia citharaque utaris, [670] quam ad tripudium opus sit atque cantum. nudo autem utroque uti abusus est miraculorum ostentationi persimilis et a Musis admodum alienius. sed horum quidem hæc ratio est. nos autem hæc non consideramus, quam triginta quinquagintaque annos et ultra nati Musis nostris uti non debeant: sed ut quando debeant, videamus. ex istis autem oratio hæc nobis id significare videtur, quod ad quinquagesimum annum provectos, quibuscunque canere opus est, melius ceteris chori Musam tenere oporteat. necesse namque est, ut acute concentus et numeros sentiant, atque cognoscant. quomodo enim aliter quispiam rectitudinem cantus cognoscet, cui convenit vel non convenit circa Doricum, et numerum, quem illi poëta adjunxit, utrum recte junxerit necne? Cli. Nullo certe pacto. Athen. Vulgus autem deridendum est, cum se putet, quod boni concentus numerique compos est et quod contra, satis cognoscere, quotcunque videlicet ipsorum cantum et numerum sequi coacti sunt quidem. quoniam vero quid in singulis istorum fiat ignorant, quomodo etiam recte fiant hæc nesciunt. quilibet enim canus, si omnia sibi convenientia continet, recte se habet, si non continet, contra. Cli.

Sic omnino necesse. Athen. Quid porro? si quis rationem ejus quidve habeat, non intelligit, numquid, quod diximus, quo pacto recte se habeat, in aliquo unquam cognoscet? Cli. Quo pacto id fieri posset? Athen. Hoc itaque nunc in his invenisse videmur, quod cantores eos seniores, quos prius quidem nolentes ita provocamus, ut libenter quodammodo canant, usque adeo hæc didicisse necesse est, ut eorum quilibet tam numerorum progressus et pondera quam sonos fidium harmonicos consequatur, ut concentus et numeros intelligentes illos eligere possint, quos tantis ac talibus decantari oporteat; atque ita canentes et ipsi voluptates innocuas confestim percipiant et juvenes ad probos mores de cantibus perducant et oblectamentis. eatenus autem docti exquisitiorem, quam vulgus et poëtæ ipsi disciplinam habebunt. tertium quidem illud, sive bona sive mala imitatio sit, non est necesse, ut poëta cognoscat: concentum vero numerumque necesse. isti autem omnia tria cognoscere debent, ut optimum et secundum eligere queant. [671] aliter autem nunquam sufficienter, veluti incantationibus quibusdam, poterunt juvenum animos ad virtutem allicere. enimvero, quod ab initio voluimus, ut videlicet Dionysii choro rectam opem sermo noster afferret, pro viribus dictum est. verum considerемus, an hoc ita sit factum. talis utique conventus hominum necessario compotatione progrediente turbulentior redditur: quod et a principio supposuimus in his, quæ fiunt hodie, necessario fieri. Cli. Necesse. Athen. Ubi certe unusquisque se ipso levior factus extollitur et exsultat audaciaque repletur, nec audit proximum, sed tam sui ipsius quam ceterorum omnium ducem se sufficientem existimat. Cli. Absque dubio. Athen. An non diximus, quotiens ista fiunt, bibentium animos, sicut in igne ferrum, ita vino ferventes molliores junioresque fieri, et iccirco facilius deduci, veluti quando juvenes erant; si quis et possit et sciat erudire eos ac fingere? fictorem vero eundem esse, qui et tunc probus legislator dicebatur. cujus in legibus compotationi modus est præscribendus, ut possint hæ leges confidentem illum audacemque et impudentiorem, quam deceat, factum, qui ordinem vicissim in silentio, sermone, compotatione et musica servare non vult, cohibere atque ita instruere, ut contra in omnibus facere velit quam faciat; contra insurgentem ac turpem confidentiam admoventes timorem optimum cum justitia. quem quidem timorem divinum pudorem et verecundiam nominavimus. Cli. Est, ut ais. Athen. Harum legum auctores atque custodes a perturbatione et ebrietate remotos esse oportet, vinolentorum duces. sine quibus contra ebrietatem pugnare durius est, quam sine ducibus sobriis cum hostibus dimicare. si quis autem neque obtemperare velit his neque ducibus Dionysii ultra annos sexaginta natis, æquale vel etiam majus dedecus ferat, quam qui ducibus Martis non paret. Cli. Recte. Athen. Nonne, si talis ebrietas talisque ludus adhiberetur, compotatores magnam inde utilitatem consecuti, et majori, quam prius, invicem benevolentia juncti, non autem, sicuti nunc, inimici discederent? [672] cum legitime invicem conversati essent et ducentibus sobriis temulenti quoque legibus obtemperassent. Cli. Sic certe, si talis esset ebrietas, qualem modo narrabas. Athen. Ne igitur Liberi patris munus simpliciter ita vituperemus, quasi malum sit neque dignum, ut in civitate recipiatur. atqui plura etiam in hanc sententiam referri possent, quamvis maximum illud bonum, quod largitur Dionysius, efferre in multos verear; quoniam homines, cum audierint, non recte accipiant nec intelligant. Cli. Quid istud? Athen. Rumor quidam et fama defluxit ad nos, hunc Deum a noverca Junone ex animi sententia olim deturbatum fuisse, atque iccirco ulciscendi gratia bacchationis choream omnem queinsaniam induxisse, et vinum ad hoc ipsum tribuisse. ego autem hæc illis dimitto, qui tutum arbitrantur talia de Diis dicere. illud tamen scio, quod nullum animal cum tanta ac tali nascitur intelligentia, quanta et qualis sibi, cum

provectum fuerit, convenit. hoc porro in tempore, quo prudentiam suam nondum possidet, furit omne et sine ordine clamat, et fastu elatum lasciviensque salit. recordemur autem, quod musicæ et gymnasticæ hæc esse principia diximus. Cli. Recordamur. Athen. Nonne etiam, quod numeri et concentus sensum nobis solis dedisse hoc principium diximus? Apollinem vero, et Musas, et Dionysium, duces ad hæc nobis esse tributos? Cli. Utique. Athen. Vinum vero, ut ferunt multi, ad ultionem hominibus datum est, ut insaniant: ut autem senno habet noster, remedium et medicina in contrarium, ut animus quidem pudorem, corpus autem sanitatem et vires adipiscatur. Cli. Egregie, hospes, superiorem orationem commemorasti. Athen. Sed jam media pars eorum, quæ ad choream pertinent, dicta est: reliquam vero, ut videtur, perficiemusne an prætermittemus? Cli. Quasnam dicis partes, et quomodo partiris utrasque? Athen. Tota quippe chorea universa nobis dicta est disciplina, choreæ vero pars una in voce est per numeros et concentus. Cli. Ita est. Athen. Altera in corporis motu per numerum atque figuram. sed numerum quidem habet cum motu vocis communem, figuram vero propriam. in prima autem illa parte cantus ipse vocis est motus. [673] Cli. Vera narras. Athen. Sed vocis quidem habitum, qui ad disciplinam virtutis animi pervenit, nescio quomodo musicam nominavimus. Cli. Recte admodum. Athen. Si autem corporis in ludo, quem saltationem appellavimus, ad corporis usque virtutem attingit, artificiosam hanc ad id ipsius deductionem gymnasticam nominemus. Cli. Rectissime. Athen. De musica quidem, quam mediam choreæ partem diximus, satis actum putavimus, atque ita de ea sit dictum. quare de reliqua jam dicamus: vel quid agendum? Cli. O vir optime, qui cum Cretensibus et Lacedæmoniis disseris, quando jam satis tractatum de musica est, sed de gymnastica hactenus minime, quidnam responsurum tibi ad interrogationem hujusmodi utrumvis nostrum existimas? Athen. Affirmabo equidem te, cum hæc interrogaveris, aperte jam respondisse. intelligo enim, quod hæc tua interrogatio responsio quædam est, ut dixi, ac jussio simul, ut transigantur, quæ ad gymnasticam pertinent. Cli. Optime intellexisti, et sic facias. Athen. Faciendum est. neque enim difficile est, quæ vobis utrisque notissima sunt, transigere. nempe hujus artis utrique multo magis quam illius periti estis. Cli. Vera ferme dicis. Athen. Nonne hujus quoque ludi principium est, quia unumquodque animal natura saltare consuevit? homo autem, ut tetigimus, cum numeri sensum acceperit, saltationem peperit. cantus item numerum excitat, quæ ambo invicem copulata choream et ludum pepererunt. Cli. Ita est. Athen. Hujus partem alteram jam peregimus, alteram deinceps aggrediemur. Cli. Prorsus. Athen. Sermonem igitur de ebrietatis chorea primum hac, si placet, sententia concludamus. Cli. Quonam pacto? Athen. Si civitas aliqua tanquam re seria compotationibus cum legum et ordine utatur, exercitationis cujusdam ad temperantiam gratia, et alias voluptates non fugiat, sed eadem ratione, ut ipsas superet, exercitetur: hoc utique pacto omnibus his utendum. sin vero tanquam ludo utatur compotationibus civitas, et liceat cuique, quando velit et quibuscum velit, [674] combibere et alia quæque pro libidine exercere, non essem hujus sententiæ, quod deceat civitatem istam aut hunc virum ebrietati aliquando indulgere. sed multo magis, quam Cretensium Lacedæmoniorumque usum, Carthaginensium legem probarem, ut nunquam in castris quisquam gustare vinum audeat, sed toto illo tempore aqua bibatur: et in civitate nunquam vini usum servo vel servæ concederem: sed nec magistratibus toto eo tempore quo magistratu funguntur. gubernatores etiam atque judices munus suum subituros, a vino penitus prohiberem: deliberaturos quoque de rebus non omnino negligendis. ac nulli penitus interdiu vinum concederem, nisi exercitati-

onis corporeæ morborumque causa hoc potu opus fuerit : neque etiam nocte viro vel mulieri, quando liberis operam dare volunt. plura etiam referri possent, in quibus homines legis rectæ mentisque compotes vino abstinerent. quapropter secundum hanc rationem nec multis civitati vineis opus esset. atqui et reliqua agricultura omnisque vivendi norma ordinem suum teneret, ac vini usus ferme omnium moderatissimus et parcissimus esset. hic itaque sermoni de vino, hospites, si vobis quoque videtur, apex allatus sit. Cli. Probe dictum. quare et nobis ita videtur.

LIB. III.

[676] Hæc quidem ita se habeant. civilis autem disciplinæ initium quodnam fuisse dicemus ? an non hinc facillime ipsum quis optimeque inspiciet ? Cli. Undenam ? Athen. Unde civitatum quoque incrementum et ad virtutem et ad vitium licet inspicere. Cli. Unde dicis ? Athen. Reor equidem a longitudine infinitateque temporis, rerumque in eo mutationibus. Cli. Quo pacto id ais? Athen. Age, dic, si habes, ex quo urbes civilesque hominum institutiones cœperunt, quanta temporis præcesserit multitudo. Cli. Nequaquam id facile. Athen. Inexplebile utique hoc et impossibile cogitatu. Cli. Sic est omnino. Athen. Nonne innumeræ in hoc tempore conditæ sunt civitates, totidemque destructæ, quæ omni civilis vitæ conditione passim usæ sint, factæque modo e minoribus, modo minores e majoribus, pejores quoque ex melioribus, et contra ex pejoribus meliores ? Cli. Necessarium id quidem est. Athen. Hujus igitur mutationis causam excogitemus, si possumus. fortassis enim primam vitæ civilis causam mutationemque nobis ostendet. Cli. Probe loqueris. quare et te oportet, quid hac de re sentias, diligenter exponere : et nos attente auscultare. [677] Athen. Num igitur prisci sermones veritatem aliquam habere videntur ? Cli. Quinam ? Athen. Multos videlicet hominum interitus ex diluviis, morbis aliisque pestibus olim accidisse : ex quibus pauci homines superstites fuerint. Cli. Valde id cuique verisimile. Athen. Age, jam de multis unum hoc exitium, quod illuvione factum est, perspiciamus. Cli. Quid in hoc cogitare nos jubes ? Athen. Nempe eos, qui cladem tunc evaserunt, montanos quosdam et pastores fuisse, in montium cacuminibus pauca semina ad propagandum genus hominum conservata. Cli. Patet. Athen. Atqui necesse est eos et aliarum artium fuisse expertes, et avaritiæ contentionisque studia inter cives ceterasque adversus alios astutias ignorasse. Cli. Consentaneum id quidem. Athen. Ponamus etiam campestres et maritimas urbes subito illo tempore periisse. Cli. Ponamus. Athen. Instrumenta igitur omnia, et quæcunque artium sive ad disciplinam civilem sive ad facultatem aliam pertinentium exstabant inventa, concidisse illis temporibus asseremus. Quomodo enim, o vir optime, si hæc in sempiternum, ita se, ut modo, habentia permansissent, novum quicquam alicui esset inventum ? Cli. Nempe, quia innumerabilis quædam multitudo annorum ignorabatur ab illis. mille autem anni vel duo millia, ex quo quicquam dicebatur inventum partim Dædalo, partim Orpheo, partim Palamedi patebant. sicut quæ ad musicam pertinent, Marsyæ et Olympo ; quæ ad lyram, Amphioni attribuuntur : aliaque aliis multa, ut ita dicam, heri et nudiustertius adinventa. Athen. Videsne, Clinia, prætermissum abs te esse amicum, qui vere heri fuit ? Cli. An Epimenidem dicis ? Athen. Hunc equidem. longe enim hic in novarum rerum excogitatione omnibus apud vos excelluit, o amice. quod sane verbis

olim Hesiodus divinavit, re autem Epimenides ipse perfecit, ut vos asseritis. Cli. Asserimus plane. Athen. Ex ea utique devastatione magnam terribilemque humanis in rebus desolationem accidisse tunc arbitramur : fertilium agrorum magnitudinem desertam, ceterisque animalibus corruptis vix boum caprarumque genus, et illud quidem rarum relictum fuisse, [678] quibus pascendis tunc homines vitam agebant. Cli. Cui dubium ? Athen. Civitatis vero et disciplinæ civilis et legum, de quibus præsens a nobis sermo habetur, numquid memoriam quidem ullam, ut ita loquar, fuisse putamus ? Cli. Nullam prorsus. Athen. An non ex illis ita dispositis nobis hæc omnia provenerunt, civitatis disciplinæque civiles, artes, leges, et vitiorum atque virtutis non parva copia ? Cli. Quo pacto id ais ? Athen. Numquid arbitramur, o vir mirifice, eos homines, cum multorum, quæ inter cives honesta habentur vel turpia, ignari essent, summos vel in virtute vel in vitio exstitisse? Cli. Probe dixisti : et, quod vis, intelligimus. Athen. Tempore igitur progrediente, ac genere hominum multiplicato, ad eum, quem nunc videmus, habitum provecta omnia sunt. Cli. Recte admodum. Athen. Neque tamen subito, ut verisimile est, sed paulatim longoque in tempore. Cli. Valde sic decet. Athen. In campos enim ex cacuminibus montium recens formido descendere prohibebat. Cli. Certe. Athen. Nonne et propter paucitatem illis temporibus mutuo inter se aspectu congratulabantur, præsertim cum neque terra neque mari transitus ad alios facilis fuerit, omnibus ferme ad transitum instrumentis deletis una cum artibus ? quapropter invicem convenire non poterant. ferrum namque et æs et metalla omnia confusa perierant, ut inveniri et in lucem erui non possent : unde et lignorum fabri non erant. nam etsi aliquod instrumentum relictum quandoque in montibus superfuerit, cito tamen contritum evanuit ; nec alia fieri poterant, antequam ars metallica hominibus iterum inveniretur. Cli. Quo enim pacto aliter fieri potuisset ? Athen. Quot autem generationibus postea id factum esse putamus ? Cli. Profecto multis. Athen. Igitur artes, quæcunque ferro utuntur et ære, ceterisque hujusmodi omnibus, eodem tempore, immo etiam majore, ignorantiæ tenebris obsitæ ignorabantur. Cli. Certum id est. Athen. Quin etiam neque seditio illo tempore neque bellum erat. Cli. Qua ratione ? Athen. Primo, quod propter desolationem ardenti se invicem benevolentia complectebantur [679] deinde, quod cibus bellum non concitabat. pascuorum enim nulla erat inopia, nisi forte quibusdam paucis ab initio : pascuis autem plurimum illis temporibus vitam agebant, lactis item et carnium copia non deerat : ac venatio facile alimenta, nec illa quidem mala, suppeditabat. vestitus præterea, stramentorum, habitaculorum vasculorumque tam igneorum quam non igneorum copiam habebant. artes quippe fingendi atque texendi ferro non indigent : quibus hæc omnia Dei nutu consequimur, ut si quando homines in talem calamitatem deciderint, propagari genus humanum possit. Hac de causa non valde inopes erant, neque inopia compellebantur ad bella. divites etiam fieri minime poterant, cum neque aurum neque argentum haberent. in quocunque vero hominum cœtu nec inopia neque divitiæ sunt, huic justissimi mores aderunt. neque enim ibi contumelia neque injuria locum habet. æmulatio quoque et invidia procul abest. his igitur de causis boni erant, ac maxime propter simplicitatem. quæcunque enim audiebant honesta esse vel turpia, propter simplicitatem credentes esse vera, monitis obtemperabant. nec ullus propter sapientiæ opinionem, ut modo fit, de mendacio suspicabatur : sed, quæ de Diis et hominibus dicebantur, vera putantes, quiete ad hæc vitam suam instituebant. quamobrem tales erant omnino, quales paulo ante narravimus. Cli. Ego quidem et iste tibi in his consentimus. Athen. Diximus porro generationes multas ita viventes, tam illis,

qui ante diluvium fuerunt, quam hodiernis hominibus minorem peritiam habuisse cum ceterarum artium tum bellicarum, quæ vel terra vel mari hodie exercentur, judiciorum quoque et seditionum, quæ in civitate et verbis et operibus sedulo contendunt ad injuriam aliis inferendam : simpliciores autem fuisse et fortiores ac simul modestiores, et in omnibus justiores. horum vero causam jam diximus. Cli. Recte loqueris. Athen. Dicta igitur ita hæc nobis sint : et, quæ sequuntur, iccirco exponantur omnia, ut intelligamus, [680] cur illis opus legibus fuerit et quis leges eis condiderit. Cli. Probe dixisti. Athen. An igitur illi nec legumlatoribus indigebant, neque dum illis temporibus id fieri consueverat? literas enim nondum habebant illius temporis homines, sed consuetudinem et mores majorum sequentes vivebant. Cli. Verisimile est. sed civilis disciplinæ quis modus fuit? Athen. Hic. Cli. Quis? Athen. Omnes mihi videntur disciplinam vivendi civilem illius temporis imperium appellare : quod etiam nunc multis in locis et apud Græcos et apud barbaros viget. quod quidem in habitatione Cyclopum existisse, ita testatur Homerus : *His consiliariæ nullæ sunt conciones, neque rostra judiciorum : sed in altis montibus cava antra inhabitant ; spretisque publicis, privatim quique uxoribus filiisque dant jura.* Cli. Jocundus hic poëta vobis fuisse videtur. atqui et alia nonnulla ipsius percurrimus, valde illa quidem urbana, non multa tamen. nos quippe Cretenses alieno poëmate parum utimur. Meg. Nos autem utimur. videturque nobis poëtas hujusmodi superasse, quamvis non Laconicam, sed Ionicam vitam potius ubique doceat. bene autem modo verbis hic tuis attestari videtur, cum antiquitatem hominum per fabulas ad silvestrem vivendi modum reduxerit. Athen. Attestatur nimirum. quapropter testimonio illius inducti credamus gubernationes hujusmodi aliquando fieri. Meg. Recte. Athen. Nonne gubernationes hæ fiunt ex hominibus ipsis, qui per habitationes singulas singulaque genera propter egestatem ex vastationibus factam dispersi vivunt? in quibus semper antiquior dominatur, ex eo quod principium ex patre matreque sumpserunt : quos quidem quasi aves secuti gregem unum conficiunt, patris voluntate pro lege utentes et regno omnium justissimo gubernati. Meg. Ita prorsus. Athen. Postea vero communiter pluresque confluentes, majores civitates constituunt, atque ad agriculturas primum in montium radicibus conversi maceriosos ambitus, [681] quasi muros urbium ferarum causa condunt, unam domum amplam communemque condentes. Meg. Verisimile id quidem videtur. Athen. Quid autem hoc? nonne etiam verisimile? Meg. Quidnam? Athen. Cum habitationes istæ majores e minoribus primisque sint factæ, conveniens est adesse parvarum singulas generatim, habentes sigillatim seniores principes propriosque mores, ex eo, quod seorsum vixerint, et iccirco alios ab aliis parentibus educatoribusque mores susceperint, quibus assueti sunt singuli ad Deos colendos seque ipsos curandos, modestiores quidem a modestis, a fortioribus fortiores, et in ceteris omnibus, prout singuli filios aut nepotes erudierunt, quorum ritus quasi leges proprias ad majorem habitationem ferunt. Meg. Quid prohibet? Athen. Atqui necesse est, leges suas cuique imprimis placere, aliorum vero leges loco secundo. Meg. Ita est. Athen. Sed videmur jam in ipsam quasi legum lationem clam incidisse. Meg. Utique. Athen. Post hæc necesse est, ut qui conveniunt, aliquos ex se ipsis communiter eligant, qui omnium instituta noverint, et quæ maxime ex his probaverint, ad communes quosdam populi duces, quasi reges, deferant. earum vero legum, quæ comprobatæ fuerint, ipsi latores nominabuntur : constituentesque optimatum gubernationem ex imperiis, aut regnum aliquod, in hac civilis disciplinæ mutatione

convivent. Meg. Ita certe convenienti successione continget. Athen. Tertiam itaque disciplinæ civilis figuram jam dicamus, in qua species omnes et affectus rerum publicarum et civitatum reperiuntur. Meg. Quænam ista est? Athen. Ea certe est, quam Homerus post secundam tertio factam ita significavit: *Dardaniam vero tunc terram ille ædificavit. nondum enim sacra Ilii mœnia erecta in campis stabant, multarum gentium civitas, sed ad radices montis Idæ fontifluæ habitabant.* [682] Profecto carmina hæc, et superiora illa de Cyclopibus divinitus et secundum naturam ipsam conscripta sunt. divinum enim poëtarum genus est: diis agitur, et sacros concinit hymnos. unde vera passim cum Musis atque Gratiis tangere solent. Meg. Summopere. Athen. Præstantem igitur fabulam prosequamur, forte enim aliquid ex ea patebit ex his, quæ volumus. an non sic oportet? Meg. Sic prorsus. Athen. Conditum igitur ex altioribus in magno pulchroque campo Ilium accepimus in colle quodam non alto, quo multi desuper ex Ida fluvii defluebant. Meg. Sic traditum est. Athen. An non longo post diluvium tempore id factum putamus? Meg. Quis non ita putarit? Athen. Magna igitur eos devastationis illius cepisse videtur oblivio, quando juxta multos fluvios et ab altioribus locis fluentes urbem condiderunt, seque ipsos collibus exiguis credidere unde perspicuum est, multis seculis eos post illuvionis vastitatem fuisse. Aliæ præterea multæ urbes, jam tunc longius propagato genere hominum, colebantur. Meg. Quidni? Athen. Quæ scilicet et adversus Ilion militarunt: atque per mare forsan, quasi jam omnes eo intrepide uterentur. Meg. Apparet. Athen. Decennio autem Achivi Trojam oppugnantes everterunt. Meg. Plane. Athen. In eo igitur decennio, quo Troja obsidebatur, multa mala domi obsidentibus Achivis propter seditiones juvenum acciderunt, qui nec honeste nec juste in sua redeuntes milites recepere, sed ita ut multi morte, multi exsilio afficerentur. qui rursus expulsi deducti sunt, Dori pro Achivis mutato nomine appellati, propter Doricum quendam, a quo exsules congregati et restituti fuerunt. atque hæc omnia vos, o Lacedæmonii, hinc enarratis. Meg. Procul dubio. Athen. Cum sermo nobis de legibus institutus esset, in disputationem de musica et ebrietate digressi sumus. nunc tandem, quasi divinitus, ad idem nobis oratio revoluta est, nobisque quodammodo ansas præbuit. ad eam enim civilem disciplinam delapsa est, quam et in Lacedæmonia et in Creta recte, [683] quasi fraternis legibus, institutam asseritis. tantum vero ex hac orationis digressione lucrati sumus, ut, dum per disciplinas civiles urbiumque habitationes transveheremur, primam et secundam et tertiam civitatem perspexerimus, alteram ab altera in tractu quodam longissimo temporis, ut nostra fert opinio, dependentem. nunc vero quarta hæc nobis civitas venit, aut, si vultis, quartum hoc hominum genus, quod et quandoque alicubi habitavit et nunc jam habitat. ex quibus omnibus si intelligere potuerimus, quid bene vel contra in habitatione sit institutum, et quænam leges ipsorum conservant ea quæ conservantur, et quæ corrupta corrumpunt, et qualis institutionum civilium commutatio beatam, o Megille et Clinia, efficit civitatem, satis nobis factum putabimus. hæc omnia, inquam, rursus, tanquam ab initio, nobis tractanda sunt: nisi forte aliquo pacto, quæ dicta sunt, respuamus. Meg. Si quis nobis, hospes, Deus polliceretur, quod si disputationem rursus de latione legum aggrederemur, neque pauciora neque pejora his, quæ dicta sunt, audiremus: longum ipse hac de causa iter facerem, et brevis mihi hæc dies videretur, quamvis ab æstivali solstitio ad hiemalia deus modo vertatur. Athen. Consideranda igitur ista videntur. Meg. Maxime. Athen. Illa itaque tempora cogitatione complectamur, in quibus Lacedæmon, Argi, Messeneque et eis conjuncta omnia majoribus vestris, Megille, subjecta fuerunt. tunc enim illud fabulæ ipsis, ut

dicitur, placuit, ut tripartito exercitu divisi, urbes tres habitarent, Argos, Messenen, Lacedæmonem. Meg. Sic factum. Athen. Et Argorum quidem rex Temenus factus est, Messenæ vero Cresphontes, Lacedæmonis autem Eurysthenes simul atque Patrocles. Meg. Sic utique. Athen. Jurarunt item omnes se illi repugnaturos, qui cujuspiam regnum devastare aggrederetur. Meg. Plane. Athen. Dic vero, per Jovem, nunquid regnum vel principatus aliquis deponatur, vel depositus quandoque ab aliis sit, quam a se ipsis? an paulo ante, cum in hunc sermonem incideremus, id ita esse putabamus, nunc autem obliti omnino sumus? Meg. Minime. Athen. Nonne idem magis nunc confirmabimus? ab historia enim rerum gestarum, in quam incidimus, ad hoc affirmandum ammonemur. quare non circa vanum aliquid orationem revolvemus, [684] cum rem gestam ac veram dicamus. facta vero hæc sunt: tria regna et tres gubernatæ regno civitates, legibus communiter de imperando parendoque positis, jurarunt invicem: reges quidem ne genere ac tempore progrediente violentius regnarent; populi autem, si reges jusjurandum conservarent, ne unquam regno deponerent, immo vero defenderent, si quis unquam aggrederetur. reges quoque regibus et populis, atque etiam populi populis et regibus, se mutuo propulsaturos illatas injurias conjurarunt. nonne ita? Meg. Ita prorsus. Athen. Quod autem in constituenda disciplina civili maximum est, id, sive reges sive alii leges tulerint, tribus illis civitatibus adfuit. Meg. Quid illud? Athen. Ut duæ simul contra unam insurgerent, quæ positas leges transgrederetur. Meg. Manifestum id quidem. Athen. Illud etiam legislatoribus multi præcipiunt, ut leges hujusmodi ferant, quales multitudo et populus libenter suscipiant: perinde ac si quis gymnasii magistris medicisve præciperet, ut cum voluptate corpora curent, eisque jucunde medeantur. Meg. Sic omnino. Athen. Satis tamen sæpius est, si quis parva cum molestia bonam habitudinem et sanitatem corporibus reddat. Meg. Quidni? Athen. Hoc præterea ipsis aderat non parvum ad ferendarum legum facilitatem. Meg. Quidnam? Ath. Non erat illarum legum latoribus, bonorum æqualitatem efficientibus, maxima illa difficultas, quæ convenientibus in unam legem civitatibus multis solet accidere, si agrorum quærant possessionem turbare et novas tabulas introducere, quoniam videant non satis posse absque his æqualitatem fieri. nam adversus eum, qui movere ex his aliquid tentat, omnes reclamant, ne moveat non movenda. agros quippe dividenti et novas tabulas introducenti aperte omnes maledicunt, ut quisque, quo se vertat, ignoret. Doris autem hæc difficultas turbatioque non fuit. nam agros abunde sine controversia possidebant, debitaque ipsis aëris alieni prisca et magna non erant. Meg. Vera narras. Athen. Quonam igitur, optimi viri, ita male constitutio illa et legislatio ipsis abivit? [685] Meg. Quo id pacto? quidve culpas? Athen. Quod ex tribus civitatum constitutionibus duæ cito et disciplinam civilem et leges perdiderunt, et vestra civitas una relicta est. Meg. Haud facile est, quod interrogas. Athen. Atqui opus est, ut id modo considerantes, disserentesque de legibus senili quodam modestoque joco, iter hoc, quemadmodum a principio diximus sine molestia conficiamus. Meg. Procul dubio faciendum est, ut dicis. Athen. An igitur pulchriorem de legibus considerationem habere possumus, quam de his legibus, quæ civitates hujusmodi exornarunt? aut etiam civitates ullas institutionesque honestiores ac majores his cogitare? Meg. Non facile quispiam his alias anteponat. Athen. Nemo autem ambiget, quin illi ita conjuncti non Peloponnessum tantum, verum etiam universam Græciam, si barbarus quispiam injuriam intentaret, defendere posse crediderint; Trojanorum exemplo commonitus, qui Assyriorum potentia freti, quæ a Nino traxit originem, bellum contra se concitarunt. erat enim adhuc princi-

patus illius non contemnenda potentia. quare, quemadmodum nunc regem nos magnum formidamus, ita gentium illarum conspirantium in unum potentiam tunc omnes expavescebant. Magnam vero adversus eas criminationem secunda Trojæ eversio præbuit. Assyriorum enim principatus particula quædam Trojæ potentia fuit. adversus igitur eam potentiam in tres divisus civitates exercitus a fratribus, Herculis filiis, tunc regnantibus, optime atque ornatissime factus videbatur, et multo melius instructus, quam qui Trojam obsedit. primum enim Herculidas excellentiores principes quam Pelopidas habere arbitrabantur: deinde hunc exercitum illi, qui Trojam petiit, virtute præstare, hos enim vicisse; illos ab istis fuisse superatos, a Doris Achivos. Nonne sic illos cogitasse, istaque de causa sic se præparasse credimus? Meg. Omnino. Athen. Verisimile igitur, [686] illos firmam quoque constitutionem hanc suam fore putasse, longumque tempus duraturam: præsertim quia multa pericula et labores una subierunt, et a fratribus regibus gubernabantur. nec non multis usi fuerant vatibus, tum aliis tum Apolline Delphico. Meg. Verisimile admodum. Athen. Hæc vero, quæ maxima fore existimabantur, brevi tunc, ut videtur, evanuerunt, præter parvam, ut modo diximus, partem, quæ vestram habitat regionem. hæc vero nunquam ad hunc usque diem a bello contra duas partes suscepto cessavit. nam si facta tunc constitutio concors mansisset, invicta profecto in bello fuisset. Meg. Cur non? Athen. Quomodo igitur et qua ratione dissoluta est? nonne consideratione dignum est, quænam fortuna tantam ac talem constitutionem evertit? Meg. Nunquam profecto aliud considerans quispiam, vel leges vel res publicas alias, intelligere poterit, quibus pulchræ magnæque res serventur, vel contra perdantur, si ista neglexerit. Athen. Feliciter ergo in sufficientem hanc considerationem incidisse videmur. Meg. Summopere. Athen. Nunquid ergo noster nos omnes latet error, et in præsentia maxime, dum putamus singularem quandam perspicere rem, quam mirabiles sequentur eventus si quis bene illa uti modo debito non ignorabit? nos autem modo neque recte forsan, neque secundum naturam, de hoc ipso sentimus: et alii omnes in omnibus errant, de quibus similiter cogitant? Meg. Quid ais? et qua de re istud maxime dicis? Athen. Ipse me, o bone vir, nunc certe derisi. cum enim illum exercitum, de quo modo sermo habitus est, considerassem, egregius profecto atque mirandus mihi visus est, et præclara quædam facinora Græcis gesturus, si quis tunc ipso bene usus fuisset. Meg. An non prudenter et tu cuncta dixisti? et nos probe laudavimus? Athen. Fortasse. puto tamen omnes, qui magnum aliquid et ingenti potentia præditum viderint, statim sic affici, ut opinentur, si sciret, qui ipsum possidet, tanta re talique uti, multis præclarisque inde rebus gestis felicem fore. [687] Meg. Nonne et hoc rectum? vel quomodo dicis? Athen. Considera jam, quorsum respiciens, qui sic laudat singula, recte dicat. ac primum, de quo dicebamus, quo pacto, si recte scivissent exercitum ordinare, qui tunc præfuerunt, feliciter usi occasione fuissent? nonne, si tutiorem illo tempore constituissent, semper servassent, ita ut et ipsi liberi essent et alios, quos vellent, subjugarent? atque omnino et ipsi et eorum posteri tam apud Græcos quam apud barbaros, quicquid cuperent, consequerentur? an non omnia hujus gratia cupiebant? Meg. Immo etiam valde. Athen. Quicunque igitur, cum divitias ingentes perspexerit aut honores generis excellentes aut aliquid ejusmodi, eadem ipsa dixerit, ad hoc respiciens dicet, quasi per hoc ipsi futura sint omnia, quæ desiderat, vel plurima atque potissima. Meg. Ita videtur. Athen. Una certe omnium hominum communis quædam cupiditas est, quam præsens sermo significavit. Meg. Quænam? Athen. Ut secundum animi sui desiderium omnia vel saltem humana gerantur. Meg. Cui dubium?

Athen. Quando omnes semper hoc volumus, et in pueritia et adulta ætate et senio, sedulo id procul dubio habere precamur. Meg. Utique. Athen. Amicis etiam hæc precamur, quæ ipsi quoque sibi precarentur. Meg. Et hoc. Athen. Amicus autem filius patri, cum puer sit, viro. Meg. Profecto. Athen. Atqui eorum, quæ puer contingere sibi precatur, multa pater, ne accidant, deprecatur. Meg. An id fieri dicis, quando juvenis est et amens filius qui precatur? Athen. Immo etiam quando pater sive senex sive admodum juvenis, cum nec honestorum neque justorum quicquam cognoscat, sic affectus, ut Theseus ad infelicem Hippolytum, impensius imprecatur; filius autem cognoscit: putasne tunc filium cum patre eadem oraturum? Meg. Intelligo, quod dicis. dicere enim mihi videris non esse precandum conandumque, ut voluntatem nostram cuncta sequantur: sed ut prudentiam nostram voluntas. idque tam civitati quam singulis precibus petendum, studendumque ut mentem habeant. [688] Athen. Idque prorsus, inquam. quin etiam, quod civilis vir legumque lator ad hæc semper respiciens leges ferre debent, et ipse recordatus sum et vos nunc recordari volo. nempe vos in disputationis principio dicebatis probum legumlatorem ad bellum omnia referre debere. ego autem dicebam ad unam solummodo virtutem, cum tamen sint quatuor, id respicere: respiciendumque non ad unam tantum, sed omnes, maxime vero ad primam, quæ et ceterarum omnium dux est. hæc vero prudentia est et intellectus et opinio, una cum amore et cupiditate ista sequente. eodem jam oratio nostra revertitur: et ego, qui tunc ea dicebam, eadem nunc etiam dico, sive joco vultis sive serio. assero equidem non esse tutum, voto uti et ad votum consequi, si mentem non habeas; sed contraria eorum evenire, quæ petis, satius esse. Si serio dicta hæc existimare vultis, existimate. spero enim nunc vobis persuadere, quod paulo ante proposuimus, perditionis regum totiusque constitutionis illius dissolvendæ causam non timiditatem fuisse, nec rei militaris ignorantiam seu principum sive subditorum; sed universam reliquam pravitatem, et præsertim circa humanarum rerum maximas ignorantiam. quod hæc tunc ita contigerint, et nunc, sicubi fiant aut futura quandoque sint, non aliter eveniant, conabor, ut ratio deinceps ostendet, adinvenire, vobisque tanquam amicis pro viribus explanare. Cli. Verbis te, hospes, laudare molestum: re autem valde laudabimus. libenter enim tua dicta suscipiemus; qua in re liberalis quædam laus est, quæ non maxime patet. Athen. Optime tu quidem, Clinia. quare, quod ais, efficiamus. Cli. Erit ita, si Deus voluerit. tu modo dic. Athen. Censemus ergo: per sequentem disputationis hujus viam deinceps progredientes, maxima tunc ignorantia potentiam illam fuisse perditam: similesque rerum eventus et nunc eadem ex causa proficisci. quapropter si hoc ita se habet, legislator conari debet prudentiam, quoad fieri potest, civibus dare, ignorantiam quam maxime auferre. Cli. Manifestum id quidem. [689] Athen. Quænam igitur maxima inscitia jure dicetur? considerate si mihi assentimini. ego enim hanc censeo. Cli. Quam? Athen. Quando aliquis, quod honestum sibi aut bonum videtur, non amet sed oderit: quod autem malum atque injustum, id diligat atque amplectatur: hanc voluptatis dolorisque dissensionem adversus eam, quæ rationem sequitur, opinionem, extremam esse inscitiam assero: quam etiam maximam dico, quia in multitudine animi est. quod enim in eo doloribus voluptatibusque mancipatum est, quasi plebs civitatis est atque multitudo. quando igitur scientiæ vel opinioni vel rationi, quæ natura dominantur, animus adversatur, hoc ego ignorantiam appello: et civitatis quidem, quando principibus legibusque multitudo non paret: et unius etiam viri, quando, licet bonæ in animo rationes sint, nihilo tamen magis secundum ipsas agitur, sed contra omnia peraguntur. has equidem ignorantias pernicio-

sissimas esse assero civitatis cujuslibetque cives : non autem opificum ignorantias ; si modo, quod dico, hospites, intelligitis. Cli. Et intelligimus, o amice, hæc et concedimus. Athen. Hoc itaque ratum habeatur, quod civibus, qui hoc modo ignorant, nihil ad principatum pertinens committendum sit : immo vero, ut ignorantes, improbandi, etiamsi acutissimi et disertissimi sint, et quæ ad ornamentum et acumen ingenii spectant, cuncta complexi. qui vero contra affecti sunt, sapientes habendi, etiamsi neque literas, ut dicitur, noverint neque natare sciant : magistratus quoque istis, quasi prudentibus, committendi. quomodo enim, o amici, vel minima prudentiæ species sine consensu consistere poterit ? Cli. Nullo modo. Athen. At vero pulcherrimus maximusque consensuum omnium maxima jure sapientia esse dicetur. cujus quidem particeps sit necesse est, qui secundum rationem vivere debet. quisquis autem expers est, et suæ domus eversor et civitatis nunquam servator, sed contra omnino ad hæc semper ignarus esse videbitur. hæc igitur, ut paulo ante diximus, ita se habeant. Cli. Ita prorsus. Athen. Imperantes vero et parentes nonne in civitatibus esse debent ? Cli. Utique. [690] Athen. Esto. rationes autem pro dignitate imperandi atque parendi quales sunt et quot tam in civitatibus magnis et parvis, quam privatim in domibus similiter sunt ? nonne prima dignitatis recta ratio erit, ut pater ac mater et simpliciter genitores ubique natis imperent ? Cli. Maxime. Athen. Secunda, ut ignobilibus generosi ? tertia, ut junioribus seniores ? Cli. Et hoc. Athen. Quarta, ut domini servis ? Cli. Procul dubio. Athen. Quinta, ut potentiores dominentur, imbecilliores serviant ? Cli. Principatum modo dixisti admodum necessarium. Athen. Immo vero qui plurimus, et secundum naturam, ut Thebanus Pindarus ait, in omnibus animalibus reperitur. maxima vero dignitas sexto collocanda est, qua ignorantes quidem sequi jubentur ; prudentes autem ducere atque dominari. quod ego quidem imperium, o sapientissime Pindare, non præter naturam, sed secundum naturam legis, et sponte susceptum, non violenter fieri, affirmarem. Cli. Probe dictum. Athen. Septimum principatum ad sortem aliquam producamus, eum Dei gratia et felicitate quadam obtingere asserentes : et justissimum esse ducamus, ut is, quem sors delegerit, imperet ; ille vero, quem repulerit, pareat. Cli. Vera narras. Athen. Dicemus ergo joco quodam ad aliquem eorum, qui facile ferendarum legum munus aggrediuntur : an vides, o legumlator, quot circa imperantes dignitates considerantur, et quomodo inter se oppositæ sunt ? profecto nunc fontem aliquem seditionum invenimus, a quo tibi cavendum est. primum igitur nobiscum diligenter considera, quidnam et quomodo præter hæc male agentes Argorum Messenæque reges se ipsos simul et Græcorum potentiam, quæ tunc mira erat, everterunt. nonne, quia rectissime dictum ab Hesiodo ignorarunt, *Dimidium nonnunquam plus esse quam totum?* quando videlicet totum comprehendere noxium est, dimidium vero moderate se habet, tunc sane moderatum immoderato plus esse censuit, utpote deteriore melius. Cli. Rectissime. Athen. Utrum regibus hoc perniciosum inesse prius quam plebi credimus ? [691] Cli. Probabile est regum maxime hunc morbum esse, qui superbe propter delicias vivunt. Athen. Perspicuum igitur hoc primum reges eos habuisse, quod plus quam positæ leges posse voluerunt, nec in eo concorditer permanserunt, quod verbis et jurejurando laudaverant. verum dissensio, ut nobis videtur, quæ, cum maxima ignorantia sit, sapientia tamen apparet, ea omnia propter errorum et amaram inconcinnitatem evertit. Cli. Videtur. Athen. Quid igitur hoc de morbo timentem oportuit legislatorem cavisse ? an per Deos neque sapientiæ laudem habet nunc hujus agnitio, neque difficile dictu ? si quis autem id tunc prævidisset, certe is nobis

sapientior exstitisset. Cli. Quid illud dicis? Athen. Licet nunc, Megille, quod olim a nobis factum est, animadvertere, atque inde rem ipsam cognoscere; faciliusque ita, quod tunc fieri oportuit, dicere? Meg. Dic planius. Athen. Ita certe apertissimum fiet. Meg. Quonam pacto? Athen. Si quis minoribus majorem potentiam, neglecta mediocritate præbuerit, vela navibus, cibum corporibus, animis principatus, omnia pervertuntur. nam supra modum elata lasciviunt: et alia quidem in morbos incidunt, alia in injuriam, elatioris lasciviæ filiam. quid itaque dicimus? nonne hoc? quod nulla est, o dilecti viri, animæ humanæ natura, quæ si junior sit, et nulli referendæ rationis jure subjecta, possit principatum inter homines maximum ita ferre, quin ignorantia, morbo extremo, mentem occupante a proximis amicis odium consequatur: quod ita factum cito, ipsum corrumpit, omnesque vires ejus deponit. hoc autem cavere mediocritatis ipsius observatione, excellentium legumlatorum opus. quod igitur tunc factum, facile modo perspectu est: hoc esse videtur. Meg. Quidnam? Athen. Deus quispiam, ut arbitror, vestri curam habuit; qui, cum futura præsciret, geminam vobis ex unica regum generationem constituit, atque ita ad mediocritatem magis contraxit. præterea natura quædam humana, viribus divinis conjuncta, tumentem vestrum perspiciens principatum, moderatas vires eorum, qui in judiciali foro versantur, superbæ nobilitatis potentiæ junxit, [692] viginti et octo senum sententia in rebus maximis regum potentiæ adæquata. ad hæc tertius servator affuit, qui luxuriantem adhuc et frementem considerans principatum, ephororum censura proxime ad potentiam sorte electam conducta, quasi frenum ipsi immisit. hac igitur ratione regnum vestrum, ex quibus decebat compositum, et moderate constitutum, et ipsum quidem servatum est, et salutis aliorum causa fuit: alioquin Temeno et Cresphonte ceterisque, qui leges eis condiderunt, quicunque fuerint, nec factio quidem ipsa Aristodemi servata esset. neque enim satis erant ferendarum legum periti: quoniam, si fuissent, nunquam juvenilem animum accepto principatu, unde tyrannis fieri poterat, jurejurando se moderaturos existimassent. nunc autem Deus ostendit, qualem oportebat oportetque potissimum constitui principatum. quod quidem a nobis intelligi, postquam factum est, ut dixi antea, nihil mirum. non enim arduum est videre, si exemplo commoveris. at si quis id tunc prospexisset, moderarique principatus et unum ex tribus perficere potuisset, magnificas omnes eorum cogitationes servasset: nec Persica classis nec alia nulla unquam contemptis nobis, ut nulla re dignis, in Græciam navigasset. Cli. Vera narras. Athen. Turpiter ergo illis repugnarunt, o Clinia. turpiter autem dico, non quia qui tunc terra marique vicerunt, minus quam deceret fortiter pugnando se gesserint: sed turpe illud inquam, quod una de tribus illis civitatibus pro Græcia decertavit: duæ autem ita depravatæ fuerunt, ut altera Lacedæmonem quoque, ne succurreret, prohiberet, non parvo ipsi bello illato; altera Argivorum, quamvis prima illis distributionis temporibus in Græcia esset, tamen ad depellendum barbarum accersita nec orantes audire voluit neque defendit. multa referre possem, quæ ea tempestate in Græcia facta ut turpia possunt accusari. neque, qui Græciam se defendisse dicunt, vere dicunt. [693] nisi enim Atheniensium Lacedæmoniorumque commune consilium atque potentia imminentem servitutem propulisset, ferme jam omnia confusa essent, et Græca cum Græcis invicem, cum Græcis item barbara, Græcaque cum barbaris: quemadmodum Græca illa, quæ nunc Persarum tyrannidi subjecta sunt, sine ordine ullo confusa sunt invicem ac male etiam dissipata. hæc habemus, o Clinia et Megille, quæ tam priscis viris civilibus legumque latoribus quam junioribus opponamus, ut causas eorum rimantes, quid præter hæc aliud fuerit agendum, inveniamus: quale est,

quod nunc exposuimus, quod videlicet non oporteat magnos merosque principatus constituere, illud semper memoria tenentes, quod liberam civitatem et prudentem et sibi ipsi amicam esse oportet. ad quæ respiciendum est illi, qui leges laturus est. ne miremini autem, si sæpe jam alia quædam proposuimus, ad quæ sit legum latori respiciendum, quæ quidem non eadem esse atque hæc appareant. sed meminisse oportet, quando ad temperantiam vel prudentiam vel amicitiam respiciendum dicimus, non aliam atque aliam, sed eandem nobis esse intentionem : ac si multis etiam aliis hujuscemodi verbis utemur, ne turbemini. Cli. Conabimur ita facere, verba ordine repetentes. sed nunc expone, quod dicturus eras, quando amicitiam, libertatem prudentiamque spectare legumlatorem debere dicebas. Athen. Audiatis modo. Duæ gubernationum civilium quasi matres quædam sunt, ex quibus si quis alias dixerit originem ducere, recte utique dicet. quarum alteram principatum unius, alteram populi appellare decet. alterius quoque summum tenere Persarum genus, alterius nos putandum. cetera vero ferme omnes hinc, ut dixi, variæ componuntur. necesse est autem harum utrarumque participem fore civitatem, si libertas in ea atque amicitia futura sit. quod quidem ratio præcipere nobis vult, cum dicit civitatem horum expertem bene gubernari nunquam posse. Cli. Quo enim pacto ? Athen. Cum igitur altera monarchiam, unius scilicet principatum ; altera libertatem dumtaxat, magis quam oportuerit, complexa sit; neutra mediocritatem servitutis libertatisque servavit : vestræ autem, Laconica dico et Cretica, magis. sed Athenienses ac Persæ quondam hoc fere pacto, [694] nunc vero minus. sed causas quoque dicemus, an non ? Cli. Omnino, si modo, quod propositum est, absolvere cupimus. Athen. Audiamus ergo. Persæ quidem, quando Cyri tempore servitutis libertatisque mediocritatem magis habebant, primum ipsi liberi fuerunt, deinde multos alios subjecerunt. nam cum principes ipsi libertatem subditis impertirent et rem ad æqualitatem magis reducerent, milites ducibus magis erant amici, paratosque se in periculis exhibebant. ac si quis inter eos prudentior erat consilioque valebat, cum rex invidus non esset, sed libere dicendi facultatem omnibus daret honoraretque consilii compotes, facultatem prudentiæ communem in medium deducebat. cuncta igitur tunc illis libertate, amicitia mentisque communione facilia reddidit. Cli. Videntur hæc, ut dicuntur, ita gesta fuisse. Athen. Quo pacto igitur Cambysæ tempore regnum id fere cecidit, et rursus Darii tempore restitutum est ? vultisne, ut quasi divinatione usi dicamus ? Cli. Quidni velimus ? confert enim hoc ad illud, quo tendimus. Athen. Ita igitur de Cyro vaticinor, in ceteris quidem ipsum et ducem bonum et civilis vitæ amicum fuisse, rectam vero disciplinam nullo pacto attigisse, nec ad rei familiaris administrationem animum unquam applicuisse. Cli. Cur ita ? Athen. A juventa per totam vitam militia occupatus mulieribus filios tradidit educandos : quæ ipsos ut felices statim pueros atque beatos, nullius indigentes rei, sic educabant, ut prohiberent, ne quis eis, utpote beatis, aliqua in re adversaretur ; cogentes omnes, quicquid ipsi dicerent aut facerent, laudare. ita ipsos tales quosdam educaverunt. Cli. Bellam certe educationem narrasse videris. Athen. Femineam nempe, quam induxerunt regiæ mulieres, novis elatæ divitiis desertæque a viris bello et periculis occupatis. Cli. Consentaneum id quidem. Athen. Pater vero ipsorum, ovium, hominum multorumque aliorum, quorum ad eos spectabat possessio, greges multos habebat : sed ignoravit, quod filii, quibus hæc relicturus erat, [695] paternam ipsam Persicamque artem non docebantur, cum Persæ pastores essent, in regione aspera geniti, et ipsa ars Persica dura esset, sufficiensque robustos eos pastores efficere, qui et custodias agere et vigilare possent, et militare, si res

postularet. permisit autem, ut mulieres et eunuchi Medorum ritu filios ejus nutrirent : quorum educatio ab ea, quæ vulgo existimatur felicitas, corrupta est. unde tales evaserunt, quales fieri conveniebat eos, qui in summa rerum licentia nutriti fuissent. Cum igitur, mortuo Cyro, rerum potiti sunt, utpote qui resolutis deliciis nutriti essent, primum alter, æqualitatem non ferens, alterum interfecit : deinde ipse, ignorantia ebrietateque furens, principatum perdidit. Medi enim, ac quidam Eunuchus tunc dictus, ipsum quasi amentem contempserunt. Cli. Sic fertur, atque ita ferme contigisse videtur. Athen. Atqui et hoc fertur, per Darium septemque illos viros principatum in Persas iterum rediisse. Cli. Plane. Athen. Inspiciamus igitur, rationem sequentes. Darius nec regis erat filius nec in deliciis enutritus. is cum ad principatum pervenisset septimusque ipsum accipisset, septem in partes ipsum partitus est, quarum hodie adhuc parva quædam somnia restant : censuitque vivendum esse sub legibus ad communem quandam conferentibus æqualitatem : atque id ita sanxit, distributionemque illam, quam Cyrus Persis pollicitus fuerat, lege complexus est, amicitiam communitatemque Persis omnibus præbens ac Persarum populum pecuniis et muneribus attrahens. ita dilectus a militibus non pauciores, quam Cyrus reliquit, regiones ipse subjugavit. post Darium Xerxes, qui regiis est deliciis quidem educatus. sed te nunc jure appello, Dari, qui Cyri malo communitus non fuisti, sed in eisdem Xerxem moribus educasti, in quibus Cambysem Cyrus nutriverat. ipse igitur, utpote imbutus alimonia, similia quoque perpessus est. ex illo tempore nullus unquam ferme Persarum rex magnus nisi nomine fuit. neque fortunam fuisse causam arbitror, sed vitam malam, [696] qua filii valde divitum tyrannorumque ut plurimum vivunt. nunquam enim puer et vir et senex ex hujusmodi vita virtute præstans evadere poterit. quæ quidem et legumlatori consideranda et nobis in præsentia animadvertenda censemus. atqui et vobis par est, o Lacedæmonii, id tribuere, quod paupertati, divitiis, regno, privatis nullos excellentes honores munerave præbetis, quæ vobis ab initio Dei alicujus oraculo dicta non sint. neque oportet in civitate excellentes cuiquam conferre honores, quia divitiis præstet, aut quia velox aut formosus aut robustus sit, si virtute careat : sed neque etiam si virtutem aliam habeat quandam, temperantiam vero non habeat. Meg. Quo pacto id, hospes, ais ? Athen. Nonne fortitudo una quædam pars virtutis est ? Meg. Est. Athen. Tu ipse igitur, cum audieris, judicato. vellesne vicinum aut domesticum quempiam habere, fortem quidem maxime, minime vero temperatum, quinetiam impudicum ? Meg. Dii meliora. Athen. An vero artium quidem multarum peritum et in his sapientem, sed injustum ? Meg. Nullo modo. Athen. At vero justitia sine temperantia originem habere nullam potest. Meg. Quomodo enim aliter ? Athen. Sed neque etiam ille, qui modo sapiens a nobis dictus est, quod voluptates atque dolores rectæ rationi concordes et obsequentes habeat. Meg. Non certe. Athen. Id præterea consideremus, ut, quomodo inter cives honores recte vel non recte distribuantur, inspiciamus. Meg. Quidnam ? Athen. Temperantia si ab omni alterius virtutis genere in alicujus animo destituta sit, honorandane jure est an contra ? Meg. Non habeo, quid respondeam. Athen. Modeste satisque responsum est. alterutro enim illorum concesso, inconcinne, ut arbitror, respondisses. Meg. Bene igitur factum est. Athen. Esto. nempe accessio ipsa, et honores et obprobria, non dictu sed silentio potius irrationabili digna erunt. Meg. Temperantiam dicere mihi videris. Athen. Hanc ipsam dico. quod igitur ex aliis nobis prodest plurimum, si cum additione maxime honoretur, rectissime honorabitur : et quod secundo

loco prodest, secundo honorandum. atque ita secundum successionis rationem, si quodlibet honores, qui deinceps ordine sequuntur, nanciscatur, recte utique nanciscetur. Meg. Est ita. [697] Athen. Quid porro? an hæc quoque a legislatore distribuenda esse dicemus? Meg. Maxime. Athen. Visne partitionem cunctorum in opera singula et minima quæque illi relinquamus? tripartitam vero divisionem, quoniam et ipsi legum quodammodo studiosi sumus, teneamus: maxima et media et minima invicem secernentes? Meg. Summopere. Athen. Oportere itaque dicimus civitatem, quæ pro humanis viribus salva felixque futura sit, recte honores et obprobria distribuere. recta autem distributio est, ut prima et maxime honoranda conseantur animi bona, si adjuncta illis temperantia sit. secundo dignitatis gradu corporis bona ponantur: tertio externa possessio et pecuniæ. hæc si quis legislator civitasve transgreditur, vel pecunias præ ceteris honorando vel posterius aliquid honore prius collocando, neque sancte neque civiliter faciet. rata hæc nobis habenda? an quomodo? Meg. Prorsus quidem. Athen. Hæc latius dicere nos induxit Persicæ gubernationis consideratio. Invenimus autem eos pejores adhuc factos esse. causamque esse ducimus, quia nimium populi libertate sublata dominandique potestate magis quam oporteret adaucta, societatem in civitate et amicitiam sustulerunt. quibus corruptis principes quoque non subditis ac populo, sed proprio imperio consulunt. quin etiam sæpe exigui sui commodi gratia funditus everti civitates gentesque amicas igne absumi non curant. ita hostiliter et absque misericordia oderunt, et odio similiter habentur. ac si quando opus sit, ut pro eis populi pugnent, nullum rursus communem in ipsis consensum inveniunt, ut velint ex animo subire pericula et pro principibus dimicare: sed cum innumeris pæne hominibus dominentur, inutiles tamen omnes habent ad bellum: et, tanquam hominum indigentes, alios mercede conducunt, per mercenarios extraneosque milites salvos se fore putantes. Præterea et insanire coguntur, [698] cum re ipsa prædicent nugas esse ea, quæ in civitate honesta esse et honoranda dicuntur, si ad argentum et aurum conferantur. Meg. Ita fit. Athen. Sed de rebus Persarum, quod propter nimiam dominationem servitutemque non recte modo se habeant, jam satis sit dictum. Meg. Omnino. Athen. Atticam deinceps gubernationem similiter percurrere decet, ut pateat, quemadmodum libertas nulli subdita magistratui non paulo deterior est quam illa, quæ mediocritatem magistratuum dominatione consequitur. Nobis enim tempore, quo Persæ Græciam, immo universam pæne Europam aggrediebantur, prisca quædam erat res publica, et magistratus aliqui ex censu quadrifariam diviso erant: pudorque inerat, quasi dominus, cujus causa legibus subjecti vivere volebamus. præterea magnitudo terrestrium maritimarumque copiarum usque adeo nos exterruit, ut observantius nos legibus et magistratibus obsequi et obedire coëgerit. quibus de causis major inter nos exorta est benivolentia. ferme namque decennio ante, quam bellum navale in Salamina gestum sit, Datis ipse, a Dario missus, classem Persicam in Athenienses Eretriensesque duxit: cui mors a Dario, nisi has gentes ditioni suæ subjiceret, est indicta. Datis igitur ipse Eretrienses brevi tempore innumerabili militum copia penitus expugnavit: terribilisque inde rumor ad urbem pervenit nostram, neminem Eretriensium effugisse: sed manibus invicem milites junctis, atque ita universa regione Eretriensium circumdata, omnes penitus comprehendisse. hic rumor, seu verus sive non, cum ceteros Græcos tum vel maxime Athenienses perterruit. quibus, cum universam Græciam passim legationibus missis ad opem ferendam cohortarentur, nemo præter Lacedæmonios auxiliari voluit. et isti quidem, seu bello, quod ad-

versus Messenen gerebant, impediti, sive alia quadam causa, non enim scimus, sequenti post pugnam Marathonicam die opitulaturi venerunt. post hæc magna in dies parare multaque minari rerum dicebatur. interea Darius naturæ cessisse nuntiatur, ac filius ejus, atrox juvenis, imperium accepisse, nec a cœptis paternis desistere velle. [699] cujus apparatus omnes in se converti Athenienses propter Marathonicam stragem credebant. porro audientes defodi Athon, conjungi Hellespontum, classis immensam magnitudinem cumulari, nec mari nec terra salutem sibi fore putabant: præsertim quia in nullius præsidio confidebant, quippe qui memoria tenerent neque tunc, cum primo illorum ingressu capti Eretrienses fuerant, quemquam sibi opem ferre et pro eorum salute subire periculum voluisse. idem igitur tunc terra sibi eventurum putarunt. mari vero nullam prorsus salutem inveniebant, cum naves plus quam mille adveherentur. unam vero salutem, quamvis tenuem dubiamque, solummodo videbant. nam cum respicerent, quæ antea gesta fuerunt, et quod desperata salute tamen vicerunt: hac spe evecti in se ipsis ac Diis tantum invenerunt sibi refugium fore. hæc igitur omnia eos majori inter se benivolentia copularunt, præsens, inquam, metus, et qui a legibus jam pridem inerat, quem servientes legibus assecuti sunt. hunc sæpe pudorem in superioribus nominavimus: cui servire omnes oportere diximus, quicunque boni futuri sunt: quo quisquis afficitur, liber est et interritus. ac nisi præsens ille metus pudori huic junctus fuisset, nunquam ex hujusmodi concursione illi provocati et una convenientes, Deorum templa, majorum sepulcra, patriam ipsam ceterosque familiares atque amicos defendissent, ut fecisse narrantur: sed sparsi alius alio abiissent. Meg. Probe, hospes, ac sicut te patriamque decet, dixisti. Athen. Vera hæc sunt, o Megille. nam quæ tunc gesta sunt, ea par est tecum, qui parentum naturam servas, referre. sed et tu et Clinias attente considerate, si, quæ ad legumlationem pertinent, dicimus. neque enim confabulandi gratia hæc enarro. cujus autem gratia ista dico, inspicite: ut scilicet videamus idem nobis ac Persis quodammodo accidisse, dum illi quidem in omnem servitutem plebem traherent, nos contra in meram libertatem. quomodo vero et quid deinceps dicamus, habita jam verba et commode dicta quodammodo demonstrant. [700] Meg. Probe loqueris. sed conare, quod modo dicebas, apertius eloqui. Athen. Faciam. non erat, o amici, apud nos ex veteribus legibus alicujus rei plebs domina, sed sponte quodammodo legibus serviebat. Meg. Quibus legibus? Athen. Illis, inquam, quæ de musica positæ fuerunt, ut incrementum vitæ nimium liberæ a principio repetamus. distincta enim nobis tunc per species et figuras erat musica. fuitque una species cantus ad Deos precibus placandos, quos hymnos vocabant. huic altera cantus continua species. querulos hos cantus quis maxime appellaret. alia species Pæon. alia Dionysii generatio, quam Dythirambum arbitror appellatam. erat et alia cantus species, quam leges citharœdicas nominabant. his itaque aliisque quibusdam lege statutis, non licebat alio genere cantus pro alio abuti, auctoritas autem cognoscendi hæc judicandique et damnandi, si quis contra fecisset, nec sibilo nec ineptis clamoribus multitudinis, ut modo, tribuebatur: nec rursus laudandi licentia plaudenti strepentique turbæ, sed præstantibus in doctrina viris id erat concessum: dabaturque ipsis ad finem usque magno cum silentio audire. adolescentes autem, pædagogi et plebs universa castigatione virgæ ammonebantur. hæc cum ita ordine fierent, multitudo civium libenter parebat, nec audebat tumultuose quicquam judicare. tempore deinde procedente principes quidem transgressionis a musica alienæ poëtæ ipsi fuerunt: qui natura quidem poëtici erant, sed, quid justum atque legitimum in musa, non satis intelligebant: debacchantes

utique, et voluptati magis quam oportuerit indulgentes hi sane et lugubria hymnis et dithyrambis pæonas conjunxerunt, tibiarumque sonos et cantus citharæ cantibus imitati sunt, omnibus omnia commiscentes. qui et præter sententiam ex inscitia contra musicam mentiti sunt, asserentes eam quidem nullam rectam in se normam habere, sed audientis voluptate, sive probus ille vir sit seu contra, rectissime judicari. cum igitur hujusmodi poëmata componerent et talia vulgo dicerent, iniquam adeo et audacem adversus musicam multitudinem effecerunt, ut se sufficientes sententiam pronunciare de musica crederent. hinc spectacula frequenter exclamare cœperunt, cum silere antea consuevissent, [701] quasi quid pulchrum in Musis, quid non, acute sentirent : atque ita ex optimatum potestate in pravam theatri potentiam res ipsa desiluit. si enim popularis potentia solum liberorum hominum exstitisset, nullum utique ingens malum fuisset. nunc autem ex musica nobis incepit omnium ad omnia opinio sapientiæ, prævaricatioque secuta est, et libertas. intrepidi enim erant, quasi scientes : hæc licentia impudentiam peperit. nempe si melioris opinio propter audaciam non timetur, id ipsum pæne perniciosa est impudentia, quæ a libertate quadam temeraria proficiscitur. Meg. Verissima loqueris. Athen. Hanc libertatem ea licentia sequitur, quæ facit, ne magistratibus subesse velimus. ex hac originem habet et illa, per quam patris matrisque et seniorum servitutem et præcepta contemnimus. cumque prope transgressionis hujus extremum simus, legibus quoque parere recusamus. in ipso autem extremo jusjurandum, fidem et omnino Deos negligimus. unde ad priscam illam tyrannicamque revoluti naturam eadem illa iterum patiemur, duraque secula rursum degemus, nec malorum finem ullum reperiemus. sed cur hæc nobis dicta sunt, repetendum mihi videtur, ut oratio, quasi equus, retrahatur ; ne si os effrenatum, dicendi concita impetu ab asino, ut proverbio ferunt, excutiatur. interrogandum est igitur, cujus causa hæc dicta sunt. Meg. Est utique. Athen. Hæc ergo illorum gratia diximus. Meg. Quorum ? Athen. Diximus nempe, ad tria quædam esse latori legum respiciendum, ut civitas, quæ legibus instituitur, libera sit, sibi ipsi amica, et mentem habeat. hæc dicta sunt ? an non ? Meg. Dicta prorsus. Athen. Propterea duas gubernationum species in medium adduximus : unam ; in qua arctissima servitus ; alteram, in qua resoluta libertas : consideravimusque, utra recte gubernaretur. perspeximus autem, mediocritate alteri dominandi, alteri libertatis addita, feliciter nimium utrasque se habuisse : infeliciter vero, cum servitus in altera, in altera libertas ad extremum usque percrevit. [702] Meg. Vera narras. Athen. Atqui hujus quoque ipsius gratia Dorici exercitus constitutionem consideravimus, et radices montium Dardani habitationemque maritimam, primos præterea illos, qui a vastitate diluvii relicti fuerant : horumque causa de musica et ebrietate, deque prioribus etiam habita nobis oratio est. hæc enim omnia ob eam causam dicta sunt, ut intelligamus, quomodo optime gubernari civitas possit : et quo privatim quisque optime suam vitam disponat. sic vero quicquam contulimus, quænam nobis ipsis adversus nos, o Megille et Clinia, redargutio erit ? Cli. Ego, hospes, mihi videor nonnihil inspicere. secunda quippe fortuna superiora omnia nobis dicta videntur. his enim ego quodammodo indigebam : quocirca oportune ambo, tu, dico, et Megillus iste me reperistis. neque celabo vos, quod mihi accidit. quasi enim augurio his sermonibus confirmatus sum. maxima profecto Cretensium pars coloniam mittere quandam cogitat, ac Gnosiis ejus rei curam committit. Gnosiorum vero civitas mihi aliisque novem viris id mandat curandum. leges autem ponere jubet : et quæ nobis ex Cretensibus placeant et quæ aliunde colligi possint, edicitque nobis, ne peregrinas

leges horreamus, modo probentur. nunc igitur et mihi et vobis hanc gratiam præbeamus : collectis undique legibus, oratione condamus ab initio civitatem. sic enim et illud, quod a nobis quæritur, diligentius considerabitur, et mihi forsitan disputatio hæc ad futuræ civitatis constitutionem conferet. Athen. Non bellum indicis, o Clinia. quare, nisi id Megillo incommodum, mea quidem pro viribus tibi parata sunt. Meg. Probe dicis. ego quoque paratus sum. Cli. Optime ambo dixistis. quare conandum est primum oratione civitatem condere.

LIB. IV.

[704] Age jam, quamnam fore civitatem cogitare debemus? neque vero nunc de præsenti ejus nomine aut de futuro interrogo. id enim forsan aut coloniæ auctor dabit aut locus ; vel etiam fluvii aut fontis aut Deorum, qui in ea regione sunt, alicujus civitatem novam suo cognomine nuncupabit. sed illud potius quæro, utrum maritima erit an mediterranea? Cli. Distat fere, hospes, a mari hæc, de qua loquimur, civitas, stadiis octoginta. Athen. Portus vero suntne prope? an mare illud penitus importuosum? Cli. Portuosa est, hospes, ea regio, quam maxime fieri potest. Athen. Heu, quid ais? ager autem ille fert omnia? an aliquorum indigus? Cli. Fert pæne omnia. Athen. Civitas vero aliquane illi proxima? Cli. Non valde : atque iccirco habitatores illuc conducere cogitamus. prisca enim quadam hominum inde facta propulsione, magno temporis spatio jacet regio desolata. Athen. Quoad campos autem montesque et silvas pertinet, quo pacto disposita est? Cli. Similis est reliquæ totius Cretæ naturæ. Athen. Asperam igitur ipsam potius et silvestrem quam campestrem esse dicis? Cli. Aio equidem. Athen. Non est igitur ad acquirendam virtutem incommoda. nam si mari proxima esset et portuosa, nec ferret omnia, sed multarum rerum egeret, maximo sibi salutis fundatore opus esset divinisque legumlatoribus, ne multos ac varios mores simulque pravos hujusmodi regionis natura contraheret. nunc vero juvat, quia stadiis octoginta remota est a mari : propinquior certe quam oportet mari, eo ferme, quod portuosior est, ut ais. [705] satis tamen et hoc esse videtur. profecto mare civitati proximum quotidiana quadam jucunditate eam afficit. verumtamen vicinitas ea nimium revera salsa est atque amara. nam cum mercibus et pecuniis cauponando civitas repleatur, dolosi animi instabiles et infidos mores parit : unde parum et ipsa ad se ipsam et ad gentes alias fidem et amicitiam colit. adversus hæc tamen illud habet remedium, quod omnia fert. cumque silvosa sit et aspera, licet omnia ferat, non tamen abunde omnia. nam si esset ad omnia ferax atque fœcunda, multum auri atque argenti ex emissione rerum colligeret. qua una re nihil, ut breviter dicam, perniciosius est, si unum uni conferas ad generosos justosque mores, ut in superioribus quoque, si recordamur, est dictum. Cli. Recordamur quidem : et illa tunc, et nunc ista recte dicta concedimus. Athen. Materia vero ad fabricandas naves nunquid illic abundat? Cli. Neque illic abies est mentione digna nec arbor picea : cupressi item copia parva : pinumque et platanum illic raram invenies : quibus necessario fabri navium ad interiores navium partes utuntur. Athen. Atque in his etiam non male se habet regionis ipsius natura. Cli. Quid ita? Athen. Quoniam operæ pretium est, ut civitas facile imitari hostes improba imitatione non possit. Cli. Cujusnam supra dictorum potissimum gratia ista dicis? Athen. Observa me,

vir præclare. nempe illius gratia, quod est ab initio de Cretensium legibus dictum, quas vos ad unum aliquid, id est, bellum aspicere dicebatis. ego autem adjeci eas, quoniam ad virtutem quodammodo referrentur, probe positas esse : quoniam vero non ad universam, sed ad virtutis partem ferme equidem non valde laudabam. nunc igitur me quoque vos in præsenti legumlatione diligenter observate, si quid aut quod ad virtutem non pertineat aut quod ad partem solummodo, legibus sancio. eum quippe solum recte ferre leges existimo, qui veluti sagittarius illuc animum semper intendit, [706] unde continuo aliquid semperque sequatur eorum, quæ bona sunt : cetera vero relinquit, sive divitias seu hujusmodi aliud, quod a virtutibus sit separatum. imitationem vere hostium improbam tunc fieri dicebam, cum juxta mare quispiam habitans lædatur ab hostibus. quale illud fuit. dicam enim : non tamen præteritæ injuriæ commemorandæ studio. Minos olim navali copia fretus crudele Atticæ tributum imposuit. Athenienses vero nondum naves, ut nunc, ad bellum paratas habebant : nec illa in regione arborum copia erat, unde naves facile fabricarentur. quare non potuerunt, rerum imitatione navalium ipsi quoque nautæ facti, statim hostes tunc suos ulcisci. meliusque secum actum esset, si sæpius septem adolescentes amisissent, quam, quod illis accidit, perpeti. nam pro terrestribus firmisque copiis navales factæ, consueverunt cursim naves insilire, ac cito decedere, nihil turpe facere arbitrantes, cum non audeant hostium impetum exspectare ac mori : sed occasiones habeant paratas, ut armis amissis minime, ut aiunt, turpiter fugiant. hujusmodi vero ex navali bello voces audire contingit, non laude quidem ulla, sed vituperatione summopere dignas. nunquam enim malis moribus, præsertim optimam civium partem, assuefacere decet. apud Homerum quoque navium refugium hoc reprobatum videtur. Ulixes namque Agamemnonem reprehendit, qui, prœlio Græcis apud Trojanos occupatis, naves in mare deducere jubebat. quod moleste ferens Ulixes ait : *An jubes. instante belli turbine, bene tabulatis instructas naves in altum deducere ? ut Trojanis ad votum cuncta succedant, nos autem perniciosa strages cladesque sequatur ? Neque enim gravi sese pugnæ committent, cum naves mari ad fugam paratas aspicient : sed neglecto bello cedent, atque inde volabunt.* [707] *Ubi quale consilium hoc tuum fuerit, apparebit.* patet igitur Homerum quoque sensisse, obesse triremes ad pugnantium fugam paratas. quippe vel leones his moribus usi cervos fugere consuescerent. præterea civitatum potentiæ, quæ navalibus copiis fretæ salutem consequuntur, haudquaquam honores optimæ bellicarum rerum parti retribuunt. nam cum arte gubernatoria et quinquaginta virorum principatu et remigio, variorumque et vilium hominum opere res navalis geratur, non potest quispiam recte honores singulis reddere. quomodo vero recte se habere civitas potest, si hoc ipso privata fuerit ? Cli. Ferme impossibile. verumtamen, hospes, navale apud Salaminam Græcorum adversus barbaros prœlium universam nos Cretenses Græciam servasse putamus. Athen. Atqui multi istud tam Græcorum quam barbarorum affirmant. ego autem, o amice, et iste Megillus, pedestrem in Marathone et in Platæis pugnam, alteram principium salutis, alteram finem fuisse, dicimus. et his quidem pugnis meliores Græcos factos fuisse, aliis non meliores : ut ita de prœliis, quibus tunc pariter servati sumus, dicamus. bello enim apud Salaminam gesto illud addo, quod in Artemisio commissum fuit maritimum. Verum spectantes nunc civilis disciplinæ virtutem, et regionis naturam, et legum ordinem consideramus. non enim servari ac esse solum, hominibus summo in pretio habendum existimamus, ut vulgus putat : sed ut, quamdiu sunt, optimi sint. quod et in superioribus, ut arbitror, a nobis est dictum. Cli. Dictum plane. Athen. Id itaque tantum

animadvertamus : si eandem ipsam agamus viam, quæ civitatibus optima sit in constituenda habitatione legibusque ferendis. Cli. Mirum in modum. Athen. Dic ergo, quod sequitur, quæ multitudo habitatura coloniam sit : utrum quicunque velint ex tota Creta ; quasi magna in singulis civitatibus turba superfluat ? an ad ipsius agri vires electi ? non enim volentes ex Græcis omnes colligitis : etsi nonnullos video ex Argis et Ægina aliisque Græciæ partibus regionem hanc habitare. [708] Sed in præsenti mihi dicas : unde futura sit vobis horum nunc civium multitudo. Cli. Ex universa Creta futuram existimo, et inter Græcos alios, qui ex Poloponneso venient, maxime, ut opinor, recipientur. quodve modo dicebas, verum est, ex Argis scilicet istos esse. Etenim quod maxime modo hic genus laudatur, Gortynicum est, quod ex ipsa Peloponnesiaca Gortyne huc migravit. Athen. Sed non facilis æqualiter civitatibus illa in unum habitatio solet fieri : quando examinium more non agitur, ut genus unum amicum inter se ab amicis veniens ex una quadam regione, aut agri angustiis pressum aut alia hujusmodi necessitate coactum, in aliena commigret. quandoque vero accidit, ut civitate seditionibus agitata, alio civium pars una secedat. Universa etiam civitas bello victa quandoque simul fugisse reperitur. hæc autem omnia partim facilia sunt, ut nova in habitatione disponantur et legibus denuo positis gubernentur : partim etiam difficilia. nam quod genus unum est unius linguæ earundemque legum, cum sacrorum et hujusmodi omnium communionem habeat, amicitia quidem inter se aliqua copulatur : sed leges alias gubernationisque modum a pristino discrepantem non facile suscipit. quod vero propter legum improbitatem seditionibus concitum fuit, cum primos illos propter consuetudinem, quibus corruptum est, mores desideret, durum se et inobediens gubernanti legesque ponenti affert. quod autem ex variis confluxit generibus, libentius fortasse novas leges audiet : sed arduum est omnino, et longo tempore indiget, ut conspirare, et tanquam sub uno jugo equi, unum idemque, ut dicitur, efflare possit. sed enim legum sanctio civitatisque constitutio est ad virorum virtutem omnium perfectissima. Cli. Probabile id quidem. sed clarius expone, bone vir, quorsum id dixeris. Athen. Dum et considerare legumlatores et laudare vellem, ad vile quid dictu videor lapsus. quod tamen, si opportune dicatur, nihil negotii dabit. quid ergo me turbat ? Ita pæne omnia humana se habere videntur ? Cli. Qua de re dicis ? Athen. Dicturus eram nullum unquam hominum aliquid lege sancire, [709] sed fortunas casusque varios incidentes leges nobis per omnia ferre. aut enim imminentis violentia belli priorem pervertit rem publicam legesque mutat : aut summa quædam penuria. morbi quoque multa innovare compellunt : pestis etiam diutina, multorumque annorum incommoda et importuna tempestas. hæc si quis animadvertet, non verebitur idem, quod ego nunc, exclamare, mortalium neminem leges condere, sed humana omnia fortunis agi. quod si quis in navigatione, gubernatione, medicina, militari imperio affirmaverit, recte videbitur dicere. sed rursus et istud similiter de iis ipsis bene dicitur. Cli. Quidnam ? Athen. Deum quidem omnia, et fortunam opportunitatemque simul cum Deo cuncta humana gubernare. mitius tamen concedendum tertium, superiora artem videlicet sequi. tempestate enim imminente multum interesse arbitror, gubernatoriam habeas artem necne. an quomodo dicendum ? Cli. Ita prorsus. Athen. Nonne et in aliis eadem ratio ? atqui et legumlationi idem est tribuendum, ut concurrentibus aliis, quæcunque ad felicem regionis habitationem conducunt, legislator veritatis compos civitati ipsi non desit. Cli. Vera loqueris. Athen. Nonne qui in singulis illorum artem habet, precari poterit, ut aliquid a fortuna sibi

feliciter adsit, nec alia re præterquam artificio opus sit? Cli. Valde. Athen. Ceteri quoque omnes, quos modo diximus, si quis quæsierit, suas preces votaque aperient. an non? Cli. Plane. Athen. Idem et legislator, ut arbitror, faciet. Cli. Sic puto. Athen. Age itaque, sic eum interrogemus: O legislator, qualem tibi civitatem tradi desideras, ut ipse ex reliquis postea sufficienter eam disponere possis? quid recte deinde dicetur? an legumlatoris responsio afferri debet? Cli. Utique. Athen. Tyrannidi subjectam mihi tradite civitatem, dicet, tyrannus autem juvenis sit, memoriosus, acutus, fortis naturaque magnificus. et quod in superioribus omnes virtutis partes sequi debere dicebamus, id animo quoque tyrannico insit, [710] si quid modo cetera profutura sint. Cli. Temperantiam mihi videtur hospes, o Megille, dicere tyranni animo inesse oportere. nonne? Athen. Popularem, o Clinia, dico: non temperantiam illam, quam extollens aliquis prudentiam appellandam esse monstraret; sed eam ipsam affectionem, quæ in bestiis et pueris illico apparet innata, ut alii ad voluptatem proniores, continentiores alii nati esse videantur. quam quidem continentiam, a bonis aliis separatam, parvi faciendam esse duximus. Tenetis, quod dico? Cli. Maxime. Athen. Hanc ergo naturam ad superiores illas naturæ qualitates tyrannus habeat, si debet civitas celerrime et optime, prout possibile est, eam gubernationem assequi, qua felicissime vivat. nulla enim velocior, nulla melior dispositio civitatis aut est aut esse potest. Cli. Quomodo vero et qua ratione, hospes, id asserens aliquis recte dici sibi quispiam suadebit? Athen. Facile intellectu est, o Clinia, hoc ita natura esse. Cli. Quid ais? nunquid esse illud asseris, si tyrannus juvenis sit, temperatus, ingenique acumine et memoria pollens, fortis, magnificus atque felix? Athen. Adde nihil aliud, nisi ut tempore suo laude dignus legislator reperiatur, et fortuna quædam eos in idem conducat. hoc enim si accesserit, omnia ferme Deus dederit, quæ dare solet, quotiens civitatem aliquam felicem maxime vult fore. deinde, si duo tales principes sint: tertio loco, si tres: et successionis eadem ratione servata eo difficilius, quo plures; atque contra, qua pauciores, eo facilius. Cli. Ex tyrannide optimam fieri rempublicam affirmare videris; cum summo certe legislatore modestoque tyranno facilime et celerrime ex illa in hanc mutationem fieri: secundo, ex paucorum potentia: tertio, ex populari. an non ita? Athen. Minime: sed ex tyrannide primo: deinde ex regia gubernatione: tertio ex quadam populari potentia: postremo paucorum potentia optimæ reipublicæ generationem difficillime suscipit. plurimi enim in ipsa potentes sunt. tunc vero hæc fieri dicimus, cum verus natura legum conditor invenitur, et ei potentia quædam communis cum illis contingit, qui plurimum in civitate possunt. [711] ubi autem paucissimi quidem numero sunt, potentia vero summi, quod tyrannidi accidit, ibi celer et facilis fieri mutatio solet. Cli. Quo pacto? non enim intelligimus. Athen. At vero non semel id a nobis, sed sæpius, ut opinor, est dictum. vos autem fortasse civitatem tyrannide pressam nunquam vidistis. Cli. Ego quidem videre eam minime cupio. Athen. Atqui quod modo diximus, in ea inspicies. Cli. Quidnam? Athen. Quod non multo labore nec longo tempore tyranno opus sit, civitatis mores mutare volenti. nam sive ad virtutis officia sive contra cives perducere velit, ipse primus viam, per quam sequantur ceteri, ingrediatur oportet, omniaque in se ipso primum expressa præscribat agendo: alia quidem laudans atque honorans, alia vero vituperans, et eos, qui non obediunt in singulis actionibus, semper dedecorans. Cli. Quomodo vero ubique magnum quid aut arduum existimabimus, ut cives eum statim sequantur, qui ita suadet et cogit? Athen. Nemo nobis persuadeat, o amici, aliter unquam citius et facilius, quam principum exemplo, leges in civitate

mutari. neque aliter ocius aut fieri nunc existimetis aut futurum. profecto hoc nobis neque impossibile est neque factu difficile. sed illud difficile factu est, raroque longo in tempore factum : quod si quando contigerit, innumera civitati, cui eveniet, et immensa bona efficiet. Cli. Quid illud ? Athen. Si quando divinus amor temperate justeque agendi magnæ potentiæ innascatur, quæ aut in unius sita sit potestate, aut in plurium principatu divitiis vel nobilitate generis excellentium : aut si quando naturam Nestoris quis reduxerit, quem et dicendi facundia et temperantia vitæ multo magis omnibus excelluisse ferunt : qualis quidem vir Trojæ temporibus fuisse dicitur, nostris autem minime : si, inquam talis quandoque vir fuit aut erit aut nunc inter nos est aliquis, et ipse beate vivit, et illi quoque beati sunt, qui fluentia ex ore modesto audiunt verba. eadem quoque de universa potentia ratio est, quod videlicet, [712] cum in eodem homine bene cum prudentia et temperantia simul potentia summa convenerit, tunc demum gubernationis optimæ optimarumque legum elucebit origo : aliter autem nunquam. verum hæc, tanquam fabula quædam, oraculorum ritu dicta sint : ostensumque sit partim difficile esse, civitatem bonis fundari legibus ; partim vero, si contigerit id, quod diximus, longe omnium facillimum et brevissimi temporis opus. Cli. Quo pacto ? Athen. Sed conemur jam civitati tuæ rem omnem accommodantes, tanquam seniores pueris, leges oratione confingere. Cli. Aggrediamur jam id sine mora. Athen. Deum inprimis ad civitatis constitutionem invocemus. qui utinam audiat, exaudiensque propitius et benignus nobis adveniat, una nobiscum civitatem et leges exornaturus ! Cli. Veniat, opto. Athen. Sed qualemnam disciplinam civitati tradere volumus ? Cli. Declara, si placet, quid dicere velis : utrum populi potestatem, vel paucorum, vel optimatum, vel regnum. neque enim tyrannidem te dicere arbitramur. Athen. Age jam, uter vestrum prior mihi respondere vult, quænam ex his suæ patriæ res publica est ? Meg. Num par est, quia senior sum, ut ipse prior respondeam ? Cli. Forte. Meg. Cum Lacedæmonicam, hospes, rempublicam mente revolvo, non facile tibi possum dicere, quomodo sit appellanda. etenim tyrannidi similis esse videtur. nam Ephororum potestas mirum in modum ibi tyrannica. nonnunquam tamen præ ceteris civitatibus populari gubernationi apparet simillima. negare autem eam esse optimatum rempublicam, omnino absurdum. regnum quoque in ea perpetuum, quod omnium antiquissimum tam a ceteris hominibus quam a nobis ipsis esse dicitur. quare ita subito interrogatus revera, ut dicebam, non possum in præsentia tibi distincte, quæ illarum sit, respondere. Cli. Mihi quoque, Megille, perinde ac tibi contigisse videtur. nescio enim, quam illarum potissimum Gnosiam esse affirmem rempublicam. Athen. Veræ enim, o viri optimi, reipublicæ vos participes estis, quæ autem modo nominatæ sunt, non respublicæ, sed urbium habitationes quædam sunt : [713] in quibus pars una servit alteri dominanti, et a partis dominantis potentia tota nomen accipit gubernatio. oportebat autem, si hoc modo nominanda sit civitas, Dei ipsius nomine nuncupari, qui illorum, qui mentis compotes sunt, verus est dominus. Cli. Quis autem iste Deus ? Athen. An fabula paulisper utendum, si volumus commode, quod modo quæsitum est, declarare ? an non sic faciundum ? Cli. Sic omnino. Athen. Multo ante habitationes urbium, de quibus in superioribus facta nobis mentio est, principatus quidam et gubernatio sub Saturno valde felix fuisse dicitur ; cujus imitationem quandam habet, quæ nunc ab optimatibus gubernatur. Cli. Attentius ergo de ipsa, ut videtur, est audiendum. Athen. Mihi quidem ita videtur, propterea que in medium modo produxi. Meg. Recte tu quidem : ac probe facies, si sequentem fabulam, quatenus convenit, exposueris. Athen. Faciam, ut dicitis. fama profecto beatæ illius vitæ ad nos usque pervenit,

copiosa ipsam omnia suaque sponte parata habuisse. cujus rei causa fuisse hæc traditur. cum intelligeret Saturnus, quemadmodum ipsi narravimus, nullam hominis naturam res humanas ita gubernare posse, ut si omnibus arbitratu suo dominetur, lasciviori superbia injustitia que non repleatur: cum hæc, inquam, non ignoraret, non homines sed divinioris præstantiorisque generis dæmones civitatibus nostris reges principesque præfecit: quod nunc nos in ovium gregibus aliorumque cicurum armentis facimus. non enim bobus boves, nec capris capras præficimus, sed nos ipsis, genus melius, dominamur. similiter Deus, homines amans, genus dæmonum generi nostro præstantius nobis præfecit. quod summa tam sua quam nostra facilitate nostrarum rerum curam habebat, pacemque et pudicitiam, libertatem et justitiæ copiam præbens, procul a seditione ac felix hominum reddebat genus. hic utique sermo veritate usus asserit, civitatibus omnibus, quibus non Deus sed mortalis aliquis dominetur, nullam unquam malorum laborumque forte quietem: sed omni studio imitari nos jubet vitam, quæ sub Saturno fuit, et quantum in nobis est immortalitatis, ipsi obtemperantes, privatim at publice domos civitatesque gubernare, [714] ipsam mentis distributionem legem nuncupantes. nam si homo unus aut paucorum aut etiam populi potestas voluptati et cupiditati deditum animum habeat, hisque repleri desideret, cumque id minime assequatur, inexplebili inexstinguibilique ardore et insanabili morbo vexetur, dominetur autem civitati aut privatis nonnullis: statim spretis legibus non est, ut modo dicebamus, spes ulla salutis. Considerare decet, o Clinia, utrum huic rationi credendum sit, an aliter faciendum. Cli. Necesse est, ut credamus. Athen. Perspicis tot legum species, quot et gubernationum, a quibusdam existimari. Gubernationum vero species quot multi ponunt, paulo ante narravimus. neque de re vili nunc, sed de maxima, nobis esse quæstionem existimes. nam quo justum et injustum respicere debeat, rursus in ambiguitatem incidit. nec enim ad bellum, nec ad omnem virtutem referri leges debere aiunt: sed ad illud potius, quod constitutæ reipublicæ conferat, quæcunque illa sit, ut dominetur semper nec pereat: justique definitionem sic natura optime se habere contendunt. Cli. Quo pacto? Athen. Quod potentiori confert. Cli. Apertius dicito. Athen. Sic accipe. leges, ut aiunt, semper in civitate ponit, quod dominatur. nonne? Cli. Utique. Athen. Nunquid existimas, inquiunt, vel populum superantem vel aliam quampiam rempublicam vel tyrannum ad aliud prius sponte leges laturum, quam ad utilitatem suam, hoc est sui principatus stabilitatem? Cli. Non ad aliud. Athen. Si quis autem hujusmodi leges transgrediatur jam positas, ut iniquus punietur ab eo, qui has institutiones induxit Justasque appellat. Cli. Sic apparet. Athen. Sic itaque justum se semper habebit. Cli. Sic sane hæc asserit ratio. Athen. Una profecto hæc inquitas ex illis est, quæ de principatu sunt. Cli. Ex quibus? Athen. Ex his, inquam, quas supra narravimus, quos quibus imperare oporteat, exponentes. diximus autem parentes filiis atque nepotibus, seniores junioribus, generosos ignobilibus dominari debere: et alia quædam, si tenetis, quorum aliis alia impedimento sunt, ex quibus unum hoc erat. adjecimusque Pindarum existimare, secundum naturam ac justum imperium esse, ut potentiora imbecillioribus dominentur. [715] Cli. Hæc certe tunc dicta fuerunt. Athen. Considera jam, quibus nostra civitas committenda. millies namque in civitatibus nonnullis id contigit. Cli. Quidnam? Athen. Cum de principatu certatum esset, qui vicerunt, adeo ad se solos rem contraxerunt, ut nullum victis eorumque posteris magistratum concesserint, caventes semper, ne quis ex victis potentiam adeptus insurgat priorum memor malorum. has quidem nos negamus esse respublicas: neque censemus rectas esse eas leges, quæ non sint

communiter totius civitatis gratia positæ. qui autem aliquarum partium gratia leges condunt, eos non cives sed seditiosos putamus, et jura sua frustra sic ab eis vocari censemus. hæc autem eam ob causam dicimus: quia nos tua in civitate non ideo magistratus alicui dabimus, quod dives sit, aut hujusmodi quicquam possideat, ut robur, magnitudinem, generis claritatem. ei vero, qui positis legibus parebit maxime, et hac re ceteris in civitate præstabit, Deorum quoque cultum et ministerium dabimus; maximum quidem primo, secundum vero illi, qui secundo loco excellet. eademque ratione sequentibus singula pro dignitate distribuemus. Magistratus autem legum ministros appellavi, non quia innovare vocabula cupiam, sed quia putem salutem hinc maxime civitati fore, et contrarium ex contrario. interitum enim paratum illi civitati video, in qua non lex magistratibus sed legi magistratus præsunt: salutem vero illi, ubi lex servientibus magistratibus dominatur. cuncta certe bona, quæ dii civitatibus præbent, huic affore cerno. Cli. Per Jovem, hospes, acute, ut ætas tua postulat, perspicis. juvenis enim hæc obtuse admodum, senex acutissime cernit. Meg. Vera loqueris. Athen. Quid vero deinceps? nonne venisse jam ac adesse colonos arbitrari debemus, reliquumque ad eos sermonem peragere? Cli. Quid prohibet? Athen. Sic itaque ad eos dicamus: Deus, o viri, sicut antiquus quoque sermo testatur, principium, finem et media rerum omnium continens, [716] recta peragit secundum naturam circuens. hunc semper judicium comitatur, eos, qui a divina lege desciverint, puniens. cui quidem judicio, quicunque felix futurus est, adhærens, humilis subsequitur atque compositus. qui autem superbia elatus est, quod pecunia vel honoribus antecellat, vel corporis forma polleat, quacum juvenilis animus dementia simul ardeat et petulantia, quasi nec principe nec duce illo indigeat, sed aliorum ipse sufficiens ductor sit: is penitus a Deo deseritur. desertus autem et alios hujusmodi nactus exsultat, omnia perturbans, multisque videtur minime contemnendus. brevi tamen postea inculpabili Dei punitus judicio, se ipsum, domum suam civitatemque universam simul evertit. cum hæc igitur ita disposita sint, quid facere et cogitare, quidve cavere prudentem oportet? Nemini dubium, quin cogitare quisque debeat, qua ratione ex eorum numero sit, qui Deum sequantur. Quænam igitur actio a Deo amatur, Deumque sequitur? una certe, rationem unam antiquam habens atque præcipuam, quod simile simili, quod moderatum sit, amicum est. immoderata vero neque invicem neque moderatis sunt amica. Deus profecto nobis rerum omnium maxime sit mensura, multoque magis, quam quivis, ut ferunt, homo. qui igitur huic tali amicus fore studet, eum necesse est, ut quam maxime pro viribus talis efficiatur. atqui secundum hanc rationem, quisquis hominum temperatus est, Deo est amicus. similis enim. intemperatus autem dissimilis, differens et injustus: ceteraque similiter. sed intelligamus ad hæc rationem illam sequi, omnium rationum, ut arbitror, pulcherrimam atque verissimam, quod bonum virum decet sacrificare Diis et interesse divinis. nempe illos prosequi orationibus, muneribus alioque cultu divino pulcherrimum, optimum, commodissimum ad beatam vitam, idque præ ceteris est decorum. malo autem contra contingunt omnia. impurus enim mali est animus: boni autem purus. ab impuro autem capere munera, neque bonum virum neque Deum decet. [717] frustra itaque circa Deos profani laborant: quod opportune faciunt omnes sancti. atqui signum quidem hoc est, quo aciem debemus intendere. sagittæ vero ad illud quænam? et quis proprius ipsarum impetus rectissime diceretur? principio post cælestium civitatique præsidentium Deorum honores, si quis terrestribus Diis paria, secunda, præcipua munera tribuat, rectissime signum ipsum pietatis attinget. quæ vero horum supra positorum imparia, et alterna voce respondentia supra dictis,

post Deos istos dæmonibus vir mentis compos sacrificabit : heroibusque post dæmones. sequuntur statuæ patriorum Deorum propriæ, secundum legem consecratæ. demum viventium cultus parentum, quibus fas est prima et maxima debita, omnium antiquissima debitorum, persolvere. putare enim quisque debet omnia, quæ possidet, eorum esse qui genuerunt et educarunt, ita ut illis hæc omnia pro viribus ministrare debeat, primum quidem externa bona, deinde etiam corporis : postremo quæ ad animum pertinent : hæc omnia videlicet mutuo data persolvens, et pro curis doloribusque priscis parentum, in senecta recentes reddens, quando maxime indigent. in verbis quin etiam per totam vitam parentes venerari maxime decet. levium enim volatiliumque verborum gravissima imminet pœna. nam omnibus præposita est Nemesis judicii angelus : hujuscemodi omnium consideratrix. oportet itaque iratis animumque explentibus cedere, seu verbis sive rebus id faciant, non ignorantes patrem jure admodum filio valde succensere, si quando ab eo injuriam sibi fieri arbitretur. mortuis vero parentibus monumenta decentissima, quæ temperatissime structa : neque consuetam magnitudinem oportet excedere, neque minora illis facere, quæ majores genitoribus suis struebant. annuas quoque curas defunctorum, quæ ornamentum afferunt, instaurare decet, [718] et nova quotidie repetita memoria semper parentes summopere honorare, impendio moderate pro fortuna utentes. si hæc servabimus vitamque semper ita agemus singuli, digna a Diis ceterisque natura nostra superioribus omnibus præmia reportabimus, plurimum bona cum spe viventes. quæ vero erga filios et nepotes, consanguineos, amicos, cives, peregrinos, Deos semper colendo, in congressum horum omnium operari quisque debeat, atque ita vitam suam secundum legem illustrare, legum ipsarum tractatio demonstrabit, partim quidem suadendo, partim vero duriores mores vi supplicioque cogendo : atque ita civitatem nostram, faventibus Diis, felicem beatamque efficiet. quæ vero oportet rursus et necessarium est, ut legislator, qui eadem exagitet et, quæ et ego, edisserat, neque tamen sub ipsa legis forma commode dici posse videntur, horum exemplum inprimis tam ipsi legumlatori quam lege instituendis arbitror afferendum : deinde legum positionem incipiendam, reliqua omnia pro viribus discutiendo. talia vero quam maxime figuram habeant, haud sane facile una quadam formula comprehendi potest. sed ita de ipsis modum aliquam capiamus, si quid de ipsis asseverare possumus. Cli. Dic, age, quem modum? Athen. Vellem equidem eos ad virtutis officia persuasos maxime et obtemperantes esse : idque legislator facere ubique conabitur. Cli. Quidni? Athen. Quæ igitur dicta sunt, nonnihil ad illud conducere mihi videntur, ut, si non crudus omnino audientis animus sit, mitior benevolentiorque in audiendis præceptis efficiatur, benevolentior vero factus facilius perdiscat. quod si non omnino peragatur, aliquo saltem modo factum, satis esse putandum est. non enim magna est eorum copia, qui optimi quam maxime et celerrime conentur evadere. Hesiodum vero sapientem multi prædicant, cum dicat viam ad vitia planam esse ac sine sudore peragi, cum brevissima sit. *Ante virtutem vero*, inquit, *sudorem Dii immortales posuerunt. ac via, quæ ad eam ducit, longa, ardua,* [719] *et aspera primum : sed postquam ad summa fastigia perventum est, quæ ardua via fuerat, facilem præstat callem.* Cli. Bene dicere videtur. Athen. Ita certe est. verum quo sermonis spectabat progressio, volo in medio vobis proponere. Cli. Ponas. Athen. Orationem ad legislatorem sic vertamus : dic nobis, o legislator, si scires, quid agendum dicendumque nobis sit, nonne diceres? Cli. Necessario. Athen. An non paulo ante te dicentem audivimus, non debere legislatorem poëtis permittere, ut, quæcunque sibi placent, effingant? non enim intelligunt, quæ dicta contra leges noceant civitati. Cli. Vera loqueris. Athen. Si de poëtis hæc ad

eum dixerimus, eruntne nobis modeste dicta? Cli. Quænam hæc? Athen. Vetus, o legislator, fabula passim a nobis fertur, atque a ceteris omnibus confirmatur, poëtam, quando in Musæ tripode sedet, non esse mentis compotem, sed quasi fontem fluere, et, quæcunque influunt, prorsus effundere. cumque ars ejus imitatio quædam sit et contrarios affectus hominum exprimat, sæpe cogi poëtam sibi ipsi contraria dicere, neque scire: utrum hæc an illa vera sint. legislatori autem non licet duo quædam diversa de uno in lege loqui, sed unum debet semper enuntiare de uno. id autem ex his, quæ modo dicebas, animadvertes, cum sepulcrorum alia excedant, alia deficiant, alia medium teneant, mediocria tu simpliciter laudasti fierique sola jussisti. ego autem, si uxor mihi ditissima esset, juberetque ut eam magnifice sepelirem, in poëmate excedens sepulcrum laudarem: pauper item vir atque avarus deficiens. qui vero mediocres divitias possidet, si ipse quoque moderatus sit, medium laudabit. sed tibi non ita dicendum, sicut dicebas modo, ut scilicet mediocre solummodo dicas, sed quid quantumque mediocreque sit, exponendum. aliter ne putes orationem hujusmodi legem esse. Cli. Vera loqueris. Athen. Utrum qui legibus condendis incumbit, nihil tale in legum exordio dicet? sed statim, quid faciundum sit et quid non, exponet, [720] mulctaque imposita ad aliam se legem vertet, nulla ratione ad exhortandum persuadendumque allata? afferamus autem in medium modos medendi duos, quibus alii medici aliter curare consueverunt: ut quemadmodum pueri medicum orant, ut modo quodam facillime eos curet, ita et nos legumlatorem. quod ut fiat apertius, nonne dicimus quosdam medicos esse et quosdam medicorum ministros? quos etiam medicos appellamus. Cli. Sic omnino. Athen. Sive liberi sint seu servi, qui dominorum jussu, consideratione, usu et experientia artem possideant: non autem secundum naturam, sicuti liberi, qui et ipsi sic didicerunt et suos filios instruunt? an ponis duo hæc genera medicorum? Cli. Quid prohibet? Athen. Num igitur intelligis, cum servi et liberi in civitate ægrotent, servos a servis plerumque curari, qui et in medicorum officinis versantur et omnia circuunt? nec rationem ullam de singulis servorum morbis aut reddunt aut accipiunt: sed quæ usu prodesse videntur, quasi exacte scientes, tyrannorum instar superbe et pertinaciter imperant, atque ita a servo ad servum medentes transvolant? in quo sane ad curandos ægrotantes domino facilitatem parant. liber autem medicus liberorum ut plurimum morbos curat atque considerat, ita ut a principio morbi naturam perquirat, communiterque cum ægrotante atque ejus amicis versetur, tum discendo ab illis nonnihil, tum, quoad fieri potest, docendo: nec antea imperat quicquam quam persuaserit. atque ita persuadendo semper, mansuete ad sanitatem perducere ægrotantes conatur. uter melior est et medicus et exercitator? qui sic, an qui modo illo medetur atque exercet? qui videlicet dupliciter vim unam perficit, an qui simpliciter? et eum, qui deterior ex duobus atque atrocior modus est, exsequitur? Cli. Multum præstat, hospes, qui hoc dupliciter peragit. Athen. Vis ergo, duplex hoc atque simplex, quomodo in legibus ferendis fiat, consideremus? Cli. Volo equidem. Athen. Dic, age, per Deos, quam legis conditor primam legem conscribet? an non secundum naturam primum generationis in civitate principium ante omnia legibus exornabit? [721] Cli. Plane. Athen. Principium autem generationis omnibus civitatibus nuptiarum conventus atque communio. Cli. Utique. Athen. Quare si nuptiales primum leges ponantur, bene ad omnem civitatem recte constituendam positæ videbuntur. Cli. Sic est omnino. Athen. Simplicem ergo primum dicamus, quæ sic se forsan habebit: uxorem quisque a trigesimo anno usque ad trigesimum quintum ducat. si non duxerit, pecunia mulctetur atque dedecore, pecu-

nia quidem tanta vel tanta, dedecore autem tali quodam vel tali. et simplex quidem lex de nuptiis talis sit. duplex autem talis : uxorem ducere quisque debet ab anno trigesimo : ad trigesimum quintum : cogitans, quod natura quadam humanum genus quodammodo immortalitatem consequitur : cujus rei quisque natura summopere cupidus est. nemo enim est, qui non desideret perpetuum apud posteros nomen habere. genus itaque hominum immortale hoc modo in sempiternum perdurat, quod filiorum filios relinquendo unum et idem semper per generationem immortalitatem adipiscatur. nefas autem est immortalitate se ipsum sponte privare. hac vero ex animo ille se privat, qui filios et uxorem negligit. quicunque legi huic obtemperaverit, indemnis esto : qui vero non paruerit, et quinque ac triginta annos natus uxorem non duxerit, ne solitariam vitam lucro sibi et voluptati fore censeat, tanta in annos singulos mulctetur pecunia ; neque eorum particeps honorum sit, quos juniores quotidie in civitate senioribus exhibent. duabus his legibus invicem comparatis, de singulis judicare licet, utrum oporteat eas duplices longitudine quam brevissima conscribere, ut persuasiones simul interponantur et minæ : an minis uti solum et simplices longitudine leges condere. Meg. Laconici moris est, hospes, breviora semper eligere. si quis autem in his me judicem faceret, ut eligere mihi liceret ex his utram velim legem in civitate, longiorem eligerem : [722] in ceterisque legibus omnibus, si duo hæc proponantur, ad hoc ipsum exemplar idem facerem. oportet tamen præsentes leges et Cliniæ huic probari. hujus enim ea civitas est, cujus usui leges istæ conduntur. Cli. Probe tu quidem, Megille. Athen. De prolixitate quidem vel brevitate scribendi curare nimis ineptum est. non enim brevissima aut longissima, sed optima sunt, ut arbitror, eligenda. atque et in legibus paulo ante propositis non duplicitate solum altera magis, quam altera, ad virtutem confert : sed quod de duplici medicorum genere dictum est, rectissime est appositum. quod quidem legislatorum nullus unquam cogitasse videtur. nam cum liceat duobus quibusdam ad ferendas leges, vi persuasioneque uti : ad turbam disciplinæ expertem, quoad possunt, altero solum utuntur. non enim persuasione minas conjungunt, sed vim puram solummodo inferunt. Ego autem, o viri beati, tertium quiddam etiam faciundum in legibus video, quod fieri nusquam videmus. Cli. Quidnam ? Athen. Quod per ea, de quibus disseruimus, nobis Deo quodam adspirante factum est. mane enim disputare de legibus cœpimus, et jam meridies est, et hoc amœno in loco commodissime requiescimus, de legibus solummodo disputantes. et nunc primum tractandarum legum principium facere mihi videmur : superiora vero cuncta exordia legum erant. quorsum hæc ? quia volebam dicere, quod sermonum omnium ceterorumque, quibus vocis imitatio est, exordia sunt et quasi quædam præludia, quæ artificiosam aliquam et utilem ad rem dicendam tractationem habent. nempe illis, quæ citharœdici cantus leges vocantur, et reliquæ Musæ, proœmia mire adinventa proponuntur. verarum autem legum, quas civiles esse dicimus, nemo unquam proœmium aliquod aut pronuntiavit aut conscriptum in lucem protulit, quasi nullum natura sit. nobis autem mora hæc et disputatio nostra esse aliquid significare videtur. leges autem, quæ modo duplices appellatæ sunt, non duplices sunt simpliciter : sed duo quædam, lex ac legis exordium. [723] atque ea, quam tyrannico et medicorum servilium imperio comparavimus, lex mera est ; quod vero ante positum fuit, dictum ab hoc persuasorium, revera ad persuadendum spectat quidem, sed vim habet exordii. nam ut benivolentius audiant legislatoris imperium, quæ lex est, et propter hoc facilius suscipiant cives, iccirco tota illa oratio habita est, quæ ad persuadendum est inducta. quapropter, ut mea sententia fert,

non legis ratio sed proœmium totum hoc merito appellabitur. post hæc autem quid insuper addi desidero ? hoc sane. Oportere legislatorem exordium semper omni legi proponere, et in singulis, in quo a se ipsis differant, quatenus duo illa, quæ modo relata sunt, differebant. Cli. Ego quidem nunquam aliter virum istarum rerum peritum leges ferre desiderarem. Athen. Probe mihi, Clinia, eo dixisse videris, quod omnibus legibus proœmium quoddam præerit, et quod oportet in omnis legum conscriptionis principio omni sermoni proponere exordium legibus singulis accommodatum. non enim parvum est, quod postea dicitur : nec parum refert, clarene an obscure talia commemorentur. si autem magnarum parvarumque legum exordia similiter confici jubeamus, non recte jubebimus. non enim in cantu neque in omni sermone id faciendum. nam etsi possit in omnibus inveniri, non tamen omnibus utendum est. id autem ipsi rhetori cantorique et legum conditori semper est concedendum. Cli. Vera loqueris, hospes. sed ne ulterius immoremur, immo vero ad sermonem propositum jam revertamur, et ab illis incipiamus, si tibi placet, quæ supra haud quasi proœmio utens dixisti. quare iterum, ut ludentes aiunt, meliora ab initio secunda resumamus, quasi certum proœmium, non contingentem sermonem ut nuper tractantes. incipiamus itaque et exordiri profiteamur. ac de honore quidem Deorum majorumque nostrorum cura satis sit dictum : cetera transigere annitamur, donec tibi videaris sufficienter totum proœmium absolvisse. denique post proœmium leges aggredieris. [724] Athen. Cum de Diis Deosque sequentibus, et parentibus, sive viventibus sive defunctis, satis per exordium dixerimus, ut nunc affirmamus : quod restat, ut tu jubere videris, in lucem est educendum. Cli. Prorsus quidem. Athen. Post illa vero quæ ad animos, quæ ad corpora, quæ ad externa pertinent, quo studio colenda sint, communiter disserendo ita determinare oportet, ut et dicentes et audientes disciplinam pro viribus consequamur. hæc ergo post illa nobis revera dicenda audiendaque sunt. Cli. Recte admodum loqueris.

LIB. V.

[726] Audiat jam reliqua, quicunque paulo ante de Diis carissimisque genitoribus audiebat. cujusque enim animus omnium suarum rerum post Deos, cum sit maxime suus, divinissimus est. quæ vero sua sunt, bifariam dividuntur. et potentiora quidem ac meliora dominantur, imbecilliora vero deterioraque serviunt. Profecto quæ dominantur, præ illis, quæ serviunt, semper sunt honoranda. quapropter merito post dominantes Deos eosque, [727] qui illos sequuntur, animum nostrum colendum secundoque loco habendum jubeo. nemo autem, ut breviter dicam, recte animum suum honorat, quamvis videatur. divinum enim bonum est honor : malorum autem nihil est honorandum. quisquis igitur putat vel sermonibus quibusdam vel muneribus vel obsequiis animum suum extollere si meliorem ipsum ex deteriore non reddit, quanquam honorare videtur, minime tamen id facit. nam statim a pueritia unusquisque sufficientem ad omnia cognoscenda se putat, et honorare suum animum opinatur laudando, permittendoque sibi quicquid libuerit agere. nos autem dicimus eum, qui hæc agit, animum non honorare sed lædere, quem tamen secundo loco post Deos dicimus honorandum. sed neque ille eum honorat, qui peccatorum suorum plurimorumque et maximorum scelerum non se ipsum, sed alios causam ducit. qui sane, se ipsum semper excusans, honorare

videtur animum : longe tamen abest, cum obsit. neque etiam, cum præter rationem laudemque legumlatoris voluptatibus quis indulget, animum suum honorat : dejicit enim ipsum, cum malis et pœnitentia repleat. Neque etiam tunc honorat : quando labores lege laudatos, metusque ac dolores ferendos non suscipit, sed cedit atque succumbit. hæc enim agens omnia animum suum dedecorat. sed nec quando hanc vitam summum bonum censet : immo tunc etiam vituperat. nam animo existimanti omnia apud Manes mala esse, protinus assentitur, neque resistit, docens ipsum atque redarguens, quasi ignoret, utrum contra, quæ apud Deos inferos sunt, omnium bonorum nobis maxima sint. præterea qui virtuti formam corporis anteponit, animam vere penitusque dedecorat. nempe corpus anima venerabilius arbitratur : in quo certe vehementer errat. nihil enim terrenum rebus cælestibus venerabilius est. et qui de animo aliter sentit, quam mirabilem rem negligat, prorsus ignorat. nec rursus qui pecuniam injuste cupit aut possidens injuste non dolet, muneribus animum suum exornat, [728] sed ab hoc longissime abest. quod enim venerabile pulchrumque in animo est, parvo pro auro prodit : cum totum, quod super terram quodve sub terra est aurum, virtuti compensari digne non possit. denique ut summatim dicam, quicunque illa, quæ legislator turpia malaque putat esse, omni studio fugit ; nec pro viribus sequitur ea, quæ bona et pulchra statuit : non videt in his omnibus, quam turpiter et absurde divinissimum animum suum afficiat. maximam enim secundum justitiam ultionem male agendi nemo, ut uno verbo dicam, animadvertit. maxima vero est, ut quis malis hominibus similis efficiatur, factusque similis bonos et viros et sermones fugiat, seque ipsum ab eis sejungat, improbis autem adhæreat, et eorum consuetudinem amplectatur. Eum vero, qui se his immiscuit, necesse est eadem pati et agere, quæ tales agere et loqui inter se consueverunt. ac passio quidem hujusmodi justitia non est. justitia enim et justum honestum est, ultio vero passio injustitiæ sequax, in quam et qui non incidit et qui incidit, malus miserque est : ille, quoniam non sanatur ; iste, quoniam, ut multi serventur, ipse perit. honor autem est, ut totum simul complectar, meliora sequi et ex pejoribus, quæcunque meliora fieri possunt, ad melius quam optime reducere. homini profecto nihil animo aptius et sagacius est ad fugiendum malum, ad investigandum eligendumque quod est omnium optimum, eique per omnem vitam firmiter adhærendum. iccirco illi secundo statutus est honor. tertium deinde honorem secundum naturam quivis intelliget corpori convenire. considerare oportet, qui veri honores sint quive adulterati : quorum differentia a legislatore declaranda mihi videtur : ut puta, honore dignum corpus esse non quod formosum aut robustum est : aut velox vel magnum vel sanum, quamvis multis id videatur, neque quod contrariis modis affectum. nempe quæ medium istorum omnium habitum tangunt, ea longe moderatiora tutioraque censenda sunt. altera enim inflatos et audaces animos reddunt, altera dejectos atque illiberalas. similiter pecuniarum prædiorumque et census possessio se habet. [729] excedens enim et privatim et in civitatibus inimicitias seditionesque parit, deficiens autem ut plurimum servitutem. Nemo igitur liberorum gratia pecuniis cumulandis incumbat, ut ditissimos eos relinquat. neque enim ipsis neque civitati id conducit. sed census tum adulatione vacuus tum rerum necessariarum non indigens omnium decentissimus et optimus est. nam hic nobis ad omnia consonans accommodatusque, vitam a doloribus removet. liberis ergo non auri, sed pudoris multum oportet relinquere. putamus autem verbis impudentiam juvenum castigantes id nos facturos : sed hoc non ex ea castigatione fit, quam juvenibus incutiunt, dicentes quod adolescentem oporteat in omnibus verecundum esse. sapiens itaque legumlator senioribus præcipiet

potius, ut sint coram junioribus verecundi, ac summopere caveant, ne quis juvenum eos aut videat aut audiat agentes turpe aliquid vel loquentes. nam ubi senes minus pudici sunt, necesse est ibi juvenes impudentissimos esse. præstans enim et junioruni et seniorum disciplina est non verborum increpatio, sed ut, quæ increpando quis diceret et monendo, eadem ipse in omni vita facere videatur. quisquis præterea cognationem et universam sub eisdem penatibus generis communionem honorat et colit, hos Deos merito propitios in liberis procreandis habebit. amicorum quoque et sodalium in vitæ consuetudine summam benivolentiam consequetur, qui illorum in se obsequia majora præstantioraque putabit quam illi : sua vero in illos beneficia minora, quam ipsi, existimabit. atqui et erga civitatem ac cives optime ille se geret, qui omni victoriæ, quæ in Olympicis aliisque tam belli quam pacis certaminibus comparatur, illam gloriam anteponet, quam patriis legibus ministrando nanciscitur : atque in hoc ministerio ceteris omnibus per totam vitam præstare conabitur. Ad peregrinos vero sanctissima esse fœdera quisque cogitet. ferme enim omnia peregrinorum et contra peregrinos peccata præ illis, quæ inter cives committuntur, ultori Deo curæ sunt. nam cum peregrinus amicis cognatisque careat, majorem et apud Deos et apud homines meretur misericordiam. quare qui magis ulcisci potest, is ad ferendum auxilium est paratior. potest autem maxime hospitalis cujusque Dæmon ac Deus, [730] hospitalem secuti Jovem. Diligenti igitur cautione cogitandum cuique, cui non nihil est consilii, ut innocens ab injuria in peregrinos semper vivat. sed omnium tam in peregrinos quam in cives peccatorum maximum est, quod in supplices est commissum. deus enim, per quem supplex fœdus est consecutus, diligentissimus ejus est custos. quare nullus in supplices sceleratus impunis abibit. Hactenus officia cujusque in parentes, se ipsum, sua, patriam, amicos, cognatos, peregrinos atque colonos pæne omnia exposuimus. qualis vero quisque quoad se ipsum esse debeat, qui optime vivere velit, nunc jam exponamus, ut non lex, sed laus et vituperatio singulos docens refrenet magis, et obtemperatiores ferendis legibus faciat. atque hæc nobis deinceps dicenda sunt. veritas profecto tum Diis tum hominibus dux omnium est bonorum : cujus qui felix beatusque futurus est, statim ab initio particeps esse debet, ut in veritate plurimum tempus vitam agat. fidus hic certe est : infidus autem, qui sponte mentitur ; qui vero non sponte, amens. quorum neutrum optabile est. nam et infidus et amens ab amicitia admodum alienus : ac procedente tempore cognitus in tantam in odiosa senecta vitæque termino solitudinum incidit, ut, seu vivant sive decesserint amici ac filii, pæne similiter orbam vitam misere agat. honorandus certe est, qui nihil injuriatur : qui vero nec alios id facere patitur, duplici honore, immo etiam magis est honorandus. ille enim uni, hic multis hominibus comparatur, cum principibus ceterorum injuriam nuntiet : qui autem una etiam cum magistratibus injuriam, quoad potest, ulciscitur, is magnus perfectusque in civitate vir præconio prædicetur. nam virtute cunctis excellit. eadem quoque temperantiæ et prudentiæ laus est. Et qui aliis bonis abundat, quæ in alios quoque transfundi possunt, si ceteros participes efficit, tanquam vir summus est honorandus : qui autem id facere vellet quidem, sed non potest, secundo loco habendus est, invidum vero, qui sponte nihil boni ceteris conferat, vituperare debemus : [731] nec propter hominem, qui male possidet, rem ipsam vituperare, sed eam pro viribus adipisci. certet præterea apud nos quisque de virtute absque invidia. qui enim sic agit, civitatem suam amplificat, cum ipse quidem contendat, et alios calumniis non detineat. invidus vero, dum ceteris derogando putat præstare, et ipse minus recte ad veram tendit virtutem : et concertatores injusta vitu-

peratione tardiores efficit : ideoque vehemens acquirendæ virtutis studium e civitate tollens, ipsam pro virili parte gloriæ amplitudine privat. oportet præterea unumquemque animosum esse : ac maxime mitem. nam aliorum injurias, quæ vel difficile vel nullo modo sanari possunt, non possumus aliter effugere quam pugna, defensione, victoria et nullius peccati remissione : quod absque animositate facere nemo potest. in iis autem injuriis, quæ tales sunt ut sanari possint, nosse imprimis oportet nullum injustum sponte injustum esse. nemo enim unquam maximorum malorum aliquid alicubi vellet habere, multoque minus in his, quæ sibi præstantissima sunt. est autem animus, ut diximus, revera in omnibus omnium præstantissimus. quapropter in eo cum maxime sit honorandus, nemo sponte summum accipiet malum, voletque per totam vitam id possidere. porro miserabilis omnino est injustus omnis, et qui mali quicquam habet. misereri autem decet eorum, qui sanabiles sunt, et cohibere iram. ne adversus eos muliebri iracundiæ fervore animus efferatur duriusque insistat. Qui autem ita sunt flagitiosi, ut incurabiles sint, eis ira vehementius immittenda. propterea diximus animosum, id est generosæ iracundiæ non expertem, ac simul mitem bonum virum semper esse debere. omnium vero maximum quiddam malum in multorum hominum animis est innatum : cujus quidem, cum facile sibi ignoscant, remedium nullum excogitant. est autem hoc, quod dicere solent, quod natura sibi quisque amicus est : recteque est, ita id se habere. sed revera nimius in se ipsum amor omnium peccatorum omnibus semper est causa. obcæcatur quippe circa amatum, qui amat. quapropter qui se amat, cum se ipsum magis quam veritatem honorandum putet, [732] quid justum, bonum, pulchrum sit, male judicat. decet sane eum, qui magnus vir futurus est, neque se ipsum neque sua diligere ; sed justa semper, sive a se ipso seu ab alio quovis gerantur. ex hoc ipso delicto accidit omnibus, ut, ignorantiam suam esse sapientiam opinarentur. hinc fit ut, quamvis nihil, ut ita dicam, sciamus, scire tamen omnia arbitremur. cum vero nec aliis committamus facultatem agendi, quæ ipsi facere ignoramus, facientes ipsi errare compellimur. quamobrem nimium sui ipsius amorem fugere quisque debet, et meliores sequi, nullo rubore verecundiæ impeditus. Sunt et alia nonnulla, quæ et minora his sunt et sæpe dicuntur. sed cum nihilominus utilia sint, ea quoque dicenda : nam commemoratione opus est. semper enim, quasi aliquid effluat, contra aliquid oportet influere. Recordatio vero est prudentiæ deficientis influxus. profecto a risu nimio et lacrimis abstinendum, omnibusque est ab omnibus præcipiendum, ut, lætitia nimia tristitiaque compressa, honesto in habitu se contineant, sive in felicitate quemquam dæmon cujusque sistat, seu per fortunæ casus, tanquam ad ardua difficiliaque tendentibus, operationibus quibusdam dæmones aversantes insurgant. sperare semper boni viri debent, munera, quæ talibus viris dare Deus solet, sibi non defutura : ac si qui graves labores inciderint, Deum leniores eos facturum et præsentia in melius commutaturum, bona vero contra omnia una cum bona fortuna sibi affore. Hac spe singuli vivant, et tam joco quam serio et se et ceteros ad frequentem horum commemorationem sedulo adhortentur. Sed jam, quæ facere unusquisque debeat, et qualis esse, quo ad divina spectat officia, dictum est : humana vero nondum explanavimus. dicenda autem sunt. hominibus enim, non Diis, præcipimus. sunt porro natura maxime humana, voluptates, dolores cupiditatesque. ex quibus necesse est mortale omne animal quasi pendere, et maximo quidem cum studio. laudanda certe honestissima vita est, non solum quia gloriæ habitum superat, [733] verum etiam quia, si quis velit gustare, nec inde statim a juventute fugere, eo quoque superat quod omnes expetimus, ut per totam vitam lætemur magis quam doleamus. quod vero erit ita, si quis recte gustet, facile valdeque patebit. quo autem pacto recte id fiat, ratione jam considerandum est, sive ita

nobis secundum naturam insit, sive aliter præter naturam. vitam itaque ad vitam jucundiorem et molestiorem ita conferre oportet. voluptatem adesse nobis volumus,dolorem vero nec eligimus neque volumus. medium autem statum pro voluptate nequaquam volumus, doloris tamen loco accipimus. dolorem etiam minorem majore cum voluptate volumus: voluptatem minorem cum majore dolore nequaquam. Pari autem modo utrumque horum habere nos nolle, possumus declarare. hæc omnia multitudine, magnitudine, intensione, æqualitate, horumque contrariis, ad electionem singulorum voluntatemque et differunt et non differunt. cum hæc necessario sic se habeant, eam quidem vitam, in qua cum utraque multa magna intensaque fiunt, voluptates tamen excedunt, volumus: eam autem, in qua contraria. nolumus. Atque eam rursus, in qua, licet utraque parva et remissa sint, molesta tamen superant, nolumus: sed eam, in qua contraria, volumus. si autem æqualia sunt, de æquali vita, ut diximus, cogitandum. volumus enim, quæ illo excedunt, quod nos diligimus: et nolumus, quæ contrario superant. considerare oportet, quemadmodum omnes vitæ nostræ in his connexæ naturaliter sunt, et quas natura velimus. si quid autem præter hæc velle nos dicimus, ignorantia quadam imperitiaque vitarum id dicimus. quænam igitur et quot vitæ sunt, in quibus nosse oportet, quod volendum et quod nolendum, quod sponte fieri solet et quod contra: hisque cognitis legem sibi ipsi præscribere: atque inde quod sibi amicum est simul et jucundum et optimum pulcherrimumque eligere, ut quis, quoad homini licet, beatissime vivat? temperatam vitam unam esse dicamus, prudentem alteram, tertiam fortem, sanam denique quartam. et quatuor his alias contrarias quatuor statuamus, imprudentem, ignavam, intemperatam, ægrotantem. quisquis vitam noverit temperatam, mitem in omnibus et moderatam ponet: quæ dolores quietos, voluptates remissas, [734] molles cupiditates, amores minime furiosos habeat. Intemperatam vero in omnibus acrem, quæ doloribus vehementibus et vehementibus voluptatibus, cupiditatibus ardentibus furiosisque et insanis mirum in modum amoribus agitetur. Sed superant in vita quidem temperata voluptates, dolores autem superantur: in vita intemperata contra voluptates a doloribus superantur magnitudine, multitudine, atque frequentia. Quo fit, ut necessario altera nobis secundum naturam vita jucundior sit, altera tristior, et volentem jucunde vivere, sponte intemperanterque vivere non permittat. constat enim, si, quod nunc dictum est, recte est dictum, quod necesse sit intemperatum omnem præter sententiam esse talem. quippe vel per ignorantiam vel incontinentiam vel utramque omnis humana turba expers temperantiæ vivit. Similiter de sana et ægrotante vita est cogitandum, quod et dolores et voluptates habeant: sed in sanitate voluptates excedant, in ægrotatione dolores. Nostra vero voluntas in deligendo genere vitæ non est, ut dolor superet. ubi autem superatur, eam vitam jucundiorem judicavimus. Temperatus igitur intemperato, prudens imprudente, fortis ignavo, utraque pauciora, minora, rarioraque habet: et alter voluptatibus, alter doloribus superat: ita ut fortis ignavum, prudens amentem, temperatus petulantem, sanus ægrotantem voluptate superet. utque in summam redigantur, quæ vita virtutis corpore aut animo particeps est, ea est jucundior altera: et pulchritudine, rectitudine, potentia et gloria præstat: ita ut qui in ea constitutus est, felicius contrario in omnibus vivat. Verum exordium legum jam finem accipiat. Post exordium legem sequi necesse est: immo vero leges deinceps reipublicæ revera conscribendæ sunt. Quemadmodum igitur quæcunque texuntur, non ex similibus omnino trama stamineque texuntur, [735] sed staminis genus robustius atque firmius est, tramæ mollius, ut facilius cedat: ita homines, qui magistratus gesturi in civitate sunt, eodem modo discerni semper oportet, et

eos, qui in leviori eruditione comprobentur. Duæ vero sunt in republica species: altera magistratuum, altera legum constitutio. Ante vero hæc omnia ita cogitandum est: Cum pastor atque bubulcus equorumque curator ceterique hujusmodi greges et armenta susceperint, non antea curant, quam singulis convenientem purgationem adhibeant. porro sanis ab ægrotantibus generosisque ab ignavis segregatis, altera in greges alios mittent, altera vero curabunt, non ignorantes aliter frustra se tam pro corpore quam pro anima laboraturos. nempe naturæ et educationis pravitas ita corrumpit, ut nisi quis segreget sanorum integrorumque morum ac corporum genus, in singulis contagione interimant. sed de ceteris quidem animalibus minor cura, et exempli causa solum eorum mentio facienda. de hominibus vero maximum studium legislator habebit, ac diligenter rimabitur omnia, ut singulis consentanea scribere queat, tum de lustratione tum de ceteris omnibus actionibus. sic igitur civitatis lustrationes se habent. multæ enim sunt: et aliæ leviores, graviores aliæ. ac si quis tyrannus simul legisque lator sit, difficilibus et optimis lustrationibus uti poterit. legis autem latori absque tyrannide, qui leges novas atque rempublicam fundet, satis erit factum, si purgationem mitissimam adhibuerit. nam exactissima purificatio, quemadmodum medicina quæ validior corporibus adhibetur, doloris plena est et cum ultione justa pœnam infert, morte peccantem aut exsilio damnans. eos enim, qui maxima peccata patrarunt, si insanabiles sint, quoniam civitati maxime noceant, removere omnino solet. mitior vero purgatio hujusmodi nobis est: qui enim ob inopiam victus duces quærunt, hisque sponte se offerunt, [736] secuturi ex egestate adversus eos qui non egent, hos, tanquam morbum civitatem labefactantem, honesto coloniæ nomine benigne expellit. hæc omni legumlatori quodammodo a principio, ut diximus, facienda. nobis autem difficiliora quædam in præsentia evenerunt. nam neque coloniam neque delectum aliquem purgandi gratia ad præsens excogitare oportet; sed, quasi ex multis fontibus torrentibusque aqua ad lacunas easdem confluat, necesse est observare, ut, qui undique confluit humor, partim exhauriendo, effundendoque, partim derivando atque divertendo quam mundissimus sit. labor autem, ut videtur, et periculum est in omni constitutione civili. quoniam vero non re nunc, sed verbis agitur, perfectus jam nobis sit delectus, sitque, ut desideramus, facta purgatio. nam malos, qui hanc civitatem adire gubernatur contendent, cum satis longo tempore examinaverimus, omni persuasione accedere prohibemus: probos autem pro viribus benevolos propitiosque facientes alliciemus. sed neque latere nos debet, quam feliciter nobiscum actum sit. quippe quemadmodum Herculidarum coloniam felicem fuisse diximus, quoniam dividendorum agrorum innovandarumque tabularum gravem et periculosam contentionem effugit, quam quidem rem veterum civitas leges ferre coacta, neque prætermittere potest omnino neque movere quodammodo: ita ferme et nobis accidisse videtur. solum ergo, ut ita dicam, restat votum, parvaque mutatio cauta, parum longo in tempore transmutantibus. est autem hæc, ut in his mutationibus faciendis una cum debitoribus multis multos quoque agros cives possideant, velintque humaniter cum egenis communicare, partim mittendo, partim accipiendo, colentes mediocritatem, existimantesque paupertatem non in diminutione pecuniarum sed in acquirendi insatiabili cupiditate consistere. hoc enim civitati maximum est salutis initium, super quo, quasi stabili fundamento, ædificare postea, quicquid civitati decorum et huic constitutioni congruum sit, facile quisque poterit. sed si fundamentum hoc debile ruinosumque fuerit, [737] nulla civilis opera prospere deinde succedet. itaque nos, id fugientes, immo vero verbis, quo pacto fugiendum sit, ostendentes, dicimus nullam esse aliam aut latam aut angustam fugiendi viam, nisi

ut colamus justitiam neque acquirendi cupiditatem sequamur. atque hoc jam nobis quasi quoddam civitatis sustentaculum et præsidium sit fundatum. census enim, quos sibi cives paraverint, carent quodammodo crimine oportet, vel ulterius in acquirendo progredi ultro desistant, quibus invicem vetera crimina habentur, quique vel paulum mentis compotes sint. illi autem, quibus Deus dedit, quemadmodum et nobis, novæ civitatis constitutionem, in qua nullæ inimicitiæ sunt, si propter habitationum agrorumque distributionem inimicitiarum sibi causas dederint, non humanæ cujusdam sed pessimæ ignorantiæ crimine notabuntur. Quis erit igitur rectæ distributionis modus? primum quidem, quantum esse oporteat, numerum constituendum censeo: deinde asseverandum, per quod qualesque partes distributio sit civibus facienda: postremo agros habitationesque ipsas æqualiter quam maxime dividendum. quanta autem multitudo sufficiens sit, non aliter recte dicitur, quam agrorum vicinarumque civitatum collatione. Ager quidem tantus sit, ut tot moderatis hominibus sufficiat, neque majori opus. tot vero esse debent, ut injuriantes vicinos possint depellere, et injuriam patientibus auxiliari. his inspectis, et agrum et vicinos opere verbisque definiemus. nunc vero exempli descriptionisque causa, ut res ipsa perficiatur, ad ferendam legem sermo descendat. quinquis mille et quadraginta sint convenientis cujusdam numeri gratia agrorum participes distributionisque defensores. ager autem et habitationes similiter easdem in partes distribuantur, ut vir et portio cum distributione conveniant. et imprimis duas in partes totius numeri partitio fiat, deinde in tres: licet et in quarta et in quinta, et usque ad decem deinceps. oportet certe omnem legislatorem tantum de numeris intelligere, [738] ut quis qualisque numerus singulis civitatibus commodissimus sit, non ignoret. dicamus autem eum numerum, qui plurimas et præsertim deinceps ordine dispositas in se ipso distributiones recipit. porro universus numerus omnes in omnia partitiones habet. sed quinquies millium et quadraginta numerus et ad bellum et ad pacem, ad contraria omnia, societates, tributa, distributiones, non in plures, quam unam de sexaginta partes incidi potest: (Aliter legitur. in sexaginta partes una dumtaxat indigentes incidi potest.) ab una autem ad decem usque continuas. verum in otio hæc illis firmiter capienda, quibus lege res ista commissa sit. atque hæc non aliter quam ita se habent. dicenda hæc sunt hujus rei gratia illi, qui civitatem condit. nempe sive ab initio novam fundet seu veterem dissipatamque restituat, circa Deos et sacra, quæ singulis statim in civitate deceat, et a quibuscunque Diis vel dæmonibus nominari, nemo mentis compos innovare illa conabitur, quæ ex Delphis aut Dodone aut Hammone accepta sunt, vel prisca quadam oratione per visiones inspirationesque Deorum sunt asserta: quibus approbatis veteres sacra solennitatibus mixta constituerint, sive ab indigenis orta sive Tyrrena dicantur sive Cypria sive undecunque volueris. et his sermonibus famam traditam simulacraque consecrarint, aras quoque et templa sacrosque horum singulis agros statuerint. in his omnibus nec minimum quid legum conditor innovabit. sed Deum partibus singulis vel dæmonem vel heroëm aliquem tribuet. et in agrorum distributione primis lucos agrosque eximios et consentanea omnia dedicabit, ut singularum partium cœtus, statutis facti temporibus, et facultatem sui facilius ad quoslibet usus exhibeant, et sacrificando alter alterum benigne accipiant: unde et domestici fiant invicem seque cognoscant. quo quidem nihil civitati melius, quam videlicet ut cives invicem seque cognoscant. ubi enim non lux inter cives est in eorum moribus, sed tenebræ, ibi nec honores pro dignitate neque magistratus recte dabuntur, neque jus suum cuique tribui poterit. nihil est autem, si unum uni conferas, in quo majus studium in omnibus civitatibus ponere quisque debeat, quam in hoc: ut nec

ipse adulterinus esse unquam videatur, simplex semper ac verus : nec alius ipsum talis fraudetur. [739] Verum jactus, qui modo sequitur in ipsa legum positione, sicut in tessaris, ut proverbium habet, a sacro cum insolitus sit, forte primum mirari auditorem faciet. cogitanti tamen atque experto videbitur, secundo loco quoad optimum statum civitas sic institui. fortasse quispiam ipsam non suscipiet, quia consuetus non fuerit cum legumlatore more tyrannico in ferendis legibus non utenti. recte sane agetur, si optima respublica et secunda et tertia proponatur, deturque optio cuique, arbitratu suo quamlibet electuro. id nunc similiter nos agamus. et cum primam virtute rempublicam secundamque et tertiam exposuerimus, Cliniæ optionem demus, et cuique volenti, hæc suo more deligere, partique suæ, quod sibi placet, tribuere. prima igitur civitas est et respublica legesque optimæ. ubi quam maxime per universam civitatem priscum illud proverbium locum habet, quo fertur vere amicorum omnia esse communia. certe in hoc præcipue virtutis erit terminus, quo nullus poni rectior poterit, si alicubi videlicet aut fit istud aut unquam fiet, ut communes mulieres sint, communes et liberi : communis quoque omnis pecunia ; omnique studio, quod proprium dicitur, undique e vita remotum sit : usque adeo, ut ea etiam, quæ propria singulis natura sunt, communia quoddammodo fiant : ut et oculi et aures et manus communem in usum cernere, audire, agere videantur : laudentque et vituperent eadem similiter omnes, eisdem rebus gaudentes eisdemque dolentes : ac denique pro viribus sub his legibus vivant, quæ unam quam maxime civitatem efficiunt. talem utique civitatem sive Dii alicubi sive Deorum filii uno plures habitent, ita viventes eamque servantes omni certe referti gaudio vivunt. quapropter rei publicæ exemplar non alibi considerare oportet, sed hac inspecta talem maxime pro viribus quærere. ea vero, quam hic nos aggressi sumus, si fiat, proxime quodammodo ad immortalitatem accedet : ac si non primo, saltem secundo loco erit una. sed de tertia postea, si voluerit Deus, determinabimus. nunc vero, quænam hæc sit et quo pacto talis fiat, consideremus. primum igitur domos agrosque sortiantur, nec agros communiter colant. [740] nam majus hoc est quam hæc generatio nutritioque et educatio ferre possit. sed hac mente ita distribuant, ut putent singuli, sortem suam toti civitati esse communem. quippe cum ea regio patria sit, magis eam colere debent quam filii matrem. hæc enim, cum Dea sit, domina mortalium est. idem quoque de indigenis tam Diis quam dæmonibus est censendum : sed ut ista sic omne per tempus durent, danda opera est ; ut, quot nunc foci numero distributi sunt, totidem semper futuri sint, neque plures unquam neque pauciores. quod ita firmiter in omni civitate fiet, si sortem nactus quisque semper unum de filiis suis tantum, quem malit, domus ipsius heredem relinquat et successorem, cultoremque Deorum et civitatis et generis tam viventium quam defunctorum. ex reliquis autem filiis, si plures uno sibi nati sunt, feminas quidem secundum legem, quæ sancietur, collocet : mares autem civibus illis, quibus filii non sunt, adoptione committat, maxime quidem per gratiam. si vero gratiæ quosdam deficiant, aut si plures vel mares vel feminæ singulis nascantur, aut contra si pauciores, cum mulieres forte fœcundæ non fuerint, de omnibus istis maximus præstantissimusque magistratus, quid fieri oporteat, diligenter consideret : viamque omnino inveniat, sive abundet filiorum fœtura sive deficiat, ut quinquies mille et quadraginta habitationes solummodo semper maneant. multæ autem sunt viæ. nam et prohiberi genere, cum nimis affluit, potest : et contra, cum opus est, ut augeatur, curari : ac vel honore vel dedecore monitionibusque senum ad juvenes licet ad eam homines adhortari. denique hinc omnis defectus oritur et inopia, cum quinquies millium et quadraginta domorum numerus non servatur. quod si ob nimium in pro-

creandis liberis studium sic aucta sit civitas, ut numeri modum excedat atque ita inopia rerum prematur, vetus illud repetatur consilium, quod sæpe jam dictum est, ut colonia mittatur cara a caris, quo commodius agi posse videbitur. si vero contra morborum hues bellorumve calamitas veluti quadam illuvione ita devastaverit civitatem, [741] ut multo pauciores statuto numero superstites sint, sponte quidem alicui cives, adulterina educati disciplina, suscipiendi non sunt. necessitatem autem nec Deus, ut dicitur, violabit. præsentem igitur orationem existimemus hunc in modum nostrorum auribus insonare: O virorum omnium optimi, similitudinem et æqualitatem, quodve idem est et consentiens, honorate secundum naturam: neque id unquam transgrediamini, sive secundum numerum sive secundum potentiam bonarum rerum atque pulchrarum. et nunc quidem imprimis per omnem vitam numerum, quem prædiximus, conservate. deinde censum, quem ab initio mediocrem sortiti estis, ne negligite emendo invicem et vendendo. alioquin neque Deus ipse distributor, neque legis conditor vobis favebit. nunc enim primum refragantibus lex præcipit, iis præfata, ut in his sortiantur, quicunque velint, vel non sortiantur: perinde ac si regio ipsa imprimis Diis omnibus sit sacrata, deinde sacerdotes omnes, tam mulieres quam viri, precaturi sint primis in sacris secundisque et tertiis, ut et emptor et venditor domiciliorum et prædiorum, quæ sortiti sunt, quæ in his perpeti convenit, patiantur. scribent autem in sacris ad posteritatis instructionem cupressea monimenta: præterea, ut ista serventur, eorum custodiam magistratui illi committent, qui acutissime videtur inspicere; ne lateat eos, si qua forte præter rationem hanc commercia fiant, sed quicunque legi ac Deo non obtemperat, puniatur. atqui quantum bonum sit quod modo præcipitur, suo ordine præparatum, quantumque prosit obsequentibus civitatibus, secundum antiquum proverbium, nullus unquam pravus intelliget, sed expertus duntaxat et æquis in moribus educatus. quæstus in hac civitate non multus. neque enim oportet in ea neque licet illiberali quæstui quemquam incumbere, neque mechanicum illud et infame quærere lucrum, quod mores generosos inquinat: neque existimare ullo pacto vilibus ex rebus et turpibus pecunias cumulandas. accedit ad hæc et alia lex, quæ jubet, [742] ne quis privatus vel aurum habeat vel argentum. sed quia nummis opus est quotidianæ commutationis gratia, quæ inter artifices et hujusmodi ferme est necessaria, cum mercenariis et servis et colonis merces aliqua debeatur: iccirco nummos habere concedimus tales, ut apud eos quidem habeantur in pretio, a ceteris vero gentibus contemnantur. at vero cum et bella sæpe gerenda sint et peregre proficiscendum, quando ad externas gentes legati nuntiique mittuntur, necesse est ut civitas semper communem Græciæ monetam possideat. si qua vero necessitas privatum peregre proficisci coëgerit, magistratuum venia proficiscatur. reversus autem, si peregrinis nummis abundat, cum civitatis nummis eos commutet civitatique restituat. quod si quis occultare eos et in privatum usum convertere deprehensus fuerit, publicum fiat, quod occultabat. conscii autem, qui non accusaverunt, maledictis atque opprobriis una cum illo subjiciantur: atque etiam non minore mulcta puniantur, quam allatus peregre nummus fuerit. nemini præterea aut dare dotes aut accipere liceat: neque pecuniam deponere apud eum, cui non adhibes fidem neque fœnerare: liceatque, si quis in fœnus acceperit, nec usuram nec sortem reddere. hæc autem civitati optima esse, sic recte quispiam judicabit, si ad præcipuam ipsam recti legumlatoris semper referat voluntatem. nam viri civilis mentem habentis non ea voluntas est, ut nos asserimus, quam in legumlatore optimo esse debere multi affirmant, ut quam maximam et ditissimam esse velit civitatem, auro et argento refertam, ac terra marique plurimis dominantem. quibus addunt,

ut quam optimam etiam ac felicissimam esse velit, si recte leges laturus est. sed horum quidem alia fieri possunt, alia minime : possibilia igitur volet fundator legum, impossibilia nec volet. nam vana esset cupiditas, neque aggreditur. felices ergo et probos esse, quæ simul necessario ferme fieri solent, volet quidem. divites autem valde simulque probos esse impossibile. dico autem divites, ut multi existimant, asserentes eos esse divites, qui pauci e multis pecunias plurimas possident, quas etiam posset malus quilibet possidere. quod si ita est, [743] nunquam ego his concedam divitem revera esse felicem, nisi etiam bonus sit. fieri vero non potest, ut divitiis aliquis simul præstet et probitate. cur ita ? forte quispiam dixerit. quia, dicemus, acquisitio tam injuste quam juste facta plus quam duplo eam superat, quæ solummodo juste fit ; et impendia, quæ nec honeste nec turpiter impenduntur, duplo minora sunt illis, quæ honesta sunt honesteque impenduntur. nunquam igitur illo, qui duplo plus acquirit et dimidio minus erogat, ditior is erit, qui contra facit. est autem alter istorum probus, alter non malus quidem, quando dumtaxat parcus est, nonnunquam vero malus omnino, bonus autem, ut modo diximus, nunquam. nam qui et juste pariter et injuste pecunias cumulat, neque juste impendit neque injuste, dives fit, quando est parcus. sed qui omnino malus, quoniam ut plurimum nepos et prodigus est, valde pauper fit. an qui honeste expendit et juste solum acquirit, neque facile divitiis excellet unquam neque premetur inopia. recte itaque sermo noster asserit, valde divites bonos viros non esse. quod si boni non sunt, felices quoque non erunt. nobis autem legum huc sanctio respicit, ut felicissimi cives sint ac maxime inter se amici. qui sane amici nunquam erunt, si mutuis injuriis vexati plurimis litigando uti cogantur judiciis : sed si quam minima hæc sint atque paucissima. quapropter oportere dicimus nec aurum nec argentum esse in civitate, neque quæstum insuper multum in mechanicis operibus cauponationibusque et fœnore, nec ex pecoribus turpiter : sed ab his, quæ agricultura offert ac præbet : atque hoc ita, ut quæstus non cogat ea negligere, quorum causa quæruntur pecuniæ. hæc vero anima et corpus sunt : quæ absque gymnastica et alia disciplina nullius pretii unquam erunt. quare pecuniarum cura, ut sæpius jam dictum est, ultimum honoris teneat locum. quippe cum tria sint omnia, in quibus homines studium ponunt, ultimum ac tertium est, si recte habeatur, pecuniæ studium : medium corporis : animi primum. atqui hæc ipsa, quam nunc condimus, respublica, si honores ita distribuit, recte disponitur. [744] Si qua autem lex aut temperantiæ sanitatem corporis aut sanitati et temperantiæ divitias anteponit, non recte posita esse videtur. sæpius itaque legislator protestari debet, quid ipse velit, quid, si contigerit, bene succedet. sin minus, instituti sui spes eum frustrabitur. atque ita forsan et ipse a ferendis legibus sese ac ceteros vindicabit : aliter nullo modo. Qui ergo partem suam sortitus est, eam, qua diximus conditione, possideat. probe autem fieret, si cetera omnia, quæ veniunt in coloniam, æqualiter possiderent. cum autem fieri id non possit, sed alius veniens plus habebit pecuniæ, alius minus ; multorum et æqualitatis in civitate temporum opportunitatumque causa opus est, ut inæquales in ea census constituantur : ut magistratus, vectigalia, distributionesque secundum dignitatem singuli, non solum suæ majorumque virtutis, aut formæ aut virium corporis, verum etiam secundum divitiarum et paupertatis usum, quoad fieri potest, æqualiter, videlicet inæquali quidem portione, sed facile coæquabili, accipientes nequaquam contendant. horum causa quatuor magnitudine differentes bonorum census fieri oportet : Primos, Secundos, Tertios et Quartos, aut quibusvis aliis nominibus appellatos : ut alii eodem in censu permaneant, alii ditiores pauperesve facti, in censum sibi conve-

nientem pertranseant. ad hæc legis figuram, quæ sequitur, ego ponam. nempe oportere dicimus, ut in civitate, quæ summi morbi expers futura sit, quod discidium aut seditionem rectius appellarim, nec extrema in aliquibus civium inopia sit: nec ingentes divitiæ. nam utraque illa ab utrisque his pariuntur. quare oportet, ut a legislatore utrisque terminus statuatur. sit itaque paupertatis terminus census sortis, quam stabilem esse oportet, quamve minorem alicui esse nec magistratus ullus patietur nec alius quisquam, cui curæ sit virtus. cum legislator his mensuram suam præscripserit, duplum ad hanc et triplum et quadruplum haberi permittet. plura vero si quis habeat sive reperta seu donata quæstu parta seu quavis alia fortuna hujusmodi comparata : [745] si omne, quod superest, civitati et Diis civitatis tutoribus dederit, indemnis et laudabilis sit. sin autem legi non obtemperaverit, quisquis hoc detulerit, dimidium consequatur : dimidium diis consecretur : ille autem æquali suorum bonorum parte mulctetur. Quæcunque vero possident ultra sortem, apud magistratum, horum custodem a lege constitutum, aperto scribantur, ut omnia de pecuniis judicia facilia sint et valde clara. Post hæc urbs primum in medio regionis, quoad fieri potest, condatur, in loco, qui cetera quoque civitatis habeat commoda : quæ nec intellectu nec dictu difficilia sunt. deinde in partes duodecim partitio fiat, et Vestæ prima Jovique et Palladi consecretur, eaque arx circulo circumducto : a quo et regionem et urbem partes duodecim partiantur. quæ quidem ita æquales fiant, ut agri fœcundi minores sint, infœcundi majores. sortes vero quinquies mille et quadraginta scindantur, quarum bipartito quælibet dividatur. consortiri quoque oportet portiones duas, quarum utraque remotioris et propinquioris sit particeps : ita ut pars urbi proxima cum remotissima parte sors una fiat : secunda quoque ab urbe, cum secunda a remotissima : ceteraque omnia eodem pacto. danda etiam opera est, ut in geminis his partitionibus, quod modo de fœcunditate regionis et infœcunditate diximus, peragatur : ut videlicet in eis multitudine et paucitate distributionis æquatio fiat. quin etiam dividere in partes duodecim viros oportet, quemadmodum et cetera bona, omnium prorsus æqualitate servata, omniaque describere. deinde duodecim sortes Diis duodecim attribuere : et partem quamlibet sortis participem suo consecrare Deo, tribumque ipsam vocare. sed et duodecim urbis membra, sicut in reliqua regione factum est, sigillatim in habitationes duas dividenda sunt : unam quidem circa medium, circa extremum alteram. et habitationis quidem ordo hunc habeat finem. illud autem cogitare omnino debemus, quod ea, quæ diximus, nunquam talem opportunitatem nacta omnia ita concurrent, [746] ut quemadmodum descripta sunt, fiant, et viri habitationem hujusmodi non ferant moleste, sed æquo animo patiantur : pecuniasque habere velint per totam vitam, ut statuimus, mediocres. filiorum præterea generationes ita singulis sint, ut diximus : ac auro et argento careant et ceteris omnibus, quæ legislator ex supra dictis dicturus esse videtur : ad hæc regionis et urbis in medio et in extremis sicut ordinavimus ubique habitationes : quæ quidem omnia, quasi somnia quædam, dicuntur, civesque per hæc et civitas quasi ex cera formantur. hæc utique modo quodam non male opponuntur : sed ea quoque narranda, quæ legislator adversus diceret. ne fugere me existimetis, amici, quod modo dictum est, vere quodammodo dici. sed par est, ut arbitror, in singulis, ut is, qui exemplar proponit, ad cujus similitudinem opus fieri debeat, nihil omnino prætereat, quod ad verissimam ejus conveniat pulchritudinem. si quis autem ex his nonnulla imitando assequi nequit, quæ supra vires sunt prætermittat : quod et his proximum est, eorumque, quæ fieri convenit, cognatissimum, omni studio prosequatur : permittatque legislatorem voluntati suæ

finem imponere. quo facto communiter cum illo consideret, quid ex dictis conferat, quidve ferendis legibus adversetur. nam opus undique sibi ipsi consentiens, artifex omnis ubique agere debet, etiam in re minima : si modo sit laudem consecuturus. Nunc jam post duodecim partium distributionem animadvertendum est, quod, cum duodecim partes istæ plurimas in se portiones portionibusque connexa et orientia ex connexis habeant, usque ad quinque millia et quadraginta. unde et tribus et gentes et vicos habent, et ad rem bellicam ordines atque ductus, nummos præterea et mensuras siccorum atque humidorum, et pondera similiter, hæc omnia commensurata et consona inter se a legislatore ordinari debent. præterea timendum non est pusillanimitatis opinio, quasi parva nimium considerentur, si quis jubeat, ut vasa et supellectilia civium omnia mensuram habeant suam, nullumque sine certa mensura possideatur : [747] et communi ratione censeat ad omnia perutiles esse numerorum partitiones varietatesque, secundum quas et ipsi inter se ipsos varii sunt, et in longitudine et profunditate ac vocibus varietatem accipiunt, in motibus quoque, tam recto motu ascendendo vel descendendo, quam circuitu. ad hæc omnia ita respicere debet legislator, ut civibus omnibus præcipiat, ne ab hujusmodi numerorum ordine, quoad possunt, discedant. nulla enim alia una pueritiæ disciplina, ad rei familiaris gubernationem, ad rempublicam, ad artes denique universas tantam habet vim, quantam hujusmodi numerorum cognitio. quodque maximum est, somnolentos etiam et natura rudes exsuscitat, et dociles, memores, sollertesque facit, præter naturam suam divina arte proficientes. Quæ quidem omnia, si modo legibus aliis atque officiis illiberalitas et avaritia ex eorum animis exstirpata sit, qui ea sufficienter et utiliter suscepturi sint, bona rudimenta et commoda sunt. sin minus, malitia hinc potius quam sapientia clam originem trahet : quod Ægyptiis et Phœnicibus multisque aliis gentibus nunc videmus contingere propter ceterarum artium facultatumque illiberalitatem : sive quis rudis legumlator id fecerit, sive fortuna infensa, sive alia hujusmodi quædam natura. nec enim illud, o Clinia et Megille, nos fugiat, magnam esse locorum ad ferendos meliores pejoresque homines differentiam : quibus diversa, prout expedit, legibus sancienda sunt. quippe alii varietate ventorum et turbine difficiles et protervi sunt : alii propter aquas ; alii propter cibos, qui ex terra non solum corporibus commodi aut incommodi oriuntur, verum animis quoque non minus. maxime autem loca regionis differunt, in quibus inspiratio quædam divina est, et quæ dæmones sortiti sunt, qui habitantes propitii vel contra suscipiunt. quibus pro humano ingenio consideratis, mentis compos legum conditor, se ad leges ferendas convertet. quod et tibi est, o Clinia, faciendum. prius enim hæc tibi animadvertenda sunt, quam habitari facias regionem. Cli. Egregie, o Atheniensis hospes, hæc abs te dicta sunt. quare et mihi ita est faciendum.

LIB. VI.

[751] Post omnia, quæ hactenus diximus, ferme jam magistratus in civitate constituendi videntur. Cli. Ita certe. Athen. Duæ profecto hæ species in ornatu reipublicæ sunt. prima magistratuum constitutio : quot esse oporteat et quo pacto constitui. altera legum redditio magistratibus : quæ, quot qualesque sint singulis consentaneæ. sed parumper, antequam magistratus eligamus, commorati, nonnulla ad ipsorum electionem pertinentia declaremus. Cli. Quænam hæc ?

Athen. Audi jam. nemini dubium est, quod, cum magna res legumlatio, sit si quis civitati per leges bene paratæ non idoneos magistratus constituat, quamvis leges bene positæ sint, tamen non modo id nihil proderit risumque movebit, verum etiam calamitates maximas civitatibus pariet. Cli. Plane. Athen. Hoc itaque considerandum, amice, quemadmodum in hac tua civitate republicaque contingit. vides enim eos, qui recte magistratus accepturi sint, oportere primo satis ab adolescentia probatos fuisse, tam ipsos quam suos, usque ad ipsam electionem : deinde eos etiam, qui suffragia ferunt, legitimis esse moribus educatos : ut facile queant admittendos et repellendos cognoscere, et erga utrosque pro dignitate se gerere. at vero qui nuper convenerunt, cum nec se invicem satis cognoscant, neque adhuc eruditi sint, quomodo recte unquam magistratus eligere poterunt? Cli. Nullo erme unquam pacto. Athen. Sed enim certamen excusationes non facile suscipit. hoc autem et mihi nunc et tibi faciendum est : postquam et tu civitatis Cretensibus instituendæ officium libenti animo suscepisti, ac decimus es in hoc opere, ut ipse dicis : [752] et ego tibi auxilium præsenti confabulatione afferre promisi. quare sermonem hunc nostrum sine capite restare non patiar. nam si ita vagaretur, deformis omnibus appareret. Cli. Optime dixisti, hospes. Athen. Immo etiam sic pro viribus faciam. Cli. Faciamus sic prorsus, ut dicimus. Athen. Faciemus utique, si Deus voluerit, sic, ut etiam senectam in hac parte superemus. Cli. At Deum velle credendum est. Athen. Credendum profecto. quare ipsum sequentes hoc etiam dicamus. Cli. Quidnam? Athen. Quam audacter simul atque periculose modo civitatis habitatio nobis constituetur. Cli. Quorsum hæc? Athen. Quia facile et intrepide rudibus hominibus leges damus, utque ipsas suscipiant, jubemus : cum omnibus ferme, o Clinia, etiam non multum sapientibus, perspicuum sit, neminem leges novas facile suscepturum. si vero tamdiu exspectaremus, donec legibus instituti pueri, unaque et diu sub eisdem legibus conversati, suffragia universæ civitati ferre possint, atque id pro viribus recte fieret, certe et tunc et in posterum procul ab errore sic instructa civitas permaneret. Cli. Sic ratio monet. Athen. Perspiciamus ergo, si modum quendam ad hæc commodum ita ferre possimus. Gnosios oportet, o Clinia, præ ceteris Cretensibus non solum quasi libando inchoare, quam nunc rempublicam conditis : sed omni studio providere, ut quam tutissime atque optime primi magistratus constituantur. In aliis quidem constituendis opera brevior : legum autem custodes ante alios creare summa diligentia necessarium est. Cli. Qua via istud rationeque faciemus? Athen. Hac, o Cretenses, inquam. Oportet Gnosios, quando multarum ipsi civitatum primi sunt, communiter cum his, qui in eandem convenere coloniam, a se ipsis et ab illis septem et triginta viros eligere : novem quidem decemque ex eorum numero, qui coloniam habitabunt, [753] ex Gnoso ipsa reliquos. hos utique Gnosii tuæ dent civitati, te quoque ipsum, ut hujus coloniæ civem et unum de octo decemque viris. hæc aut persuadendo aut vi mediocriter cogendo faciant. Cli. Quid vero? nonne et tu, hospes, et Megillus iste reipublicæ hujus nobiscum participes? Athen. Magni, o Clinia, Athenienses, magni quoque Lacedæmonii se faciunt : et longe utrique incolunt. tibi autem omnia commode se habent : et habitatoribus aliis similiter, secundum ea, quæ de te modo dicta sunt : et quæ tibi atque illis hac tempestate convenientissime fieri possunt, exposita. progressu autem temporis, et republica permanente, hujusmodi magistratuum designatio fiat. quicunque arma sive equites sive pedites ferre possunt, bellisque in ætatis suæ ordine interfuerunt, suffragium ineant : comitiaque in templo habeantur, quod præstantissimum civitas ducat. unusquisque autem in ara

Dei nomen suum et patris et tribus et gentis in tabula scriptum deponat : liceatque cuique, si velit, quamcunque tabulam non recte scriptam suspicabitur, in loco publico ponere, ubi non minus quam triginta dies permaneat. trecentasque tabulas sic approbatas universæ civitati magistratus ostendant : quæ, quos velit de istis, iterum et accipiat et rejiciat. centumque ita secundo delecti rursus omnibus ostendantur : tertio vero nominet de centum viris quilibet, quemcunque voluerit. septem autem trigintaque viri eos, qui pluribus delecti suffragiis sunt, magistratus declarent. quinam igitur, o Clinia Megilleque, hæc omnia de magistratibus eorumque probatione in civitate constituent ? num intelligimus, in civitatibus sic ab initio conciliatis præesse aliquos oportere ? qui vero ex omnibus magistratibus deligantur, in eis nequaquam reperiuntur. cum tamen eos esse oporteat non viles quosdam, sed summos viros atque præstantes. principium enim dimidium totius operis esse proverbio dicitur : atque eum, qui bene cœpit, omnes laudamus. mihi autem hoc plus quam dimidium esse videtur, rectumque principium nunquam satis ab aliquo laudatum fuisse. [754] Cli. Recte loqueris. Athen. Quare, cum nos id non lateat, ne silentio prætereamus : sed, quomodo fiat, perspicue declaremus ; quamvis ego nihil in præsentia, nisi hoc unum necessarium atque perutile habeam dicere. Cli. Quidnam ? Athen. Equidem civitatis hujus, quam condituri sumus, neminem aut patrem aut matrem esse aio, præter civitatem illam, quæ coloniam mittit. nec ignoro fuisse multas ac fore colonias, a civitatibus, quæ miserunt, discidio distractas. quemadmodum vero erga parentes se gerit filius, qui, quamvis adversaturus illis quandoque sit, in ipsa tamen pueritiæ indigentia genitores diligit ac vicissim diligitur, et ad suos semper refugiens in his solis præsidium reperit : ita quoque novam arbitror civitatem erga curatores ejus Gnosios et Gnosios erga civitatem novam affici. repeto igitur, quod modo dixi. non enim nocet bis dicere, quod bene dicitur. oportet, ut Gnosii horum omnium curam suscipiant, et de colonis viros seniores atque optimos non pauciores quam centum deligant, deque ipsis Gnosiis alios centum. quos in novam civitatem profectos, oportere arbitror operam dare, ut magistratus secundum leges constituantur et statuti comprobentur. his factis, Gnosum Gnosii redeant : nova vero civitas se ipsam servare ac feliciter vivere conetur. qui autem in septem et triginta virorum numero computati sunt, et nunc et postea semper istas res curent. primo quidem legum custodiam habeant : deinde etiam tabularum, ubi quisque magnitudinem sui census conscripserit. sitque maximus census minarum quatuor : secundus trium : duarum tertius : quartus unius. Quod si quis plus, quam in tabella scriptum dederit, habere deprehendatur ; quod superest, publicum fiat : præterea reus sit volentis eum tanquam infamem accusare, quando propter lucrum spernere leges inveniatur. atque eum, quicunque voluerit, turpis lucri nomine apud legum custodes accuset. et qui damnatus erit, publicarum possessionum sit expers : ac si qua bonorum in civitate distributio fiat, nihil præter sortem primam assequi possit : [755] damnatumque ipsum esse, quamdiu vivit, ibi scribatur, ubi, quicunque voluerit, possit legere. custos autem legum non plus quam annos viginti hunc habeat magistratum : nec pauciores natus quam quinquaginta eum gerat. ac si sexagesimum ætatis annum agens magistratum hunc nactus est, solum præsit decennium : hac utique ratione, ut qui septuagesimum annum excesserit, tantum magistratum non teneat. hæc igitur tria de legum custodibus præcepta sint. proficientibus vero legibus, quivis poterit his viris præcipere, quorum maxime curam præter ea, quæ modo diximus, habere eos oporteat. nunc vero nos deinceps de aliorum magistratuum delectu dicamus. Post hæc

duces exercitus eligendi sunt, eorumque ministri in bello, magistri equitum, tribuni militum peditumque ordinatores, quos merito multorum more præfectos ordinum nuncupabimus. igitur ipsi custodes legum hujusmodi exercitus duces futuros aliquos civitatis hujus cives proponant : suffragium ineant omnes, qui bellis in ætate convenienti interfuerunt, aut jam intersunt. quod si quis aliquem a nullo propositum proposito aliquo præstantiorem existimet, liceat ei loco ejus alium nominare, si modo prius, quod ita judicet, jurejurando confirmaverit. et nominatus majore suffragiorum numero deligatur. tres autem, quibus favetur plurimum, duces exercitus bellicarumque rerum curatores, quemadmodum custodes legum, comprobentur, qui præfectos ordinum duodecim, unum cuilibet tribui nominent. pronominatio autem et suffragium designatioque et judicium ita in his fiat, quemadmodum in exercitus ducibus. comitia vero in præsentia, antequam creetur consilium et præfecti consilio deligantur, custodes legum in sanctissimo sufficientissimoque loco habeant : ubi seorsum pedites et equites sedeant, tertioque deinceps ceteri, quicunque in armis versantur. et in eligendis quidem ductoribus et magistris equitum, omnes suffragium ineant, in præfectis ordinum solummodo qui scuta ferunt : [756] in tribunis militum equites omnes. at levis armaturæ aut sagittariorum ceterorumque hujusmodi præfectos ipsi duces exercitus sibi constituant. restat magistrorum equitum designatio. hos igitur illi nominent, qui ductores etiam exercitus nominarunt : suffragiumque feratur similiter. similiter quoque comparatio pronominando fiat. ferant vero suffragium præsentibus peditibus equites, atque duo, qui majori suffragiorum numero delecti sunt, omnibus præsint equitibus. pronominationem autem bis fieri liceat. tertio, si quis dubitet, illi suffragio judicent, qui comitiorum modum in singulos statuere. consilium triginta constet duodenariis. nam distributio huic per sexaginta trecentosque viros convenit. et in quatuor partes per nonaginta distribuatur, ita ut a censibus singulis consiliarii nonaginta ferantur. et primum quidem necessario ferant omnes, qui maximo censu sunt : et qui ferre supersederit, pro arbitrio condemnetur. postquam vero delati sunt, conscribantur. sequente die a secundo censu eodem pacto ferantur : tertia a tertio ferat, quicunque velit. necessarium vero sit istud trium censuum viris : quartus autem minimusque census a pœna sit liber, si quis eorum ferre noluerit. quarta die, ex quarto minimoque censu omnes ferant, hac conditione, ut si quis ex tertio vel quarto censu non tulerit, minime damnetur. si vero quispiam primi secundive census ferre neglexerit, condemnetur : ita ut, qui secundi census est, in triplo primi damni condemnetur ; qui vero primi est, in quadruplo. die quinta magistratus ad omnes cives descripta efferant nominum : de quibus omnes ferant. qui noluerit, primo damno condemnetur. eorum vero, qui ex omnibus censibus electi fuerint, dimidium, hoc est centum octuaginta, sorte ad annui senatus ordinem comprobetur. sic utique magistratuum creatio facta, inter unius et populi potestatem erit media : quarum medium tenere semper oportet rempublicam. [757] servi enim et domini amici nunquam erunt : nec probi et improbi, si æqualibus afficiantur honoribus. inæqualibus enim æqualia inæqualia fiunt, nisi mensuram accipiant. nam propter hæc utraque seditionibus replentur res publicæ. verus enim priscus ille sermo, ab æqualitate amicitiam procreari, recte admodum et concinne fertur. quoniam vero non satis apertum est, quænam sit æqualitas, qua id efficitur, iccirco nos valde turbamur. duæ quippe sunt æqualitates, eodem quidem nomine appellatæ, sed effectu in multis pæne contrariæ. et alteram omnis civitas legumque lator sorte disponendo potest in distribuendis honoribus adhibere, eam dico, quæ numero, pondere et mensura est æqualis : sed verissi-

mam optimamque æqualitatem non facile quis perspiciet. Jovis enim judicium est, et hominibus quidem pauca semper suggeritur : quatenus autem suppetit, tam privatis, quam civitatibus, bona omnia reddit. hæc sane majori plura, minori pauciora tribuit: utrisque videlicet secundum eorum naturam moderata. atqui et honores virtute majoribus semper majores ; minoribus autem virtute et disciplina minores, et utrisque secundum rationem, quod decet, impertit. ea enim certe nobis est civilis justitia. hanc nos appetere debemus ; atque ad hanc ipsam, o Clinia, æqualitatem respicere, dum hanc novam condimus et disponimus civitatem : et quisquis aliam instituit, eodem debet in legibus ferendis aspicere. non autem ad paucos tyrannos vel ad unum vel populi potestatem, sed ad justitiam semper inspiciendum. ea est, quam modo diximus, æqualis ipsius secundum naturam quotidie inæqualibus distributio. verumtamen necesse est, ut his duabus æqualitatibus in denominatione similibus civitas universa utatur, si tota velit procul ab omni seditione manere. æquabilitas enim illa laudabilis et æqua dijudicatio perfecti atque exacti, cum præter rectum judicium fit, violatur et frangitur. ideoque æqualitate sortis uti etiam necesse est ad multorum indignationem penitus devitandam. qua in re Deum bonamque fortunam precibus invocare oportet, ut sors ad id, quod est justissimum, dirigatur. sic igitur necessario utrisque æqualitatibus uti debemus ; sed in rebus admodum paucissimis ea æqualitate, cui fortuna opus est. [758] hæc ita ob hanc causam, o amici, necesse ab ea civitate, quæ salutem sit consecutura, servari. quemadmodum vero navis in medio pelago die nocteque custodibus indiget: ita quoque civitas, in medio aliarum civitatum fluctu posita, varii ssubjecta seditionibus ac semper captivitatis periculo proxima, perpetua eget custodia. propterea et ex die in noctem et ex nocte in diem succedere sibi invicem magistratus et custodes oportet, ut tradentium suscipientiumque custodiam successio nunquam desinat. quorum nihil multitudo celeriter facere potest. est autem necessarium, ut plurima consilii pars plurimum tempus permittatur in privatarum suarumque rerum administratione versari. duodecima vero pars ejus, in menses duodecim distributione facta, alia post aliam sigillatim custodiat : quæ unicuique, sive a civitate ipsa sive aliunde venienti, parata sit, seu nuntiare quicquam seu interrogare quispiam velit de his rebus, de quibus civitatem oporteat vel respondere ceteris civitatibus vel ab eis interrogationum responsiones accipere. novarum etiam gratia molitionum, quæ sæpe fieri solent, maxime quidem ne fiant, ac, si acciderint, ut quam celerrime sentiat civitas et remedium afferat : quod per cœtum civitati præsidentium fieri semper oportet, ut et quæ legibus et quæ repente civitati difficultates accedunt, dissolvantur. hæc omnia curet duodecima consilii pars, quietem in menses undecim habitura. quam quidem custodiam hæc consilii pars communiter cum aliis magistratibus in civitate semper agat oportet. atque urbana quidem probe hoc pacto ordinata erunt. totius autem reliquæ regionis quæ cura? quis ordo ? an cum civitas tota et universa regio in partes duodecim sit divisa, in civitate quidem ipsa viarum, habitationum, ædificationum, portuum, fori, fontium, sacrorum locorum, templorum ceterorumque hujusmodi omnium constituere curatores oportet ? Cli. Cur non ? [759] Athen. Dicamus igitur templis ædituos et sacerdotes, tam viros quam mulieres, præfici oportere. ad viarum autem ædificationumque exornandarum curam, ne aut homines injurientur, aut ipsæ feræ noceant, sed ut tam in ipso urbis ambitu quam in suburbiis, civitatibus consentanea quæque gerantur, tres sunt magistratuum species eligendæ. et rerum modo dictarum curatores appellentur ædiles : qui vero fori venditionisque curam habebunt, rerum venalium curatores : sacrorum autem sacerdotes. et sacerdotia quidem, quæ a parentibus per successionem seu viris sive

mulieribus tradita sunt, nequaquam movenda. si vero aut nullis aut paucis aliqua hujusmodi sunt, quod accidere par est illis, qui in novæ civitatis habitationem conveniunt: ubi hæc desunt, sacerdotes tam viri quam mulieres, et æditui constituendi sunt. quæ omnia partim delectione, partim sorte fieri oportet. atque in omni regione civitateque plebs cum illis, qui extra plebem sunt per amicitiam conjungenda, ut maxima sit in omnibus his consensio. et quæ ad sacerdotum creationem attinent, Deo committenda sunt, ut, quemadmodum illi placet, ita divina fortuna, cui tributum id sit, sortes ferat. in eorum autem, qui sortis suffragium assecuti sunt, examinatione ille est comprobandus, qui integer sit atque legitimus, deinde a domo quam maxime munda, expers quoque cædis omniumque hujusmodi, quæ adversus divinam rem committuntur: cujus et pater materque similiter vixerint. leges autem de rebus divinis a Delphis petantur, constituanturque illarum interpretes: atque his utendum. sacerdotium non diuturnius sit quam annuum. nec pauciores annos quam sexaginta natus sit, qui secundum sacras leges res divinas sufficienter est tractaturus. eademque de mulieribus sacris, quæ et de viris, statuta intelligantur, interpretes autem ter quatuor ferant tribus ipsæ quatuor, ex earum ordine unaquæque tres: ac tribus probatis, qui majori suffragio delecti sunt, reliquos novem Delphos mittant, ut ex quaque trinitate unus oraculo diligatur. comprobatio ipsorum ætasque talis, qualis et sacerdotum dicta est. hi per totam vitam interpretandi et exponendi habeant potestatem. et in defuncti vicem quatuor tribus inde alium eligant, unde puer ille defecit. quæstores et asservatores sacræ pecuniæ in templis singulis, qui lucorum agrorumque ipsis dedicatorum et fructuum conductionumque et locationum domini sint, [760] tres de maximis censibus pro templis maximis eligantur: duo pro minoribus: pro mediis maximeque concinnis unus. qui non aliter quam duces exercitus eligantur et comprobentur. atque hæc in rebus sacris, ut diximus, paragantur. Danda vero opera est, ut, quoad fieri potest, nihil sine custodia sit. civitatem quidem curent exercitus duces, ordinum præfecti, magistri equitum, tribuni, consilii principes, ædiles atque censores, postquam electi suo ordine fuerint. reliqua regio ita custodiatur. duodecim in partes æquales pro viribus regio tota divisa fuit. una itaque tribus, parti cuilibet sorte data, quinque in annum quasi agrorum curatores tribuumque principes deligat: quorum quisque sua ex tribu duodecim juvenes habeat, non minoris ætatis quam quinque et viginti annorum, neque majoris quam triginta. his singulis singulæ regionis partes per sortem menstruo tempore tribuantur, ut totius regionis omnes peritiam habeant. biennio autem imperandi et custodiendi curam habeant principes et custodes. cum primum partes custodiendas sortiti sunt, per menses singulos loca permutent: ad proximum quemque locum, et ad dexteram primum, circulariter custodiæ principes ducant. dexteram vero plagam appello, quæ solem orientem spectat. deinde in altero anno ad sinistram commutentur, ne regionis quoad unum anni tempus solum periti sint, sed et quid in quolibet tempore in quacunque regionis parte contingat, agnoscant. tertio autem anno quinque alii agrorum et custodiæ principes a primatibus tribuum deligantur, ipsorum duodecim curatores. cura vero et opera singulis in locis talis sit: primum, ut quam maxime adversus hostium impetum regio munita sit, foveis, ubicunque opus sit, effossis, turribusque et claustris pro viribus circumductis, nocere volentes arceant. ad hæc utique facienda subjugalibus servisque indigenis utantur, quando minime in suis operibus occupantur: [761] nonnullos ipsis præficientes loca omnia ita disponant, ut per ea difficile transire inimici possint, amici vero homines, pecudes, jugalia facile; quibus maxime pervia regio fiat. diligenterque procurent, ut pluviales aquæ non solum non noceant, verum etiam conferant,

ab altis montibus cavas in valles fluentes : ubi foveis parietibusque stagnare eas cogant, ut illic alveis pluviales aquæ combibitæ, inferioribus locis agrisque omnibus scatebras fontesque aquarum efficiant, locaque isto modo siccissima humore multo salubrique irrigent. fontes autem et fluvios arboribus ædificationibusque exornent. lucos quin etiam jugi irrigatione, et dedicatos Diis agros aquis immissis pinguefacere curent, et metallis humorem scatebrasque adhibeant : atque ita et abundantia omnia et templa Deorum reddant ornatiora. ubique autem in istis gymnasia juvenes, tam sibi commoda quam senibus, præparent, calidis balneis constitutis : et copiose siccis appositis lignis, ut et remedium ægrotantibus et lenimen labore defessis benevole afferatur. quæ sane curatio longe melior est, quam medici parum periti medela. hæc omnia ceteraque hujusmodi his locis ornamento utilitatique sunt, grato quodam cum ludo. summatim autem circa hæc studium hujusmodi sit. sexaginta viri singuli adscriptum sibi locum custodiant, non hostium causa solum, sed eorum etiam qui se amicos dicunt. et si quis inter vicinos ac cives, seu servus sive liber, alicui injuriam inferat, judicent in parvis quidem ipsi quinque principes : in majoribus autem decem et septem viri una cum duodecim, usque ad minas tres, de quocunque alter de altero conqueritur. nemo autem judex magistratusve sit, qui gesti officii sui rationem non referat : præter eos, qui regum instar finem rebus imponunt. atque et agrorum curatores, si quid adversus eos, quorum habent curam, contumeliose gerant, [762] inæqualiter onera inferentes, aut vi aliquid ab agricolis accipientes, sive adulatorum largitionibus, quibus judicium corrumpatur, muneribus quidem adulationibusque capti, opprobrio per universam urbem afficiantur : in aliis autem injuriis usque ad minam sponte sua vicinis colonisque dent mulctam. quod si nolunt in majoribus vel minoribus injuriis, quod debent, persolvere, quia sperent, cum de loco ad locum per singulos menses transeant, judicium ac pœnam effugere : in communi judicio accusentur : et, qui damnabitur, duplum reddat ei, quem injuria oppressit. vivant autem tam principes quam ceteri curatores agrorum biennium hoc pacto. Primum quidem omnibus communia singulis in locis habeantur convivia, quibuscunque defuerit, etiam si uno die aut una nocte excubarit, cum nec princeps ita ordinaverit neque necessitas ulla coegerit : si quinque viri eum damnent, scribantque in foro deseruisse custodiam, magnis afficiatur opprobriis, utpote qui, quantum in se est, rempublicam prodidit : et a quocunque obviam facto volentique cædere impune cædatur. omnes autem sexaginta viri observent, ne de principibus aliquis quicquam tale committat : et qui sensit audivitque, si non accusaverit, similiter eademque lege reus sit, qua qui peccavit, et acriori juvenum censura punitus in omnibus juvenum magistratibus contemnatur. atque hæc quidem omnia custodes legum diligenter prævideant : primo quidem, ne fiant : deinde, ut facta, prout jus postulat, puniantur. existimare de omnibus hominibus id quisque debet, quod, qui nunquam servivit, is laude dignus esse dominus nunquam poterit. ideoque gloriari quemque oportet magis, quod bene serviverit, quam quod bene fuerit dominatus : primum quidem legibus : quibus qui servit, Diis servit, deinde senioribus, qui honeste vixerunt. postremo totum hoc biennium custodes agrorum humillimum tenuissimumque victum agant. itaque duodecim viri cum quinque congregati inter se consultent, [763] quasi alios servos non habituri. nam agricolis quidem colonisque non in proprio ministerio, sed in publico solum utantur. in ceteris sic cogitent, ut servientes sibi ipsis victuri : æstate præterea atque hieme semper armati regionem omnem lustraturi : ut custodiant diligentius, dum loca omnia noverint. nulla quippe cognitione minor hæc esse videtur, qua exquisite ab omnibus regio universa cognoscitur. atque hujus gratia non minus quam voluptatis utili-

tatisque alterius, adolescentes alendis canibus et reliquæ venationi dare operam debent. hos ipsos studio etiam illo uti oportet, quod ab occultando a nonnullis appellatur : sed sive sic, sive agri custodia sit nominanda, sive quomodocunque aliter quisquam velit, oportet, ut qui civitatis suæ salutem exoptant, in ea se re pro viribus diligenter exerceant. sequitur, ut de censorum ædiliumque electione dicamus. sexaginta illos curatores agrorum tres sequuntur ædiles, tripartito duodecim partes urbis complexi: qui sane illos imitantur, viarum urbis curam habent, vulgariumque itinerum, quæ a regione in urbem tendunt : ædificationum quoque, ut secundum leges omnes fiant : aquarum præterea, quas custodes deduci in urbem curant : ut in fontes quam liquidissimæ sufficientesque ducantur, ac civitatem juvent pariter et exornent. oportet hos esse tales, ut, intermissa suorum cura, otium habeant ad publica procuranda. quapropter quisque a maximo censu, quem velit, ædilem futurum nominet : et de sex, qui suffragio ceteros superabunt, tres sorte deligant, quibus curæ ista sint. denique comprobati magistratum secundum præscriptas sibi leges peragant. censores deinceps, rerum venalium curatores, a primo secundoque censu quinque deligantur : eorumque electio eodem ferme modo, quo ædilium, transigatur. quippe de decem, qui ceteros suffragio superarint, quinque sorte designentur, et comprobati magistratus declarentur. nominet autem quemlibet unusquisque. [764] qui autem nolle accusabitur, drachmis quinquaginta damnetur, atque etiam iniquus existimetur. comitia communemque cœtum, quicunque velit, ingrediatur : atque ad id primi secundique census omnes cogantur. porro qui de his abfuerit, decem damnetur drachmis. tertii vero quartique census homines non cogantur : iccirco, qui non interfuit, indemnis sit : nisi forte principes, urgente quadam necessitate, adesse omnibus edixerint. est autem censorum officium, fori ordinem legibus statutum servare : fontium quoque et templorum, quæ in eo loco sunt, curam habere, ut ne quis illic injuriose quicquam agat : et si quis fecerit, servus quidem et peregrinus verberibus et vinculis pœnas luat, civis autem censoribus drachmis centum jure censorio condemnetur. majori vero mulcta, usque ad hujus duplam, isti, nisi ædiles quoque adsint, condemnare non possint. eadem quoque ædilibus in proprio magistratu mulctandi et puniendi conditio sit. nam usque ad minam condemnandi ipsi habeant potestatem : ad duplam vero mulctam censorum simul auctoritas requiratur. Post hæc musicæ et gymnasticæ magistratus duplices utriusque facultatis constituantur : alii disciplinæ, alii exercitationis causa. Qui disciplinæ præsunt, gymnasiorum doctrinarumque ornatum et discendi ordinem curent : operamque dent, ut tam mares quam feminæ in adolescentia honeste ad ista proficiscantur, honeste etiam commorentur. Exercitationis curam habeant in gymnastica et musica ipsi athlothetæ, qui munera imponunt atque declarant athletis, ipsis scilicet certatoribus. atque hi similiter duplices esse debent : circa musicam alii, alii circa gymnasticam. et in gymnastica quidem iidem pariter in hominum equorumve certaminibus : in musica vero alii in monodia, id est cantu et oratione funebri, et imitatione ipsa, sicut rhapsodorum, eorum scilicet, qui decantatorium componunt carmen, citharistarum, tibicinum ceterorumque talium : alii in chori cantu. primum igitur in chori ludo, ubi viri, pueri et puellæ tripudio ceterisque musicæ modis exercentur, principes eligendi. unus autem illis sufficit princeps non pauciores quam quadraginta annos natus. [765] unum quoque in monodia sufficere arbitramur, qui triginta annos expleverit, qui et introducat homines in certamen, eisque sufficienter cognoscat et judicet. at vero principem ordinatoremque chori sic oportet eligere. qui huic rei vacant, in concilium proficiscantur, mulcta imposita, nisi accesserint : hujus rei legum custodes judices sint : ceteros, si no-

lint, nemo cogat. nominent etiam, qui periti sunt : et in comprobatione una hæc approbatio reprobatioque habeatur, quod peritus vel imperitus sit qui designatur. qui vero ex designatis decem ceteros suffragio superaverit, et deinde comprobatus fuerit, unus annuo tempore choro secundum legem præsit. similiter etiam in monodia et tibicinio designatio fiat, electioque et comprobatio : et qui assecutus fuerit, eodem modo a judicibus confirmatus, anno præsit. Deinceps auctores declaratoresque munerum in exercitatione gymnastica, tam equorum quam hominum, a secundo tertioque censu ita constituantur. Comitia ingredi trium censuum homines compellantur : minimus autem census liber sit. et de viginti, qui præ ceteris suffragio designati fuerint, tres ante alios sorte electi principes declarentur, quos comprobantium suffragium confirmaverit. in cujuscunque autem magistratus sorte atque judicio, si quis reprobatus et repulsus fuerit, alius loco ejus eodem ordine designetur et comprobetur. restat princeps, qui totius disciplinæ in his, quæ narravimus, tam feminarum quam marium curam habeat. unum quoque hunc secundum leges principem esse volumus, non pauciores natum annos quam quinquaginta, qui legitimos habeat filios utriusque sexus maxime : si vero minus, alterius sexus omnino. cogitare debet et qui eligit et qui eligitur, hunc magistratum omnium in civitate summorum magistratuum esse admodum præstantissimum. in omnibus quippe viventibus prima ipsa germina, si apte cœperint ad naturæ suæ virtutem, vim habent summam ad finem sibi debitum imponendum. quod et in plantis evenit et in brutis, tum silvestribus tum etiam mansuetis, et in hominibus. [766] hominem autem mansuetum animal esse dicimus. porro si cum natura felici rectam quoque disciplinam fuerit assecutus, in divinissimum mansuetissimumque animal solet evadere : sin vero non satis aut non bene fuerit educatus, ferocissimum omnium, quæ in terris nascuntur, animal redditur. quamobrem non debet legum conditor rem summopere necessariam, pueritiæ educationem, postponere ; sed operam dare in primis, si rem hanc diligenter est curaturus, ut omnium civium ad officia quæque optimus vir eligatur, qui quam maxime pro viribus educandis pueris præponatur. omnes igitur magistratus, præter senatum et quæstores, in Apollinis templum profecti suffragium clam legum custodibus ineant, deligentes singuli, quem optime puerorum disciplinæ existimant præfuturum. et qui suffragio superabit, a magistratibus, qui delegerunt, exceptis videlicet legum custodibus, comprobatus, quinquennium præsit. et in sexto anno alius princeps similiter statuatur. si quis autem, in magistratu publico constitutus, pluribus quam triginta diebus, antequam munus suum peragat, e vita decesserit, illi, quibus id curæ est, alium similiter eligant. sin autem orphanorum tutor mortem obierit, cognati atque affines ex utrisque parentibus, usque consobrinos et patrueles, qui præsentes sunt, alium intra dies decem constituant : alioquin drachma quotidie mulctentur singuli, quousque orphanis tutorem præficiant. sed nulla civitas revera civitas erit, nisi debito ordine judicia fuerint constituta. judex autem mutus, qui nec instar arbitri aliquid plus quam litigantes dixerint, in causis discutiendis percunctatur, nunquam ad jus declarandum sufficiens erit. quapropter nec si multi sint, facile unquam bene judicabunt, nec si pauci et ignavi. oportet autem semper, ut quod quæritur ab utrisque, declaretur. tempus autem et mora frequensque inquisitio ad aperiendam controversiam conferunt. iccirco, qui litigant, ad vicinos primum et amicos, et maxime rei, de qua quæritur, conscios se convertant. quod si per eos non sufficienter fuerit judicatum, ad aliud judicium proficiscantur. [767] tertium vero, si per duo superiora reconciliati non fuerint, finem imponat. profecto judiciorum constitutiones quodammodo magistratuum electiones sunt.

omnem namque magistratum necesse est quorundam etiam esse judicem. non tamen judex omnis necessario est magistratus et princeps : quanquam judex ea die, qua judicium peragit, quodammodo magistratus est non vilis. igitur, quasi judices ipsi magistratus aliqui sint, de his jam, qui quarumque rerum et quot in unaquaque re esse debeant, disseramus. augustissimum certe judicium sit, quod sibimet aliqui præfecerunt, communi consensu judicem eligentes. reliqua judicia duo sint. alterum, quando privatus injuriam a privato pati conqueritur, eumque in judicium trahit : alterum, quando reipublicæ injuriam a civium aliquo fieri arbitratus aliquis communibus rebus auxiliari conatur. dicendum est igitur, quos et quales judices esse oporteat. primum judicium commune omnibus privatis, qui tertio inter se litigant, ita fiat : omnes magistratus, tam annui quam majoris temporis, pridie kalendas mensis illius, quo post æstivum solstitium novus incipit annus, in templum unum conveniant. ubi jurejurando interposito, a singulis magistratibus veluti quasdam Deo primitias offerentes, unum judicem deligant, qui optimus esse et optime atque sanctissime judicia illo anno redditurus civibus videatur. ac postquam judices designati sunt, ab eisdem, qui designarunt, singuli comprobentur : et si quis reprobatus fuerit, alius similiter eligatur. comprobati illis, qui per præcedentia reconciliati non sunt, judicia reddant et aperte suffragium ferant, audientibus spectantibusque necessario consultoribus reliquisque magistratibus, qui eos declaraverunt. de ceteris autem intersit pro arbitrio quisque. quod si quis aliquem injustam sponte sententiam tulisse incuset, apud legum custodes hoc faciat : et qui damnatus fuerit, dimidiam damni partem injuriam passo persolvat. si autem mulcta dignus majore videatur : judices ipsi, qui condemnarunt, quid aut pati aut reddere debet, vel reipublicæ vel injuriam passo, cognoscant. in publicis autem accusationibus necesse est inprimis multitudinem judicii participem facere. [768] nam quando adversus civitatem peccatur, omnibus infertur injuria. ideoque merito graviter patiuntur, nisi ad judicandum ipsi etiam admittantur. sed et principium judicii hujus et finis deferri ad populum debet, examen autem et approbatio ad tres maximos magistratus, de quibus conveniant litigantes. at si convenire nequeant, consilium ipsum electionem utriusque cognoscat et judicet. oportet præterea privatorum judiciorum omnes pro viribus participes esse. nam qui a judicandi potestate omnino repellitur, is a civitate se prorsus existimat alienum. his de causis per ipsas quoque tribus necesse est judicia fieri, judicesque sorte statim incorruptos precibus judicare. et demum judicium illud cuncta definiat, quod intemeratum omnino, quoad humanis in rebus fieri potest, esse debere diximus, ad eas lites determinandas, quæ nec per vicinos neque per contribules dirimi potuerunt. verum de judiciis, quæ magistratus esse nec affirmare nec negare facile sine controversia quisquam poterit, hæc quasi exterius circumducta descriptio nonnulla complexa est, nonnulla etiam reliquisse videtur. nam judicialium legum exacta positio atque partitio longe rectius in calce ferendarum legum locabitur. quare ad idem tempus has differamus. ceteri autem magistratus maxima jam ex parte dispositi sunt. tota vero atque perfecta civilium dispensatio, sive ad unum sive ad omnes pertineat, non antea liquido declarari poterit, quam tractatio ipsa, principia et sequentia, media omnesque partes suas complexa, ad exitum usque pervenerit. quæ quidem in præsentia usque ad magistratuum creationem progressa, ut antecedentium finis sufficiens est, ita ferendarum legum principium : nec moram aut segnitiem amplius patitur. Cli. Quamvis superiora omnia ex animo meo dixeris, hospes, multo tamen gratius in præsentia mihi id contigit, quod cum dictorum exitu dicendorum initium

conjunxisti. [769] Athen. Belle igitur prudens seniorum ludus hucusque nobis sit perlusus. Cli. Pulchrum sane studium virorum significare videris. Athen. Consentaneum est. verum animadvertamus, si hoc tibi quoque, ut mihi, videtur. Cli. Quidnam? et quibus de rebus? Athen. An nescis idem in hac re, quod in pictorum facultate, contingere? illa quippe nullum in pingendis animalibus terminum habere videtur: sed semper inumbrando et deumbrando, vel quomodocunque aliter a pictoribus id vocetur, exornare conatur, nec cessat unquam. non enim potest fieri, ut ad pulchriora expressioraque incrementum non habeatur. Cli. Intelligo ferme, audiens quæ dicis. nullum enim hujus artis usum habeo. Athen. Nihil tibi id obfuit. sed hac forte nobis allata similitudine sic utamur. si quis pulcherrimum animal pingere voluerit, quod non ad pejus sed ad melius futuro semper tempore progrediatur, nonne vides, cum mortalis sit, nisi aliquem artis successorem reliquerit, qui, si quid vel tempore ex animali abolitum fuerit, instaurare, vel per imbecillitatem artis ab artifice prætermissum adjicere possit atque ita fulgentius in dies animal reddere, laboriosum illud opus brevi tempore duraturum? Cli. Prorsus. Athen. An non legislatoris voluntas hæc tibi esse videtur? principio quidem, ut leges sibi sufficientur et exquisite pro viribus conscribantur. deinde procedente tempore, et periculo rerum facto, putasne sic amentem legislatorem aliquem esse, ut ignoret necessarium esse talia sibi multa relinqui, quæ emendatione successoris alicujus indigeant: ne pejor quidem, sed melior respublica semper ornatiorque efficiatur? Cli. Probabile est. nam quomodo nolle id poterit? Athen. Quacunque igitur via poterit, tam re quam verbis, alium sive majorem sive minorem docebit, quomodo conservandæ et corrigendæ leges sunt, nec unquam in his dicendis defatigabitur, nisi ad finem perduxerit. [770] Cli. Ita certe. Athen. Nonne id mihi et vobis in præsentia faciundum? Cli. Quid ais? Athen. Quoniam leges laturi sumus, et legum custodes creati sunt, nos autem ad occasum vitæ appropinquamus, et custodes isti nobis juniores sunt: oportet nos, ut diximus, leges ferre simul, atque istos tam legumlatores quam custodes quoad possumus facere. Cli. Quidni? dummodo id satis fieri queat. Athen. Verumtamen impensius annitamur. Cli. Nihil prohibet. Athen. Sic ergo ad eos dicamus: O amici, legum conservatores, permulta in singulis nos, qui leges ponimus, necessario relinquemus, quæ tamen non parva erunt: immo et rem omnem pro viribus exteriore quadam circumscriptione significabimus, quam quidem impleri a nobis oportebit. quo vero id facturis vobis respiciendum est, audite. Megillus egoque et Clinia inter nos sæpenumero diximus, et probe nos dixisse convenimus. vosque rogamus, ut et indulgere nobis et imitari quasi discipuli magistros velitis, ad ea ipsa respicientes, ad quæ legum custodi et latori respiciendum concorditer nos consensimus. hujus consensionis unum est caput, ut homo bonus efficiatur, habens virtutem animi hominis propriam, studio aliquo partam aut usu aut certa quadam adeptione, vel cupiditate vel opinione vel aliquo genere doctrinarum, seu masculus sit sive femina, sive juvenis seu senex. atque ad hoc ipsum, quod dicimus, quisque per totam vitam omni studio tendat, cetera, quæ impedimento huic rei sunt, negligens. pro patria præterea, si necesse sit, mori paratus sit, antequam velit aut eversam videre civitatem, jugoque servitutis subjectam a pejoribus gubernari, aut fuga ipsam deserere. quippe extrema omnia subeunda sunt potius, quam in eam gubernationem civitas commutanda, quæ pejores solet homines facere. in his jam pridem nos consensimus: et nunc vos, ad hæc utraque respicientes, laudate leges et vituperate. [771] eas, inquam, vituperate, quæ hæc assequi

minime possunt : eas autem, quæ possunt, amate ; libenterque illas amplexi in ipsis vitam agite. cetera vero studia, quæ alio tendunt et ad vulgaria bona respiciunt, spernite. Sed initium sequentium legum hoc nobis sit a sacris exorsum. oportet primum repetere, quot numerus quinque millium, et quadraginta partitiones commodas habuit atque habet ; tum totus ipse numerus, tum qui per tribus ipsas porrigitur, quem totius partem duodecimam posuimus, unam et viginti vigesies rectissime natam. atque ut totus numerus duodecim constat partibus, ita tribus ipsa in duodecim scinditur. singulas itaque partes sacrum esse Dei munus existimare debemus, cum et menses et circuitum universi sequantur. quapropter et civitatem omnem ducit, quod ipsis innatum est, ad eas sacrandas. alii forsan rectius quam alii partiti sunt, ac Diis partitiones suas felicius dedicarunt : nos autem nunc rectissime arbitramur quinque millium et quadraginta numerum elegisse, qui omnes ab una usque ad duodecim decisiones habet, undecimo numero solum excepto, qui minimo quodam remedio redintegratur. restituitur enim, si duæ ad alteram partem domus accesserint. hæc vera esse, sermo nequaquam prolixus in otio demonstraret. credentes igitur præsenti sermoni et rationi distribuamus, et unicuique parti Deum vel Deorum filium invocantes, aris ceterisque hujusmodi dedicatis, in sacrificiis conventus duos singulis mensibus faciamus, ut duodecim singularum tribuum et duodecim civitatis distributioni accommodentur. hæc Deorum primo divinorumque colendorum gratia ita fiant : deinde amicitiæ quoque et cognitionis alternæ, et communis denique consuetudinis gratia, quæ ad matrimonia conficienda summopere necessaria est : ut, sublata ignorantia, nemo in his, quoad fieri potest, decipiatur ; sed quisque, cui collocat, et quam et a quibus ducit, agnoscat. serie admodum hujus rei gratia ludi etiam chorique puellorum et puellarum simul fieri debent, nudatis corporibus, quatenus modestus pudor patitur, ut cum ratione in ætate convenienti conspiciant alterutrum atque conspiciantur. quæ quidem omnia curent ornentque chori principes, [772] et cum legum custodibus conditores, ut a nobis relicta suppleant. necesse namque, ut diximus, in his præsertim, quæ multa parvaque sunt, nonnulla in prima positione legum prætermitti, quæ magistratus sequentes, usu rerum commoniti, quotannis movebunt et corrigent : donec tempus illud advenerit, quo instituta hæc discussa et approbata sufficienter fuisse videantur. tempus autem ad hoc periculum faciendum moderatum et sufficiens decennium erit, quoad sacra et choreas, ad omnia denique atque singula. quæ quidem per experientiam emendatio, vivente legumlatore, communiter cum illo fiat. si decesserit, singuli magistratus ad legum custodes de sui magistratus defectu referant, emendentque, donec approbationis finem suum nacta singula videantur. tunc demum ratas has leges habeant, eisque una cum aliis, quas ab initio legislator conscripsit, utantur : in quibus nihil unquam sponte movebunt. si qua vero necessitas aliquando urgere videbitur, de hoc una consultent magistratus omnes et populus universus : et omnia Deorum petantur oracula. si horum omnium unus erit consensus, moveant : aliter vero nunquam ; sed unus, qui prohibet, vincat secundum legem. quandocunque igitur aliquis quinque et viginti annos jam natus, alios aspiciens ab aliisque aspectus, adinvenisse sibi credit convenientem animo suo atque decentem societatem ad communionem generationemque liberorum, intra quinque et triginta ætatis annos uxorem ducat. quo autem pacto decorum illud et aptum quærendum sit, in primis audiat. oportet enim, ut ait Clinias, ante leges proprium singulis exordium ponere. Cli. Opportune meministi, hospes, tempusque commodum orationi cepisti. Athen. Probe loqueris. dicamus itaque sic : O fili,

qui ex bonis parentibus ortus est, [773] eas nuptias sequi debet, quas prudentes viri honestas ducunt. qui sane monerent, nec pauperum fugere neque divitum affinitatem sectari præcipue oportere : sed ceteris paribus pauperiorem semper honorare cumque ipso societatem inire. nam et civitati et familiis, quæ junguntur, id conducit. quippe quod moderatum est et mediocre, immoderato et excedente mirum in modum ad virtutem præstat. ergo quicunque ferocioris velociorisque, quam oportet, ad agendum animi sibi conscius est, is det operam oportet, ut tis compotes esse debent, quando non parvam ineunt vitæ mutura affectus est, contrariam sibi adsciscat affinitatem. sed una tandem sit communis ratio nuptiarum ut quisque non jucundissimum sibi, sed civitati utile ineat matrimonium. etenim singuli semper ad sibi simillimum natura feruntur. unde civitas tota et divitiis et moribus inæqualis quam maxime redditur : ex quibus, quæ minime nobis evenire vellemus, maxime civitatibus plurimis accidunt. sed si hæc per rationem lege sanciremus, ne dives divitis aut potens potentis in connubio societatem admittat : cogeremusque velociores animo cum tardioribus, et tardiores contra cum velocioribus copulari : non modo ridicula nostra oratio videretur, sed et iram multitudini concitaret. non enim intellectu facile est, quod civitas similis esse debeat pateræ, in qua merum, quod primo infusum bullit, statim alterius Dei sobrietate castigatum atque optime temperatum bonus et moderatus potus efficitur. quemadmodum vero id in mixta filiorum procreatione fiat : nemo, ut breviter dicam, potest conspicere. quamobrem non lege cogendi sed persuasione inducendi cives, ut æqualem temperatamque liberorum suorum generationem pluris faciant quam opulentissimæ affinitatis æqualitatem. et eum, qui in connubio pecuniis inhiat, non lege scripta arcere debemus, sed opprobriis et increpationibus absterrere. Ad nuptias igitur, ut decet, celebrandas et hæc exhortantur et illa, quæ in superioribus diximus, asserentes oportere filiorum filios relinquendo, nostros videlicet in divino ministerio successores, naturam assequi sempiternam. [774] hæc omnia atque etiam plura quis de nuptiis ineundis exordiendo recte diceret. si quis autem sponte non pareat, et alienus ab hoc consortio vivat in civitate, et sine connubio quinque et triginta egerit annos, singulis annis, si de maximo censu est, drachmis centum mulctetur : si de secundo, septuaginta : si de tertio, sexaginta : si de quarto, triginta. quæ quidem pecunia Junoni consecranda est. si quis autem singulis annis non persolverit, decuplum debeat. cujus pecuniæ exactor sit Deæ ipsius quæstor : ac nisi exegerit, ipse debeat : atque hujus rationem referre quisque debeat. sed pecuniis quidem, qui nolit uxorem ducere, ita mulctetur : honore etiam sic. primum honores nullos a junioribus consequatur, nec juvenum ullus aliqua in re sponte ipsi obtemperet. deinde, si aliquem cædere ausus fuerit, quilibet adversus ipsum insurgat, et ei auxilium ferat, qui accepit injuriam. si quis autem præsens hoc non fecerit, timidus malusque civis a legibus habeatur. De dote vero dictum est prius, et modo rursus dicatur, æqualia pro æqualibus esse : siquidem neque qui acceperit neque qui dederit, pecuniarum inopia consenescet. necessaria enim in hac civitate abunde omnibus sunt. mulieribus præterea contumeliosus fastus minor erit : minor et viris humilis illiberalisque servitus. qui paruerit, unum sane hoc aget præclare : qui vero non paruerit, sed aut dederit aut acceperit quod quinquaginta drachmas excedat vestimenti gratia, alius minam, alius tres semiminas, alius minas duas, et qui censum habet supremum, tantumdem rursus persolvat ærario : et quicquid datum fuerit vel acceptum. Jovi atque Junoni consecretur. hujus pecuniæ exactores esse volumus horum Deorum quæstores : quemadmodum modo dictum fuit, cum de his, qui nuptias fugiunt, loqueremur, quod ab eis debetur, esse a Junonis quæstoribus exigen-

dum. qui si neglexerint, de suo persolvant. fidejussio autem primum patris firmissima sit : avi deinde : tertia fratrum eodem ex patre natorum. si nullus istorum superstes sit, tunc ex parte matris similiter fidejussio valeat. sin autem insolita contigerit desolatio, propinquiores agnati atque gentiles una cum tutoribus fidejubeant. [775] si qua vero sacra initiatio aut divina alia expiatio ad futura vel præterita vel præsentia in nuptiis agenda videatur, divinorum interpretes consulant : putentque, si illis paruerint, moderate singula peregisse. Ad nuptiale vero convivium non plures quam quinque amici et amicæ quinque ex latere paterno vocentur: ex cognatis et propinquis totidem. impensa secundum divitias fiat. ditissimus minam expendat : alius semiminam : deincepsque proportione servata, quo decrescit census, descrescat similiter et impensa. qui legi paret, laudetur ab omnibus : sed eum, qui non obtemperat, damnent custodes legum, tanquam a decoro alienum legisque sponsalium Musarum prorsus ignarum. bibere vero ad ebrietatem usque neque alibi unquam decet, præterquam in solemnitatibus ejus Dei, qui largitus est vinum : nec tutum est. maxime vero connubio conjuncti, sponsus et sponsa, tunc menquam quietissimorum parentum filiam ducat : et qui contra natationem, præsertim ut ex quam maxime moderatis semper generatio fiat. ferme enim incertum est, quæ nox aut dies cum Deo ipsam peragat. quare ut solidus, stabilis et quietus conceptus fiat, non oportet corporibus ebrietate diffusis dare operam liberis. qui autem vino refertus est, tam animæ quam corporis rabie concitatus quovis et trahit et trahitur. iccirco ebrius, tanquam mente captus, ad serendum est inutilis. nempe verisimile est, eum fœtus inæquales, instabiles, obliquos tam membris quam moribus, procreare. quamobrem per totam quidem vitam, et maxime quamdiu generationi vacat, abstinebit quisque, cavebitque ne faciat, vel quæ suapte natura et sponte morbos inducunt, vel quæ ad petulantiam injuriamque declinant. hæc enim in animos et corpora nascentium necessario translata illic imprimuntur, pejoresque inde nascuntur. sed præcipue die illo ac nocte a talibus abstinendum. principium namque et numen hominibus insitum, si convenienti sibi a singulis munere ipsius utentibus honore afficiatur, omnia servat. Oportet autem alteram ex duabus sorte domibus, [776] a parentibus separatum, quasi ad pullorum generationem educationemque, sponsum accipere, atque ibi nuptias celebrare, ubi sit cum liberis suis habitaturus. nam si quoddam in amicitiis desiderium inest, mores omnes quasi glutino quodam connectit et vincit : consuetudo autem satura, nec ullum habens per intermissionem temporis desiderium, alterum ab altero satietate disjungit. quapropter, parentibus utrisque affinibusque relictis, seorsum quasi ad coloniam proficiscantur, ac vicissim se ipsos respicientes habitent, liberos generando et educando ; et vitam, quam ab aliis acceperunt, a se quasi tædas ardentes aliis tradant, Deos semper secundum leges colentes. post hæc considerandum est, quarum rerum maxime honesta possessio sit. in plurimis quidem seu cognoscendis sive comparandis et possidendis nulla est difficultas. in servis autem istud omnino difficile. causa vero est, quia et recte quodammodo et non recte rursus de ipsis loquimur. nam et contra usum et iterum secundum usum de servis verba dicuntur. Meg. Quo pacto id dicimus ? non enim intelligimus, hospes, quid modo dicere velis. Athen. Non injuria, o Megille. ferme enim illa Lacedæmoniorum servitus, quam ilotiam vocatis, præ ceteris Græcis maximam dubitationem et contentionem facit, cum aliis bene, aliis contra instituta videatur. Heraclidarum vero minorem, quam Mariandynorum : postremo servilis apud Thessalos turba. hæc utique et hujusmodi omnia respicientibus quid de servorum possessione agendum est ? hoc certe mihi nunc excidit, et tu merito me interrogasti, quid dicerem. hoc autem hujusmodi est : Scimus profecto, quod fateremur

omnes, servos quam benivolentissimos atque optimos habendos esse. multi enim jam servi quibusdam meliores ad virtutem omnem, quam fratres et filii, domos et rem dominorum omnem, et dominos ipsos servarunt. hæc de servis prædicari non ignoramus. Meg. Certe. Athen. Contra etiam dicitur, nihil in animo serviente integrum inesse, nec quicquam servorum generi esse credendum ? quod et sapientissimus poëtarum testatur nobis, cum de Jove sic loquitur : [777] *Dimidium mentis Juppiter illis aufert, qui servitutis sorti subjecti sunt.* hæc itaque adeo diversa de servis homines cogitantes, alii nihil generi servorum credunt, sed stimulis atque verberibus, quasi ferarum naturam, non ter tantum, sed sæpius ministrorum animos serviles efficiunt : alii contra omnino faciunt. Cli. Ita est. sed cum tam diversa de servis homines sentiant, quid nobis, hospes, hac in nostra regione de possessione castigationeque servorum est agendum ? Athen. Perspicuum mihi videtur, o Clinia, quando difficile domatur homo, et ad necessariam distinctionem servi a libero et domino re ipsa deduci ægre patitur, difficilem possessionem hominem esse. quod exemplo in crebris Messenorum rebellionibus patuit. civitates præterea, quæ multos ejusdem linguæ servos habent, planum fecerunt, quot quantaque hinc mala sequantur. piratarum quoque furta et latrocinia, quæ maxime circa Italiam abundabant, hinc oriuntur. quæ omnia si quis animadvertat, quid de his faciendum sit, dubitabit. Duæ igitur solummodo restant viæ, ut, qui facile servituri sunt, nec ejusdem patriæ sint, et, quam maxime fieri possit, inter se dissoni. educenturque recte, non solum ipsorum gratia, sed dominorum multo magis. est autem recta horum educatio, ut nulla ipsis contumelia inferatur : injuriaque his multo minus, si fieri possit, quam æqualibus inferenda. liquido enim cognoscitur, qui natura, non ficte, justitiam colit, oditque revera iniquitatem, cum cavet, ne iis injuriam faciat, quibus facile potest. qui ergo circa mores actionesque servorum nihil unquam facit impie, nihil inique, atque ita in his se servat immaculatum, ad producendas virtutis fruges erit aptissimus. idem quoque de domino et tyranno omnique potentiore adversus imbecilliores recte dici potest. castigandi cædendique semper jure sunt servi, neque ita monendi ut liberi, ne molliores fiant. allocutio omnis ad servos quodammodo imperium sit : neque jocus ullus cum ipsis, seu feminis sive masculis habeatur. [778] quod multi stulte facientes, dum delicatius eos nutriunt, difficiliorem vitam et sibi ad imperandum et illis ad obediendum reddunt. Cli. Recte loqueris. Athen. Hoc igitur pacto servos quisque et numero et facultate ad singula vitæ ministeria aptos habeat. verum post hæc habitationes oratione describendæ sunt. Cli. Prorsus. Athen. Ad novam profecto civitatem et antea nullis hominibus habitatam in primis ædificia procuranda sunt, et modus templorum murorumque habendus. quæ sane nuptias præcedere debebant, o Clinia. sed quoniam verbis nunc agitur, ita nimirum licet ponere. quando vero rem ipsam aggrediemur, hæc ante nuptias, si Deus voluerit, collocantes, reliqua deinceps omnia peragemus. nunc autem tanquam in figura quadam hæc breviter percurramus. Cli. Fiat. Athen. Urbs quidem tota in circulum in locis sublimibus deducatur, ut et munitior sit et mundior. templa circa forum struantur. juxta hæc magistratuum judicumque palatia, in quibus, quasi sacratissimis, justam et accipient et ferent sententiam : partim quidem tanquam de rebus sacris judicaturi, partim vero tanquam judicantium Deorum ibi sint delubra. ibi etiam judiciaria domicilia, in quibus de homicidiis, ceterisque capitalibus injuriis judicatur. de muris autem, ó Megille, Spartiatis ego consentio, murosque in solo jacere facile patiar. probe enim poëticum illud laudatur, quo æneos et ferreos magis muros quam terreos condere ammonemur. apud nos vero id insuper valde ridiculum est, quod singulis annis in agrum juvenes emittan-

tur, qui caveis, foveis ædificiisque confectis longe hostes a finibus arceant. et muros quidem circumducimus: quod primum ad sanitatem civitatibus nihil confert: deinde animos civium demollire et enervare consuevit. [779] efficiunt enim, ut facile intra eos se recipientes hostes minime fugent, putentque se non diurna nocturnaque custodia vigilantes, sed murorum septo et vallo dormientes salvos fore, quasi ad desidiam nati sint: ignorantes certe quietem a laboribus originem trahere, atque e turpi otio et negligentia nasci labores solere. verum si muris aliquibus muniendi homines sunt, sic ab initio privatæ domus quæque condantur, ut tota urbs æqualitate et similitudine unus sit murus, habeantque domus omnes sic tutum ad vias aditum. quæ certe dispositio et intuentibus erit grata, cum domus unius figuram tota civitas habeat, et ad custodiæ facilitatem erit longe omnium commodissima. hæc ita a principio construi, qui habitaturi sunt, cives maxime curent. ædiles quoque provideant, et eos, qui negligunt, mulcta compellant. Curentque, ut urbs quam mundissima sit: nec a privatis unquam patiantur aut ædificando aut fodiendo publicum aliquid occupari. aquarum etiam pluvialium, ut abunde et facile defluant, curam habeant: item omnium, quæcunque vel in civitate vel extra sunt habitanda. sed hæc omnia, et cetera, quæ a legibus prætermissa sunt, legum custodes usu docti ordinent. postquam vero hæc, et circa forum ædificia et gymnasia, et theatra spectantium, et docentium discentiumque domicilia disposita sunt, ad ea quæ nuptias sequuntur, in ferendis legibus deinceps pergamus. Cli. Sic est faciendum. Athen. De nuptiis igitur ita, ut diximus, o Clinia, res se habeat: post quas vivendi regula, quæ filiorum procreationem præcedit, non brevior quam annui temporis, sequitur. sed qua ratione in præstantissima civitate sponsus sponsaque convivere debeant, facile dictu non est. immo vero, cum multa in superioribus difficilia sint, quæ de his dicenda sunt, difficilius cunctis vulgus accipiet. quod tamen verum rectumque videtur, dicendum etiam, o Clinia. Cli. Dicendum omnino. Athen. Quicunque itaque publica solum atque communia censet legibus ordinanda, [780] propria vero etiam, quæ necessaria sunt, non curat, ac licentiam singulis quotidie vivendi, ut volunt, neque certo ordine putat omnia facienda, sed privatis neglectis, publica et communia secundum legem gesturos homines opinatur, non recte opinatur. quorsum hæc? nempe quoniam oportere sponsos asseremus apud nos non minus nec aliter aliis temporibus, quam ante nuptias, in commessatione vivere. mira quippe res, quando apud vos primum commessatio instituta est, visa fuit, quam vestri bello vel alia re hujusmodi in hominum calamitate coacti instituerunt, cumque propter necessitatem usi fuissent, pluriumque ad salutem conferre res visa periculo esset, legibus statuta est. Cli. Videtur. Athen. Mirum igitur id fuit, imperantique primo arduum. quod nunc, si quis ita lege sancire aggrediatur, minus certe erit difficile factu. verum quod deinceps sequitur, et dictu et factu arduum est: quod quamvis nusquam fiat, tamen, si alicubi fieret, recte utique fieret: sed tale est, ut in ejus descriptione legislator, sicuti ludentes, ignem discerpere et alia quævis impossibilia aggredi videatur. Cli. Quid istud est, hospes, quod dicere adeo formidas? Athen. Audiatis jam, ne longiore vos mora frustra detineam. quicquid enim in civitate legis ordinisque est particeps, cuncta ex eo bene procedunt. quæ vero ordine carent, vel male ordinata sunt, ea etiam, quæ bene sunt ordinata, confundunt. quod huic rei accidit. nam vobis, o Megille et Clinia, præclare et ut dixi mirifice, ex divina quadam necessitate, virorum constituta est commessatio, [781] feminarum autem commessatio non probe relicta, in tenebris jacet. quod quidem genus aliud hominum est et differens, nobisque occultius et versutius

natura est propter imbecillitatem : atque ita minus ordinari potest. iccirco cessit legislator, neque recte prætermisit. hoc enim prætermisso multa nobis corrumpuntur ; quæ longe melius se haberent quam nunc, si hoc ipsum fuisset legibus ordinatum. non est enim res muliebris, si jacere inordinata relinquitur, humanarum rerum solum, ut videri posset, dimidium : sed quanto natura sua ineptior est ad virtutem quam virilis, tanto excedit, ut plus quam duplum esse videatur. repetendum igitur hoc et corrigendum, omniaque feminis cum viris communia ad civitatis felicitatem studia constituenda sunt. nunc vero sic infeliciter ad hoc humanum ducitur genus, ut non sit prudentis, hujus rei mentionem in aliis regionibus et civitatibus facere, ubi nunquam commessationes publice conspectæ sunt. unde igitur quisquam non ridicule ad manifestam cibi potusque assumptionem mulieres cogere posset ? nihil est profecto, quod molestius laturum genus hoc videatur. nam cum timide et obscure degere consueverint, latorem legis in lucem conantem educere omni reluctatione repellent. hoc inquam genus alibi quidem, quemadmodum dixi, nec orationem ipsam recte dicentis sine ingenti reclamatione audiet : hic autem forsitan sustinebit. quare, si vobis quoque videtur, collocutionis gratia, ne disputatio de republica manca relinquatur, dicere volo, quam bona decensque res ista sit. si vobis placet, inquam : aliter vero dimittam. Cli. Mirum in modum. hospes, audire desideramus. Athen. Audiamus jam igitur. sed ne ammiremini, si rem altius repetere visus fuero. nam otio abundamus, neque aliud quicquam nos urget, quo minus omnia undique, quæ ad leges spectant, consideremus. Cli. Recte loqueris. Athen. Prima itaque repetamus. Scire omnes oportet hominum generationem vel nullum prorsus unquam initium habuisse neque terminum habituram, [782] sed fuisse omnino semper et fore : aut si cœpit, inæstimabili jam ante nos temporis magnitudine incepisse. Cli. Plane. Athen. Nonne per omnem terram urbes multas conditas arbitramur atque destructas, et diversa præcessisse hominum studia, partim cum ordine partim etiam sine ordine ? cibi item potusque et vescendi condiendique usus quam plurimos, et mutationes temporum varias, in quibus animalia diversis modis transmutata fuisse credendum ? Cli. Nihil prohibet. Athen. Quid porro ? vites putamus cœpisse olim, cum non essent ? similiterque olivas, et Cereris atque Proserpinæ munera ? quæ Triptolemus aliquis ministraverit. animalia vero tempore, quo ista non erant, nonne sicuti modo, alterum ab altero devorabantur ? Cli. Procul dubio. Athen. At vero quo ad sacrificia pertinet, homines ab hominibus sacrificari adhuc apud multos videmus : contrarium etiam de aliis audimus : sicuti quando nec bovillas quidem carnes gustare audebamus, nec animalia Diis immolabamus : sed liba et fructus melle madentes ceteraque hujusmodi sacrificia pura Diis offerebantur. carnibus autem abstinebant. nam vecci carnibus et Deorum aras polluere sanguine impium videbatur. ita Orphica quædam vita tunc vigebat : inanimatis quippe omnibus vescebantur : et ab animalibus omnibus abstinebant. Cli. Feruntur hæc passim, ut dicis, et valde credibilia sunt. Athen. Sed quorsum hæc a nobis omnia dicta modo sint, forsan aliquis percontabitur. Cli. Probe, o hospes, id conjecisti. Athen. Propterea, si potero, Clinia, quæ sequuntur deinceps, declarare conabor. Cli. Dic jam. Athen. Trina quadam indigentia atque cupiditate omnia hominibus dependere perspicio : in quibus si recte ducantur, virtus, sin contra, vitium nascitur. Harum duæ sunt in animalibus statim natis, cibi potusque cupiditates. ad quæ cum omne animal innatum habeat appetitum, impetu rapitur : nec verba illius auscultat, qui monet aliud agendum esse, quam ut horum cupiditates voluptatesque exple-

antur et dolores contrarii divitentur. [783] tertia vero nobis indigentia ingens et cupiditas acutissima, quæ ad propagationem generis inest, posterius quidem innascitur, sed ardentissimo furore et maxima petulantia homines urit et agitat. hi tres morbi, ad id quod jucundissimum dicitur rapientes, ab eo ad id quod optimum est, tribus maximis rebus vertendi sunt, timore, lege, vera ratione : quibuscum Musæ et Dii certatorii adhibeantur, ut incrementum et affluentia hoc pacto exstinguantur. procreationem quidem liberorum post nuptias collocare debemus. post ipsam vero procreationem educationem et disciplinam. sic enim forsan, procedente oratione, lex quæque in priora progressa, in commessationes denique perducetur, quando in cœtus et communiones hujusmodi pervenerimus : atque utrum viris solis an etiam mulieribus hæ communiones imperandæ sint, tunc planius conspiciemus, cum propius accesserimus : et quæ illas præcedere debent, necdum lege disposita sunt, suum digesta in ordinem, ipsis præposuerimus. ita sane, ut modo dicebam, commessationes acutius inspiciemus, convenientioresque de illis leges trademus. Cli. Scite loqueris. Athen. Teneamus itaque memoria, quæ modo dicta sunt. forte enim usui nobis quandoque erunt. Cli. Quæ tenenda jubes? Athen. Ea, quæ cibi, potus veneris que vocabulis appellavimus. Cli. Fiet omnino, hospes, ut jubes. Athen. Præclare quidem. sed veniamus ad rem sponsalem, et sponsum ac sponsam, quomodo liberi procreandi sunt. doceamus : ac, nisi persuaserimus, legum quarundam positione minemur. Cli. Quo pacto? Athen. Cogitare omnino sponsus et sponsa debent, quo pacto quam pulcherrimos et optimos civitati liberos poterint procreare. omnes autem homines, qui communiter aliquid operantur, quandocunque et ad se invicem et opus ipsum intendunt animum, bene et pulchre omnia faciunt : si vero vel non habuerint mentem vel non adhibuerint, contra. quare sponsus ad sponsam procreationemque liberorum animum vertat : et sponsa similiter ad sponsum atque ad opus : in eo tempore præcipue, quo adhuc non genuerunt. [784] harum rerum curam habeant mulieres, sive plures seu pauciores, prout placuerit principibus, electæ. quæ quotidie in Lucinæ congregentur, tertiam horæ partem commoraturæ : atque ibi aliis aliæ nuntient, si quem virum mulieremve illorum, qui matrimonii copula astricti gignendi habent facultatem, alio intendere animum videant quam ad ea, quæ in sacrificiis nuptiarum jussa fuerunt. procreatio autem liberorum et eorum, qui illi vacant, observatio decennium non excedat, quando adsit generandi fœcunditas. si quæ ad id tempus infœcundæ perseveraverint, consilio cum propinquis et mulieribus harum rerum curatricibus habito, prout commodum utrisque est, disjungantur. si qua vero de utriusque commodis acciderit altercatio, decem de legum custodibus delecti, quos ipsi voluerint, cognoscant. sed et mulieres ipsæ, juvenum domos ingressæ, partim monitis partim minis, ab inscitia ipsos et delicto depellant. quod si nequeant, legum custodibus nuntient, atque illi id curent. qui si prohibere non potuerint, rem ad populum deferant, et scriptis errantium nominibus, jurejurando affirment se illos meliores facere non potuisse. Et qui scripto delatus est, nisi accusatores convicerit, infamis sit : nec nuptiis procreandisque liberis ulterius det operam. ac si id tentaverit, liceat cuilibet cædere ipsum impune. Eædem sint et mulierum pœnæ. expertes enim muliebrium degant honorum : nec ad nuptias partusque liberorum profecto recipiantur, si in judicium arcessitæ damnatæ etiam fuerint. si, postquam secundum leges filios procrearunt, alienæ quisquam uxori conjungitur, vel mulier viro, illis scilicet adhuc generantibus, pœnis eisdem subjaceant, quibus et dum ipsi gignebant. sed viri et mulieres, post liberorum procreationem caste viventes, in his

omnibus summopere honorentur : qui contra, vituperentur. [785] si contigerit, ut plures in rebus ejusmodi moderate se gerant, quæ præcepimus, silentio sine scriptis legibus habeantur et fiant : sin autem plurimi se minime continebunt, legum conscriptione declarentur, et ad eorum normam de singulis hujusmodi judicetur atque agatur. vitæ totius initium primus annus omnibus est, quem in sacellis paternis, ut vivendi initium tam puero quam puellæ, scriptum esse oportet. adscribatur autem in pariete dealbato in unaquaque tribu, ut, qui ad magistratus idonei sunt, annorum numero constet : et cujusque tribus viventes homines proxime scribantur semper, et naturæ cedentes similiter deleantur. nuptiarum tempus puellæ sit a sextodecimo in vigesimum, idque sit longissimum tempus ad hoc institutum : masculo, a trigesimo ad quintum et trigesimum. magistratus tempus in mulieribus ultra quadragesimum sit annum. in viris ultra trigesimum. belli ab annis viginti ad sexaginta in viris : in mulieribus, postquam filios pepererunt, usque ad quinquagesimum ætatis annum. in quibus observandum est, ut ad eum belli usum potissimum, qui et possibilis eis sit et decens, accipiantur.

LIB. VII.

[788] Satis igitur de liberis, tam masculis quam feminis. de ipsorum educatione et disciplina post hæc nobis est dicendum. quam omnino silentio præterire impossibile est : ac si dicatur, mentioni cuidam doctrinæque potius quam legibus congrua videtur. quæ enim privatim et per singulas domos tum multa tum parva et occulta, quotidie fiunt, cum facile ex voluptate, dolore et cupiditate singulorum, præter legumlatoris consilium, agantur, varios et dissimiles mores civium reddunt. quæ res civitatibus officit. cum vero parva et frequentia sint, singulis mulcta imposita, ea legum positione vetare, non satis honestum esset atque decorum. quin etiam scriptis legibus derogaret, cum in parvis et multis ad contemnendas leges homines consuescerent. quapropter et leges de his scribere difficile est, et silere impossibile. sed conabor, ostendendo quasi digito, quæ dico, in lucem efferre. nunc enim obscurius dicta videntur. Cli. Vera loqueris. Athen. Jam vero recte alias dictum est, existimandum esse, rectam educationem posse et corpus et animum quam pulcherrima et optima reddere. Cli. Ita est. Athen. Corpora vero pulcherrima simpliciter ea fore censeo, quæ rectissima in tenera ætate concrescunt. Cli. Certe. Athen. Quid illud ? nonne intelligimus, quam maximum atque plurimum incrementi primi progressum in omnibus animalibus fieri ? adeo, ut contendendi ansas multis præbuerint, corpora humana a primis quinque annis in reliquis viginti in duplum non crescere. Cli. Vera narras. Athen. Quando sine multis moderatisque laboribus incrementum influit plurimum, an non multa hinc mala corporibus innascuntur? [789] Cli. Omnino. Athen. Pluribus ergo laboribus sibi tunc opus est, quando summopere affluit nutrimentum. Cli. Quid ais, hospes? nunquid statim natis et tenerrimis pueris labores plurimos afferemus? Athen. Non his primis, sed prius etiam illis, qui adhuc in utero matris aluntur. Cli. Quomodo, vir optime, faciendum id jubes ? num ii, qui adhuc in utero parentis geruntur, laborabunt ? Athen. Certe. nec sane mirum est, si vos exercitationem tantillæ ætatis ignoratis, quam vobis, licet videatur absurda, cupio aperire. Cli. Omnino. Athen. Apud nos quidem hujusmodi quiddam magis intelligi potest, propterea, quod ibi nonnulli in ludis quibusdam magis quam decet versantur. nam

apud nos non pueri solum, verum etiam seniores aliqui avium pullos alunt: et ad mutuam inter ipsas aves pugnam exercent: ac longe absunt, ut labores, in quibus ipsas exercentes agitant, moderatos ipsis putent. sed ad hæc minores in manibus, majores sub ulna capientes, non suæ sed harum avium bonæ habitudinis gratia, per multa stadia gradiuntur. in quo sane homini intelligentiæ compoti significant, corporibus omnibus motum agitationemque non laboriosam prodesse, sive a se ipsis, sive in vehiculis, seu nave, sive equis, sive quomodocunque aliter moveantur. et propter hæc ciborum potusque alimentum superantia, sanitatem, pulchritudinem et vires nobis præbere possunt. quæ cum ita se habeant, quid posthac faciundum censemus? vultisne cum risu verba faciamus, leges ponentes, ut prægnans deambulet, et natus quasi cera fingatur, quamdiu tener est, ac ad biennium usque institis astringatur? nutrices præterea per leges imposita mulcta cogamus, ut vel ad agros vel ad templa vel alio ad suos, donec per se stare possint, pueros perferant? at etiam, cum stare cœperint, ne ponderis violentia membra propter mollitiem distorqueantur, gestent adhuc, quousque triennium infantes exegerint? sint autem robustæ, quoad fieri potest, nutrices: nec una solum, sed plures. [790] et in his singulis pœnam, nisi fiant, scriptis legibus imponamus? vel nullo modo sic agamus? quod enim modo diximus, abunde nobis accideret. Cli. Quidnam? Athen. Risum profecto in nos ingentem provocaremus. nam mores nutrientium muliebres atque serviles nobis obtemperare nollent. Cli. Cujus gratia igitur dicenda hæc putavimus? Athen. Quia domini et liberi civium animi forsitan, cum hæc audiverint, probe intelligent, quod, nisi privata recte administrentur in civitate, frustra res communes sperat quis firmitatem aliquam in legibus habituras: atque hæc intelligentes his, quæ modo diximus, tanquam legibus quibusdam utentur: quorum usu familia et respublica bene gubernata feliciter vivent. Cli. Valde consentaneum est, quod dixisti. Athen. Ne desinamus ergo ab hujusmodi legumlatione ante, quam animorum quoque studia, quæ ad teneros admodum pueros pertinent, describamus: et ita simili quoque modo, ut de corporibus incepimus, sermonem absolvamus. Cli. Recte nimirum. Athen. Hoc igitur tanquam elementum ad utriusque, tam animi quam corporis infantium, cultum accipiamus, perpetuam die nocteque nutritionem agitationemque adhibitam omnibus quidem conferre, maxime vero tenerrimis, ut si fieri possit, sic habitent, quasi perpetuo navigarent. quoniam autem fieri nequit, proxime ad hoc in curandis infantibus accedendum. quod autem fieri oporteat, conjectare hinc licet, quod periculo tam puerorum nutrices, quam quæ remediis Corybantium vacant, id esse utile cognoverunt. quandocunque enim dormire pueros ad somnum tardiores matres cupiunt, non quiete hoc neque silentio, sed contrariis faciunt. in ulnis enim portant agitantque semper, et illos vocis modulatione, tanquam tibicinio quodam, mulcent: et quemadmodum in debacchationum furentium remediis fit, hujusmodi agitationis chorea musaque utuntur. Cli. Quænam horum potissimum causa nobis est, hospes? Athen. Non est valde difficilis cognitu. Cli. Quo pacto? Athen. Utræque hæ passiones in metuendo consistunt: sunt enim formidines quædam, propter malum aliquem animi habitum. [791] quando igitur ab exterioribus aliquis ad hos affectus agitationem infert, vincit exterior motus interiorem illum terribilem atque furiosum: cumque vicerit, tranquillam animo præstat quietem, saltu cordis aliquantisper sedato: atque ita aliis inducit somnum, alios vigilantes per tibiam et tripudium, cum auxilio Deorum, quibus supplices litabant, a furioso affectu ad sanæ mentis habitum revocat. atque hæc, ut orationis hujus brevitas fert, rationem aliquam probabilem habent. Cli. Omnino. Athen. Si hæc igitur talem aliquam vim habent, hoc præterea cogitan-

dum, animum omnem, ab infantia in metu nutritum, magis utique quovis ferri per formidinem consuescere. nec cuiquam dubium est, quin ad timiditatem ista, non ad fortitudinem, exercitatio sit. Cli. Ita prorsus. Athen. Contra vero eum ad fortitudinem exercitari dicemus, qui a tenera ætate metus terroresque omnes vincere consuescit. Cli. Scite. Athen. Unum igitur hoc ad virtutis animi partem summopere conferre dicamus, exercitationem videlicet infantium, quæ in motibus fit. Cli. Maxime. Athen. Atqui facilitas animi vel morositas non parum momenti habent ad bonitatem animi vel pravitatem. Cli. Est ita. Athen. Est autem a nobis pro facultate dicendum : quo pacto utrumvis horum infantium statim animo innascatur. Cli. Plane. Athen. Nobis profecto videntur deliciæ, difficiles, morosos, iracundos et levi de causa excitabundos juvenum mores efficere : contra vero nimia servitus atque atrox, cum abjectos, et illiberales et humana perosos faciat, ad humanam consuetudinem ineptissimos reddere. Cli. Quomodo autem civitas universa infantes, qui nondum voces intelligunt nec disciplinam aliam gustare possunt, ut jubes, erudiet? Athen. Sic plane. omne animal statim natum voce et clamore uti solet : nec minus hominum genus, quod præ ceteris ad clamorem addit ploratum. Cli. Sic est. Athen. Nutrices ergo, quid infantes cupiant, volentes cognoscere, quod appeti credunt, offerunt. [792] si tacent, recte : si clamant flentque, non recte se obtulisse his signis conjiciunt. argumenta sane in infantibus, quas res ament, quas oderint, clamor fletusque sunt, signa minime fortunata. hujus rei tempus triennio minus non est : quod spatium non est parva vitæ particula ad eam recte vel contra ducendam, si ipsum recte vel contra ducitur. Cli. Recte. Athen. Nonne videtur vobis difficilis homo nec ullo modo tranquillus esse etiam querulus atque gemebundus, ultra quam bonum virum deceat? Cli. Mihi quidem. Athen. Si quis omni ratione pro viribus conetur, ut in hoc triennio puer quam minimum dolore, metu tristitiaque afficiatur, nonne pueri animus pacatior tranquilliorque reddetur? Cli. Perspicuum est, hospes, multoque etiam magis, si quis eum in multis voluptatibus educarit. Athen. Hoc ego tibi non concedam, o mirifice Clinia. nam talis educatio, cum in principio statim adhibeatur, omnium maxima pernicies est. videamus igitur, an quicquam dicamus. Cli. Dic, quid ais. Athen. De re non parva a nobis agi nunc assero. attende et tu, Megille, ac sententias utriusque dijudica. mea quidem ratio rectam vitam censet, nec voluptates sequi omnino nec fugere omnino dolores debere, sed medium potius illum habitum sequi, quem et ipse modo tranquillitatem vocabam, et omnes Dei proprium esse, divino quodam oraculo recte conjicientes fatemur. hunc habitum sequi debet, quisquis hominum divinus est futurus, adeo ut nec ipse ad voluptates omnino proclivis sit : alioquin procul a dolore non erit : nec alium quemquam, sive senem sive juvenem, aut masculum aut feminam, indulgere voluptatibus patiatur, minimeque omnium statim natos infantes. firmissimi enim tunc omnibus mores omnes propter consuetudinem innascantur. ego vero, nisi vererer ne forte jocari vobis videar, dicerem utique gravidas etiam mulieres maxime omnium illo anno ita regendas esse, ut nec ad voluptates multas furiosasque ferantur neque doloribus agitentur : sed tranquillam pacatamque et mitem vitam agant. Cli. Non opus est, hospes, ut Megillum interroges, [793] uter nostrum rectius sit locutus. ego enim assentior tibi, meræ voluptatis merique doloris vitam fugiendam omnibus esse, et mediam quandam semper tenendam. quare et dixisti recte atque audisti. Athen. Recte nimium, Clinia. sed illud ad hæc simul omnest res cogitemus. Cli. Quidnam? Athen. Quod quæ modo dicuntur a nobis, ea leges non scriptæ a multis appellantur : nec aliæ sunt, quæ leges patriæ nominantur, quam hujusmodi omnia. atque

quod paulo ante tetigimus, nec leges hæc esse vocanda neque silentio prætereunda, probe dictum est. hæc enim totius reipublicæ vincula sunt, mediumque tenent inter scriptas scribendasque leges, videlicet tanquam patriæ priscæque omnino institutiones. hæc si probe posita sint seque in eis homines recte assuefecerint, conscriptas leges stabili salute tutantur. sin contra factum sit, contra contingit; quemadmodum in ædificiis accidit, ubi, si ædium sustentacula subtracta de medio fuerint, concidere omnia cogunt, aliaque ex aliis dejici, et quæ bene superstructa sunt, dirutis prioribus corruunt. atque hæc quidem cogitantes novam hanc tuam civitatem, o Clinia, undique vincire debemus, nihilo prorsus relicto, quoad fieri potest, quod vel ad leges vel ad mores vel studia pertineat. his enim omnibus civitas nectitur. alterum vero istorum sine altero permanere non potest. quare non est mirandum, si, quæ nobis multa simul et parva legitime videntur instituenda, velut consuetudines confluentia, longiores leges efficiunt. Cli. Recte tu quidem: et nos similiter cogitabimus. Athen. Si quis igitur ad eum, qui tres agit annos, colendum, seu masculum sive feminam, hæc diligenter adhibeat, ac sedulo supra dictis utatur, non parvam afferent nuper enutritis utilitatem. atque id ingenio eorum, qui tres et qui quatuor et quinque et sex agunt annos, conveniens erit: a quibus deliciæ removendæ sunt et castigatio sine contemptu adhibenda. ceterum quemadmodum servos diximus castigare sine contumelia oportere, ne in iracundiam efferantur; castigare tamen omnino, ne nimium deliciosi reddantur: [794] ita et liberos volumus. horum ludi quidam sunt, ipsis quodammodo naturales: ad quos, quando conveniunt, sponte feruntur. congregandi hi pueri sunt a triennio ad sex usque annos, singuli in suæ tribus solennitate: quorum et adhuc tantillorum nutrices modestiam incontinentiamque observent. et cuique cœtui nutricibusque una quædam præsit de mulieribus duodecim, annuo tempore imperatura, prout legum custodes ordinaverint. has deligant mulieres nuptiarum curatrices, ex quaque tribu unam, ætate ipsis æquales. quæ ad hunc magistratum assumpta est, ita se gerat, ut in sacrum quotidie proficiscatur, semperque injuriantem puniat: servum quidem et servam, peregrinum et peregrinam, ipsa per urbanos quosdam ministros: civem autem, cujus animadversio in controversia sit, ad ædilium trahat judicium: de qua autem non sit controversia, puniat ipsa. post annorum sex ætatem feminæ a maribus discernantur: puerique deinceps cum æqualibus maribus et puellæ cum feminis æqualibus conversentur. et ad scientias utrique se vertant. mares quidem ad magistros equorum, arcuum, telorum et fundæ: feminæ quoque ad eadem, si concedatur, usque ad scientiam tantum, et maxime ad armorum usum. quo pacto autem nunc in his se res habeat, pæne ab omnibus ignoratur. Cli. Quid ais? Athen. Quod videlicet dextera a sinistris, quo ad manus pertinet, differre jam videantur in singulis operationibus natura. pedes enim inferioresque partes ad opera nihilo differre videntur. manibus autem, matrum nutricumque simul ignorantia, quasi claudi facti sumus. nam cum natura fere ad utramque partem æque se habeat, ipsi, per consuetudinem non recte utentes, differentiam fecimus. et certe in quibusdam parum id refert. nihil enim interest ad vitam, si lyra in sinistra sit, in dextera plectrum, in ceterisque hujusmodi similiter. quorum exemplo idem in reliquis omnibus facere, dementia est. [795] hæc ita esse lex Scytharum ostendit. non enim sinistra solum arcum, dextera sagittam tenent, sed utrisque similiter ad utrumque utuntur. multa exempla hujusmodi in aurigarum aliorumque operibus reperiuntur. ex quibus intelligere licet eos, qui dextris sinistra imbecilliora reddunt, præter naturam id facere. quæ res, ut diximus, in corneis plectris, instrumentisque talibus impedimento non

est : sed permultum interest, quando in pugna ferro, arcu, hasta ceterisque hujusmodi uti necesse est : plurimum autem, quando armis arma pelluntur. differt autem multum, qui didicit, ab eo qui non didicit : et exercitatus ab eo, qui minime exercitatus est. nam quemadmodum qui aut in pugili certamine aut lucta aut utroque simul perfecte se exercuit, potis est congredi a sinistris, et præsto se accommodat, quando ad partem alteram transferre se cogitur : id ipsum arbitror in armis ac ceteris rebus rectissimum esse. quare oportet, si duo quædam quis possidet, quibus se defendat et alios cædat, ut nihil horum pro viribus otiosum inexercitatumque relinquat. et si quis Geryonis aut Briarei naturam habeat : cum centimanus sit, centum oportet ab eo jacula mitti posse. horum omnium curam habeant principes, tam mulieres quam viri : et mulieres quidem ludos alimentaque considerent, viri autem disciplinas : ut omnes, pedibus manibusque utrimque æque potentes facti, per consuetudinem naturæ non noceant. disciplina vero duplici uti convenit : et corporis quidem gymnasticam, animi musicam vocari. sed gymnastica rursus est duplex : saltatio et luctatio. saltatio quoque alia Musæ verba imitatur, magnificentiam ipsius libertatemque observans : alia, bonæ habitudinis, levitatis et formæ, tum corporis ipsius tum partium membrorumque ejus gratia, apte flectit tenditque singula, ita ut sufficienter motus harmonicus diffundatur, consequaturque universum saltationis ordinem. [796] luctationis autem genera illa, quæ Anteus et Cercyo in artificium inutilis contentionis gratia deduxerunt, vel Epius vel Amycus in pugili concertatione, cum nihil ad prælium conferant, digna mentione non sunt. quæ vero in recta luctatione a collo, manibus laterumque motu, cum victoriæ studio honestoque habitu adhibentur, et ad sanitatem viresque conducunt, cum ad omnia utilia sint, prætereunda non sunt : sed discentibus docentibusque simul præcipiendum, ut, quando ad hoc in condendis legibus venerimus, alteri benivole ista largiantur, alteri gratiose suscipiant. nec vero omnes imitationes capessendæ, quæ in choreis sunt : sed hic quidem armatorum Curetarum ludi ; in Lacedæmone Castoris atque Pollucis. apud nos quoque non est negligendum, quod Minerva, ludis choreæ delectata, non nudis manibus ludendum censuit, sed armis tota ornata saltandi officio est perfuncta. quæ quidem adolescentulis sunt maribus et feminis imitanda, Deæ munus ad usum belli solemnitatumque ornamentum honorantibus. pueros vero, antequam prodire in bellum possint, armis equisque oportet in Deorum omnium pompis ornatos, modo velociores modo tardiores in chorea et itinere ad Deos Deorumque filios supplicationes fundere. ludi porro atque præludia, si rerum aliquarum gratia, nullarum certe, nisi harum, sunt adhibenda. hæc enim in pace et bello tam privatim quam publice utilia sunt. Ceteræ vero corporis exercitationes, seu ludo sive serio fiant, o Clinia atque Megille, non sunt liberales. Eam jam gymnasticam, quam tractandam in primis sermonibus dixi, ferme peregi, atque hæc tota et perfecta est. vos autem, si meliorem habetis, in medium proferatis. Cli. Non est facile, hospes, his neglectis narrare alia de gymnastica et certamine meliora. Athen. Reliquum est, ut de Musarum Apollinisque muneribus disseramus : de quibus ita satis dictum esse putabamus, ut de gymnastica solum restare videretur : nunc autem patet nonnulla esse relicta, quæ dicenda in primis sunt. quare deinceps illa dicemus. Cli. Dicantur omnino. [797] Athen. Audiatis igitur : audistis enim et in superioribus : quamvis et in dicendo et audiendo, quod valde mirum est et insolens, cavere decet. equidem in præsentia nonnihil dicturus sum, quod dicere merito vereri quis debeat : dicam tamen. Cli. Quid illud est, hospes ? Athen. Nusquam cognosci assero : quam maxi-

mam ludorum genus ad legum conditarum stabilitatem et mutationem habeat potestatem. quippe si hoc ita ordinatum fuerit, ut iisdem ludis secundum eadem et eodem modo iidem homines semper utantur et delectentur : leges quoque serio positas stabiles manere permittit. sin autem mutetur id genus, novique ludi quotidie inducantur, semperque novis delectetur juventus, tum figuris gestibusve corporis, tum reliquo apparatu et supellectili ; ac decens et indecens in his rebus aliter in dies et aliter judicent, atque inventores novarum rerum, colorum scilicet et figurarum ceterorumque hujusmodi, semper honorent : pestem hac nullam civitati majorem fore censemus, recte admodum judicantes. mutat enim juventutis mores occulte, facitque ut prisca quidem vilia, nova vero digna honore videantur. qua oratione et opinione nihil rursus assero perniciosius civitatibus esse. sed audite, quantum id malum esse censeo. Cli. Vituperarine prisca malum esse in civitatibus ais ? Athen. Aio equidem valde. Cli. Non malos ad hanc orationem nos auditores habebis, sed, quantum fieri potest, benivolentissimus. Athen. Consentaneum est. Cli. Dic jam. Athen. Agite, audiamus hæc diligentissime, atque ita inter nos disseramus : mutationem aio omnibus in rebus, præterquam malis, esse periculosissimam, in temporibus omnibus, inventis, in diæta corporum, in moribus animorum, in omnibus simpliciter, præterquam in malis, ut modo dicebam. corpora quidem, cum primis cibis aliquibus et potibus laboribusque utuntur, turbantur quodammodo : deinde ex diuturno harum rerum usu concrescunt pinguiaque redduntur, [798] atque hujusmodi victu utpote jam consueto, familiari et amico, delectantur admodum et optime valent. ac si ex probabili aliqua ad aliam cogantur transire diætam, in morbos initio conturbata incidunt, antequam novo victui consuescant. idem quoque in cogitationibus hominum animorumque naturis fieri cogitandum. omnes enim eas leges colunt et innovare formidant, in quibus educati sunt, si illæ divina quadam fortuna longis temporibus stabilitæ fuerint, adeo ut nullus aut recordetur aut audiverit eas unquam se aliter habuisse. quapropter excogitare debet legislator, qua via id in civitate quodammodo fiet. hunc igitur ipse modum excogitavi : Adolescentum ludos quotidie variatos, ut supra diximus, existimant omnes nihil aliud esse quam nugas : neque quicquam ad officia vitæ habere momenti. quare cedunt, et mutationem hanc innovationemque fieri facile patiuntur : nec intelligunt, quod necesse est, pueros diversis ac priores ludis gaudentes diversos differentesque a prioribus viros fieri : diversos vero effectos, diversam quoque vitam quæsituros, atque hinc nova studia legesque desideraturos. hinc nemo formidat pestem, quam dixi maximam civitati futuram. sed cetera quidem, præsertim circa figuras mutata, minus nocent. crebra vero in laudandis vituperandisque moribus innovatio gravissima etiam, ut arbitror, et plurimum formidanda. Cli. Quidni ? Athen. An non superioribus sermonibus credimus ? in quibus diximus, quod rhythmi et cetera musicæ genera imitationes quædam sunt morum tum bonorum hominum tum malorum ? vel quid dicemus ? Cli. Nullo modo aliter sentiemus. Athen. Omni igitur ratione conandum, ne pueritia in cantibus et saltationibus nova unquam audeat imitari, neve ullus ad novitatem pueros voluptatum blandimentis alliciat. Cli. Optime dicis. Athen. Habetne quisquam nostrum artem ad hæc Ægyptia meliorem ? [799] Cli. Quam illam dicis ? Athen. Ut tripudii cantusque genera Diis omnia consecrentur : et primum quidem festi dies singuli in certis anni temporibus Diis singulis Deorumque filiis et dæmonibus statuantur : deinde, quæ sacrificia quibus Diis offerenda sunt, ordinentur : quive cantus et choreæ quibus conveniant sacrificiis, distinguantur. quæ postquam distincta sunt, communi cives omnes libatione tum Parcis tum

Diis aliis sacrificent, certosque cantus et choreas certis Diis eorumve filiis et dæmonibus dedicent. ac si quis aliter, quam constitutum sit, hymnis choreisque in Deorum sacris utatur, sacerdotes, tam viri quam mulieres, una cum legum custodibus, eum sancte et legitime arceant : et qui repulsus erit, nisi libenter obtemperaverit, per totam vitam volenti cuique pœnas impietatis persolvat. Cli. Probe Athen. Verum quoniam huc oratione devenimus, ut nos decet, afficiamur. Cli. Quorsum hæc ? Ath. Omnis, non senex tantum, verum etiam juvenis, quotiens mirum quid et insolens viderit vel audierit, non utique accurrat illico quodque dubium est concedat : sed, quasi ad trivium sive solus sive cum aliis venerit, ignoretque viam, perquirat sane nec ulterius progrediatur, antequam certior fuerit, quo iter ferat. similiter nobis in præsentia faciundum. nam cum in sermonem de legibus mirum et insolitum inciderimus, diligentissime considerare debemus. non enim decet subito tantos viros de re tanta ferre sententiam, et quasi planam protinus affirmare. Cli. Vera loqueris. Athen. Ergo tempus ad hoc assumamus, tunc demum affirmaturi, cum satis fuerit consideratum. verum ne frustra consequentem legum præsentium ordinem relinquamus, ad finem propositorum festinemus. forte namque, si Deus voluerit, finem suum hæc tractatio consecuta plane, quod modo dubitatur, aperiet. Cli. Præclare loqueris, hospes. quare sic faciamus. Athen. Decreto igitur mirum istud et insolens, ut dicimus, affirmetur : quo nobis odæ cantusque constare legibus videantur, sicuti prisci de citharœdia dicebant : [800] ut illi quoque non longe a nostro absint proposito, sed tanquam in somno aut etiam in vigilia, vel somniaverint vel vaticinati hoc sint. hoc igitur ita decernatur. nemo audeat præter publicos sacrosque cantus aliquid canere, et præter constitutam juventutis choream moveri tripudio : quemadmodum neque contra leges alias quicquam facere licet. qui paret, indemnis abeat : eum vero, qui non obtemperavit, quemadmodum paulo ante dictum est, legum custodes sacerdotesque, tam mulieres quam viri, puniant. sed hæc quidem ita se habeant. Cli. Ita prorsus. Athen. Quomodo autem legibus hæc quispiam ita sanciet, ut ridiculus non videatur? atqui ita consideremus. tutissimus ad hæc mihi modus videtur, ut imagines quasdam oratione fingamus : quarum unam hanc esse dico. Sacrificiis factis et victimis ex lege perustis, accedet privatim quispiam ad aram sacraque, filius aut frater, qui miserabilem prorsus et noxiam orationem fundat, nonne dicemus hunc patri et suis male ominatum fuisse? Cli. Dicemus sane. Athen. In nostris civitatibus ferme omnibus, ut breviter dicam, hoc ita fit. nam posteaquam magistratus quispiam publice sacra fecit, non unus, sed multi solent chori convenire. qui cum prope aras steterint, miserandis vocibus rem sacram temerant. quippe verbis numerisque et concentibus flebilibus audientium inficiunt animos : et qui turbam ad lacrimas vehementius commovet, victoriæ is præmia refert. hanc nos legem nonne abrogabimus? et si querulam orationem audiri a civibus quandoque oporteat, non faustis divinarum solemnitatum diebus, sed nefastis potius, convenire dicemus? tunc eant, si placet, præmio conducti chori externique cantores, quemadmodum in funeribus fieri videmus, ubi quidam mercede conducti Caricæ gentis instar misere defunctum ipsum deplorant. hoc certe hujusmodi cantibus convenire videtur : eosque, cum flebiles mœstique sint, lugubris quoque vestis, ut breviter dicam, non coronæ neque ornatus aurei decent. igitur a nobis ipsis hoc rursus exquiro, utrum primam hanc imaginem placeat cantibus adhiberi. Cli. Quam ? Athen. Bonum, inquam, omen, ipsumque cantuum genus semper in benedicendo et feliciter ominando versetur. [801] an forte nihil interrogandum ? sed aspergendum id potius et sanciendum? Cli. Immo vero sanciendum prorsus. cunctis

enim hæc lex digna suffragiis. Athen. Quænam igitur post benedictionem, laudes bonumque omen, musicæ secunda lex erit? nonne ut preces Diis, quibus libamus, effundantur? Cli. Certe. Athen. Tertia vero, ut arbitror, erit lex, ut, cum poëtæ preces ipsas petitiones hominum a Diis esse non ignorent, diligenter animadvertant, ne mala quasi bona postulent. ridicula nimirum illius conditio, qui ita precatur. Cli. Procul dubio. Athen. Nonne supra concessimus, non oportere in civitate aureas et argenteas divitias esse? Cli. Omnino. Athen. Cujus igitur exemplar sermonem hunc esse dicemus? nonne hujus? quod videlicet poëtarum genus non omne, quæ bona sunt, quæ non, satis cognoscere potest. quare, si quisquam poëtarum verbis aut cantu præter ipsam rationem preces non rectas nobis tradiderit, is contraria in rebus maximis petere cives faciet. quo quidem errore, sicut diximus, non multos majores reperiemus. unam igitur hanc quoque in musica legem formamque ponamus. Cli. Quam? dic apertius. Athen. Nemo poëta præter civitatis leges, et justa, vel honesta, vel bona, fingere quicquam audeat: nec liceat, quæ composuerit, ulli privatorum ostendere, antequam constituti hac de re judices legumque custodes et viderint et approbaverint. qui vero musicæ et disciplinæ præsideant, ferme ostensum est. nunquid ergo, quod sæpe jam quæro, lex ista nobis formaque et imago tertia sancietur? an aliter? Cli. Sanciatur omnino. Athen. Post hæc rectissimum erit, ut hymni laudesque Deorum precibus mixtæ canantur: deinde dæmonum heroumqu similiter cum laudibus preces idoneæ. Cli. Nil prohibet. Athen. Ad hæc sequitur confestim ista sine invidia lex: Decens est eos cives laudibus exornare, qui cesserunt e vita, si corporis vel animi viribus res arduas præclarasque gesserint et legibus libenter paruerint. Cli. Quidni? [802] Athen. Viventes autem adhuc laudibus hymnisque honorare tutum non est, priusquam vita functus quispiam finem vivendi præclarum fecerit. hæc omnia viris mulieribusque virtute insignibus communia sint. cantus autem et tripudia ita constituantur. multa priscorum sunt circa musicam antiqua poëmata et saltationis genera: de quibus decentia et commoda constitutæ civitati deligere, nulla invidia est. quorum electores non pauciores quam quinquaginta sint annos nati. hi, quæ sufficienter dicta esse videantur, eligant: quæ vero improbe dicta, omnino rejiciant, et quæ minus sufficienter, poëtis viris musicisque adhibitis corrigant et absolvant: atque virtute ipsorum poetica, non voluptatibus neque cupiditatibus, nisi in paucis quibusdam, utantur, ita ut, legumlatoris exposita voluntate, saltationem cantumque et omnem choream prudenter ad eam dirigant. omnis profecto ordinata Musa, quamvis suavis Musa non adjungatur, longe melior est quam cum est sine ordine. suavitas autem atque jucunditas Musis omnibus est communis. nam in quacunque a primis annis ad ætatem usque maturam versatus aliquis fuerit, eam jucundam arbitratur. quippe si in Musa temperata atque ordinata fuerit educatus, contrariam cum audit, odit, illiberalemque appellat: sin vulgarem jucundamque semper audire consueverit, hujus contrariam frigidam et asperam esse ducit. quapropter, ut modo dicebam, jucunditatis et molestiæ in utraque pro consuetudine nostra par ratio est: sed emolumenti et detrimenti ratio impar. nempe altera meliores, altera deteriores facit utentes. Cli. Præclare. Athen. Præterea cantus, qui viris conveniant, et qui feminis, forma quadam distinguere debemus, et concentibus numerisque accommodare. absurdum est enim concentui universo vel numero dissonare, et his singulis non idonea reddere. horum igitur formæ necessario legibus statuendæ sunt, utrisque convenienter attribuendæ: et quid virum quidve mulierem deceat, ex ipsa utriusque naturæ differentia declarare. porro, quod magnificum est et ad fortitudinem tendit, virile dicendum.

venustum autem modestumque magis feminis esse accommodatus, et disputatione asseverandum et legibus sanciendum. [803] atque ordo quidem hic sit. deinceps declaremus, quo modo hæc et quibus tradenda aperiendaque sint, et quando agenda. quemadmodum vero navium faber carinulas primum ad navis formam supponit, sic ego mihi facere videor. nam dum vitæ conor figuras distinguere secundum animorum naturas, formulas quasdam quasi carinulas jacio ut, qua via et ratione hujus vitæ navem per hæc maria ducturi simus, recte conspiciatur. humanæ quidem res magno studio dignæ non sunt. studere tamen necesse est: quod infortunatum dixerim. postquam vero hic sumus, si modo quodam convenienti id fecerimus, satis forsan nobis erit factum. sed quid dicam, recte fortassis aliquis quæret. Cli. Recte admodum. Athen. Oportet igitur, aio, quod studio dignum est, studiose sectari: non digna vero nequaquam. ac Deum quidem omni beato studio dignum, hominem vero, sicut etiam supra diximus, Dei ludo esse fictum, atque id vere ipsius optimum esse. ita igitur affectos homines consequenter, et mares et feminas, versari in ludis quam pulcherrimis oportere, contra quam modo cogitantes. Cli. Quo pacto? Athen. Nunc certe studia ludorum gratia sequenda esse ducunt. nam rem bellicam putant studio dignam pacis gratia bene disponendam esse, cum in bello nec ludus inesse soleat, neque disciplina ratione digna fuerit unquam, nec sit modo, neque futura sit. nos autem eam disciplinam studio dignissimam arbitramur, qua homines instituti quam longissime atque optime in pace vitam agant. quæ autem ludendi in vita recta sit ratio, et quales ludi in sacrificiis canendo saltandoque adhibendi sint, ut et Dii nobis reddantur propitii, et hostes fundantur in pugna, et quas potissimum res cantu et saltatione imitati hæc utraque consequi valeamus, quibusdam quasi formulis præsignatum est, et viæ, per quas eundum, constratæ sunt. qua sane in re credendum est poëtam bene cecinisse, cum ait: [804] *Telemache, alia quidem tu mente versabis, alia tibi dæmon suggerit. non enim te puto sine numine Divum genitum et nutritum.* hoc ipsum alumnos quoque nostros cogitare oportet, et superiora quidem sufficienter dicta existimare; et si qua desunt, Dæmonem Deumque sperare sibi suggesturum, quibus scilicet sacrificiis choreisque, et quando, et quæ numina ludendo placare debeant, secundum modum naturæ viventes: cum ipsi res quædam miræ sint, ut plurimum veritatis parum participes. Meg. Genus hominum, hospes, penitus parvifacis. Athen. Non mireris, sed ignosce, o Megille. nam cum ad Deum respexerim commotusque fuerim, ista dixi. genus ergo nostrum, si tibi sic placet, non vile, sed aliquo dignum studio sit. post hæc gymnasiorum doctrinarumque publica ædificia tripartito in media urbe locata sunt. foris quoque equorum gymnasia in surburbiis similiter tripartito, loca insuper ampla ordinata, ubi juventus ad arcum et telorum jactum instruatur exerceaturque. quod si in superioribus non sufficienter de his est dictum, nunc et sermone dictum sit et lege sancitum: illorumque omnium peregrini magistri pretio conducendi, qui, illic habitantes, et ad rem militarem et ad musicam, venientes instituant. ac non illos tantum, quos parentes voluerint, oportet discere; quos vero noluerint, disciplinas missas facere: sed, ut dicitur, viri omnes, quoad fieri potest, et pueri, utpote qui civitatis magis sunt quam genitorum, necessario discant. eadem quoque de feminis, quæ et de masculis, lex mea sanciet. eadem enim ab utrisque volumus exerceri. neque verebor dicere equestrem disciplinam atque gymnasticam ita mulieribus, ut viris, honestam esse. hoc enim ex veteribus audivi fabulis, fidemque adhibeo. nostris etiam temporibus non ignoro, esse circa Pontum innumera mulierum millia, Sauromatidasque vocari, quibus non equorum

modo, [805] verum etiam arcuum ceterorumque armorum æqualis cura cum viris et exercitatio sit instituta. sed rationem quoque ad hæc hanc habeo. aio equidem, si hæc ita fieri possunt, stultissimum hoc in nostris regionibus esse, ut non iisdem studiis mulieres ac viri omni conatu consensuque dent operam. ferme enim civitas omnis hoc modo pro dupla dimidia fit, ex eisdem laboribus atque tributis. qui sane legislatoris error est ingentissimus. Cli. Sic apparet. verum multa nobis, hospes, præter rerum publicarum consuetudinem dicta sunt. Athen. Totam primo disputationem decet percurrere : deinde, quod potissimum videtur, eligere. Cli. Scite admodum modo dixisti, fecistique ut me ipsum reprehendam quod illa dixerim. quare deinceps, ut lubet dicas. Athen. Hoc ipsum mihi placet, Clinia, quod modo dicebam. nam si re ipsa non satis pateret, fieri hæc posse, contradici forsan nonnihil posset. nunc vero, si quis legem hanc aspernatur, aliud certe quærat oportet. præceptum vero nostrum non cessabit asserere, quod oporteat doctrinæ ceterorumque quam maxime mulieres cum viris participes fieri. sic enim de his considerare oportet. dic, age, si mulieres cum viris in omni vita participes non sint, an non necesse erit ipsis alium quendam ordinem assignare? Cli. Necesse. Athen. Quem alium eorum, qui nunc sunt, potius quam nostræ communionis ordinem assignabimus? utrum, sicut Thraces multæque aliæ gentes agriculturam, bubulcorum pastorumque officia et reliqua opera, nihilo a servorum ministeriis differentia, mulieribus tribuemus? an, quemadmodum nos vicinique omnes nostri, reconditis in unam domum rebus, ut dicitur, omnibus, feminis penu custodiam, radios, lanificium et similia committemus ? vel Laconicum, o Megille, quasi medium, eligemus? [806] ut virgines quidem gymnasiis et musicæ vacent, mulieres autem in otio quidem lanificium curent, vitam tamen non abjectam et tenuem, sed sollertiorem quandam agant. quin etiam domestici cultus, custodiendi penu educandorumque liberorum, mediam quandam curam suscipiant. nec bellis intersint : ut, si patriam liberosque tueri necesse sit, nec sagittas emittere, ut Amazones, nec alia tela suscipere artificiose possint, nec, scuto hastaque sumpta, imitari Deam ac pro patria obsessa generose resistere, ut, si nihil aliud majus, terrorem saltem, in acie visæ, hostibus ipsis incutiant. quippe si ita vixerint, Sauromatas imitari nunquam audebunt : sed apud ipsas mulieres illorum videbuntur viri. in his itaque vestrarum legum latores probet, qui velit ; ego profecto aliter nunquam dicam. perfectum namque officium, non medium, a legumlatore requiro, qui non sinat resolvi deliciis mulieres, nec maribus solis attendat : ne pro felicitate civitatis duplici simplicem solum efficiat. Meg. Quid hic agemus, o Clinia ? an patiemur, ut Spartam sic hospes invadat ? Cli. Certe : nam cum dicendi libertas sibi concessa sit, quousque satis de legibus tractatum non fuerit, interturbandus non est. Meg. Probe dicis. Athen. Meum igitur est, quæ sequuntur, explanare. Cli. Procul dubio. Athen. Quis igitur vitæ modus hominibus erit, quibus necessaria mediocriter sint præparata ? artes vero aliis relictæ, agricultura servis commendata, qui fructus ex agris reddant, qui satis sint hominibus modeste viventibus, quibus præterea convivia publica sint instituta : virorum quidem seorsum, et proxime propinquorum, filiarumque una atque matrum : hisque conviviis principes quidam et viri et mulieres præpositi sint, qui in eis observent quotidie animadvertantque singula, deinde cœtus ipsos dissolvant, [807] et, postquam tam principes quam ceteri Diis ipsis, quibus dies illa vel nox dicata est, libaverint, domum proficiscantur. his igitur hominibus sic institutis nullumne erit reliquum opus necessarium ipsisque conveniens, sed dediti ventri more pecorum vivent? at vero nec justum nec honestum id ducimus : neque possibile est, ita

viventem hominem in id tandem, quod sibi convenit, non incurrere. convenit autem desidi obesoque per inertiam animali, ut ab alio laboribus exercitato et quasi extenuato fortique raptum dilanietur, hæc utique si sufficienter exacteque, ut modo videmur, perquiramus, forte nunquam fierent, donec mulieres et liberi et domus et reliqua propria cuique erunt. si tamen, quæ secunda ad ea sunt et modo tractantur, assequamur, mediocriter certe fient. opus igitur ita viventibus non parvum neque vile restare dicimus, sed maximum omnium a justa lege mandatum. nam cum singuli vivendi modi a ceteris omnibus operibus distrahant, ut, si quis Pythia vel Olympia vincere studeat, is aliis rebus vacare nequeat : duplici, immo vero multiplici adhuc cura vita illius plena est, qui recte animi corporisque virtuti vacat. nihil enim exercitationis corporeæ, nihil doctrinarum animi morumque, propter alia negotia negligendum est. ferme enim tota dies totaque nox ista curanti ad sufficientiam eorum perfectionemque consequendam non sufficit. cum igitur hæc ita se habeant, ordo totius temporis liberis hominibus ab ortu solis perpetuus ad alterum solis ortum est habendus. ridiculus fortasse legislator habebitur, si multa frequentiaque et minima quæque de familiari administratione narraverit, cum in aliis tum etiam in nocturna vigilia, quam necesse est ut conservaturi civitatem exhibeant. nam sive lex sive officium id appellandum sit, quod modo præcepimus, certe omnibus turpe illud et illiberale videri debet, ut civium aliquis per totam dormiat noctem, nec primus excitetur et surgat, ita ut hoc toti familiæ pateat. [808] quin etiam ut domina ab ancillis, non ancillæ ab ipsa primum excitentur, turpe dicendum apud servos, ancillas, pueros, et domum denique, si possibile sit, universam. nocte igitur exsurgant : et magistratus publicum aliquid, patres vero matresque familiæ in domibus propriis rem suam curent. somnus enim multus nec corporibus nec animis neque rebus gerendis natura conducit. nemo quidem, dum dormit, alicujus pretii est, non magis quam si non viveret. quare quicunque vivere et sapere cupit maxime, quam longissimo tempore vigilet, sola sanitatis commoditate servata. ad hanc vero non multo opus est somno, si bene assueveris [somnus]. magistratus profecto nocte in urbibus vigilantes malis hominibus, tum hostibus tum civibus, terrori sunt. amandi honorandique justis et temperatis, sibi et civitati utiles universæ. sed nox quidem ita peracta ad ea, quæ diximus, fortitudinem quoque in animis civium creat. sole vero surgente pueri ad magistros proficiscantur. quoniam vero nec pecudes nec alia prorsus ulla sine pastore vivere debent, nec pueri etiam sine pædagogis sint, neque absque dominis servi. est autem puer omni bestia intractabilior. nam cum prudentiæ fontem nondum perfectum habeat, insidiosissimus est acerrimusque et petulantissimus omnium bestiarum : ideo multis quasi frenis vinciendus est. et cum primum a matribus nutricibusque sejungitur, pædagogis eum ad puerilem lasciviam regendam commendare oportet : deinde, ut liberum quidem, doctrinarum potissimum gratia, præceptoribus : ut autem servum, castiget, quicunque ex liberis forte deprehenderit, puerum ipsum et pædagogum et præceptorem, si qua in re delinquere eos conspexerit. si vero præsens quis jure non castigaverit, maximo subjiciatur opprobrio, rem hanc ille, qui de custodibus legum ad principatum puerorum electus fuerit, cognoscat : [809] sive ille, qui eos deprehendit, non castigaverit, cum oporteret : sive non more castigaverit. acute autem videat hic oportet, diligentissimeque educationem puerorum curet, naturas eorum secundum leges ad bonum ipsum dirigens semper et convertens. quomodo autem hunc ipsum nobis lex sufficienter erudiet ? non enim satis nec aperte adhuc dictum est : sed alia tacta, alia prætermissa. oportet autem pro viribus nihil relinquere, sed rationem omnem exponere, ut interpres hic aliis et educator sit. De choreæ quidem, cantus et saltationis forma dic-

tum est: quæ eligenda, corrigenda, dedicanda sit. de scriptis autem oratione soluta nondum diximus, quænam horum et quo ordine, o optime pueritiæ cultor, alumnis tuis tradenda sint: quamvis quæ in re bellica discenda exercendaque ipsis sunt, jam habeas. etenim quod percipienda sint, quæ ad literas pertinent primum, deinde quæ ad lyram, a legislatore dictum est: præterea quæ ad computationem numerorum spectant, quibus opus esse diximus: et omnino quæcunque ad bellum ac rem familiarem publicamque conducunt. item quæ ad divinorum, astrorum, solis lunæque circuitum perquirendum: ut universa civitas non ignoret ordinem dierum in mensem mensiumque in annum: atque ita tempora, solemnitates, sacrificia, ut decet, disposita naturali quodam ductu vivam civitatem vigilantemque reddant, et Diis honorem tribuant et homines ad hæc prudentiores efficiant. hæc tibi sic, o amice, a legislatore sufficienter distincta sunt: sed, quæ sequuntur, animadverte. nam de literis nondum satis distinctum fuisse diximus: quoniam, quatenus his vacandum sit, non est declaratum: utrum videlicet exacte eas comprehendere debeant, qui mediocres futuri sunt cives; an nihil omnino. similiter quoque de lyra. ad literas ergo decennes pueri proficiscantur, triennioque insistant. et qui tres ac decem egerunt annos, lyræ similiter tres annos incumbant. [810] nec liceat aut patri plus vel minus in his liberos detinere; aut liberis, sive tædio affectis citra id tempus, sive desiderio compulsis ultra, his rebus, contempta lege, vacare. si quis non paruerit, honores, qui disciplina præditis dantur, quos postea narrabimus, non consequatur. sed quid in his annis docere magistri adolescentesque discere debeant, audi. literas, donec legere scribereque possint, perdiscant. velociter autem aut perpulchre faciant necne, nisi natura in hoc temporis spatio juverit, non est curandum. monumenta vero poëtarum, in quibus lyra non utuntur, partim metrice scripta partim sine metro, quæ quidem rhythmo harmoniaque carentia fallacia scripta sunt, nobis a nonnullis hujusmodi hominibus tradita, qua ratione usui dabitis, o omnium optimi custodes legum? legum quoque latorem, qualem istorum usum vobis recte tradat, dubitaturum arbitror. Cli. Quid, hospes, tecum ita dubitasti? Athen. Recte tu, Clinia: sed ad vos, qui de legibus communiter mecum consideratis, necesse est, ut, et quæ certa et quæ dubia mihi videntur, aperiam. Cli. Quid ergo de his modo dicis? quid te movit? Athen. Dicam equidem. profecto innumeris hominibus non est facile contradicere. Cli. Nunquid parva et pauca de legibus jam dicta putas multis contraria? Athen. Vere prorsus id dicis. jubere namque videris, ut, quamvis multis hoc iter arduum odiosumque sit, peragam tamen confidenter, perque legum semitam, præsentibus sermonibus patefactam, nihilo prætermisso progrediar: cum iter hujusmodi forsan non paucioribus, et si paucioribus, non deterioribus placeat. Cli. Certe. Athen. Nihil igitur prætermittam. dico equidem poëtas multos hexametro carmine, multos trimetro aliisque generibus metrorum scripsisse: ac alios seria, alios jocosa fuisse complexos. quæ cuncta multi facultatis hujusmodi professores asserunt recte educandis juvenibus ediscenda. ut ex variorum poëtarum peritia facundi reddantur. [811] alii capita quædam ex omnibus electa et in idem conducta memoriæ commendanda contendunt: si modo quis nostrum ex multorum peritia atque notitia probus vir et sapiens est futurus. tu vero, quid ab his recte dicatur, quid contra, libere a me nunc explicari jubes? Cli. Quidni? Athen. Ego igitur quid potissime de his omnibus uno verbo sufficienter dicam? hoc equidem arbitror, quod mihi ab omnibus concedetur, Multa a poëtis probe, multa etiam contra esse dicta. quod si ita se habet, multorum ediscendorum studium juvenibus periculosum esse assero. Cli. Quomodo ergo, et quid custodi legum præcipis? Athen. Qua de re dicis? Cli. Quonam sibi respiciendum

quasi ad exemplar quoddam, ut alia perdiscenda juvenibus, alia ne attingenda quidem jubeat: ne dicere id graveris, obsecro. Athen. O bone vir Clinia, videor quodammodo fortunatus. Cli. Qua in re maxime? Athen. Quod penitus exemplo non caream. nempe cum ea, quæ ab aurora ad hanc horam non sine quadam Deorum inspiratione, ut mihi videmur, narravimus, animadverto: poësi quodammodo similia mihi videntur. nec mirum est, si proprios sermones, quasi simul omnes collectos, respiciens, sic afficior, ut admodum læter. omnium enim, quæ aut poëtice aut soluta oratione dicta didici et audivi, moderatissima hæc mihi instruendisque juvenibus idonea maxime videntur. quamobrem quod melius exemplum legum custodi atque doctori proponam, non habeo, quam ut magistros cogat pueris hæc exponere, et quæcunque alia his similia, sive poëtice seu soluta oratione scripta sint, sive simpliciter dicta quidem et huic disputationi consentanea: quæ nullo modo prætermittat oportet, sed operam det ut scribantur. ac primum præceptores ipsos compellat discere hæc atque probare: et eos, qui non probent, repellat: his vero, qui probant, erudiendos instituendosque adolescentes committat. [812] sed de literis earumque magistris jam satis. Cli. A proposito quidem, hospes, ut mihi videtur, non aberravimus: sed utrum recte totam rem an contra agamus, forsan difficile dictu. Athen. Tunc demum, Clinia, id quoque patebit, ut decens est, quando, sicut sæpenumero diximus, legum tractatio finem accipiet. Cli. Recte. Athen. Verum post literarum magistrum nonne de citharista dicendum? Cli. Cur non? Athen. Si superiorum memores erimus verborum, citharistis congruum et docendi et educandi, quantum ad sua spectat, ut reor, officium dabimus. Cli. De quibus dicis? Athen. Oportere diximus Dionysiacos cantores sexaginta annos natos rhythmorum naturas harmoniarumque constitutiones acute sentire, ut in cantibus affectus animi imitantibus, probi animi imitationes ab imitationibus improbi secernere possint: et has quidem rejiciant. illas in medium deductas adolescentum auribus concinant, trahantque eorum animos imitatione quadam perductos, ad virtutis ipsius possessionem. Cli. Vera loqueris. Athen. Quapropter citharistam discipulumque ejus oportet lyræ vocibus uti ejus expressionis gratia, quæ ex canoris fidibus provenit, et vocibus voces consonas reddere. diversitatem vero varietatemque lyræ, cum alios fides modulos reddant, alios poëta cantus ipsius auctor, ut spissitudinem præterea raritati, velocitatem tarditati, acumen gravitati, et omnino consonum simul et dissonum præstent, rhythmorumque universa varietas lyræ vocibus accommodetur, afferre illis non licet, qui triennio utilitatem musicæ sunt facile percepturi. contraria enim cum se invicem confundant, difficile discuntur. oportet autem, ut facile juvenes discant. nam nec parva nec pauca sunt, quæ necessario illis perdiscenda mandamus. hæc autem oratio progrediens cum tempore simul ostendet. hæc de musica doctores procurent. quæ vero verba cantusve chorearum magistri docere debeant, ea nobis in superioribus distincta sunt, [813] quæ dedicanda commode solemnitatibus diximus, ut una cum felici oblectamento utilitatem quoque civitatibus præbeant. Cli. Vere hæc etiam distinxisti. Athen. Hæc itaque vere distincta electus ad Musam magistratus suscipiat curetque feliciter. nos vero, sicut musicæ docendi modum, qui restabat, adjecimus, ita nunc saltationi et universæ corporis gymnasticæ, cum idem reliquum sit, idem quoque adjiciamus. pueros etenim puellasque oportet tripudium et gymnasticam discere. nonne? Cli. Sic oportet. Athen. Saltandi igitur magistri pueris ac puellis magistræ dentur, ut his apte exerceantur. Cli. Dentur prorsus. Athen. Rursus virum illum plurima negotia subiturum vocemus, pueritiæ curatorem: qui cum et musicæ et gymnasticæ curam habeat, nunquam

otio abundabit. Cli. At quo pacto tantam, cum senior sit, curam sufferre poterit? Athen. Facile o amice. lex enim ipsi concessit concedetque, ut ad eam curam, quos velit civium, et virorum, et mulierum, accipiat socios. ille autem, qui deligendi sint, cognoscet, voletque socios probos deligere, cum magistratus ipsius magnitudinem prudenter et cognoscat et vereatur, nec ignoret, quod si pueritia recte educata sit educeturque omnis in vita recte fit navigatio. sin contra, quid contra sequatur, nec dictu dignum est neque nos dicimus, perniciosum in civitatem novam omen fugientes. multa jam de saltatione deque omni motu gymnastico diximus. gymnasia enim omnes etiam exercitationes bellicas appellamus, ut sagittandi, jaculandi: peltasticen quoque et omnes armatorum dimicationes, acierum ordinationes, ductiones exercitus, castrorum positiones, et quæcunque ad equestrem pertinent disciplinam. quorum omnium publicos oportet esse magistros a civitate conductos, qui pueros et puellas, viros et mulieres doceant, ut omnes, qui in civitate sunt, hæc omnia sciant. et puellæ quidem saltare pugnareque cum armis consuescant: mulieres autem castra movere, ordines struere et arma sumere atque deponere; [814] si nullius rei alterius gratia, attamen si res cogat, ut in militiam viri omnes proficiscantur, possint ipsæ interim, si quid adversi acciderit, civitatem defendere: vel si tanta hostium multitudo agros invaserit, ut necesse sit mulieres quoque pro civitate arma capere: quorum nihil est quod non facile evenire possit. magno certe reipublicæ vitio dandum est ita ignave mulieres educari, ut nec veluti aves quidem pro filiolis contra feroces audeant bestias pugnare, morique potius velint cunctaque subire pericula, quam statim ad aras templaque confugere, opinionemque de genere hominum dare, omnium ignavissimum animalium esse. Cli. Per Jovem, hospes, et dedecori hoc et detrimento est civitati. Athen. Legem igitur hanc sanciamus, ut rem bellicam mulieres non negligant: sed cives omnes, tam mulieres quam viri, illi dent operam. Cli. Sanciamus. Athen. De luctatione quidem partim nobis est dictum. quod vero, ut arbitror, maximum est, non diximus; nec facile dictu est, nisi quis verborum declarationi corporis gestus adjungat. hoc ergo tunc indicabimus, quando verba rebus conjuncta apertius aliquid etiam de ceteris significabunt, et luctationem maxime omnium motuum prœlio affinem esse, et oportere non prœlio hujus causa, sed huic gratia prœlii operam dare. Cli. Probe id quidem. Athen. Sed de luctandi quidem facultate hactenus sit dictum. ceteros vero corporis totius motus, quorum plurimi saltationis nomine recte appellari possunt, in duas species distribuimus. nam alius quidem motus decentioribus gestibus corporis, honestum dignumque aliquid imitatur: alius contra indecentioribus, ad vile aliquid imitando deducit. et utriusque rursus duæ sunt species. honestus enim digniorque motus alius est, cum in bello violentisque laboribus egregio corpore fortique animo implicamur: alius, dum animus in rebus secundis moderate lætatur. hunc si quis pacificum appellet motum, secundum naturam appellare videbitur. [815] illum vero a pacifico diversum Pyrrhichem recte quisque vocabit, qui imitatur flexus corporum, quibus tela plagæque vitantur, declinando, concedendo, exiliendo in altum hunique se contrahendo: contrarios item gestus, quibus videlicet adversus alios quicquam infertur sagittando, jaculando, cedendo, in his omnibus arbitrari oportet, quando intrepidus et constans habitus in membrorum rectitudine et fortitudine animi adhibetur, recte fieri: quando vero contra, non recte. sed et paci convenientem saltationem hoc pacto in singulis consideremus, utrum recte nec ne, pro natura honestæ saltationis decenter quis in choreis optima lege eruditorum virorum versetur. primum vero ambigua, quæ in controversiam cadit, saltatio, a non ambigua distinguenda est. Quænam igitur hæc? et quo pacto utraque distinguenda? ambiguam arbitramur, quæ

Bacchica Bacchumque sequentium est: quas Nymphas, Panes, Silenos ac Satyros vocant: quæ quidem, ut aiunt, vinolentos imitantur, lustrationes et sacra facientes. Totum hoc saltationis genus, neque quod bello conveniat neque quod paci, neque quid sibi velit, facile determinari potest. rectissimum igitur mihi videtur, id ita distinguere, ut seorsum a belli, seorsum etiam a pacis saltatione id ponamus: negantesque hoc esse civile, atque ideo relinquentes, ad belli pacisque, quæ sine controversia est, saltationem ad nos pertinentem jam revertamur. genus autem illud Musæ, quo in pace et prosperitatis opinione utimur, Deos Deorumque filios honorantes, bipartito distinguitur. alterum enim, cum pericula laboresque evasimus et bona adepti sumus, adhibetur; quod majores continet voluptates: alterum prioribus bonis servatis auctisque agi solet, in quo remissior est voluptas. in hujusmodi vero rebus quisque ex majori voluptate concitatius, ex minore remissius quisque movetur. modestior etiam quilibet et ad fortitudinem exercitatior pacatius movetur. ignavus contra et ad temperantiam minime exercitatus majores vehementioresque movendi permutationes agit. [816] communiter autem, seu cantu sive aliter quis loquatur, quieto id corpore facere nequit. quapropter verborum imitatio, corporis figuris expressa, artem omnem saltatricem peperit: qua concinne nonnulli, alii inconcinne moventur. cumque in aliis multis nominibus bene et secundum naturam positis laudanda antiquitas sit, in hoc quoque probanda est, quod saltationes cunctas moderatorum hominum, in rebus secundis temperate gaudentium, recte admodum musiceque et secundum rationem concinnitates, quisquis ille fuerit, nominavit: duasque honestæ saltationis constituit species: et belli quidem Pyrrhichem, pacis commode concinnitatem vocavit. hæc debet legislator figuris quibusdam exponere: custos autem quærere, et inventa cum alia musica conjungere, atque in solemnibus sacrificiis distributa, singula singulis dedicare, et ita ordinata stabilire, ut nihil eorum postea nec in saltu nec in cantu aliter fiat, sed in eisdem voluptatibus civitas eadem perseverans, civesque iidem similes semper pro viribus permanentes, bene beateque vivant. sed jam de honestis pulchrorum corporum generosorumque animorum choreis diximus. deformium vero corporum cogitationumque motus, qui ad risum et comœdiam verbis, cantu, saltatione omnibusque hujusmodi imitationibus spectant, considerare et cognoscere necesse est. nam seria sine ridiculis, et omnino sine contrariis contraria, cognoscere quidem impossibile est, si quis prudens est futurus: fieri autem ambo minime possunt, si quo pacto virtutis participes evasuri sumus. sed hæc hujus gratia cognoscenda sunt, ne propter ignorantiam ridiculum aliquid agatur aut dicatur, cum minime oporteat. servi igitur et peregrini pretio conducti talia imitentur: studium vero ipsis nullum adhibeatur. nec adeo liber sit civis, seu vir sive mulier, qui discere ista cernatur, sed nova semper de his appareat imitatio. atque ita ad risum spectantes ludi, qui comœdiæ vocabulo appellantur, ratione ac lege dispositi sint. [817] tragœdi vero poëtæ, qui res, ut aiunt, serias narrant, si nos sic interrogent, Licetne, o amici, in regionem civitatemque vestram nobis venire, poëmataque nostra ad vos perferre? an aliter vobis de re tragica visum est? quid ad hæc divinis viris recte nos respondebimus? nam mihi quidem ita videtur: nos vero, o viri optimi, tragœdiæ quam pulcherrimæ et optimæ, quoad fieri potest, simus poëtæ. nempe universa respublica nostra pulcherrimæ optimæque vitæ imitatio est: quam rem nos certe tragœdiam verissimam arbitramur. poëtæ ergo vos estis: poëtæ quoque ejusdem poëmatis ipsi sumus, et quasi æmuli ad opus pulcherrimum tragœdiæ contendimus: quod sola lex vera, ut speramus, potest perficere. verum nolite credere facile a nobis admitti, ut scenas in foro constituatis et clamosos conducatis histriones, qui altius quam nos exclament, atque ita ad liberos nostros, ad uxores,

ad turbam urbis omnem, de eisdem rebus non eadem quæ nos, sed contraria sæpe concionemini. insaniremus enim et nos omnino et civitas omnis, si, antequam magistratus viderint quæ composuistis, et dicenda ad populum judicaverint, admitteremini. nunc igitur, o viri mollium Musarum alumni, istos cantus vestros cum nostris apud principes comparabimus: et, si quæ dicuntur, eadem aut meliora nostris esse videbuntur, chorum vobis dabimus. sin vero aliter, o amici, nunquam dare poterimus. hæc ita de omni chorea ejusque doctrina legibus et moribus constituta sint: et servorum quidem seorsum a dominorum officiis, si vobis quoque videtur. Cli. Videtur certe. Athen. Sed liberis tres adhuc restant doctrinæ. una computatio numerorum: altera longitudinis, latitudinis profunditatisque mensura: tertia circuitus astrorum notitia. [818] quæ omnia non exacte multi perdiscent, sed pauci, quos ad finem progressi significabimus, sic enim decet. multitudini vero quæ necessaria sunt rectis-imeque dicuntur, turpe est nescire. sed exquisite cuncta perquirere, nec facile est nec omnino possibile. quod ex ipsis necessarium est, rejici non potest. immo vero ad hoc ipsum respexisse videtur, qui proverbio primus ita de Deo est locutus, quod nec Deus unquam cum necessitate pugnabit. quod equidem de divinis necessitatibus intelligendum arbitror. nam si hoc de humanis necessitatibus dicatur, ad quas multi respicientes tale quid aiunt, longe omnium stultissima erit oratio. Cli. Quænam igitur, hospes, non humanæ sed divinæ doctrinarum necessitates sunt? Athen. Illas arbitror, quas qui non discit ullo modo nec experitur, nunquam hominibus Deus fit nec dæmon nec heros, ut curam hominum studiose habere possit. longe etiam aberit, ut homo divinus fiat, si nec unum nec duo nec tria, nec paria omnino atque imparia potest cognoscere, si nec numerare novit, nec dies et noctes dinumerare, nec solis ac lunæ ceterorumque astrorum lationes accepit. quæ si quis necessaria neget homini, pulcherrimarum doctrinarum quamlibet percepturo, stultissime cogitabit. sed qualia horum singula sint et quot et quando discenda, et quid cum alio et quid sine aliis solum, et quæ sit universa istorum mixtura, recte ante omnia est discendum. deinde his doctrinis ducibus ad alias gradiendum. sic enim natura necessitas ipsa obtinuit, qua cum Deorum nullum dicimus aut pugnare nunc aut unquam pugnaturum. Cli. Recte, hospes, ac secundum naturam, quæ dicis, ita dici videntur. Athen. Sic se res habet, o Clinia: sed difficile est, de istis hoc ordine propositis leges ferre. quare in aliud tempus, si videtur, dilata diligentius hæc legibus sanciemus. Cli. Videris, hospes, nostram de his rebus imperitiam formidare. neque id injuria. verumtamen exponere conaris, nihil hac de causa veritus. Athen. Formido equidem, quod dicis: [819] sed multo magis eos perhorresco, qui has doctrinas gustarunt quidem, sed male gustarunt. non enim grave admodum quiddam est et durum rerum omnium imperitia, nec summum malum, sed multo perniciosius est male comparata multarum rerum peritia atque notitia. Cli. Vera loqueris. Athen. Oportet igitur liberos homines ea discere, quæ una cum literatura magna puerorum turba in Ægypto perdiscit. primum enim computationis doctrina sic propter pueros excogitata, cum ludo et voluptate percipitur. pomorum coronarumque pluribus paucioribusve distributio fit, iisdem competentibus numeris. pugilum quoque et luctatorum consessus, et consortii alternus et consequens ordo, ut fieri solet, digeritur. phialas etiam aureas, aureas et argenteas, similesque alias ludendo immiscentes, vel totas alter alteri tradentes, necessarios, ut dixi, ludis numeros aptant: atque ita utilitatem præbent discentibus ad exercitus ducendos, castrorum ordines, ad rem publicam disponendam et ad reliqua omnia, vigilantioresque ipsos reddunt. deinde cum natura ignoratio turpis atque ridenda de mensura longitudinis,

latitudinis et profunditatis omnes homines teneat, hac eos procul abducunt. Cli. Quam igitur et qualem ignorantiam dicis? Athen. O amice Clinia, ego etiam, cum aliquando audivissem, sero tandem hanc nostram ignorantiam miratus sum, nec hominum sed suum pecorumque consideranti mihi visa est: ideoque non mea solummodo, verum etiam Græcorum omnium causa vehementer erubui. Cli. Dic planius, hospes, quid hoc est. Athen. Dicam equidem: immo vero interrogando aperiam. responde, quæso. longitudinem nosti? Cli. Quidni? Athen. Quid, latitudinem? Cli. Certe. Athen. An quod hæc duo sunt, et profunditas tertium? Cli. Et hoc. Athen. Videntur tibi hæc omnia invicem posse commensurari? Cli. Sane. Athen. Longitudinem, inquam, ad longitudinem. et latitudinem ad latitudinem, et profunditatem similiter commensurari posse natura. [820] Cli. Vehementer quidem. Athen. Quod si aliqua neque vehementer neque remisse id possunt, sed alia possunt quidem, alia minime, tu autem putas omnia posse: quomodo ad hæc es affectus? Cli. Male. Athen. Quid rursus? longitudinem latitudinemque ad profunditatem, vel latitudinem longitudinemque invicem, nonne Græci omnes opinantur quodammodo posse commensurari? Cli. Omnino. Athen. Quod si nullo pacto possunt, omnes autem Græci, ut dicebam, posse existimant: nonne par est nos omnium causa rubore commotos ad eos dicere, Hoc unum de illis est, o Græcorum optimi, quæ ignorare quidem turpe esse dicebamus: nosse autem necessaria, non admodum præclarum. Cli. Cur non? Athen. Præterea alia quædam sunt his affinia, in quibus similiter erramus. Cli. Quænam? Athen. Qua natura factum sit, ut alia invicem commensurari possint quidem, alia vero non possint. hæc sane cognoscere necessarium est, vel omnino inutilem esse illum qui ignorat. in his ergo animi causa trahere moram oportet. senilis enim hic ludus multo jucundior erit, quam talorum et tesserarum, liberoque homine dignior. Cli. Quidni? multum enim tesseræ istæque doctrinæ inter se distare videntur. Athen. Hæc ipse, o Clinia, discenda junioribus censeo. nam nec noxia neque difficilia sunt: et ludendo percepta proderunt civitati, oberunt autem nunquam. attendendum est autem, si quis aliter dicat. Cli. Quidni? Athen. Si hæc ita habere se videbuntur, probabimus utique: sin aliter, reprobabimus. Cli. Ita certe. nonne igitur, hospes, hæ nobis, tanquam necessariæ doctrinæ, modo sanciendæ sunt, ne inanis nobis sit legum tractatio? Athen. Sanciantur quidem, sed ea conditione, ut solvi a reliquo disciplinæ civilis ordine possint, si forte nullo modo vel ponentibus nobis vel vobis, quibus posita fuerint, probabuntur. Cli. Justa hæc est positio. Athen. Sed advertamus nunc, utrum stellarum nobis doctrina placeat. Cli. Dic modo. Athen. Mirum quid in his accidit, quod tolerari minime potest. [821] Cli. Quid illud? Athen. Maximum Deum totumque mundum dicimus inquirendum non esse, nec rerum causas multo studio indagandas: nec pium id ducimus, cum tamen contrarium videatur recte fieri posse. Cli. Quo pacto dicis? Athen. Nempe hæc aliena quidem a senioribus doctrina videbitur: sed cum probam, veram civitatique utilem ac Deo ipsi amicam putem, silere non possum. Cli. Consentanea loqueris. sed nunquid circa stellas doctrinam talem reperiemus? Athen. Mentimur nunc, o boni viri, de magnis Diis, sole dico ac luna, ut breviter dicam, Græci omnes. Cli. Qua ratione mentimur? Athen. Solem ac lunam nunquam iter idem facere opinamur, et alias quasdam cum his stellas errare dicimus, quas planetas vocamus. Cli. Per Jovem, hospes, verum est, quod dicis. sæpe namque ipse oculis vidi, Luciferum et Hesperum et alias quasdam nunquam eundem facere cursum, sed omnino errare: solem autem ac lunam errare semper omnes cognovimus. Athen. Hæc, o Megille et Clinia,

sunt, quæ junioribus civibusque nostris de Diis cœlestibus usque adeo dicenda censeo, ut in eos profanum nihil loquantur, sed sacrificando pieque vovendo laudibus semper honorent. Cli. Rectum quidem hoc, si modo possibile primum est, quod dicis, perdiscere : deinde, etiamsi minus recte de his nunc loquimur, postquam vero didicerimus, recte loquemur. si, inquam, ita est, ego quoque talem doctrinam eatenus discendam esse concedo. hæc igitur ita se habere, conare tu quidem diligenter exponere : nos vero audiemus atque discemus. Athen. Non est facile, quod dico, percipere, nec rursus difficile : nec longo, ut discutiatur, indiget tempore. cujus signum est, quod ipse nec nuper nec jam olim audivi, et nunc in brevi tempore significare vobis possum. quæ tamen si difficilia penitus essent, nec ego declarare nec vos percipere in hac ætate possetis. Cli. Vera dicis. sed quænam hæc est doctrina, quam mirabilem esse dicis et junioribus necessariam nobisque ignotam? [822] conare apertissime istud ostendere. Athen. Conabor equidem. non est, o viri optimi, vera hæc de sole et luna ceterisque stellis opinio, quod unquam pererrent: sed contra se res habet. unum enim quodvis illorum iter, non multa, circulo peragit : quamvis videatur per multa ferri. quod vero in eis velocissimum est, non recte tardissimum, et contra contrarium judicamus : peccareque ita opinantes patet. nam si in Olympico ludo cursu certantes spectaremus, et velocissimum tardissime, tardissimum velocissime currere prædicaremus, laudibusque vicisse victum caneremus, non placerent, ut arbitror, laudes nostræ cursoribus. nunc vero cum de Diis similiter peccemus, nonne ridiculi sumus similiterque aberramus a recto ? Cli. Ridiculi quidem nullo pacto. Athen. Neque tamen accepti Deo, dum falsa de ipsis canimus. Cli. Si hæc ita se habent, vera dicis. Athen. Atqui si ita habere se ostenderimus, discenda usque adeo hæc omnia : sin minime, dimittenda : nobisque ita de his concessum sit. Cli. Prorsus. Athen. Sed instituta jam de doctrinarum disciplina finem habeant. de venatu autem similiter judicandum, ac de hujusmodi omnibus. videtur enim legumlatoris officium non solum hoc esse, ut leges conscribat, sed etiam ut medio utatur illo, quod inter admonitionem est et leges, quo et nos sæpius usi sumus, præsertim cum de educatione infantium loqueremur. nam in hac re multa esse diximus, quæ non ita dici possunt, ut leges de ipsis ponantur : idque tentare dementis esse. ita vero conscriptis legibus et republica constituta, non est præstantis virtute civis perfecta laus, qua dicitur, eum bonum esse civem, qui legibus quam optime ministravit et quam maxime paruit : sed perfectior illa est, eum esse talem, qui legumlatoris, leges ferentis, et laudantis vituperantisque, scriptis omnino per totam vitam paruit. [823] hæc civis præcipua laus est. nempe oportet, ut legis conditor leges non solum conscribat, sed etiam declarationem quandam his adjungat : qua, quæ honesta turpiave sibi videntur, significet. civem quoque summum oportet non minus hæc, quam quæ mulcta imposita a legibus mandata fuerint, observare. ad hoc vero rem, qua de agitur, quasi testem adducimus. magis enim, quod volumus, aperit. venatus, enim res latior est, nomine uno comprehensa : alius aquaticorum, alius volatilium, alius pedestrium : nec ferarum solum, verum etiam hominum : horumque non bellicus tantummodo, verum etiam qui per amicitiam : et alius quidem laudem. alius vituperationem habet. rapinæ quoque latronum castrorumque venâtus sunt. Quamobrem qui de venatu leges est conditurus, nec ista præterire potest, neque singulis ordine certo atque mulcta minaces leges imponere. quid ergo de his faciendum est ? oportet, ut legislator, quæ in venatione laudanda sunt, laudet : quæ contra, vituperet, ad juventutis exercitationem. juvenes autem, cum audiverint, ita parere debent, ut nec labore nec voluptate revocati aliter faciant, quam legisla-

tor consuluit. immo vero magis honorent, quæ cum laude dicta et exhortando proposita sunt, quam quæ minaci et vindice lege firmata. his ita propositis congrua deinceps laus et vituperatio venationis conscribi potest : ut, quæ meliores animos juvenum facit, laudetur ; quæ contra, vituperetur. dicamus igitur deinceps ad eos sic, precibus interpositis : Utinam vos, o carissimi, nunquam marinæ venationis hamique cupiditas capiat, nec omnino aquaticorum animalium, die, sive etiam nocte, per otiosam venationem sagena capiendorum : nec piraticæ amor, per maria venatores hominum iniquos atque atroces vos faciat. furti vero latrociniique cupiditas in urbe vel regione committendi, nec in mentem quidem veniat vestram, nec volatilium jucunda venatio, servilis magis quam libera. [824] pedestrium ergo venatio vobis sola relinquitur. sed nec dormientium, quæ vicibus quibusdam interpositis fit, nocturnaque vocatur, et otiosorum hominum est, laude digna habetur : neque etiam, quæ in laboris remissione fit : et retibus laqueisque, non constantis animi viribus, ferarum domat atrocitatem. sola ergo quadrupedum venatio illa restat omnibus optima, quæ equis, canibus, corporis viribus agitur. nam quibuscunque divina curæ est fortitudo, ii quadrupedes omnes, cursu, vulneribus telisque manu propria venando vincere debent. sed laus vituperatioque venandi ita distincta sit. lex autem ista : Sacros quidem hos venatores, ubicunque venari velint, nemo prohibeat. venatorem nocturnum, retibus et canibus suis fidentem , nemo uspiam sinat venari. auceps per incultos agros montesque vagari permittatur : a cultis locis sacrisque incultis a quocunque pellatur. piscator nec in portibus nec sacris fluviis, paludibus stagnisque venetur : in aliis liceat, dummodo succorum non utatur permixtione. sed jam institutiones de disciplina finem habeant. Cli. Præclare loqueris.

LIB. VIII.

[828] Sequitur deinceps, ut leges de solemnitatibus per Delphica oracula sanciamus, quæ sacra quibusque Diis sacrificare feliciter civitas debeat. at quando et quot numero sacra facere oporteat, forte nostrum est nonnihil lege sancire. Cli. Fortasse numerum. Athen. De numero igitur primo dicamus. quem ego trecentorum et sexaginta quinque esse oportere censeo : ut unus aliquis semper ex magistratibus Deorum alicui aut Dæmonum pro civitate, pro se ipsis, pro rebus suis sacrificet. interpretes vero et sacerdotes, tam viri quam mulieres, vatesque una cum legum custodibus congregati ea ordinent, quæ in his legumlator necessario dereliquerit. nam derelictorum cognitores istos esse oportet. lex ergo videbit, ut duodecim solemnitates Diis duodecim, quibus singulæ tribus cognominantur, cives peragant, Diisque ipsis sacra per singulos menses faciant : choros præterea ludosque musicos et certamina gymnica, prout Diis singulis et temporibus convenit. erunt autem solemnitates distinctæ, ut constet, quas sine viris et quas non, agi oporteat. terrestrium quoque cœlestiumque Deorum, ceterorumque qui hos sequuntur, solemnitates miscendæ non sunt, sed separandæ in duodecimo mense, qui Plutoni dicatus est, ut legitime celebrentur. non enim abjiciendus bellicosis hominibus is Deus est, sed colendus, tanquam generi hominum semper optimus. nam animæ corporisque conjunctio nullo modo melior est quam solutio, ut ego serio loquens affirmo. præterea, quicunque sufficienter hæc distincturi sunt, illud cogitare omnino debent, nostram hanc civitatem talem esse qualis modo et otio temporis et necessariorum

copia et libertate reperiri non possit. verum oportet ipsam, perinde atque hominem unum, bene vivere. [829] feliciter autem viventibus hoc necessario inesse inprimis oportet, ut nec ipsi aliis nec alii ipsis injuriam inferant. quorum alterum non est admodum difficile, alterum vero, ut nulla possis injuria lædi, difficillimum : nec perfecte id quisquam aliter assequi potest, quam ut perfecte bonus efficiatur. idem est et in civitate. nam si bona erit, in pace vitam aget : sin autem prava, et intestinis seditionibus et externis bellis assidue infestabitur. cum hæc ita ferme se habeant, non belli tempus exspectandum, sed in ipsa pace cives ad rem bellicam exercendi. ergo civitas nisi mente capta sit, singulis mensibus bellicas vires experietur, non minus uno die, sed pluribus etiam, prout magistratibus ipsis videbitur, viri simul et mulieres et pueri, nec hieme nec æstu vitato, ut parati sint omnes, quandocunque universum quodammodo educere populum magistratibus visum fuerit : ad idque ludi etiam convenientes una cum sacrificiis excogitandi, ut pugnæ quædam solemnes festivæque fiant, bellicas pugnas quam maxime imitantes. et victoribus præmia, laudes ; victis contra vituperationes fiant, prout singuli et in certaminibus et in omni vita se gesserunt. sic optimus quisque laudibus efferatur, et vituperatione contrarius deprimatur. nec omnes harum rerum poëtæ sint : sed primum, qui non pauciores quam quinquaginta annos natus sit : deinde, qui non solum poëticam Musam sufficienter possideant, verum etiam præclarum et insigne aliquid fecerint. eorum ergo, qui boni viri honoreque digni sunt in civitate et res præclaras gesserunt, poëmata, etiamsi minus musica sunt, decantentur. cujus rei judicium puerili doctrinæ præpositus ceterique custodes habeant legum. hi probis viris honorem hunc tribuant, ut solis libertatem in Musis præstent : ceteros vero prohibeant. nemo igitur audeat Musam horum judicio non probatam canere, etiamsi Thamyræ Orpheique hymnis sit suavior. sed canantur poëmata sacra, quæ judicio approbata Diisque dicata sunt : virorum quoque bonorum poëmata, quibus laudantur vituperanturque aliqui, et moderate id facere judicata sunt. hæc eadem de militia et de libertate poëtica judico mulieribus et viris similiter facienda. sed oportet legislatorem secum ita plerumque loqui : Cedo, in civitate instituenda quales cives educare studeo ? an non certaminum maximorum athletas, quibus innumeri sunt adversarii ? [830] Prorsus : ita recte quilibet respondebit. Si ergo pugiles aut pancratiastas aut alios similes educaremus, itane in ipsum certamen educeremus, ut cum nullo antea unquam pugnaverint ? vel si pugiles essemus, nonne pluribus ante diebus pugnare didicissemus, omnia facientes, quibus in vero certamine, ubi ad victoriam contenditur, uti oporteat ? quam proxime ad id, quod simile est, accedentes, pro cæstibus annectentes sphæras et pilas, ut vulnera et inferre et vitare præmeditatione disceremus ? quod si nulli, quibuscum exerceri possemus, socii nobis darentur, nunquid stultorum veriti risum nos contineremus, quin inanime simulacrum ex adverso, ad quod exercitatio fieret, suspenderemus ? ac, si nec animati nec anima carentis adversarii copia nobis esset, nonne ipsi soli ad umbram propriam pugnaremus ? an ad aliud quicquam manuum huc et illuc flexus et præparatio hujusmodi excogitata est ? Cli. Ad nihil aliud ferme, quam ad hoc ipsum. Athen. Quid igitur civitatis pars, quæ militiæ studet ? an pejus, quam certatores hujusmodi, præparata audebit ad certamen maximum devenire, pro vita, pro liberis, pro rebus suis, pro patria pugnatura ? non ergo verebitur legislator, ne gymnasia hæc invicem aliquibus ridicula videantur : sed lege statuet, ut res militaris agatur maxime quotidie quidem minori exercitatione sine armis, choros omnemque gymnasticam ad hæc inducens et concitans : majore vero non rarius quam semel in mense, ut certent singuli ad capienda vel retinenda loca, et insidias omnemque rem bellicam imitentur, et pila se exerceant,

undique se vertentes, ac telis utantur ad vera et periculosa tela quam proxime accedentibus, ne omnino absque timore ludus hujusmodi inter cives agatur, sed formidinem inferat: atque ita, qui magno sunt animo quodammodo, ignavosque ostendat, ut his honores, illis opprobria, ut convenit, tribuantur: [831] et hac ratione civitas omnis per totam vitam ad verum certamen utiliter præparetur. si quis autem cæde involuntaria in his certaminibus morietur, qui interfecit, lege expiatus, mundus sit in posterum. putare enim debet legislator, paucis ita mortuis hominibus ceteros non deteriores futuros: timore vero in omnibus his exstincto nihil amplius se inventurum, quo a deterioribus meliores discernat. quod ni fiat, multo majus civitati malum est quam illud. Cli. Concedimus, hospes, ita hæc esse lege sancienda et universæ civitati agenda. Athen. Nunquid causam nunc omnes cognoscimus, ob quam modo in civitatibus chorea talis atque certamen nusquam ferme, nisi parum admodum, fiant? an propter multitudinis legumque latorum ignorantiam ita fieri affirmabimus? Cli. Forte. Athen. Nequaquam, o beate Clinia, sed duæ hujus rei sufficientes causæ sunt. Cli. Quænam? Athen. Una quidem, quod divitiarum cupiditate, ceteris omnibus neglectis, solummodo rem privatam curamus. ad idque incumbens civium animus nulli prorsus, nisi pecuniis quotidie cumulandis, dare operam potest. nam artes et studia, quæ ad lucrum conducunt, libentissime complectuntur omnes, cetera spernunt. hæc igitur una causa est, ne cives id aut aliud quicquam honestum bonumque officium curent, sed insatiabili auri et argenti cupiditate et honesta pariter et inhonesta artificia complectantur, et quodvis agant, seu fas sive nefas id habeatur, ut pecunias cumulent, quibus sumministrantibus, veluti pecora, ventri ac veneri serviant. Cli. Recte dicis. Athen. Hæc, inquam, una sit causa, qua fit, ut nec aliud quicquam præclare neque rem bellicam sufficienter cives exerceant: sed qui natura modesti sunt, ad mercaturam, navigationem viliaque ministeria convertantur: qui viriles et generosi, ad furta, latrocinia, sacrilegia, insidias sceleraque tyrannica: [832] qui, cum bene a natura constituti fuerint, infelices tamen hac consuetudine evaserunt. Cli. Quomodo istud ais? Athen. Immo cur non eos omnino infelices appellem, qui fame coguntur per omnem vitam suam animam cruciare? Cli. Hæc utique una causa est. alteram vero causam, hospes, quam dicis? Athen. Recte commonuisti. Cli. Ergo, ut ais, hæc est una, perpetua et inexplebilis divitiarum cupiditas: qua occupati singuli prohibentur rem bellicam, ut decet, curare. sed alteram jam expone. Athen. Num vobis videor, quia ad alteram desit facultas, in hac nimium immorari? Cli. Non ita: sed odio percitus videris hos mores hominum, ad quos sermo hic incidit, magis quam deceat insectari. Athen. Optime, o carissimi, me nunc increpatis. quare, quod sequitur, audietis? Cli. Dic tantum. Athen. Causam equidem esse assero gubernationum genera illa, de quibus sæpe jam diximus, popularem gubernationem paucorum potentiam et tyrannidem. nulla certe potestas hujusmodi respublica est: sed seditiones appellari omnes rectissime possunt. nulla enim volentibus volens, sed volens nolentibus semper vi aliqua dominatur. in quibus cum princeps subditos timeat, nec bonos nec divites nec robustos nec fortes nec omnino bellicosos sponte unquam fieri patietur. hæ duæ omnium quidem quodammodo horum certe præcipuæ causæ sunt. quas utrasque respublica hæc, cui nunc leges damus, effugisse videtur. nam et in otio maximo est et penitus libera: et ex his legibus homines pecuniarum cupidi minime fiunt. ideo verisimile est, ut hæc sola omnium, quæ nunc sunt, rerum publicarum disciplinam bellicam ludumque simul, de quibus recte disseruimus, suscipere possit. Cli. Probe. Athen. Deinceps de omnibus gymnicis possumus certaminibus dicere, ut his præmia ponantur,

quæ ad bellum conducunt, cetera dimittantur. sed quæ ista sunt, a principio recensenda sunt et legibus sancienda : et primo, quæ ad cursum velocitatemque pertinent. nonne? Cli. Omnino faciendum. Athen. Omnium igitur maxime agilitas corporis, altera pedum, altera manuum, ad bellum conducit : ad fugiendum quidem insequendumque pedum, [833] in pugnando autem luctandoque manuum robore indigens. Cli. Certe. Athen. Neutra tamen absque armis magno usui est. Cli. Vere. Athen. Stadium ergo cursurum, quemadmodum nunc in certaminibus fit, præco primum vocet : ille vero cum armis ingrediatur. nam nudo absque armis certatori præmia nos minime ponimus. Primus igitur stadium cursurus, armatus ingrediatur, deinde qui diaulum, tertius qui equis, quartus qui dolicum, quintus qui leviori armatura ornatus: quem primum sexaginta stadiorum spatio ad aliquod templum Martis perventurum immittemus. alius, etiam graviore armatus armatura, brevius ac planius spatium cursurus. alius sagittarius, omni arcuum ornatu munitus, centum stadia per montes variamque regionis naturam ad Apollinis Dianæque templum certans perveniat. certamine igitur constituto, quousque veniant, exspectabimus, et victoribus singulis præmia dabimus. Cli. Recte. Athen. Tripartito hæc certamina distinguamus : unum puerorum, alterum imberbium, virorum tertium. et imberbibus quidem duas cursus de tribus partes ponemus : pueris harum dimidias. hi cum sagittariis ceterisque armatis concertent. Feminis vero, puellis quidem nondum pubescentibus nudis stadium ponemus, et diaulum et equestrem et dolichum, quæ in ipso cursu concertent : ultra vero tertium ac decimum ætatis annum, donec nupserint, non longius vigesimo nec brevius decimo atque octavo, ad certamen cursus descendant. quæ quidem congruo utantur vestitu. hæc de cursu et virorum et mulierum dicta sint. ad robur vero augendum, luctationis similiumque loco, quæ nunc habentur, graviora capiantur. et unius ad unum, duorum ad duos, et usque decem ad decem armis pugna fiat. quæ vero quotque facere aut non pati victorem oporteat, sicut modo in palæstra determinatum est a præfectis luctationum, quid sit bene aut non bene luctantis opus : ita et in his armorum certaminibus periti inducendi sunt, ut lege sanciant, quid aliquis non patiens aut quid faciens vincat ; et victum similiter quisnam ordo discernat. [834] Eadem hæc de feminis quoque, ad ætatem usque nubilem, lege sancita intelligantur. Peltastica vero universa pugnæ pancratiacæ opponatur : certeturque arcu, pelta, lanceis lapidumque manu et funda projectione. et qui se optime in his quoque gesserit, huic lege honores victoriæ tribuantur. nunc de equorum certaminibus videamus. equorum usus in Creta magnus non est. quare necesse est studium in nutriendis equis certandoque cum eis minori curæ Cretensibus esse. nam currus quidem nemo vestrum tenet: neque in hoc operam ponere præclarum esse ducitis. cum igitur consuetum id non sit, certatores hujusmodi lege statuere dementis esse videtur. Solis autem equis pullisque antequam cognitorem produxerint, et mediis perfectisque equestrem ludum pro regionis natura tribuere licet, Hujusmodi ergo certamen secundum legem sit : in eoque judicium magistris equitum et tribunis, tam de omni cursu equorum, quam de his qui cum armis descendunt, communiter tribuatur. non armatis vero neque in gymnasticis ludis neque hic certamen præmiumque imponimus. sed non est Cretæ inutilis, qui sagittam aut jaculum ex equo immittit. quapropter in hoc etiam, ludendi gratia, contentio concertatioque habeatur. ad hæc autem legibus feminæ cogendæ non sunt : verum si priori disciplina consuetudineque puellas virginesque natura concitat ad hæc, facitque ne abhorreant, admittendæ sunt. sed de exercitatione disciplinaque gymnastica, sive quæ in certaminibus exsequimur, seu quæ sub magistris quotidie exercemus : satis jam diximus : de musica etiam majori ex

parte. at vero de rhapsodis, id est carminum cantoribus, deque his qui eos sequuntur, et de contentione chororum, quotcunque necessario solemnitatibus Diis Dæmonibusque constituuntur statutis diebus mensibusque et annis ; hæc omnia quomodo disponenda sint, et si per tres aut etiam per quinque annos fieri debeant, consilio Deorum intelligentur agenturque. [835] tunc vero certamina musicæ vicissim fient, prout athletæ ipsi præmiorum declaratores et doctor juvenum legumque custodes, qui in his ferendarum legum auctoritatem habent, una congregati hæc ordinaverint. hi namque et quando et qui et quibuscum singula certamina in omnibus choris choreisque exercere debeant, ordinabunt. qualia vero singula hæc, quoad orationem vel cantus vel harmonias numeris saltationibusque mixtas, esse debeant, sæpenumero a primo legumlatore est dictum : quem posteriores sequentes, ut singulis sacris temporibusque conveniet, ita certamina quæque distribuent festosque dies statuent civitati. hæc quidem et cetera talia nec intellectu difficilia sunt, quo pacto sint legibus ordinanda : neque, si hoc vel illo modo commutentur, multum prosunt civitati vel obsunt. sunt autem nonnulla plurimi facienda. quæ persuadere ita difficile est, ut Dei maxime opus hoc esse videatur, si ab illo possent constitui. nunc autem audacis alicujus hominis opera indigent, qui, libertate dicendi maxime fretus, quæ civitati civibusque optima fore censet, ita statuat, ut corruptos civium animos ad decentem habitum legumque observantiam revocet, dum ardentissimis eorum cupiditatibus adversetur, omnique etiam auxilio carens, solam solus rationem secutus non vereatur. Cli. Quidnam dicis, hospes ? hoc enim non intelligimus. Athen. Verisimile est. verum conabor planius dicere, nam cum disciplinam ipsam vitæ animadverterem, videremque adolescentes et adolescentulas invicem humaniter conversari : timui, ut par est, considerans, qua in re quispiam ea civitate utatur, ubi adolescentulæ adolescentulique delicati sint, qui non magnis durissimisque laboribus, quibus libido petulantiaque exstinguitur, domiti sint, sed festis diebus sacrificiisque et choris omnes plurimum vacent. quomodo igitur in hac civitate ab illis cupiditatibus abstinebunt, quæ multos in extremum duxerunt, ita ut ratio, quæ abstinere imperet, lex efficiatur ? profecto, si leges superiores multas a nobis pellunt cupiditates, nihil mirum est. nam institutio illa, qua nimiæ divitiæ prohibentur, non parum ad temperantiam confert : [836] et disciplina illa omnis supra a nobis exposita, leges ad hæc commodas habet. Præterea et principum oculi, coacti non alio intueri sed semper adolescentiam observare, ceteris quidem humanis cupiditatibus modum adhibent : sed adolescentulorum adolescentularumque contra naturam amores, et virorum pro feminis et mulierum pro viris abusus, unde innumera hominibus et privatim et publice mala secuta sunt, quomodo aliquis evitabit, et quod in singulorum periculis remedium inveniet ? omnino difficile id est, o Clinia. nam in ceteris quidem multis universa Creta Lacedæmoniaque nobis ad leges ponendas, a multorum moribus alienas, valde opitulantur : sed quod ad amores pertinet, adversantur dissentiuntque omnino. quoniam, si quis naturam secutus legem ante Laium illam posuerit, non dimittens maribus pro feminis abuti, testemque bestiarum naturam citaverit, in quibus mares inter se Veneri operam non dent, quia secundum naturam id minime sit, verisimili forsan ratione utetur, vestrisque civitatibus non consonabit. accedit ad hæc, quod minime id assequetur, quod a legislatore semper est observandum. semper enim observari oportet, quid ad virtutem conducat, quod lege sancitur, et quid non. age vero, si id honestum aut non turpe nunc lege statui assentimus, quidnam ad virtutem proderit? utrum in persuasi animo fortitudinis habitum, an in ejus, qui persuasit, temperantiæ speciem generabit ? vel hæc quidem nullus unquam, sed potius horum contrarium credet ? quippe voluptatibus servientis

nec resistentis quisque mollitiem vituperabit. in eo vero, qui feminas imitatur, nonne muliebrem ipsam imaginem quilibet improbabit? quis igitur hominum hoc, cum tale sit, legibus sanciet? ferme nullus, qui veram in mente legem habuerit. quomodo ergo verum hoc esse dicimus? [837] amicitiæ utique, cupiditatis, amorumque naturam considerare necesse est, si quis ista recte sit inspecturus. nam cum ipsa duo sint, et tertia ex ambobus species, uno comprehensa nomine, dubitationem omnem et tenebras faciunt. Cli. Quomodo? Athen. Amicum enim simile simili virtute, at æquale æquali asserimus. amicum rursus egenum diviti, quamvis genere contrarium sit. quando vero utrumque vehementius fuerit, amorem nuncupamus. Cli. Recte. Athen. Amicitia, quæ a contrariis proficiscitur, dura est et aspera, et sæpe vicissitudinem in nobis non habet. quæ vero a similibus, placida communisque per vitam. ubi vero ex utrisque componitur benevolentia, primo non facile cognoscitur, quid sibi velit, qui tertio hoc amat amore: deinde ab utrisque in contraria tractus, et ipse, quid faciat, dubitat, cum ab altero ætatis uti flore jubeatur, ab altero prohibeatur. nam qui corpus amat ejusque formam quasi fructum quendam esuriens petit, is satiari dumtaxat quærit, nullumque animo amati præbet honorem. sed qui minus de corpore curat, et animo considerat potius quam desiderat, cum ipsum, ut decet, animum diligat, corporis usum petulantiam et contumeliam arbitratur: cumque temperantiam, fortitudinem, magnificentiam et prudentiam vereatur et colat, cum casto amico castus vivere volet. amor autem ex utrisque his compositus ipse est, quem modo loco tertio ponebamus. cum ergo tres sint amores, utrum omnes lege pellendi sunt? an videlicet eum in civitate suscipiemus, qui virtutem respiciat et adolescentem fieri quam optimum cupiat: duos autem alios, si fieri poterit, repellemus? nunquid aliter tibi, o amice Megille, videtur? Meg. Probe admodum de his modo dixisti, hospes. Athen. Non frustra, o amice, conjiciebam tuum mihi consensum affore. non oportet autem me nunc, quid de his vestra lex sentit, inquirere; sed, quod admittis, accipere. Cliniæ vero postea id persuadere conabor. quod a vobis datum est, modo accipiatur, legesque diligenter consideremus. Meg. Rectissime loqueris. Athen. Artem in hac lege ferenda quandam habeo, [838] partim quidem facilem, partim omnino difficilem. Meg. Quomodo istud? Athen. Constat nunc quoque plurimos hominum, quamvis iniqui sint, bene et diligenter et sponte a pulchrorum conjunctione sese abstinere. Meg. Quando id fit? Athen. Quando frater aut soror eximia pulchritudine alicui sit. a filio quoque filiaque lex eadem, quamvis scripta non sit, sufficienter repellit, prohibetque et manifestum et furtivum istorum concubitum: immo vero facit, ne cupiditas quidem ulla rei hujus vulgus aggrediatur. Meg. Vera narras. Athen. Unum ergo verbum atque brevissimum omnes hujusmodi voluptates exstinxit. Meg. Quid illud? Athen. Quod fas nihil horum esse dicitur, sed apud Deum odio haberi, ut turpium omnium esse turpissima. causa autem nonne hæc est? quia nemo aliter prædicat, sed statim ab ineunte ætate, et joco simul et serio dicta, et sæpius in tragœdiis hæc eadem audiuntur, quando vel Thyestem vel Œdipodem vel Macareum, mortem sibi, debitam sceleris pœnam, conscivisse propter hujuscemodi venerem narrant. Meg. Recte istud dictum est. miram enim famæ potentiam novimus, quando nemo aliter, quam jubeat lex, ne respirare quidem audeat. Athen. An non recte dictum est a nobis, quod volenti legislatori cupiditatem aliquam earum, quæ vehementer sibi subigunt homines, rationi subjicere, facilis cognitu modus est? quippe si famam hujusmodi apud omnes servos et liberos, masculosque et feminas, et universam civitatem, quasi sacrum quiddam dicaverit, firmissimam istam legem efficiet. Meg. Ita prorsus. qua vero ratione id

assequi poterit, ut libenter idem omnes prædicent? Athen. Probe objecisti. ideo enim a me dictum est, artem me ad hanc legem habere, ut secundum naturam ad procreationem Venere homines utantur. abstinendum igitur a maribus jubeo. nam qui istis utuntur, genus hominum dedita opera interficiunt, in lapidem seminantes, ubi radices agere, quod seritur, nunquam poterit. [839] abstinendum quoque et ab agro illo feminino, ubi semen germine nolit producere. hæc lex si perpetuo in aliis, sicut in necessitudine paterna, conservabitur, innumerorum erit bonorum causa. nam primo secundum naturam statuta erit: deinde ab omni amorum rabie atque furore, adulteriis potusque et cibi nimio luxu repellet. uxoribus quoque viros conciliabit. et alia plurima pariet bona, si apud quemque fuerit stabilita. sed forsan, si vehemens aliquis juvenis, multo spermate plenus, hanc legem ferri audierit, improbabit protinus, et alta voce clamabit impossibilia stultaque a nobis lege sanciri. quod quidem cum considerarem, dixi artem me habere quodammodo facillimam, quodammodo etiam difficillimam, ad legem hanc observandam. facile namque intellectu est, quomodo id possibile est. nam cum apud omnes legitima hæc sententia dedicata fuerit, animos omnes domabit, efficietque ut metu latis legibus pareant. Sed eo jam res pervenit, ut nunquam effici posse videatur: sicut nec convivii quidem studium credebatur ab universa civitate perpetuo posse observari: et tamen apud nos re ipsa fieri videtur, quod inter mulieres nec in civitatibus quidem vestris fieri posse putatur. hac equidem ratione propter hujus incredulitatis vim difficillimum esse dixi, hæc utraque lege servari. Meg. Et recte quidem. Athen. Quod autem supra vires humanas non sunt, sed fieri possunt, vultis, ut verisimilem quandam rationem vobis exponam? Cli. Cur non? Athen. Utrum facilius quispiam a venereis abstinebit, voletque ordinem his impositum moderate servare, cum bene ex prudenti aliqua diligentia corpus affectum fuerit; an cum contra? Cli. Multo magis cum bene atque ex arte. [840] Athen. Num igitur de Tarentino Icco non audivimus, qui propter Olympica aliaque certamina, artificioso circa hæc studio temperantiam simul et fortitudinem animi consecutus, nullam unquam in toto exercitationis suæ tempore Venerem cognovit? idem quoque de Chrisone, Astylo et Diopompo aliisque quam plurimis fertur. quamquam, o Clinia, multo pejus animos bonis artibus excoluerant, quam tui meique cives: corporibus certe multo magis vigebant. Cli. Vera narras, quod a priscis ita ab athletis facta hæc fuisse prædicantur. Athen. Illi igitur, ut in luctando et currendo ceterisque hujusmodi vincerent alios, ab ea voluptate, quæ beata vulgo existimatur, abstinere voluerunt: nostri adolescentes victoriæ causa longe præstantioris non poterunt? quam nos carminibus fabulisque et soluta oratione et cantibus esse optimam statim ad puerorum aures prædicabimus, et, ut verisimile est, oblectando persuadebimus. Cli. Quam victoriam dicis? Athen. Ut voluptate, inquam, victa feliciter vivant: victi autem contra. præterea metus ille, ne, quod minime fas est, committatur, nonne ad idem potissimum conferet, ut ea videlicet superent, quæ alii, quamvis deteriores, superrasse dicuntur? Cli. Consentaneum id quidem. Athen. Postquam huc in lege hac ferenda devenimus, et propter multorum pravitatem in dubitationem incidimus, audacter jam manifesteque dicamus non oportere, ut cives nostri avibus multisque belluis sint pejores. permultos enim greges ipsarum videmus integre atque caste, antequam procreandi tempus advenerit, vivere: sed cum hanc ætatem attigerint, mas feminæ et femina mari conjunctæ, juste sancteque in prima perseverantes amicitia, reliquam peragunt vitam. oportet igitur esse eos bestiis meliores. quod si a ceteris Græcis barbarisque plurimis corrumpantur, nec possint se continere, cum videant audiantque inordinatam apud eos Venerem pluri-

mum posse : alteram præterea legem custodes legum, ad ferendas leges auctoritatem nacti, excogitent. [841] Cli. Quam modo ferre legem consulis, si hanc non susceperint? Athen. Quæ hanc, o Clinia, sequitur. Cli. Quænam illa est? Athen. Ut quam maxime laboribus corporis Veneris robur infringant, et alio vires suas convertant. quod erit, si non impudenter ipsa utentur. nam si rarius propter ruborem id fiat, imbecillior erit domina. clam ergo consuetudo et lex non scripta hæc fieri suadeat : contra autem fieri, velut turpe dissuadeat : turpeque sic non omnino agere. sic enim et secundo servabimus honestum loco : et genus unum hominum, tria genera continens, homines depravatæ naturæ, quos sui dominos esse negamus, coget utique, ne leges contemnant. Cli. Quæ tria genera? Athen. Cultores, inquam, Deorum, honoris amatores, et qui non corporum sed animi morum pulchritudinem diligunt. hæc quasi per fabulam dicta votoque similia : multum tamen civitatibus omnibus, si ea servare potuerint, collatura. fortasse autem, si Deus voluerit, duorum alterum in amatoriis assequemur : vel ut nemo generosas liberasque mulieres, præter uxorem, audeat tangere : nec ullus nothos ex concubina suscipiat ; nec infœcundos marium agros præter naturam serat : vel alterum quidem omnino tollemus, ne quis cum maribus congrediatur. si quis autem aliis mulieribus commisceatur quam cum his, quæ cum Diis sacrisque nuptiis domum venerunt, emptis videlicet vel alio quocunque modo acquisitis, nisi viros simul mulieresque omnes lateat, infamis lege omnibusque civitatis honoribus, ceu peregrinus aliquis, privatus sit. hæc lex, sive simplex sive duplex sit, de rebus venereis amatoriisque omnibus, [842] quas inter nos propter hujusmodi affectus recte vel non recte agimus, lata sit. Meg. Ego equidem hanc legem valde probo. Clinia vero iste, quid sibi videtur, nobis aperiat. Cli. Faciam, o Megille, cum occasio dabitur. nunc autem sinamus hospitem ulterius in ferendis legibus progredi. Meg. Probe. Athen. Sed adeo jam progressi sumus, ut ad convivia devenerimus. quam quidem rem alibi difficilem esse dicimus : in Creta autem nemo frustra existimabit fieri oportere. Quomodo autem? utrum ut hic, aut quemadmodum apud Lacedæmonios, an tertius quidam modus utrisque his melior inveniatur, nec inventu difficile id mihi videtur, nec, inventum cum fuerit, maxime profuturum. enimvero concinne et nunc constituta videntur. sequitur nunc, ut de victu, quomodo haberi possit, dicamus. victus in aliis civitatibus multiplex variisque ex locis, maxime vero duplici ex loco in ceteris comparatur. nam ex mari ac terra plurimis Græcorum civitatibus advehitur, cum istis terra solummodo advehatur. quæ res legumlatori facilior. multo enim major quam dimidia pars legum sufficiet. præterea convenientiores liberis hominibus leges ponentur. navalium enim et mercatorum, cauponum, diversorii, publicanorum, permutationum, fodicinarumque metallicarum, et mutui fœnoris, ac mille hujusmodi leges, ferre non admodum cogitur. quare in civitate hac nostra legum conditor, his omissis, dumtaxat agricolis, pastoribus, apum curatoribus taliumque custodibus atque ministris leges dabit : cum de nuptiis liberorumque procreatione, educatione, disciplina, magistratuumque designatione, maxima ex parte tractaverit. nunc ergo ad leges de victu deque iis, qui labore suo ipsum parant, venire necesse est. et agriculturæ leges primo ponantur. primaque terminalis Jovis hæc : nemo fines atque terminos terræ moveat, nec civis vicini, nec finitimi peregrini, si agri extrema possideat : [843] sed putet id esse verum, quod fertur, hic immobilia movet : malitque unusquisque saxum ingens movere quam parvum lapidem, jurejurando a Diis firmatum, quo amicitiæ et inimicitiæ terminentur. alterius enim Juppiter contribulis, alterius hospitalis est testis, qui hostili prælio semperinsurgunt. qui legi obtemperat, indemnis utique sit : qui

eam despexerit, duplices pœnas luat, primo quidem Deo vindice, deinde lege, quæ jubet, ut nemo sponte vicini agri terminos moveat. eum vero, qui moverit, quicunque voluerit, ad agricolas deferat, agricolæ ad judicium ducant : a quo damnatus, utpote terminorum clam vique turbator, reddat patiaturque, prout judices judicaverint. multa deinde parvaque damna, in vicinia sæpius facta, magnas inimicitias pariunt, vicinitatem difficilem et amaram reddunt. propterea caveat vicinus, ne vicino noceat, cum in aliis tum vel maxime in agris colendis. nocere namque non difficile sed cujuslibet hominis est, prodesse vero non cujuslibet. quicunque vero fines egressus vicini coluerit agros, damnum restituat, et impudentiæ atque illiberalitatis pœnas luat : duplumque loco mulctæ ipsi deponat, cujus agrum coluit. cognitores vero et judices censoresque hujus rei agrorum curatores sint : in majoribus quidem, ut supra dictum est, universus duodecimæ partis ordo ; in minoribus vero, qui custodiis præsunt. si quis pascuis noceat, illi consideratis damnis judicent atque condemnent. si aliena examina quis persequitur, atque æra pulsans delectatione apes ad se trahit, damnum restituat. si quis ignem in materiam sic immiserit, ut vicino non caverit, prout magistratibus videbitur, condemnetur. similiter, qui in plantando mensuram vicini agri non reliquit, ita plectatur, ut a plerisque legumlatoribus sufficienter est dictum. quorum legibus uti debemus, nec putare multa et minima, quæ cujuslibet legumlatoris sunt, a majori civitatis conditore esse sancienda. nam et de aquis priscæ leges et bonæ sunt, quæ profecto recitatione derivandæ non sunt. [844] sed qui aquam ad sua voluerit ducere, a publicis fontibus ita deducat, ut nullius privati manifestum fontem perturbet. deducat autem, qua velit, præterquam per domos aut sepulcra aut loca Diis consecrata : nec aliud damnum inferat, nisi quod ab ipso rivulo efficitur. quod si aquæ inopia, solo insita in locis aliquibus, aquas ab Jove prodeuntes non retinet, cum necessitate quispiam opprimatur, in loco suo ad cretam usque effodiat : et, si hac in profunditate nihil aquæ invenerit, tantum a vicinis aquetur, quantum necessitas postulat. sed si vicinis quoque pauca sit, aquandi modus, quo utatur quotidie, sibi ab agri curatoribus statuatur. si vero aquæ pulviales abundent, et qui inferiores partes habitant aut colunt, defluxum ita prohibeant, ut superioribus noceant : aut contra si superior, inconsiderate fluere aquas permittens, inferiori noceat, et convenire inter se nequeant : in urbe quidem ædilis, in agris vero, qui agris præest, modum imponat. quem si quis non servaverit, invidiæ et perversitatis pœnas persolvat, et vicino damnum in duplo restituat. fructuum autem communis hujusmodi participatio sit. bina nobis gratiæ dona hæc Dea largitur : unum Dionysiacum, quod recondi non potest : alterum vero, quod repositioni aptum est. hæc igitur lex de fructibus sanciatur : qui uvas aut ficus de rusticis fructibus ante vindemiæ tempus gustaverit, quod arcturo concurrit, quinquaginta drachmas, si de suo argo collegerit, Dionysio dedicandas persolvat : sin a vicinis acceperit, minam : sin ab aliis, duas minæ partes. uvas autem ficusque, quos generosos nominavimus, neque commode recondi possunt, quomodo et quando velit, si sua hæc sunt, colligat : sin vero aliena, quoniam lex est, ut nemo moveat, quæ non deposuit, qui accepit, nisi persuaserit, mulctetur. [845] quod si servus quispiam non persuaso agri domino eas accepit, pro singulis ficubus uvarumque acinis æqualia numero verbera patiatur. inquilinus, fructibus emptis, ad repositionem ineptis, si cupit, vescatur : peregrinus autem in ipso itinere, si transeat solus, aut cum uno tantummodo. fructus non reponendos, si velit, hospitali cum venia gustet. alios autem gustare, quos rusticos dicimus, peregrinos quoque lex prohibeat. sin vero repositioni aptos inscius tetigerit, servus quidem plectatur : liber autem dimittatur, admonitus ficus uvasque

solummodo, ad repositionem ineptas, gustare licere : eas vero, ex quibus passæ uvæ et vinum et caricæ fiunt, minime, pyra vero et mala tum alia tum punica, ceteraque hujusmodi clam auferre turpe non sit. si quis vero deprehensus fuerit, pauciores annos quam triginta natus, sine vulneribus verberetur atque puniatur; nec pœna ulla propter hujusmodi verbera libero sit. advenæ quoque de his fructibus perinde ac de iis, quos superius diximus repositioni ineptos, carpere liceat. si senior quispiam comederit nec asportaverit, ut advenæ permissum est, et ipse quoque omnium hujusmodi fructuum particeps sit. quod si legi non paruerit, ad virtutis certamen impotens habeatur, si judicibus huic rei præsidentibus tunc relatum hoc fuerit. aqua nutriendis hortis maxime omnium confert : sed facile corrumpi potest. terra vero et sol et aër, quæ cum aqua simul ea nutriunt quæ terra nascuntur, non facile veneno vel deversione vel ablatione corrumpi possunt his autem modis facile aquæ damnum infertur. propterea legis auxilio indiget. de hac igitur hæc lex sanciatur : si quis sponte alienam aquam, sive scaturientem e fontibus sive collectam, veneno aut foveis aut ablatione corruperit, ad ædiles deferatur, ubi si deliquisse convincitur, damnum restituat : et fontes aut aquarum vas, ut interpretes singulis semper faciundam purgationem judicarint, ita purget. in advectione autem omnium, quæ ab agris colliguntur, liceat cuique res suas, qua velit. [846] advehere, modo aut nulli damno sit, aut sibi triplum proveniat lucrum ejus damni, quod vicino infertur. horum cognitores magistratus sint, et ceterorum omnium. quæ per injuriam sponte quis, aut vi aut clam, vel per se vel per illa quæ possidentur ab eo, in personam aut in rem intulerit. hæc, inquam, ad magistratus omnia deferantur, si tres damnum minas non excedit : sin vero majus sit, ad constituta publice judicia causa deferatur et, qui injuriam intulit, puniatur. quod si magistratuum aliquis injuste de damno alicujus sententiam tulerit, duplum ei, qui passus est injuriam, debeat : et omnino si quid per injuriam fecerint magistratus, causa ipsa a quolibet volente in publico judicio agitetur. infinita pæne parvaque restant instituta, quibus corrigantur errores in judicii termino, in citationibus citatoribusque, sive inter duos sive inter multos citatio sit, et ceteris hujuscemodi, quæ nec a legibus præteriri possunt, nec tamen seniore legumlatore digna videntur. ea igitur omnia juniores. priscas leges imitati, et parva ex magnis intelligenter necessariumque istorum usum experientia cognoscentes, legibus, donec sufficienter se habeant, ordinent. deinde sufficienter positis, immobiliter his utantur. de ceteris autem opificibus leges ita constituantur. primo nullus civis opificio ullo detineatur, sed nec servus quidem civis alicujus. arte enim magna, quæ longa exercitatione multisque doctrinis indiget, occupatus est civis, cum communem civitatis ornatum procuret : quæ res non levi quadam opera contenta est, sed præcipuum studium exigit. duas vero artes aut studia duo diligenter exercere humana natura non potest. nemo etiam satis potest arti quidem uni vacare et alterius artis opifici præsidere. hoc igitur in civitate statutum sit, ut nemo ærarius simul et lignarius faber sit, nec lignarius faber fabris ærariis magis quam opificio suo præsideat ; occasionem hinc forte nactus, quod dum curam gerit multorum quasi ministrorum ipsi elaborantium, [847] inde suæ arti fiat accessus ac per illos artem melius curet suam : sed singuli opifices singulis artibus vacent et ab eis victum acquirant. hanc legem ædiles ita observari procurent, ut, si quis civis ad artem aliquam magis quam ad virtutis curam declinaverit, opprobrio atque infamia notatum ad cursum suum convertant. sin autem peregrinorum aliquis duabus artibus vacet, vinculis, mulcta, expulsione, unam tantum complecti cogatur. de mercede autem opificam, de operis ipsorum approbatione aut, improbatione, de injuria etiam quam, vel patiuntur vel inferunt,

ædiles usque ad drachmas quinquaginta cognoscant. majora vero ad publica judica delata secundum legem judicentur. Vectigal autem importandarum exportandarumque rerum nullum penitus sit. tus vero ceteraque hujusmodi, quæ Diis incenduntur peregrinaque sunt, purpuram similiter et colores alios, qui a regione non producuntur, omnia denique peregrina, nisi necessaria sint, nemo adducat; nec rursus aliquid, quod regioni necessarium sit, exportet. hæc omnia legum custodes duodecim, qui reliqui sunt, exceptis quinque senioribus, procurent atque cognoscant. arma vero et instrumenta bellica, si advectitia arte est opus, convehantur. similiter quæ ad hæc idonea sunt, plantæ, ænea instrumenta, funes, animalia, quæ ad bellum conferunt. quorum magistri equitum et ductores exercitus curam habeant, ut civitas invehendi evehendique simul, cum opus sit, facultate non privetur. de quibus legum custodes sufficientes decentesque leges ferent. nulla vero in re, pecuniæ colligendæ gratia, vel in civitate vel in universa regione cauponatio fiat. annonæ autem, quæ ex agris percipitur distributio recte juxta Cretensem legem constituetur, nam quæ a regione producuntur, in duodecim partes ab omnibus distribuenda sunt et similiter consumenda. duodecima vero pars quæque, ut tritici, hordei ceterarumque frugum et fructuum, venalium quoque omnium animalium, tripartito et competenti ratione distribuatur: [848] et pars una liberis, altera servis, tertia opificibus ac omnino advenis, tribuatur: sive aliunde venerint aliquamdiu urbem habitaturi et necessariis egeant, sive propter publicam vel privatam civis alicujus utilitatem accesserint. hæc igitur tertia omnium necessariorum pars venalis semper ac necessario tantummodo sit: de duabus vero partibus nihil necessario vendatur. quomodo igitur hæc recte distribuentur? patet autem inprimis recte id fieri posse, si partim æqualiter, partim inæqualiter distributio fiat. Cli. Quo pacto? Athen. Meliora utique vel deteriora istorum singula necesse est terram producere atque augere. Cli. Quidni? Athen. Cum tres partes sint, quoad hoc, nemo plus habeat, nec dominus nec servus nec advena; sed æqualis eademque similiter sit omnibus distributio. quilibet autem civis, cum duas partes acceperit, servis et liberis, quot et qualia velit, suo arbitratu distribuat. quod vero plus istis est, mensura et numero sic dispertiendum est, ut, cum omnium animalium, quibus a terra victus præbetur, numerus habeatur, ita demum fiat partitio. habitationes postea seorsum ordinandæ sunt. ordo autem talis maxime decet. duodecim vicos per media in singulis duodecim partibus unum esse oportet: et in unoquoque venalium rerum loca Deorumque templa et Deos sequentium Dæmonum esse constructa, sive indigetum Magnesiorum, sive aliorum quorum statuæ antiquissima memoria consecratæ sint. atque his priscorum virorum honores reddendi sunt. Vestæ quoque, Jovis, Minervæ singulorumque aliorum, singulis duodecim partibus præsidentium, templa construenda sunt. et primum quidem juxta templa in altissimis locis ædes custodum sint undique munitissimæ. reliqua deinde regio opificibus in tredecim partes distribuatur. et pars una in urbe habitet, per duodecim urbis partes divisa; aliæ exteriorem undique teneant locum: atque in singulis vicis opifices ad agriculturæ commoditatem idonei habitare compellantur. horum omnium curam magistratus, qui agris præsunt, habeant, prævideantque, quot quibusve singuli opificibus egent, et ubi habitantes impedimento agricolis non sint, sed magnam ipsis utilitatem conferant. [849] urbanorum quoque similiter opificum curam ædiles habeant. res autem venales curæ censoribus sint: qui primo rem sacram curent: deinde, ne quis vendendo emendove injuriam faciat, vehementer provideant: et immoderatos contumeliososque omnes compescant. hi considerent, nunquid cives peregrinis res singulas convenienter, atque ut lege cautum est, vendant.

primo vero die mensis cujusque cives eorumque ministri duodecimam tritici partem emendam peregrinis proponant, emantque peregrini pro mensis totius tempore triticum et similia, quæ primo foro venduntur : decimo vero die venditio emptioque mensi sufficiens statuatur : vigesimo tertio animalium venditio, quibus homines egent, supellectiliumque, ut corii vestiumque ac similium, fiat. necesse autem est peregrinos omnia a possidentibus emere, ne cauponatio in tritico et hordeo circa farinam ac cetera alimenta ulla fiat. nec civibus nec servis eorum cauponari omnino liceat, in peregrinorum tamen foro peregrino liceat, opificibus eorumque servis, vinum cibumque commutare ac vendere, carnesque coctas similiter : quæ res a plurimis cauponatio nominatur. materiam vero ignis universam quotidie peregrinus iis, qui in agris id curant, emere possit, ceterisque peregrinis, prout velit, et quando velit, revendere. ceterarum omnium rerum et supellectilium, quibus utimur, in communi foro venditio fiat in locis determinatis : ubi legum custodes censoresque una cum ædilibus locum designarint et pretia venalibus imposuerint. hic nummi commutentur rebus ac res nummis. commutet autem unusquisque per se ipsum, nemini committens. quod si commiserit, sive receperit sive non, quiescat oportet. [850] nullum enim commutationum talium judicium est. si quid vero venditum emptumque pluris minorisve est, quam lex jusserit, qua rerum venalium mensuræ et pretia constituta sunt, apud legum custodes plus illud conscribatur et contrarium deleatur. eadem ipsa de conscriptione bonorum, quæ ab incolis peregrinisque possidentur, fiant : liceatque cuivis certa conditione ad urbem migrare, et hoc ita, ut artem aliquam exerceat nec plures quam annos viginti a die conscriptionis permaneat. quo in tempore incolendi vectigal solvere nullum cogatur, nisi frugalitatis exemplum ; nec emptionis venditionisque gratia ærario quicquam debeat. cum autem viginti anni exacti fuerint, accipiat rem suam et abeat. quod si magnum aliquod beneficium intra viginti annos civitati contulerit, velitque plus temporis aut etiam per vitam in civitate manere, fiat sibi, quod petierit, ratumque habeatur, si modo consilio concionique persuaserit. incolarum autem filiis, si ipsi quoque opifices sint, post quintum decimum ætatis annum ita coloniæ tempus incipiat, ut viginti postea maneant annos : deinde, quo velint, proficiscantur ; et, si manere voluerint, maneant, postquam similiter persuaserint. qui autem recedit, oblita descriptione, quæ sibi apud magistratus erat conscripta, sic abeat.

LIB. IX.

[853] Judicia vero si post hæc superioribus actionibus convenientia reddantur, naturalis utique ferendarum legum ordo servabitur. sed de judiciis quidem agriculturæ similibusque dictum est : de maximis vero judiciis et judicibus sigillatim nondum diximus. de his ergo deinceps dicemus. Cli. Probe. Athen. Turpe quodammodo videri potest leges de hujusmodi rebus, quales tractabimus illi civitati tribuere, quam dicimus recte se omnino ad virtutis possessionem habituram. nam cui absurdum non videatur, si quis in civitate ita instituta putet hominem nequissimum, sicut in aliis, nasciturum : adeo ut opus sit legum minis hunc prævenire, ne talis fiat neve tale quid committatur, et commissa positis legibus puniantur : quasi possint in hac quoque republica flagitiosissimi homines reperiri ? verum quoniam non ut prisci legumlatores agimus, qui, cum Deorum filii essent, heroibus, qui et ipsi e Diis

nati dicuntur, leges ferebant, sed homines hominibus ista sancimus : vereri par est, ne quis civium ita natura indomitus et incox nobis gignatur, ut quasi legumina fulminis tactu prædura, igni legum etiam fortissimarum decoqui nequeat. quamobrem si quis forte sacrilegium committere audeat, legem de hoc feremus, quamvis onerosam nobis atque molestam. enimvero educatum recte civem nec volumus nec valde timemus tam gravi morbo laboraturum : sed servi istorum forsan et peregrini, peregrinorumque servi hujusmodi multa aggredientur : quorum gratia maxime, [854] et quia universa natura hominum imbecillis est, tam de sacrilegio quam de aliis, quæ aut vix aut nullo modo sanari possunt, leges conscribam. sed proœmia primum, secundum ordinem in superioribus institutum, his omnibus quam brevissime præponenda. ad eum igitur, qui nefaria cupiditate et die tractus et nocte excitus, templa, ut furetur, petit, hæc aliquis instructionis et monitionis gratia diceret : O mirabilis vir, non humanum te malum neque divinum ad sacrilegia vertit : sed exitialis quidam asilus, a priscis atque inexpiatis flagitiis innatus hominibus, circumagitans, quem cunctis viribus effugere debes. quomodo autem effugies, audi. cum talis oboritur in animo cogitatio, confuge ad expiationes, obsecro : confuge ad liberatorum Deorum sacrificia supplex : confuge ad bonorum virorum consuetudines ; ubi partim audias, partim tu quoque dicas justa honestaque ab omnibus esse colenda. malorum vero consuetudines apprime fugias. quæ si feceris cessaveritque morbus, bene tecum actum erit. aliter autem mori satius fore arbitratus, desine vivere. cum illis hæc exordia cecinerimus, quorum in animos incidit impia quædam et civitati pestifera cogitatio, quicunque ex his paruerint, eos a lege liberos dimittemus : sed hominibus proœmio non persuasis, ferentes post hæc legem, altius intonabimus : qui deprehensus in sacrilegio fuerit, si servus peregrinusve erit, in facie ac manibus calamitate ipsius literis inusta, verberatus, prout judicibus videbitur, nudus extra fines pellatur, forte enim hoc supplicio continentior factus, evadet denique melior. nullum quippe supplicium lege factum ad malum tendit : sed duorum alterum fere semper solet efficere ; nam aut melior aut certe minus pravus, qui pœnas dedit, fieri solet. si vero civis quispiam aliquid tale in Deos aut in parentes aut in patriam perpetrare et ad maximam injuriam induxisse animum deprehendatur : hunc judex, quia ex puero bene doctus educatusque a maximo scelere non abstinuit, sanari non posse existimet. pœna huic mors malorum minimum. vituperatus autem, ut exemplo alios juvet, extra fines perdatur. [855] filiis vero ejus et generi universo, si mores paternos fugerint, quia nati ex malo fortiter virtutem secuti sunt, honor exhibeatur et laus. nullius autem istorum pecuniæ in fiscum redigantur in ea republica, in qua sortes easdem semper et æquales permanere oportet. sed quando quis ea patravit, quæ pecuniarum mulcta luenda sunt, quod supra sortem possidetur, id impendatur, sors integra maneat. cujus rei exactam veritatem a descripto censu legum custodes semper judicibus deferant, ne quis unquam propter indigentiam pecuniarum sua sorte privetur. quod si quis majore dignus damno videatur, nec fidejussione liberalitateque amicorum liberetur, manifestis diuturnisque vinculis et ceteris opprobriis puniatur, peccatum nullum impunitum sit : neque profugus ullus et impunis abeat : sed aut morte plectatur aut vinculis aut verberibus aut ignobiliter sedendo standoque in sacris ad extremitates regionis productus, aut pecuniis ea ratione, quam diximus, mulctatus, pœnas luat. judices autem capitalis criminis legum custodes sint, et optimi quique ex eorum numero electi, qui anno proxime præterito functi magistratibus fuerint. quo autem modo accusationes citationesque et similia fieri debeant, posteriores legumlatores determinent. suffragiorum autem sententiæque modum nostri officii est lege

perscribere. manifeste igitur ista ferantur. sed ante hæc coram accusante defendenteque, quam proxime servata ipsorum dignitate, judices sedeant. ubi cives, qui otio abundant, omnes adsint, taliaque judicia diligenter audiant. in quibus cum prima oratio ab accusatore fuerit habita, defensor alteram dicat. deinde senior de judicibus, quæ dicta sunt, omni adhibita diligentia sufficienter examinet. post cum ceteri omnes considerent, quodcunque ab adversariis dictum vel non dictum, perquirendum singuli putant; qui autem nihil discussione sua dignum censet, alteri examinationem ipsam relinquat. ac tandem in Vestæ sacrario scripta, [856] quæ tunc conclusa fuerunt, insertis omnium judicum signis deponantur. Rursus in crastino die eodem in loco congregati, eodem modo examinent judicentque: et, signis appositis omnibus quæ dicta fuerint, deponant. cumque hoc similiter tertio fecerint, signis testibusque sufficienter assumptis, sacrum singuli ferentes suffragium, jurejurando per Vestam vere justeque pro viribus se judicaturos affirment: atque ita huic judicio finem imponant. Post peccata in Deos commissa de his dicatur, quæ in reipublicæ perniciem committuntur. Qui principatum ad hominis arbitrium redigit, eique leges subigit, atque ita civitatem subjicit factionibus et vi adhibita contra leges seditionibus eam replet: hic universæ civitati hostis est maximus omnium judicandus. secundus ille hostis est, qui, quamvis particeps hujus sceleris non sit, tamen, cum amplissimis fungatur in ea republica magistratibus, eas conjurationes non animadvertit, et, si animadvertit, timiditate quadam patriæ non succurrit. quare unusquisque vir, qui modo alicujus pretii civis fore studet, hæc judicibus referat, eumque in judicium trahat, qui patriæ insidiatus vi ad iniquam gubernationem vertere illam conatur. judices autem hujus sceleris sint, qui et sacrilegii, totumque judicium similiter peragatur: et suffragia, quæ multitudine vincunt, morte condemnent. et, ut breviter dicam, peccata patris non luant filii: nisi pater, avus ac proavus deinceps mortis supplicium debeant. hos autem cum bonis suis, sorte semper excepta, in antiquam civitas patriam mittat. et de filiis civium, quibus plures quam unus sunt, non pauciores quam decem annos nati, eos sorte deligant, quos patres aut avi paterni maternive nominaverint, nominaque ipsorum Delphos mittant: et qui oraculo Apollinis approbabitur, huic feliciori fortuna sors domus destituta reddatur. Cli. Recte id quidem. Athen. Communis præterea tertia lex de judicibus, judiciique modo, adversus eos, qui proditionis accusati sunt. et de mansione filiorum atque nepotum, sive exitu e patria, [857] una lex adversus tres similiter sit, proditorem, sacrilegum et violentum legum civilium eversorem. De furto autem, sive magnum quid seu parvum quis furatus sit, una lex pœnaque similis omnibus sit. damnatus enim quispiam furti, si ultra sortem bona sua sufficiunt, duplum reddat: aliter vinciatur, donec aut illi persuaserit, cui debet, aut reddiderit. quod si publicum furtum fuerit, tum demum a carcere liberetur, cum civitati persuaserit vel duplum reddiderit. Cli. Quonam modo dicimus, hospes, nihil differre, sive magnum seu parvum sit furtum, sive a sacro loco seu non sacro sublatum sit, seu quomodocunque aliter id fiat? quippe cum multis modis committi furtum possit, sceleris varietatem dissimilitudinemque conjicere legislator debet, nec similibus pœnis, quæ similia non sunt, punire. Athen. Opportune, o Clinia, impetu currentem me retraxisti, et in memoriam, quæ olim quandoque cogitaveram, redegisti, ad hunc usque diem leges nullo modo recte constitutas fuisse, ut nobis præsentia considerantibus succurrit dicere. Cli. Quomodo rursus id dicimus? Athen. Congrua profecto imagine usi sumus, quando omnes, qui hactenus leges recipiunt, servis illis contulimus, qui ab aliis servis curarentur. illud certe ignorare non decet, quod si medicus quispiam eorum, qui usu quodam absque ratione medentur, liberum

medicum philosophiæque studiosum ægrotanti libero colloquentem audiat, dum morbi initia rationibus indagat et de natura corporum diligentius disserit, ridebit protinus : et adversus illum ea dicet, quæ hac in re plurimis medicorum in promptu semper esse solent. non mederis, inquiet, ægrotanti, o fatue : sed quasi doctrina, non sanitate indigeat, doces. An non recte sic loqui videbitur ? Nonne et nobis merito idem objiciet, quod quicunque de legibus, ut modo nos, disserit, non leges condit, sed cives erudit ? Cli. Fortasse. Athen. Sed feliciter in præsentia nobis contingit. Cli. Quidnam ? Athen. Quod nihil ad ferendas leges nos urget : [858] sed ipsi sponte hac consideratione suscepta, de omni reipublicæ disciplina, quid optimum atque necessarium sit, quomodoque id peragatur, perspicere nitimur. quid ergo liceat, si volumus, quid optimum sit aut quid maxime necessarium in legibus considerare, utrum vobis videtur, tractandum in præsentia eligamus. Cli. Ridicula hæc, hospes, optio est : manifesteque nos illis similes facit, qui necessitate ingenti leges ferre ita in præsentia compelluntur, ut in crastinum licere non videatur. nobis autem Dei auxilio, quemadmodum illis, qui ex lapidibus vel ex alia quavis materia aliquid construunt, licet fusim ea colligere, ex quibus futura commoda operi absque ulla festinatione deligentur. quasi ergo ædificatores minime festinantes, alia modo fundemus, alia hinc ad ædificandum sumemus : adeo ut in ferendis legibus, alia, quasi modo ponantur, alia vero, quasi jam positis, apponantur. Athen. Sic utique secundum naturam magis, o Clinia, compendiaria nobis fiet legum conspectio. sed illud per Deos de legumlatoribus consideremus. Cli. Quidnam ? Athen. Multorum litteræ verbaque ex litteris in civitatibus conscripta reperiuntur : litteras vero legis quoque lator et verba scribit. Cli. Quidni ? Athen. Utrum igitur poëtarum ceterorumque scriptorum operibus de ratione vivendi compositis animum applicabimus : legum vero latorum nequaquam ? an his maxime omnium ? Cli. Istis omnino. Athen. Legislatorem ergo scribentium solum oportet de honesto, bono justoque consulere, docereque qualia hæc sint, et quomodo his agenda, qui felices futuri sunt. Turpe enim est, cum Homerus, Tyrtæus ceterique poëtæ probe de vita studiisque hominum scripserint : turpe, inquam, Lycurgo atque Soloni ceterisque legumlatoribus minus id facere. rectum igitur ipsum, præ ceteris omnibus scriptis, leges mirifice præ se ferre debent : [859] ceterorum vero scripta probari, si legibus consentanea sunt : sin dissona, derideri. sic igitur leges civitatibus conscribantur, ut patris matrisque personam lator legum penitus gerat : scriptaque caritatis prudentiæque virtutem habeant potius quam domini tyrannique imperium minitantis tantum et describentis, rationem vero nullam penitus assignantis. consideremus igitur, an hac via nobis progrediendum sit, sive possimus sive non. sed accingamur jam, et pro viribus hac via procedentes, etiam si pati quicquam necesse sit, toleremus. quod utinam felix sit ! eritque profecto, si Deus voluerit. Cli. Recte locutus es : quare sic faciamus. Athen. Considerandum est ergo primum, ut cœpimus, diligenter de sacrilegio, de furto, de ceteris omnibus injuriis : nec graviter ferendum, si in ea ipsa legum descriptione alia jam posuimus, de aliis disceptamus. non enim legumlatores jam sumus, sed efficimur modo : et cito fortassis erimus. verum si de his, quæ proposui, ita ut dixi, disserendum videtur, edisseramus. Cli. Sic omnino. Athen. De honestis igitur justisque rebus omnibus inspicere id conemur, quo nobis ipsis convenimus et quo discrepamus, qui in hoc maxime studere nos profitemur, ut a plurimis differamus. quo item alii a se ipsis dissentiunt. Cli. Quas, quæso, inter nos differentias dicis ? Athen. Conabor exponere. de justitia omnino justisque hominibus et rebus et actionibus, omnes quodammodo consentimus, quod videlicet

omnia hæc honesta pulchraque sint ; ita ut si quis justos homines, etiamsi corpore deformes sint, secundum ipsum justitiæ habitum pulcherrimos asserat, nemo sit judicium illius reprobaturus. Cli. Nemo fere, qui ita loquatur, perperam loqui videbitur. Athen. Recte igitur. Cli. Forte. Athen. Sed videamus, age, si omnia, quæ juste fiunt, honesta pulchraque sunt. omnium vero passiones nobis sunt ferme actionibus similes. Cli. Quid hoc ? Athen. Actio utique, quæcunque justa est, quatenus justitiæ, eatenus et honesti est particeps. Cli. Cur non ? Athen. Quare passio quoque justa, si æque honesti atque justitiæ particeps esse dicatur, [860] haud dissona nobis erit oratio. Cli. Vera loqueris. Athen. Si autem passionem aliquam justam quidem esse affirmabimus, honestam vero negabimus, justum et honestum inter se dissonabunt. justa enim turpissima esse dicentur. Cli. Quomodo id dixisti ? Athen. Nihil difficile cognitu. leges enim, quæ prius nobis positæ sunt, contraria penitus præcipere his verbis videbuntur. Cli. Quo pacto ? Athen. Sacrilegum censebamus juste moriturum : legum quoque bene positarum hostem similiter. cumque multas hujusmodi leges scripturi essemus, retraximus nos, considerantes has passiones tam multitudine quam magnitudine infinitas esse : justissimas quidem omnium passionum, sed turpissimas quoque omnium. nonne sic honesta justaque modo quasi eadem, modo quasi contraria, videbuntur ? Cli. Ita videtur. Athen. Multi igitur dissone sic honesta justaque, quasi discrepantia, nuncupant. Cli. Ita prorsus apparet. Athen. Sed id rursus videamus, o Clinia, quomodo nos de his consentimus. Cli. Quem dicis consensum ? Athen. In superioribus manifeste mihi dictum arbitror. Cli. Quo pacto ? Athen. Quod si supra dictum non est, nunc saltem me dicere existimate. Cli. Quidnam ? Athen. Malos omnes omnino non sponte malos esse. quod si ita est, illud quoque sequi necesse est. Cli. Quid ? Athen. Injustum esse malum, et malum non sponte hujusmodi esse, non sponte vero fieri, quod voluntarium est, nulla unquam ratione potest. qui igitur injustitiam involuntariam putat, injuste agentem hominem injuste agere non sponte putabit. mihi quoque mecum modo conveniendum est, cum omnes non sponte injuriari fatear : quamvis possit quispiam ambitionis contentionisve causa illud nobis objicere, injustos quidem non sponte injustos esse, multos tamen illorum sponte injuriari. mea quippe sententia non hæc, sed illa est. quomodo ergo verbis meis ipse conveniam, si me ita, o Clinia et Megille, interrogabitis : Si ita hæc se habent, hospes, quid nobis de Magnesiensium civitate consulis ? darene leges ipsis, an non ? Ego vero dare leges consulam. Tum vos ita : distingues igitur ipsis, sponte atque item non sponte factas injurias : et illarum majores, harum vero minores mulctas conscribes ? [861] an omnium pares, cum nullæ penitus injuriæ sponte fiant ? Cli. Recte tu, hospes. sed istis, quæ modo dicta sunt, ad quid utemur ? Athen. Probe interrogasti. utemur enim in primis ad illud. Cli. Ad quidnam ? Athen. Memoria repetamus, probe in superioribus nos dixisse : multam magnamque de re justa turbationem inter nos esse atque dissensionem. quod resumentes nos ipsos interrogemus, deceatne, cum differentiam istorum nequaquam declaraverimus, quæ in qualibet civitate ab omnibus priscis legumlatoribus quasi duæ injuriarum species positæ sunt, sponte scilicet et non sponte factæ, atque ita varie puniuntur, opinionem hanc nostram, quasi divinitus dicta sit, in medium inducere : nec eam ulla ratione, quomodo recte se habeat, confirmare ? Minime vero sic decet : verum necesse est, antequam leges ponamus, quemadmodum hæc duo sint et quam differentiam habeant, significare : ut, quando supplicium utrique imponimus, quisque intelligat, judicareque valeat quodammodo, convenienterne an contra impositum fuerit. Cli.

Recte nobis loqui videris, hospes. oportet enim alterum de duobus nos facere : vel non dicere nullas injurias sponte fieri ; vel, antequam ad alia pergamus, quomodo recte id dicatur, exponere. Athen. Horum ego alterum minime patiar, ut videlicet, quod ita esse existimo, negem. nec officii mei id esset, neque pium. quomodo autem hæc, si in eo, quod est sponte fieri et non sponte, minime differant, duo sint, et, quo alio differant, quodammodo aperire conemur. Cli. Non aliter certe, hospes, ista nos intelligere possumus. Athen. Ita fiet. age igitur, nonne multa inter cives in commutatione consuetudineque damna et incommoda fiunt, in quibus voluntarium et involuntarium abundare videntur ? Cli. Quidni ? Athen. Nemo vero, cum incommoda nocumentaque injurias putet, duplicem quoque in ipsis esse injuriam arbitretur : non sponte alteram, alteram sponte commissam. damna enim omnium non sponte facta, nec numero nec magnitudine minora illis sunt, quæ sponte fiunt. [862] sed considerate, quæso, utrum deinceps veri aliquid afferam, an penitus nihil. ego enim, o Clinia et Megille, si quis cuiquam nocet nolens, dicam injuriari nolentem, neque propterea, quasi injuriam non sponte factam, in legibus istud ponam. immo nullam id damnum injuriam dicam, sive majus sive minus sit. sæpe etiam eum, qui utilitatem minus recte contulit, injuriari dicimus, si hæc minime superat. nam ferme, o amici, nec si quis conferat, nec si contra quicquam auferat, par est ut justus aut injustus ita simpliciter appelletur. non igitur id, sed si probis moribus justoque modo prosit alicui vel obsit, an contra, hoc est legumlatori considerandum : et ad hæc duo illi respiciendum, ad injuriam dico et nocumentum : ita ut ad indemnem integrumque statum pro viribus quæque perducat, amissum restituatur, quod decidit, rursus consurgat, occisum vulneratumque reparetur : semperque conandum, ut discordiæ nocumentis suscitatæ per leges in amicitiam redigantur. Cli. Probe ista dicuntur. Athen. Injusta itaque damna emolumentaque, si quid forte ex injuria sequatur lucri, quasi morbos animi, si sanabilia sunt, curare oportet. cura vero injustitiæ illuc feratur. Cli. Quonam ? Athen. Ut quisquis injurias seu magnas sive parvas commisit, per doctrinam corrigatur a lege, cogaturque omnino, ut vel nunquam amplius tale quid audeat sponte committere vel rarius admodum, pœnæ impositione deterritus. profecto legum optimarum officium esse dicimus, ita animos hominum instituere, ut oderint injustitiam : justi vero naturam vel diligant vel saltem non oderint : sive operibus seu verbis legislator id assequatur, seu voluptate sive dolore, vel honore vel infamia aut pecunia mulctando aut donis, aut alio quovis modo id faciat. quos vero insanabiles legislator esse senserit, ultimo supplicio hos afficiet, non ignorans satius fore, his, qui insanabiles sunt, mori quam vivere : ac si vita privantur, dupliciter prodesse ceteris. nam horum exemplo a peccato ceteri deterrentur, et improbis hominibus civitas ipsa mundatur. [863] hac de causa insanabiles homines morte legis conditor plectet : alia minime. Cli. Moderate admodum hæc abs te dicta videntur. sed iterum injuriæ damnique differentiam, et quomodo sponte et non sponte fiant, clarius te dicentem libenter audiremus. Athen. Et facere conabor et dicere, ut jubetis. constat sane, quod de anima inter vos disserentes hoc sæpe dicitis et auditis, unum in ea affectum sive partem natura inesse, quam iracundiam dicimus, contentiosam atque difficilem, quæ inconsiderata vi multa evertit. Cli. Procul dubio. Athen. Voluptatem autem non eandem cum ira dicimus, sed ex contraria potentia dominantem : quæ persuasione simul et violenta quadam deceptione compellit, ut, quicquid ipsa velit, hoc peragas. Cli. Et maxime quidem. Athen. Tertiam delinquendi causam quisquis ignorantiam posuerit, non errabit sed qui hanc bipartito distinxerit, legumlator melior erit : alteram quippe

simplicem is ponet, alteram duplicem. et simplicem quidem levium peccatorum causam arbitrabitur : duplicem vero vocabit, quando non ignoratione solum quispiam detinetur, sed etiam sapientiæ opinione inflatus, quæ omnino ignorat, ea scire se prorsus existimat. hanc, si vires roburque consecuta fuerit, ingentium turpissimorumque scelerum causam esse censebit : sin autem imbecillitate prematur, peccata et puerorum et seniorum inde profecta peccata quidem esse putabit, et illis tanquam peccantibus leges præscribet, sed mitissimas omnium plurimaque venia et indulgentia plenas. Cli. Æquum id est. Athen. De voluptate atque ira consentimus ferme omnes, alios quidem homines illas vincere, alios vinci. atque ita est omnino. Cli. Ita prorsus. Athen. Ignorantiam vero alios superare, et ab aliis superari, nunquam audivimus. Cli. Vera narras. Athen. Singula hæc ad se rapere hominem dicimus, sæpe simul ad contraria tractum. Cli. Immo sæpissime. Athen. Nunc jam tibi, quid justum quidve injustum dico, clare absque ulla ambiguitate exponam. iræ namque atque timoris, voluptatis et doloris, invidiæque et cupiditatis tyrannidem in animo, sive noceat sive non, omnino injustitiam nomino. [864] sed opinionem optimi, qua videlicet ratione civitas vel privati aliqui putabunt, si animo dominata omnem virum exornet, etiamsi quid minus recti illi successerit, justitiam nomino : et quicquid inde gestum est, justum appello : atque eos, qui hujusmodi principatui libenter parent, optime vivere duco. illiusmodi vero damnum, injuriam non sponte commissam plurimi opinantur. nos autem de vocabulis non contendimus. verum quoniam tres peccatorum species dictæ sunt, memoria istæ primo diligentius repetendæ. doloris quidem, quem iram timoremque vocamus, unam speciem arbitramur. Cli. Prorsus. Athen. Voluptatis rursus cupiditatumque alteram : spei autem ac de optimo veræ opinionis appetitionem desideriumque speciem tertiam. quibus rursus bipartito divisis, species quinque conficiuntur : quibus leges inter se differentes speciebus quinque in duobus generibus sunt ponendæ. Cli. Quæ sunt ista genera ? Athen. Alterum quod vi et aperte committitur : alterum, quod clam et cum deceptione in tenebris. ac nonnunquam utroque modo agitur. quod si jure tractabitur, asperrimis legibus coercebitur. Cli. Æquum est. Athen. Sed redeamus illuc jam, unde huc digressi sumus, terminandisque legibus incumbamus. erat autem nobis propositum de sacrilegis, de proditoribus, de his, qui mutando rempublicam leges corrumpunt. horum aliquid quis forte committet propter insaniam, vel morbo vel senio pressus, vel in ætate puerili constitutus, ita ut ab istis nihilo differat. ac si tale quippiam electis judicibus fecisse declarabitur, ipsoque aut defensore referente sic affectus judicabitur, commisisse, damnum, quod intulit, simplex omnino restituat : cetera sibi remittantur, nisi homine interfecto mundus adhuc a cæde non sit. sic enim alio profectus annum peregrinetur. et si prius, quam constitutum a lege tempus præterierit, reversus fuerit aut etiam intra fines deprehendatur, in publico carcere biennio a legum custodibus detineatur : posthac liber a vinculis esto. [865] sed, ut incepimus, de unaquaque specie cædis leges absolutius conscribamus. et primo quidem de vi et non sponte factis dicamus. si quis in certamine publicisque gymnasiis non sponte, sive confestim sive postea ex vulneribus secuta mors sit, amicum hominem interfecerit, vel in bello similiter, vel in exercitatione bellica a magistratibus instituta, sive nudis corporibus seu ad imitationem veri belli armatis, secundum legem a Delphico Apolline latam mundus sit. omnes autem medici, qui curantes non sponte occiderint, mundi sint. quod si manu sua quispiam non sponte, sive nudo corpore sive instrumento vel telo vel cibo potuve, ignis frigorisve et fluctus adjectione aut privatione spiritus, sive id suo corpore sive per alia quædam faciat, aliquem inter-

fecerit, omnino ut manu propria interfector existimetur: atque ita, ut dicam, plectatur. si alienum servum interemerit suumque putaverit, domino damnum restituat vel duplum pretii reddat. quanti vero pretii fuerit servus, a judicibus statuatur. purgationibus vero pluribus majoribusque utatur, quam qui certando aliquem interfecerunt. quarum idonei sint interpretes hi, quos Dei comprobavit oraculum. sin vero servum suum, purgatus secundum legem sit absolutus. at si liberum quis non sponte hominem interfecerit, iisdem purgationibus utatur, quibus qui servum peremit: et priscum mysterium non contemnat. fertur enim interfectum vi hominem, qui libere vixit, interfectori proximo statim post mortem tempore irasci, ac propter violentam mortem terrore turbationeque plenum, maxime si viderit interfectorem inter suos more solito vivere, interfectorem ipsum ejusque actiones, vim ad hoc suppeditante memoria, cunctis viribus terrere atque turbare. quare opus est, ut homicida interfecti hominis gratia anno integro exsul a patria omnique ea regione procul vitam ducat. sin vero, qui interiit, peregrinus fuerit, a patria quoque peregrini annuo tempore homicida pellatur. [866] huic legi si obtemperavit, genere proximus interempto, qui, utrum paruerit, attendet, illi veniam præstet, qui etiam pace ipsi reconciliatus et æquus omnino erit. sin vero non obediverit, sed, cum immundus sit, templa Deorum petere sacrificareque audeat, vel statuto tempore universo non peregrinabitur: genere proximus interempto id judicibus deferat, eumque de cæde accuset, et dupla omnia sumat ab eo supplicia. quod si proximus ille neglexerit: quasi scelere in ipsum revoluto, ipso videlicet interempto passionem in illum convertente, a quolibet volente accusetur et quinque annos patria carere cogatur. si peregrinus non sponte peregrinum in civitate occiderit, eadem lege a volente quocunque id judicibus deferatur et similiter judicetur. sin vero incola id fecerit, anno exsulet uno. quod si peregrinus omnino peregrinum, sive incolam sive civem, necaverit, ultra purgationem tota etiam a regione, in qua leges hujusmodi dominantur, per omnem exsulet vitam. ac si contra leges redierit, morte a legum custodibus puniatur: et bona, si qua possideat, proximo interfecti tradantur. quod si non sponte quispiam in eam regionem delatus fuerit, tempestatis quidem vi et fluctu maris depulsus, navigandi opportunitatem pedibus mare tangens exspectet: vi autem per terram ab aliquibus adductus, a magistratu, cui primo res delata fuerit, solvendus est et intactus in exsilium retrudendus. Si quis vero manu sua liberum hominem ira concitus interfecerit, bipartito iram primo oportet distinguere. per iram enim facit et qui subito absque voluntate interimendi verberibus vel quovis modo interfecit, ita ut confestim post impetum pœnitentia sequatur: et qui contumelia vel injuria lacessiti, idcoque in vindictæ cupiditate perseverantes, postea volentes interfecerunt; nec pœnitet ita fecisse. duplicem igitur cædem ponere placet, utramque ira factam. quas inter voluntarias et involuntarias actiones medias jure posuerim. [867] neutra enim voluntaria revera vel involuntaria est: sed altera alterius est imago. nam ille quidem, qui iram servat, nec repente sed cum insidiis se postea vindicat, homicidæ voluntarii est persimilis: et qui non servat, sed primo iræ impetu fertur et absque præmeditatione interficit, involuntarii homicidæ similis judicatur. non tamen omnino involuntarius est, sed involuntarii habere similitudinem dicitur. quocirca per iram commissæ cædes difficile determinantur, utrum voluntariæ an contra ponendæ sint. Optima igitur et verissima sententia est, utrasque imagines appellare, easque seorsum ita distinguere, ut altera consulto, altera inconsulto committi dicatur. majora vero supplicia illis decet imponere, qui consulto per iram interfecerunt: illis contra, qui repente et inconsulto, leviora. nempe quod graviori malo

simile, asperius: quod vero leviori, mitius puniendum. Ita certe nostris legibus agendum est. Cli. Ita prorsus. Athen. Sed de ira iterum repetentes ita dicamus. Si quis manu propria liberum hominem ira concitus inconsulto occiderit, cetera quidem eadem patiatur mala, quæ et homicidæ, qui non per iram occiderit, debentur; sed duobus omnino ad iram suam coërcendam exsulet annis. qui vero per iram quidem, sed ex insidiis, liberum quemquam occiderit: cetera utique, similiter ac primus, cogatur facere. non autem biennium tantum, ut ille, sed triennium, exsulet, ut ira ejus diuturnior diutius puniatur. universalis autem istorum hæc dispositio sit. nempe difficile est sigillatim exacteque de his leges ponere. aliquando enim, quæ truculentior cædes lege statuta est, levior videtur: nonnunquam contra, quæ levior, truculentior; prout atrocius aut mitius gesta est. ut plurimum vero, quemadmodum modo diximus, ista contingunt. sed hæc omnia legum custodes cognoscent. cum vero restituendorum exsulum tempus advenerit, duodecim ad fines regionis judices mittant, qui diligenter consideratis omnibus per id tempus exsulum actionibus, pudoris eorum receptionisque judices fiant. illi vero horum magistratuum judicio acquiescant. [868] quod si post restitutionem alteruter horum ira commotus similiter peccaverit, perpetuo exsulet: et si rursus redierit, non aliter quam peregrinus rediens puniatur. si quis ira servum suum necaverit, purgetur: si alienum, damnum domino in duplo restituat. si quis homicida legibus non paruerit, sed nondum purgatus forum, gymnasia ceteraque sacra ingressu suo contaminaverit; quicunque velit, tam istum quam interfecti cognatum hæc negligentem in judicium vocet, et in duplo tum pecuniam tum cetera persolvere cogat: quodque solutum est, ipse secundum legem accipiat. si servus ira concitus dominum suum interimat, occisi hominis cognati, quomodo velint, ipsum interficiant, mundique a crimine sint, dummodo vivum non conservaverint. sin vero servus non dominum suum, sed alium liberum per iram necarit, a domino suo interfecti cognatis tradatur, qui, utcunque velint, omnino ipsum interimant. si pater aut mater (accidit enim quamvis raro) per iram verberibus seu quovis modo filium vel filiam interficiat, perinde ac ceteri homicidæ purgetur et triennium exsulet. ac post ipsam restitutionem maritus ab uxore uxorque a marito separentur, nec simul amplius liberis procreandis operam dent: neuterque horum simul cum eo habitet, cujus filium vel fratrem occidit, nec una cum eo sacris communicet. et qui impietate animi his legibus non paruerit, ut impietatis reus a volente quolibet accusetur. si vir uxorem aut uxor virum per iram necaverit, purgetur similiter et triennium integrum exsulet: cumque redierit, nec sacris cum liberis suis communicet nec una mensa utatur. quod si non servet genitor aut filius, impietatis reus a volente quolibet accusetur. frater vero si fratrem aut sororem, et soror si sororem vel fratrem ira occiderit, non aliter quam parentes, qui liberos interfecerunt, et purgetur et exsulet: nec post reditum sacris et mensa cum illis communicet, quos fratribus aut sororibus filiisve privavit. [869] qui legem hanc transgredietur, jure ut impius condemnabitur. at vero cum quis adeo victus ab ira fuerit, ut insano iracundiæ furore parentem interemerit, si parens, antequam mortem obiret, sponte interfectorem suum a cæde liberavit, sicuti qui sponte cædem commiserunt, purgatus ceterisque similiter factis mundus sit: sin vero non liberavit, multis legibus reus sit, qui necavit. nam ultimis suppliciis cædis, impietatis, sacrilegii subjectus erit, quia sacrilegio genitoris animam abstulit. quare si possibile esset sæpius aliquem mori, justissimum esset sæpius parricidam interfici. nam cui nec pro defensione quidem sua, si a parentibus interficiatur, lege ulla conceditur, ut parentes, a quibus in lucem editus est, interimat, sed omnia potius sustinere præcipitur, quam quicquam

hujusmodi facere: quomodo aliter juste punire hunc oportebit? lege igitur ira concitato ad parricidium mors sanciatur. si orta seditione, vel quovis modo, frater fratrem in se impetum facientem pro defensione sua interimat, quasi hoste perempto purus sit. quin etiam si civis civem aut peregrinus peregrinum vel peregrinum civis, vel e converso, defendendo se interfecerit, similiter mundus sit. eodem modo si servus servum. sin vero servus liberum se defendens interimat, iisdem legibus, quibus et parricida, sit subjectus. quod vero de liberatione a cæde parentis diximus, idem quoque de liberatione omnium dictum intelligatur. si quis ergo aliorum omnium alicui sponte dimiserit, quasi non sponte cæde commissa, purgetur, qui interfecit, et annum exsulet unum. sed violenta jam et involuntaria ac per iram commissa de cæde mediocriter exposita sunt. quæ vero sponte in his secundum omnem injustitiam ex insidiis propter voluptatum cupiditatumque invidiæque tyrannidem committuntur, deinceps dicamus. Cli. Recte dicis. Athen. Primum igitur quod voluntariæ cædis causæ sint, pro viribus declaremus. [870] maxima vero hujus causa est cupiditas animæ libidinibus exagitatæ dominans: quæ in eo ardore consistit maxime, qui multorum animos vehementer inflammat. hæc sane ea vis est, quæ propter naturam et ignorantiam divitiarum inexplebilem gignit aviditatem. Ignorantiæ vero causa est, quod non recte laudantur divitiæ. quippe tam Græci quam barbari divitias, cum tertium bonorum teneant locum, in primo ponunt: atque hac sententia se ipsos simul et posteros perdunt. Optime sane et pulcherrime viveremus, si vera de divitiis sententia ubique prædicaretur. ea est, quod divitiæ corporis gratia sint, corpus autem animi gratia. quare cum bona ea sint, quorum gratia possidendæ divitiæ sunt, tertium gradum post virtutem animi corporisque tenebunt. hæc ergo ratio nos tanquam magistra docebit non oportere hominem, qui felix sit futurus, divitias quomodocunque, sed cum justitia et temperantia, quærere. sic enim cædes cædibus puniendæ in civitatibus nullæ committerentur. nunc vero, quemadmodum in hujus disputationis principio diximus, unum hoc est et maximum, quod voluntariæ cædis maxima supplicia facit. alterum est ambitiosi animi habitus: unde invidiæ nascuntur, primum quidem ipsi invido truculentæ, deinde etiam optimatibus civitatis. tertium locum ingentes injustæque formidines possident; quæ cædes multas pariunt, quando ea sunt alicui gesta vel ad præsens geruntur, quorum neminem vellet esse conscium. quare illos, qui talia indicaturi videantur, si non aliter potest, morte e medio tollit. ad hæc omnia proœmia sint, quæ diximus: ac præterea sermo, quem multi ex his, qui sacris student solemnitatibus, et audiunt et credunt, quod homicidæ apud inferos puniuntur, et rursus huc reversi pœnas necessario secundum naturam debitas pendunt. quippe quæ aliis fecerunt, ab aliis quoque perpeti simili sorte in hac vita coguntur. illi igitur, qui persuasus fuerit et hujusmodi proœmio monitus talia supplicia extimuerit, nullam ad hæc opus est legem ponere: [871] sed homini contra affecto lex ista scribatur: Qui consulto civem suum manu propria per injuriam interfecerit, primum a templis, a foro, a portubus et ab omni cœtu communi ne præsentia sua hæc maculet, procul absit, sive quis adesse interdixerit sive nullus. lex enim ipsa interdicit, atque ita id vetat, ut pro universa civitate interdicere semper et interdictura esse videatur. deinde, qui eum non persequitur, ut decet, nec ab his arcet, de cognatione interfecti usque ad patrueles et consobrinos, primum scelus Deorumque odia in ipsum vertantur, sicut vulgo legis imprecatio et maledictio dictat: deinde reus sit cuique, interfectum ulcisci volenti. qui autem persequi volet, cum omnia fecerit, quæ vel de luendi criminis observatione vel de aliis quibuscunque facienda Deus instituit, et, quæ prædicenda sunt, prædixerit,

pergat homicidamque secundum legem dare pœnas compellat. hæc autem facienda esse precibus sacrificiisque Deorum, quibus, ne cædes in urbibus fiant, curæ est, facile legislator suadere potest. sed qui Dii sunt isti, et quomodo secundum Dei mentem maxime hæc judicia peragantur, legum custodes cum interpretibus haruspicibusque et Deo declarent, atque ita judicia pœnasque disponant. judices vero harum rerum illi sint, quibus sacrilegii puniendi data est auctoritas. qui autem condemnatus fuerit, morte pœnas luat. et quoniam non impie solum, sed impudenter quoque peccavit, in regione interfecti sepeliri non debet. quod si fugerit neque judicium sustinuerit, perpetuo exsulet. et si unquam citra fines fuerit deprehensus: qui primus illi obvius erit cognatorum interfecti vel civium, impune interimat: aut vinctum magistratibus tradat hujus rei judicibus occidendum. quod si quis hunc defensurus accesserit, pro eo fidejubeat, quem tutatur: tresque is fidejussores, quos judices ipsi sufficientes putaverint, afferat, qui judicio illum se daturos promittant. id si quis facere noluerit vel non potuerit, vinctus a magistratibus judicio reservetur. verum si quis non propria manu, sed voluntate, [872] consilio insidiisque hominem interfecerit, et, cum causa cædis sit animoque impurus, in civitate habitet: condemnatus similiter puniatur, præterquam quod fidejussores non præbebit, et condemnatus propria non carebit sepultura. cetera huic, quemadmodum de superiore diximus, fiant. hæc eadem peregrinis adversus peregrinos, civibusque ac peregrinis vicissim, et servis adversus servos, de cæde propria manu facta, et de illa, quæ consilio insidiisque commissa est, statuta sint: nisi quod fidejussionem præbere istos, quemadmodum illos, qui propria manu interfecere, censemus. si servus liberum sponte, sive manu sua sive consilio interemit, condemnatusque fuit, trahatur a publico lictore ac vindice ad interfecti monumentum, vel unde illud cernere queat: verberatusque, prout jubet, qui judicio eum convicit, si ita cæsus adhuc vivat, ad necem usque cædatur. si quis servum nihil injuriantem, timens ne turpe quid a se factum indicet, vel alia hujuscemodi causa inductus, morti tradiderit: quasi civem necaverit, sic puniatur. accidunt quandoque nonnulla, de quibus leges ponere grave est atque molestum, et non ponere impossibile. hujusmodi sunt cognatorum voluntariæ et injustæ cædes, sive manu propria sive consilio insidiisque illatæ: quæ in civitatibus male gubernatis plurimum committuntur, sed nonnunquam etiam, ubi non credideris, fiunt. at hæc scelera devitanda oratio superior repetatur. forte namque his auditis a sceleratissima cæde sponte aliquis abstinebit. fabula enim vel sermo, vel quovis alio nomine appellanda oratio, manifeste a priscis sacerdotibus dicta est, justitiam speculatricem omnium atque vindicem ad cognatum sanguinem ulciscendum lege, quam modo diximus, uti. nempe illam constituisse, ut quisquis aliquid hujusmodi perpetravit, idem necessario patiatur. ut, si quis patrem morti tradidit, ipse postea certis temporibus violenter a filiis occidatur. sin vero matrem peremit, ipse postea particeps naturæ muliebris effectus necessario tandem a filiis suis interimatur. communi enim sanguine maculato non esse aliam purgationem, nec posse aliter abstergi maculam, [873] nisi cædem cæde simili similem anima scelerata lustraverit, totiusque cognationis iram sedaverit. ab his ergo sceleribus coercere homines oportet, suppliciorum ejusmodi, quæ a Diis inferuntur, metu. si qui vero in tam miseram calamitatem inciderint, ut patrem vel matrem, fratrem vel filium sponte atque consulto vita privare audeant: mortalis legumlator sic de hujusmodi scelere sanciet, ut et arceantur a publicis sacrisque locis, ut supra dictum est, et vades similiter requirantur. et qui cædis hujusmodi condemnatus fuerit, tam a judicum ministris quam a magistratibus occidatur, trahaturque extra urbem in statutum trivium nudus, ubi singuli

magistratus pro universa civitate in mortui caput lapidem mittant, atque ita civitatem omnem purificent. demum ultra regionis fines portatum, secundum leges insepultum ejiciant. Sed quid de illo judicandum, qui proximum atque amicissimum cæde perdiderit? qui, dico, se ipsum vita et sorte fatorum vi scelerata privaverit: non judicio civitatis, nec tristi et inevitabili fortunæ casu coactus, neque pudore aliquo extremo compulsus: sed ignavia et formidolosi animi imbecillitate injuste sibi mortem consciverit? quæ purgationes et quæ sepultura huic lege conveniat, Deus ipse novit: proximi tamen huic genere ab interpretibus legibusque harum rerum hæc exquirant: et, quemadmodum, ab his statutum fuerit, ita faciant. sepultura igitur istis solitaria fiat, ubi alius nemo condatur: deinde in his locis sepeliantur, quæ de duodecim regionis partibus ultima, deserta innominataque sunt: sic obscuri, ut nec statuta nec inscripto nomine sepulcra notentur. si jumentum aut aliud animal hominem interficiat, nisi publico in certamine id fecerit, interfecti hominis propinqui id judicibus deferant, et agrorum curatores illi, quibus propinquus ipse mandavit, judicent, et damnatum extra regionis fines interficiant. quod si quid inanime, præter fulmen aut aliud telum divinitus missum, anima hominem cadentem ipsum aut ipsum cadens privaverit: genere propinquus interfecto, proximum in vicinia ad hoc constituat judicem, atque hæc et cetera, [874] prout erga mortuum ipsum convenit, pro sui ipsius et cognationis totius expiatione quod perficiat, vero damnatum fuerit, ut de animalibus dictum est, exterminetur. Si quispiam vita privatus reperiatur, et ignotus homicida sit, nec diligenter quærentibus inveniatur, prædictiones, ut in aliis, fiant: et in foro publice præconio prædicetur, ut, qui hunc vel hunc necavit, quia cædis reus sit, sacra loca non ingrediatur et universam deserat regionem: nam si deprehensus fuerit, occidetur atque extra regionis fines insepultus ejicietur. una ergo lex ista nobis præcipua de cæde sancita sit. ac de his satis. nunc dicamus, in quibus recte mundus est, qui occidit. qui noctu furem domum suam ingressum interemit, mundus sit. et qui spoliatorem in defensionem suam, similiter. et qui mulierem liberam aut puerum ad rem veneream vi subigit, impune non ab eo solum, cui vis est illata, verum etiam a patre, fratribus filiisque vita privetur. maritusque, si vim uxori inferentem perimat, lege mundus sit. ac si quis etiam patri, haudquaquam per scelus cædem patranti, aut matri aut filiis fratribusve aut conjugi opem ferens quempiam interfecerit, mundus sit. Hactenus de viventis animæ educatione et disciplina, qua si prædita est, vivendum illi sit, sin contra, non sit vivendum, leges conscripsimus. præterea de cædibus violentis, quomodo puniendæ sint, ac etiam de nutritione disciplinaque corporum, satis in superioribus dictum fuit. deinceps, quæ violentæ sunt actiones, et voluntariæ et involuntariæ, quæ et quot sint, et quibus suppliciis commode reprimendæ, pro viribus determinentur. recte enim hæc post illa tractantur. vulnera namque membrorumque per vulnera truncationes vilis etiam legumlator post cædem locabit. hæc, sicut cædes, distinguuntur. nam alia non sponte, alia ira, quædam timore, quædam sponte consultoque fiunt. quorum omnium hujusmodi exordium sit. necesse est leges hominibus ponere, ut secundum leges vivant. nam si absque his viverent, nihilo a feris atrocissimis discreparent. [875] cujus rei causa est, quia nullius hominis ingenium ita natura institutum est, ut, quæ ad publicum humanæ vitæ bonum conferunt, sufficienter cognoscat: et si cognovit, ut optimum id, quod novit, semper agere possit ac velit. nam primum difficile est nosse, quod civili veræque arti non proprium, sed publicum necessario est curandum: publicum quippe civitates connectit atque conjungit, proprium dissipat: quodve tam publice quam privatim præstat commune, quam proprium,

bene disponere. deinde, licet aliquis forsan hæc ita se habere sufficienter arte cognoscat, tamen, si tanta cum licentia civitatis imperium teneat, ut nulli rationum relationi subjectus sit, nunquam in ea sententia per totam vitam permanere poterit, ut publicum in civitate, tanquam præcipuum, bonum augeat, privatum vero post publicum ponat : sed ad utilitatem propriam privatamque commoditatem natura ipsum semper mortalis impellet, quæ absque ratione tam dolorem fugit quam voluptatem prosequitur : atque hæc utraque justiori meliorique præponet, et tenebris obruta malis omnibus tandem se ipsam omnino civitatemque replebit. profecto, si quis hominum divinæ sortis favore ea natura præditus esset, ut cognosceret publicum bonum, ad idque generose ac semper intenderet, nullis legibus sibi dominaturis egeret : quoniam nulla lex, nullus ordo scientia melior præstantiorque habetur ; nec fas est mentem alicui subjici atque servire ; sed potius, si ita vera liberaque sit, omnibus dominari. nunc vero nusquam hæc reperitur, sed minimum quid ipsius apparet. quare, quod secundo loco est, eligere decet ordinem atque legem, a quibus plurima quidem perspiciuntur, omnia vero videri nequeunt. sed his horum gratia propositis, statuamus jam, quid pati vel solvere debeat, qui alium vulneravit vel aliter obfuit. cuique enim facile est singula hujusmodi recte comprehendere, utrum videlicet quis vulneraverit an non, quem, qua in parte, quo pacto. hæc enim singula innumerabilia pæne sunt et inter se maxime differunt. hæc autem judicio cuncta, vel nihil horum, committere impossibile est. quippe illud unum in omnibus committere necesse est, utrum factum unumquodque horum sit an non. [876] nihil etiam de mulcta injuriantis committere, sed magna parvaque omnia lege determinare impossibile est. Cli. Quomodo igitur post hæc dicendum est ? Athen. Sic utique : quod quædam judicio concedere legislator debet, quædam non debet, sed ipse determinare. Ceterum ut intelligatur quæ arbitrio et prudentiæ judicum relinquenda sunt, quæve ab ipso legum conditore determinanda, sic exponemus. gravis profecto et toti civitati communis ibi pestis innascitur, ubi judicia ignava mutaque sunt : opiniones judicum invicem occultæ manent, et clam sententiam ferunt. at id præterea durius, quando non silentio agitur, sed ceu theatra clamore omnia personant, et rhetores quidem tum laudant tum vituperant, atque ita vicissim dijudicant. talibus quidem judiciis, si quis necessitate quadam urgeatur, dare leges infortunatum esse ducimus. sed qui dare cogetur, minimas dumtaxat mulctas judicibus iis committat : plurima vero et maxima quæque in ferendis legibus ipse declaret. ubi vero judicia recte pro viribus constituta sunt, judicesque bene educati et omni diligentia approbati, rectissime multa judicibus de punitione conditioneque condemnatorum committi possunt. nemo igitur nos incuset, si ipsis nunc maxima multaque præterea legibus non ordinamus, quæ vel minus eruditi judices possent conspicere, dignamque singulis delictis mulctam pœnamque accommodare. quoniam vero eos, quibus nos leges describimus, non ineptos harum rerum judices futuros speramus, multa eis committenda censemus. verum quod sæpe in superioribus diximus fecimusque, putantes descriptione formaque punitionum dicta, exempla judicibus, quæ nunquam transgrediantur, dari oportere : id et tunc recte factum est et nunc quoque observare volumus, ad leges ferendas iterum redeuntes. de vulneribus igitur ita sanciamus : si quis voluerit cogitaveritque amicum hominem ex iis, quos prohibet lex, interficere, vulneraverit autem nec interficere potuerit, hunc omni remota misericordia, [877] non aliter quam si vita privasset, dare cædis supplicium cogeremus, nisi fortunam ejus non omnino protervam dæmonemque coleremus, qui tam vulneratum quam vulnerantem misericordia prosecutus, infelicitati utriusque obstitit, fecitque ne vulnus huic letiferum illi

fortuna calamitasque exsecranda infligeretur. huic ergo damoni habebimus gratiam, atque ejus beneficio minime adversati, ab eo, qui vulneravit, supplicium mortis auferemus, et in vicina civitate per totam vitam exsulare statuemus, nullo rerum suarum omnium fructu carentem ; damno tamen prius restituto, si quid obfuit vulnerato, quod a judicio rei hujus fuerit constitutum. judices autem sint, qui cædis essent, si vulneratus obiisset. si parentes filius aut servus dominum consulto similiter vulneraverit, atque ita fecisse condemnatus fuerit, scelus morte luat. quin etiam si frater fratrem aut sororem similiter, vel soror sororem aut fratrem : uxorque si virum interficiendi consilio vulneret : aut vir uxorem similiter, perpetuo exsulet. his si filii filiæve pueri adhuc sunt, rem familiarem exsulantis tutores administrent, qui eos orbos tutentur. sin adulti sunt, res quidem ipsas permittantur habere, alere tamen exsulem non cogantur. si quis vero liberis carens in hujusmodi calamitates inciderit, cognati ejus usque ad sobrinos consobrinosque, tam ex virorum quam ex mulierum parte, conveniant, et una cum legum custodibus sacerdotibusque consilio habito, in hanc exsulantis domum, unam de quadraginta et quinque millibus domibus civitatis heredem constituant. in quo sane id cogitare debent, nullam domum de quinque millibus et quadraginta, habitantis ipsius suique generis magis esse quam civitatis et privatim et publice. oportet utique, ut civitas quam sanctissimas et felicissimas pro viribus domos suas possideat. quando igitur aliqua domus infortunio et impietate aliqua inquinatur : quia qui possedit, sine liberis obiit, voluntariæ cædis aut cujusvis in Deos vel cives facinoris condemnatus, cujus mors vel sempiternum exsilium pœna est : primo domus ipsa secundum legem expietur, deinde cognati, ut diximus, [878] cum legum custodibus convenientes, genus in civitate aliquod virtute præstantissimum fortunatumque perquirant, in quo plures adolescentes sint, quorum unum patri deficientis illius suisque superioribus quasi filium adoptent, Deumque precati, hunc felicioribus patrisfamilias auspiciis prolis propagatorem, successorem domus, sacrorumque et reliquorum omnium cultorem fore : tandem heredem ipsum secundum legem constituant. eum vero, qui peccavit, sine nomine, sine liberis, sine sorte ulla jacere, quandoquidem hujusmodi calamitatibus premitur, patiantur. non est autem in omnibus rebus terminus termino conjunctus. nam ubi confinium aliquod commune est, ibi hoc inter rerum terminos utrisque conventum, medium fit. atqui inter ea peccata, quæ sponte, et ea, quæ non sponte committuntur, quod per iram fit, tale quiddam esse dicimus. vulneris igitur ira facti qui condemnabitur, si sanabile fuisse vulnus eventus ipse monstrabit, duplum damni restituet : sin vero insanabile, quadruplum. quod si sanabile quidem sit, turpitudinem autem vulnerato ingentem afferat, quadruplum solvet. at vero si quis non solum obfuit vulnerato, verum etiam patriæ nocuit, quod milite ipsam adversus hostes privaverit, similiter puniatur : ac præterea damnum civitati restituat, et ultra eam, quam ipse debet, militiam pro vulnerato etiam militet : et quicquid illi gerendum erat in bello, ipse agat. quod si non fecerit, reus sit secundum legem volenti cuique ipsum tanquam neglectorem militiæ accusare : et damnum duplum triplumve aut quadruplum, prout judicibus visum fuerit, restituat. si germanus germanum similiter vulneravit, contribules et cognati usque ad sobrinos consobrinosque ex viris simul et mulieribus convenientes, tam mares quam feminæ, judicent, genitoribusque ipsum tradant, ut ipsi secundum naturam puniant. quod si punitio ambigua fuerit, propinqui ex parte viri determinent. qui si ipsi non possint, tandem ad custodes legum causam deferant. si nati nepotesve tale quid genitoribus intulerunt, solum hi judicent, qui annum sexagesimum transegerunt, quibus veri, non adoptivi, liberi sint. et condemnatus, aut morte

aut majore aliquo vel non multo minore supplicio puniatur: nec de genere suo quisquam, etiamsi ætatem a lege præscriptam impleverit, judicet. [879] sin vero servus liberum ira concitus vulneraverit, a domino tradatur vulnerato, ut arbitratu suo injuriam ulciscatur: nisi velit damnum ipse recuperare. quodsi servi vulneratique malitia per compositionem factum fuisse quis ambigat, ad judices deferat: quod si non convicerit ita esse, triplum damni restituat: sin vero convicerit, servitutis reum habeat eum, qui dolose cum servo egit. qui vero non sponte aliquem vulneravit, simpliciter damnum persolvat. nullus quippe legumlator imperare fortunæ potest. judices autem sint, qui et natis nepotibusque ad parentes: a quibus, quantum damnum fuerit, declaretur. violentæ quidem passiones sunt omnes, quas diximus; violentum quoque omne verberandi genus. oportet igitur omnes homines, mulieres simul ac viros, adolescentes ac senes, ita de his semper existimare: seniorem non parvo intervallo junioribus præponendum esse et apud Deos et apud homines, qui victuri feliciter sint. cædi ergo senem a juniore et turpe est et odio a Diis habetur. decet autem juvenem verberatum a seniore, id ob senectutis reverentiam patienter ferre. sic itaque sanciamus: quilibet seniorem et re et verbo colat. ac si viginti annis major est, quasi patrem, si vir fuerit, aut matrem, si mulier, revereatur: atque adeo omnibus semper abstineat, qui in ea ætate sint, qua procreare parereque ipsum potuerint, natales Deos veritus. abstineat, inquam, non solum cive, sed seniore etiam. peregrinum vero audentem civem cædere, si, qui cæditur, puniendum censet, ad tribunos plebis perducat; nec ipse verberet: ut eo magis a cædendis civibus suis abstineat, quando etiam a peregrinis se continet. Peregrino similiter advenaque, sic ut neque invadendo neque se defendendo verberibus cædere ipsum audeat. hic vero magistratus, hospitalem Deum veritus, rem diligenter inquirat, et, si peregrinus injuria civem percusserit, verbera totidem sibi publico flagello reddantur, ne quid tale amplius impudenter audeat. sin vero innocens peregrinus videbitur, minis eo castigato, qui perduxit, ambos dimittant. æqualis autem si æqualem vel paulo majorem, nondum tamen patrem, [880] aut senex senem sive juvenis juvenem, verberibus cædant, secundum naturam nudis manibus se defendant. si quis ultra quadraginta natus annos, sive dum alium invadit sive dum se defendit, cædere quemquam audeat, servilis rusticusque habitus hoc opprobrio satis punitus videbitur. quicunque his monitis obtemperabit, modestus et mansuetus habebitur. qui vero proœmia hæc spernet, hac lege coërceatur: qui aliquem viginti annis vel pluribus natu majorem pulsavit, primum quidem qui forte interfuerit, si nec junior nec æqualis sit, prohibeat, et, si non prohibuerit, secundum leges improbus habeatur. sin autem verberato æqualis aut junior sit, quasi fratrem aut patrem aut quasi superiorem defendat. ac præterea judicio subjectus sit, qui seniorem, ut diximus, verberavit: et si damnabitur, non minore quam annuo tempore vinciatur, immo etiam majore, si modo judicibus id videbitur. si peregrinus vel incola viginti annis vel pluribus seniorem pulset, præsentes ea lege, qua diximus, opitulentur. et qui condemnatus fuerit, si peregrinus quidem est sed non incola urbis, biennium vinciatur: sin autem incola urbisque habitator legibus non obtemperat, triennium; nisi judices decreverint diutius detinendum. qui vero præsens fuerit nec opitulatus secundum legem sit, si de primo maximoque sit censu, mina damnetur: secundi vero census si fuerit, drachmis quinquaginta: tertii triginta: quarti viginti. horum judices sint ductores exercitus, præfecti ordinum, tribuni equitumque magistri. legum vero, ut videtur, aliæ ad bonorum hominum doctrinam ponuntur, ut per eas intelligant, quo pacto inter se amice versentur: aliæ ad compescendam illorum pertinaciam, qui indomiti natura sunt,

spretaque omni disciplina, nulla ratione moventur, quin ad omnem ruant improbitatem. hi sequentium verborum causa sunt: his legislator necessitate coactus leges imponit. ipse namque nullum vellet usum necessitatemque legum unquam fore. quicunque igitur parentibus aut avis inferre manus ausus fuerit, nec superiorum indignationem Deorum nec inferorum supplicia veritus: [881] sed, quasi sciat, quæ nescit, dicta a priscis omnibus despiciens, prævaricatur, is ultimo, ut avertatur expieturque, remedio indiget. mors autem ultimum non est; sed extrema magis sunt inferorum supplicia: quæ licet verissime narrentur, avertere tamen hujusmodi animos nequeunt: quoniam, si averterent, nulli qui parentes scelerate pulsarent, unquam reperirentur. quare oportet horum flagitiorum supplicia in hac vita non inferiora illis, quæ apud inferos sunt, sed æqualia pro viribus ponere. ita igitur sanciamus: si quis non furiosus patrem aut matrem eorumve superiores pulsare audebit, primum, ut in superioribus, opem præsentes ferant. et incola quidem vel peregrinus, si opitulabitur, in publicis certaminibus tanquam præses aliis præponatur: sin minus, a regione universa perpetuo exterminetur. sin autem incola non sit, auxiliatus quidem laudem, non auxiliatus vituperium consequatur. servus opitulatus liberetur: non opitulatus centies publico cædatur flagello. et si in foro id contigerit, ibidem a venalium rerum curatoribus puniatur, in aliis partibus urbis similiter ab ædilibus, qui præsentes fuerint: eodem modo extra urbem in agro ab his, qui curandis agris tunc præsident. quod si civium aliquis parentibus a filio verberatis præsens fuerit, sive vir seu mulier, sive adolescens seu senior, defendat protinus, scelus conclamans. qui auxiliari noluerit, Jovis patrii ac generis servatoris imprecatione per legem prematur. demum quicunque pulsasse parentes condemnabitur, primum perpetuo exsulet, deinde et a sacris omnibus arceatur: quibus si minus abstineat, a principibus agri verberibus et omnino, utcunque voluerint, plectatur: et si ab exsilio revertatur, morte peccata luat. quisquis vero liber cum hujusmodi homine comedet aut bibet, vel aliquo pacto una quicquam geret aut tanget aut sponte loquetur, is nec in templum ingrediatur nec in forum, nec omnino in civitatem proficiscatur, antequam mundetur. putare namque debet scelerato se commercio contaminatum. quod si non obtemperaverit, sed civitatem et templa inique coinquinet, quicunque magistratus fieri hoc senserit, nisi confestim punierit, maximarum injuriarum reus est habendus. [882] si servus liberum hominem, seu civem sive peregrinum, pulset, præsens quilibet auxilium afferat. sin minus, prædicta secundum censum mulcta puniatur. qui ergo præsentes erunt, pulsato succurrant, vinciantque pulsantem, et ei vinctum tradant, cui fecit injuriam: qui in compedibus teneat, verberibusque, ut velit, ita pulset, ut nullum domino inferat damnum, deinde ipsum domino habendum reddat secundum legem. quæ ista sit: si servus liberum hominem non imperantibus magistratibus verberaverit, dominus a pulsato vinctum ea conditione accipiat, ut non antea solvat, quam pulsato servus ipse, solutione se dignum esse, jam persuaserit. hæ vero eædem leges ad hæc omnia mulieribus invicem et ad viros virisque ad mulieres communes esse debent.

LIB. X.

[884] Post leges de cæde vulneribusque et verberibus communis lex illa de omni vi sanciatur, ut nemo ferat asportetque rem alienam, aut vicini re ulla utatur, nisi possidenti antea persuaserit. hinc enim mala omnia, quæ narravimus, depen-

derunt pendentque jam et in posterum dependebunt. reliquorum vero maxima sunt petulantum juvenum contumeliæ atque injuriæ quæ tunc maxima, [885] quando in sacra committuntur, præsertim cum in publica atque sancta, vel in tribuum aliquarum communionem, vel aliorum hujuscemodi. secundo vero loco habenda sunt, quando in sacra privata atque sepulcra. tertio, quæ in parentes, seorsum ab his, quæ narravimus. quartum contumeliæ injuriæque genus est, quando quis, contemptis magistratibus, rem illorum adducit vel ea utitur, antequam illis persuaserit. quintum, cum civis alicujus civilis dignitas læditur vel offenditur : quod genus omnino ultionem poscit. atque his singulis communiter providere lex debet. de sacrilegio quidem summatim dictum est, quid fieri oporteat, si vi aut clam peragatur. de his autem, quæ verbo vel opera in deorum contemptum aguntur, quomodo punienda sint, deinceps, proœmio quodam proposito, dicendum videtur. hujusmodi vero proœmium sit : qui Deos esse putat secundum leges, nec facit unquam sponte impium quicquam nec loquitur. faciunt autem aut dicunt impium aliquid in Deos, vel quia Deos esse negant, vel quia, etsi putant esse Deos, de rebus tamen humanis curare ipsum minime arbitrantur : vel tertio, quamvis et sint et de hominibus curam habeant, facile tamen placari eos votis et sacrificiis opinantur. Cli. Quid faciemus igitur? quid ad ipsos dicemus? Athen. Audiamus, o bone vir, prius, quid in nostrum contemptum joco quodam dicturos illos conjicio. Cli. Quidnam dicent? Athen. Ita ferme in nos nugabuntur, O Atheniensis hospes, vosque Lacedæmonie atque Gnosie, vere illud dicitis, quod nostrum alii nequaquam esse Deos, alii nihil nostra curare, alii muneribus facile placari existiment. quod igitur vos in omnibus legibus ferendis faciendum esse putavistis, hoc et nunc a vobis fieri volumus, ut scilicet ante legum minas sufficientibus signis, Deos esse, nobis persuadeatis, nec posse illos, præterquam fas est, muneribus ullis moveri. nunc enim hæc et similia quædam audientes prædicari quotidie ab iis, qui excellere putantur, poëtis, oratoribus, vatibus, sacerdotibus aliisque permultis, ab injuria quidem facienda non removemur : sed, cum fecerimus, placare Deos conamur. A vobis autem, qui atroces nullo modo sed mites legumlatores esse gloriamini, poscimus, ut persuasione prius adhibita, quod Dii sint, ita doceatis, ut, etiamsi non multo sublimiora quam alii, veriora tamen loquamini. forte namque vobis credemus. quare, si æquum quid postulamus, morem gerite. Cli. Atqui, o amice, facile est veritatem hanc ostendere, quod Dii sint. [886] Athen. Quo pacto? Cli. Primum quidem terra, sol, sidera ipsumque universum, temporum quoque ornatissima varietas, annis mensibusque distincta, id ostendunt : Græcorum præterea barbarorumque omnium consensus, Deos esse fatentium. Athen. Timeo, o beate vir, scelestos homines : timeo, inquam, non erubesco, nec vereor, ne forte vos contemnant. vos enim differentiæ istorum causam ignoratis, et incontinentia voluptatum cupiditatumque tantummodo putatis ad impiam animos eorum vitam corruere. Cli. Sed quænam præter ista alia istorum causa, hospes, est? Athen. Quod vos ipsius expertes penitus fugit. Cli. Quid hoc? Athen. Ignorantia quædam certe gravissima, quæ maxima videtur esse prudentia. Cli. Quo pacto inquis? Athen. Feruntur apud nos sermones, partim metro partim soluta oratione conscripti, qui apud vos propter disciplinæ civilis excellentiam, ut audio, non reperiuntur. quorum antiquissimi primam cœli aliorumque naturam Deorum factam fuisse affirmant : nec multum progressi Deorum generationem consuetudinemque inter se narrant. quæ quoniam prisca sunt, quantum ad alia quidem sive recte seu non recte se habeant, reprehendere non facile est : ad cultum tamen honoremque genitorum nec utilia ipsa nec vera esse fatebor. prisca igitur

dimittamus, deque illis, ut Diis placet, dicamus: juniorum verum sapientum verba, sicubi mala hominibus afferant, incusemus. profecto istorum verbis illud efficitur, ut cum ego et tu hæc ipsa signa esse, quod Dii sint, asserimus, solemque ac lunam, sidera et terram, quasi Deos et res divinas, in medium adducimus, tunc juvenes ab istis sapientibus aliter persuasi terram et lapides hæc esse dicant, nullamque humanarum rerum curam habere posse, sed verbis tamen ornatis verisimiliter sermonem de istis esse digestum. Cli. Grave id certe, hospes, etiamsi solummodo unus dixisset. nunc vero eo gravius et molestius est, quo plures sunt, qui dicunt. Athen. Quid ergo dicere quidve facere nos oportet? utrum, quasi apud impios homines accusati simus, quod falso Deos esse legibus affirmamus, ad defensionem accingemur? [887] an his dimissis ad legum tractationem iterum revertemur, ne proœmium legum nobis hoc excrescat in longum? cum oratio brevis futura non sit, si pronis ad impietatem hominibus, quæ requirunt, sufficienter ostendere voluerimus, atque etiam terrore illos a scelere amovere, demum vero, quemadmodum convenit, leges ferre. Cli. Sæpenumero in hoc brevi tempore, hospes, a nobis dictum est, brevitatem non esse prolixitati anteponendam. nihil enim nos, ut dicitur, urget. quare ridiculum simul et pravum esset, si breviora melioribus præferremus. multum enim conferet, si verisimili ratione sermo noster ostenderit, quod Dii sint et boni sint, justitiamque multo magis quam homines colant. quod fere optimum pulcherrimumque legum omnium erit exordium. quamobrem absque ulla molestia atque festinatione pro viribus nihil prætermittamus, quod ad hanc rem persuadendam pertineat. Athen. Iste sermo tuus adeo te paratum promptumque ostendit, ut ad preces votumque videatur provocare, nec moram amplius patiatur. verum quomodo sine ira esse aliquis Deos disserat? præsertim cum necesse sit graviter ferre odisseque eos, qui horum verborum nobis causam præbuerunt. hi certe a pueritia ad Deos affirmandos eo maxime inducere animum potuerunt, quod, dum lacte nutrirentur, a nutricibus matribusque multa de illis joco et serio dicta decantataque in orationibus audiebant, et in sacrificiis videbant consentanea quæque illis fieri, quæ suavissime pueri et vident et audiunt, dum parentes eorum summo studio pro se liberisque sacrificare orareque supplices Deos, quasi quam maxime Dii sint, viderent: nec non quotidie in ortu et occasu solis ac lunæ Græcos et barbaros omnes, tam in rebus adversis quam secundis, conspicerent suppliciter adorare: atque ex hoc non suspicionem, quod Dii non sint, afferre; sed testimonium, quod sint, absque controversia perhibere. [888] at vero qui hæc omnia, nulla ratione, ut mentis compos quilibet diceret, moti despiciunt, proptereaque nos ad hæc dicenda compellunt: quo pacto eos nunc mansuetis verbis corrigere et primum, quod Dii sint, docere possumus? audeamus tamen, nec enim decet, cum illi voluptate perdantur, nos quoque ira in eos corrumpi. quapropter omni concitatione animi exstincta, proœmium ad eos, qui ita mente corrupti sunt, aggrediamur, et quasi ad unum eorum ita orationem mansuete vertamus; O fili, juvenis adhuc es: nec dubito, quin progressio temporis faciat, ut de multis aliter quam nunc sentias. exspecta igitur, oro, ut tunc de rebus maximis judices. maximum autem est, quod tu modo nihil arbitraris, ut recte de Diis sentientes bene vivamus, verum si hoc in his permagnum tibi sacrificavero, minime mentiar. non tu solus nec amici tui primi hanc de Diis opinionem habetis: sed aliqui semper, tum plures tum pauciores, hoc morbo laborant. quod vero plurimis illorum contigit, tibi narrabo. profecto nullus eorum ab adolescentia usque ad senectam in hac opinione, quod Dii non sint, perseveravit. reliqui autem duo morbi quamvis non multis, nonnullis tamen permanserunt, quod Dii sint quidem,

sed de rebus humanis nihil curent: vel quod curent, sed facile precibus sacrificiisque placentur. tu igitur, si mihi credes, exspectabis, donec plane constet tibi pro viribus, quid de his judicandum sit. utque id assequaris, diligenter considerabis, sive sic sive aliter se res habeat: et a ceteris omnibus et a legumlatore maxime sciscitaberis. interea noli tam temerarius esse, ut impie de Diis sentias. is enim, qui tibi leges ponit, et nunc et postea, quomodo ista se habeant, docere conabitur. Cli. Optime hucusque, hospes, nobis est dictum. Athen. Prorsus est ita, o Megille atque Clinia. sed in mirabilem quendam sermonem nescientes incidimus. Cli. Quemnam? Athen. Qui a multis sapientissimus esse putatur. Cli. Dic clarius. Athen. Res omnes nonnulli aiunt, quæ fiunt, quæ futuræ quæque factæ sunt, vel natura vel fortuna vel arte fieri. Cli. Et probe quidem. Athen. Certe non absurdum est viros sapientes probe dixisse. quare sequamur ipsos: [889] inquiramusque, quidnam intellexerunt. Cli. Omnino. Athen. Maxima dicunt atque pulcherrima natura fortunaque fieri: arte vero minora: eamque dicunt, accepta a natura magnorum primorumque operum generatione, fingere fabricareque minora omnia, quæ artificiosa ab omnibus appellantur. Cli. Quomodo istud ais? Athen. Sic planius dicam. ignem, aquam, terram, aërem, omnia hæc non arte sed natura et fortuna esse dicunt. corpora etiam, quæ post hæc sunt, rerum terrenarum, solis, lunæ, stellarum omnium, ex istis anima prorsus carentibus facta fuisse aiunt: fortunaque virium lata, singula casu singulis convenisse: atque ita frigida calidis, sicca humidis, mollia duris, et omnino contraria contrariis, duce fortuna necessario contemperata fuisse. hoc pacto cœlum totum, et quæ in eo sunt omnia, animalia quoque et plantas et anni tempora fuisse producta: non per intellectum, neque per Deum aliquem, sed natura, ut diximus, atque fortuna. ex quibus artem postea mortalem a mortalibus factam, posteriores quasdam res genuisse, non penitus veritatis participes, sed simulacra quædam sibi ipsis cognata: qualia pictura, musica ceteræque artes his similes generant. si quæ vero artes serium aliquid faciunt, eas esse, quæ vim suam cum natura communicant: qualis est medicina, agricultura, gymnastica. civilem præterea peritiam aiunt parva quadam parte cum natura, magna vero cum arte concurrere: atque ita universam legum positionem non cum natura, sed cum arte, cujus positiones veræ non sint, convenire. Cli. Quonam pacto? Athen. Deos, o beate vir, non natura, sed arte et legibus quibusdam constare volunt, eosque aliis alios esse, prout singuli secum consentientes lege sanxerunt. pulchra vero vel honesta alia natura, alia lege consistere. sed justa natura minime esse: immo vero homines de his semper invicem disceptare, et nova quotidie constituere: et quæ nuper statuerunt, quatenus illis sic placet, eatenus esse justa, non natura quidem, sed arte et legibus stabilita. [890] hæc sunt, o amici, quæ sapientes viri, tum poëtæ tum scriptores alii, junioribus tradiderunt, dicentes justam esse eam possessionem, quæ vi et victoria comparatur. unde junioribus impietas innascitur, ut credant non esse Deos, quales credere leges jubent. hinc etiam seditiones oriuntur, per quas ad eam homines vitam, quasi secundum naturam rectam, trahuntur, qua ita vivant, ut ceteros vincant nec secundum leges aliis serviant. Cli. O qualem, hospes, rem narrasti, qualemque pestem juvenum, et publice civitatibus et privatim domibus suis illatam! Athen. Vera narras, o Clinia, sed cum ita se res habeat, quid legumlatori agendum censes? an solum minari omnibus hominibus debet? eos omnino pœnas daturos, nisi Deos esse credant, talesque opinentur, quales a legibus traduntur: deque honestis et justis et maximis quibusque rebus, ac de virtute et pravitate ita omnino arbitrentur et agant, ut legumlator perscripserit. si igitur non paruerint, alios mortis supplicio, alios

flagellis et vinculis, alios dedecore, alios exsilio egestateque puniendos. itane minabitur quidem tantum legumlator? ut autem in legumlatione persuasionem minis adjungat, qua mitiget, nihil curabit? Cli. Minime, hospes: sed si qua in hujuscemodi rebus vel modica persuasio inveniri potest, non debet legumlator, qui modo alicujus pretii sit, labore inde deterreri: sed quam maximo, ut dicitur, clamore potest, priscæ legi auxilium ferre, rationibusque ostendere quod Dii sint, et quæcunque ipse paulo ante dicebas; atque ipsi legi et arti ita suffragari, ut vel natura vel non minus quam natura constare affirmet, cum mentis ipsius proles sint, ut recta ratio monstrat: quam tu modo dicere mihi videris et ego credo. Athen. O paratissimi animi Clinia, nonne arduum est ea rationibus prosequi, quæ ita per omnes divulgata sunt, ipsaque prolixa sunt nec brevitatem patiuntur? Cli. Quid, hospes? cum tam multa de ebrietate et musica dicerentur, eam prolixitatem æquo animo tulimus: de Diis vero talibusque rebus plura dicentem non auscultabimus? enimvero legumlationi prudenter dispositæ magnum hinc patrocinium est futurum, [891] cum legum mandata literis tradita, quæ toto tempore futuro redargutioni subjecta esse solent, sic comprobata quiescant. quare terreri non debemus; si auditu ardua in principio sunt, quæ vel tardi ingenii homines sæpius repetendo animadvertere poterunt. hæc igitur, licet prolixa, si modo utilia sunt, non videntur abjicienda: nec æquum est hos sermones pro viribus non defendere. Meg. Optime mihi, hospes, Clinia loqui videtur. Athen. Et maxime quidem, o Megille: quare faciendum est, ut dicit. profecto nisi sermones isti inter omnes, ut ita dixerim, homines vulgati essent, nihil opus esset, Deos esse, rationibus demonstrare: nunc vero necesse est. cum igitur maximæ leges ab improbis hominibus corrumpantur, cujusnam magis quam legumlatoris officium est auxilium ferre? Cli. Nullius certe. Athen. Verum dic mihi, Clinia, (participem enim te rationis hujus esse oportet), nonne qui hæc dicit, ignem, terram, aquam et aërem prima omnium putare videtur? atque hæc eadem naturam vocare, et ex his posteriorem animam arbitrari? immo non videtur solum, sed ista nobis oratione sua vere significat. Cli. Ita prorsus. Athen. Num igitur, per Jovem, quasi fontem quendam invenimus stultæ illorum opinionis, qui unquam quæstiones rerum naturalium attigerunt? considera, obsecro, et rationem omnem scrutare. non enim parum interest, si ostenderimus eos, qui impiis rationibus innituntur ceterosque ad impietatem trahunt, non recte sed perverse disserere. mihi igitur de his ita videtur. Cli. Probe dicis: sed conaris ista ostendere. Athen. At videbor rationibus uti non consuetis. Cli. Ne vereatis, amice. intelligo enim, quod putabis longe te a proposito ferendarum legum abire, si disputationem hanc ingrediamur. verum si non aliter convincere possumus, recte se habere, quæ de Diis secundum legem modo dicuntur, dicendum est omnino. Athen. Dicam jam novam hanc pæne inauditamque rationem: quod generationis corruptionisque omnium prima causa est, non primum, sed posterius factum illi sermones affirmarunt, qui animos impios effecerunt: quod vero posterius, id prius. quare veram Deorum substantiam ignorarunt. [892] Cli. Nondum intelligo. Athen. Qualis anima sit et quam habeat vim, omnes ferme ignorasse videntur, tum quoad alia tum quoad ejus generationem, quod ante omnia corpora nata sit, et transmutationis decorisque corporum ipsa sit maxime omnium princeps. si hæc ita sint, nonne quæ animæ ipsius propria sunt, necessario priora his erunt, quæ ad corpus pertinent, cum ipsa corpore sit antiquior? Cli. Necesse est. Athen. Ergo opinio, cura, intellectus et ars et lex duris et mollibus, gravibus atque levibus priora sunt. quare ingentia et prima opera operationesque ipsæ artis in primis erunt: quæ vero natura sunt et natura ipsa, quam non recte sic appellant,

posterius sunt et artem intellectumque sequuntur. Cli. Cur non recte? Athen. Quia naturam generationem circa prima dicere volunt, primaque ponunt corpora. si autem non ignis nec aër, sed anima primo esse videbitur, anima ipsa corpore antiquior rectissime affirmabitur: et hæc ipsa ita natura constare, si animam corporibus antiquiorem esse constiterit: aliter vero nequaquam. Cli. Vera loqueris. Athen. Num deinceps ad hæc ita nos comparabimus? Cli. Ita prorsus. Athen. Rationem cavillatoriam fallacemque fugiamus, ne, si forte juvenilis ipsa nos senes fefellerit, ridiculos reddat, videamurque magna aggressi, ne parva quidem consecuti fuisse. si amnem profundum rapidumque tres ipsi transire vellemus, et ego junior vobis fluctusque magis expertus dicerem, periculum me primum, vobis in tuto relictis, facere oportere, utrum transiri fluvius a vobis senioribus possit, an non, et postea facto periculo aut hortari vos ad transitum, aut, si transiri non possit, me solum periculum subiisse, modeste loqui viderer. non aliter modo, cum ratio profundior adeunda sit, fermeque vestris viribus non accessibilis, ne vertiginem tenebrasque vobis faciat, [893] ad eas vos quæstiones deducens, quibus consueti non estis, atque hoc pacto dedecore tristitiaque afficiat, periculum in me primo ita faciundum censeo, ut et me ipsum interrogem et mihi ipsi respondeam, et hoc pacto vobis in tuto audientibus totam hanc de anima disputationem pertranseam, qua prior esse corpore ostendatur. Cli. Optime, hospes, loqui videris; facitoque, ut dicis. Athen. Age igitur, modo magis quam unquam Deum omni studio invocemus, cum Deos esse diligenter demonstrare conemur: rationemque ingrediamur rudentibus tutissime tensis. in hac autem disputatione interrogationibus hujusmodi sic securissime respondere videor. si quis roget, O amice, stantne omnia nihilque movetur: an contra stat nihil, cuncta moventur? vel aliqua moventur, aliqua permanent? huic utique respondebo manere alia, alia vero moveri. Nonne in aliquo loco stant et moventur? Quidni? Nonnulla in una sede id faciunt, nonnulla in pluribus. Eane dicis, quæ stantium in medio vires capiunt, in uno moveri: quemadmodum circuli stare dicuntur, licet circumferentia eorum vertatur? Ita prorsus. Intelligimus autem, quod in hac circulatione, cum hujusmodi motus maximum simul minimumque circulum circumducat, secundum proportionem se ipsum majoribus minoribusque dispertit: et ipse quoque, proportione servata, major est et minor. Propterea cunctorum factus est fons mirabilium. una enim cum magnis parvisque circulis velocitates tarditatesque convenientes ita transigit, ut incredibile quiddam peragere videatur. Vera narras. in multis vero moveri, dicere mihi videris, quæcunque ex alio in alium semper transeunt locum: et nonnunquam alicujus centri unius obtinent basim, nonnunquam plura, eo quod circumvolvantur: et cum singula sibi invicem passim occurrant, si stantibus resistentibusque obvia fiunt, scinduntur; sin vero contra latis unum facta; tam hæc quam ipsorum intermedia, conjunguntur atque condensantur. Fateor utique hæc ita se habere, ut tu ais, atqui conjuncta densataque augentur: disjuncta vero rarefactaque minuuntur, quando prior singulorum habitus permanet: quando vero non permanet, propter utraque corruptio sequitur. [894] fit igitur omnium generatio, quando passio quædam fit: cum videlicet principium capto incremento ad secundam perveniat translationem, et ab hac in proximam: cumque ad tres usque pervenerit, in sentientibus sensum habuerit. hac ergo transmutatione atque translatione quodlibet gignitur. vere autem est, quando permanet. quod si in alium habitum permutatum sit, jam penitus est corruptum. species motuum omnes, præter duas, o amici, jam diximus. Cli. Quas illas? Athen. Illos, o bone vir, motus nondum diximus, quorum pæne gratia tota hæc consideratio est. Cli. Dic pla-

nius. Athen. Animæ gratia disputationem hanc aggressi sumus. Cli. Maxime. Athen. Sit ergo alter motus, quo quid alia semper movere potest quidem, se ipsum vero non potest: alter, quo quid et se ipsum semper et alia potest movere, conjungendo, disjungendo, augendo et contra: generando præterea et corrumpendo. qui motus a ceteris omnibus est distinctus. Cli. Sint, ut vis. Athen. Nonne motum illum nonum ponemus, quo aliquid ab alio movetur et alia movet? decimum vero collocabimus illum, quo et se movet et alia: qui certe omnibus actionibus et passionibus se accommodat, rerumque omnium, quæcunque sint, revera motus et transmutatio nuncupatur? Cli. Ita prorsus. Athen. Quem potissimum ex decem motibus ceteris omnibus, tanquam robustissimum et efficacissimum, præponemus? Necesse est eum quo quid et se et alia movere potest, longissimo intervallo præcedere: ceteros autem omnes esse longe posteriores. Cli. Probe. Athen. Sed unum vel duo non recte locata aliter ponenda sunt? Cli. Quænam? Athen. Quod de motu decimo diximus, non recte est dictum. Cli. Quare? Athen. Quia qui decimo enumeratus est, tam generatione quam robore, secundum rationem primus est: secundus vero, quem nono absurde loco enumeravimus. Cli. Quomodo hæc dicis? Athen. Sic, quando aliud ab alio movetur, idque rursus semper ab alio, eritne in talibus aliquid, quod primo moveatur? at quomodo id, cum ab aliquo moveatur, eorum, quæ moventur, primum erit? certe impossibile id est. sed quando aliquid se ipsum movens aliud quoque movebit: illudque aliud, et sic deinceps plurima movebuntur: [895] an aliud totius motus principium erit, quam mutatio ejus, quod se ipsum movit? Cli. Egregie dictum id, et concedendum est. Athen. Præterea sic nos ipsos interrogemus, et ipsi nobis respondeamus: si quovis modo universa simul steterint, ut plurimi talium audent dicere, quem motum potissimum ex omnibus primum in ipsis fieri asseremus? Eum profecto, quo quid se ipsum movet. motus enim dependens ab alio, non prius incidet, quam alia quædam ipsis inciderit permutatio. Quapropter initium omnium motionum primumque motum, qui et in stantibus factus sit et in his quæ moventur, modo insit, illum fateri necesse est, quo quid se ipsum movet, et hanc esse antiquissimam omnium potentissimamque mutationem, secundam vero illam, qua quid ab alio mutatur et alia movet. Verissime dicis: postquam hucusque disputando devenimus, hoc quoque respondeamus. Cli. Quidnam? Athen. Si primum motum in terreno vel aquatico vel igneo corpore, sive simplici seu mixto, viderimus, quam inesse ipsi passionem dicemus? Cli. Nunquid rogas, si vivere ipsum dicendum sit, quod a se ipso movetur? Athen. Id ipsum. Cli. Vivere certe. Athen. Quid vero? cum animam esse in aliquo viderimus, num ob aliud vivere ipsum quam ob hoc, putabimus? Cli. Ob hoc ipsum. Athen. Attende per Jovem, obsecro, nunquid velis tria in re qualibet intelligere. Cli. Quo pacto? Athen. Unum substantiam ipsam, unum substantiæ rationem, unum quoque nomen ipsum: interrogationes etiam de omni re duas esse. Cli. Quomodo duas? Athen. Quod videlicet nonnunquam nomine nobis proposito rationem ipsam quæramus, nonnunquam rationem assecuti nomen jam investigemus. sed volumusne hoc iterum dicere? Cli. Quidnam? Athen. Bipartita distinctio et in aliis et in numero reperitur. et in numero sic diviso nomen quidem par est, ratio autem, numerus in duo æqualia divisibilis. Cli. Certe. Athen. Tale aliquid dico. Nonne idem in utroque significamus, sive nomen interrogati, rationem, sive rationem interrogati, nomen reddamus? quandoquidem unam eandemque rem nomine quidem parem, ratione vero numerum in duo æqualia divisibilem appellamus. Cli. Idem omnino. Athen. Rei vero illius, cui nomen est anima,

quænam ratio est? [896] num habemus aliam rationem præter eam, quam modo diximus; quod ipsa possit se ipsam movere? Cli. A se ipso moveri asseris rationem esse illius substantiæ, quam nomine omnes animam appellamus? Athen. Assero equidem. quod si ita est, an adhuc desideramus sufficientius demonstrari, idem esse animam et primam generationem ac motum rerum, quæ sunt, quæ fuerunt, quæque futuræ sunt, omniumque rursus istis contrariorum? quandoquidem transmutationis motusque omnis omnibus causa esse apparuit. Cli. Minime. nam sufficientissime monstratum est, animam omnibus antiquiorem esse, cum motus principium sit. Athen. Nonne igitur motus, qui ab alio in alio fit, quove nihil unquam se ipsum movet, secundus est, et quoto quis velit numerorum intervallo, superiori motui postponendus? siquidem corporis vere inanimati mutatio est. Cli. Probe. Athen. Recte igitur et proprie, vereque et absolute diximus prius corpore animam factam fuisse, corpus vero posterius atque secundo, animæ secundum naturam dominanti subjectum. Cli. Verissima hæc sunt. Athen. Recordamur nos in superioribus concessisse, si antiquior corpore anima declaretur, illa etiam, quæ animæ competunt, iis, quæ corporis propria sunt, priora esse simul declarari? Cli. Maxime. Athen. Affectus ergo, mores, voluntates, cogitationes, veræ opiniones, curæ, memoriæ, omnia hæc longitudine corporum, latitudine, profunditate, robore, prius facta sunt: sicut et anima corpore. Cli. Necesse est. Athen. Num etiam concedere cogimur, bonorum et malorum, honestorum et turpium, justorum et injustorum, ceterorumque contrariorum causam esse? si quidem causam omnium ipsam asserimus. Cli. Cur non? Athen. Animam cuncta gubernantem et in omnibus, quæ moventur, habitantem, nonne et cœlum gubernare necessario confitebimur? Cli. Omnino. Athen. Unam igitur an plures? Plures certe, ut ego pro vobis respondeam. Nec pauciores quam duas ponere debemus: unam beneficam, contrariam alteram. Cli. Recte admodum. Athen. Universa ergo, quæ in cœlo sunt, quæ in terra, quæ in mari, suis motibus anima ducit: quibus nomina sunt, velle, considerare, curare, consultare, [897] recte et non recte opinari, lætari, dolere, audere, metuere, odisse, deligere; et ceteris præterea motibus omnibus, qui horum affines primique sunt, qui et secundos corporum motus suscipientes, omnia in augmentum decrementumque perducunt, concretionem vel condensationem, et discretionem vel rarefactionem, et in ea, quæ ista sequuntur, caliditates, frigiditates, gravitates, levitates, durum, molle, album, nigrum, austerum, dulce, amarum: et denique omnibus, quibus anima usa, si intellectum quoque semper divinum acceperit, recte cuncta diis recta feliciaque perducit: sin vero amentia conjuncta fuerit, omnia his contraria facit. damusne ista sic se habere? an adhuc ambigui sumus? Cli. Nullo modo ambigimus. Athen. Utrum ergo animæ genus, cœlum, terram totumque orbem regere arbitramur, quod mente virtuteque refertum est? an quod caret utrisque? vultisne, ut ita respondeamus? Cli. Quo pacto? Athen. Ita dicamus, o mirifice vir, si universus cœli circuitus et omnium, quæ in eo sunt, progressio mentis motui et circulationi et rationi similem habet naturam, et simili quadam ratione peragitur; constat optimam animam totius mundi curam habere concedendum esse, unde tali ratione circumvolvatur. Cli. Recte. Athen. Sin vero furiose et sine ordine movetur, malam. Cli. Hæc quoque recte. Athen. Quam igitur mentis motus naturam habet? sed ad hanc quæstionem, o amici, prudenter respondere difficile est. quare par est, ut ego vobiscum respondeam. Cli. Probe loqueris. Athen. Cavere itaque debemus, ne quasi ex opposito ad solem conversi et in meridie noctem agentes perinde respondeamus, ac si mortalibus oculis mens sufficienter conspici cognoscique

possit. tutius enim videbimus, si ad imaginem ejus respiciamus. Cli. Quo pacto dicis? Athen. Videamus, cui potissimum decem illarum agitationum similis sit intellectus, ut tanquam imagine hac utamur. eam ego in memoriam vobis reducam, et pro omnibus respondebo. Cli. Optime. Athen. Meminisse oportet et illud a nobis in superioribus esse dictum, omnium, quæ sunt, alia stare, alia vero moveri. Cli. Sic dictum fuit. [898] Athen. Quin etiam eorum, quæ moventur, nonnulla uno in loco, nonnulla in pluribus agitari. Cli. Hoc quoque. Athen. Motus autem, qui semper in uno fit, necessario circa medium aliquod agitur, et circuli torno confecti similis est: ideoque mentis circuitum pro viribus imitatur. Cli. Quomodo id dicis? Athen. Per eadem certe, eodem modo, in eodem, circa eadem, ad eadem, una ratione et ordine uno ferri utraque assero. nempe si dicamus mentem motumque, qui in uno fit, sphæræ torno confectæ lationibus similes, nunquam rudes bonarum imaginum opifices erimus. Cli. Recte admodum. Athen. Contra ergo motus, qui nunquam similiter, nec per eadem, nec in eodem, neque circa eadem, neque ad eadem, neque in uno fertur nec ordine et ornatu rationeque aliqua, omni profecto amentiæ cognatus est. Cli. Procul dubio. Athen. Jam ergo aperte possumus clamare, cum ab anima cuncta circumducantur, necessarium esse, cœli circuitum a procurante exornanteque anima circumduci, sive optima illa quidem sive contraria. Cli. At, hospes, ex dictis jam apparuit nefas esse aliter dicere, quam ab anima omni virtute referta, sive una seu pluribus, hæc omnia circumagi. Athen. Optime tu, Clinia, citoque hæc intellexisti. sed illud adde. Cli. Quidnam? Athen. Si solem, lunam ceteraque sidera anima ducit cuncta, nonne singula quoque? Cli. Quidni? Athen. De uno igitur verba faciamus, quæ astris omnibus possunt accommodari. Cli. De quo? Athen. Solis quidem corpus omnes homines vident, animam nemo: nec etiam alterius animalium corporis, nec vivi nec mortui. idque genus cum nullo corporis sensu percipiatur, sola mente comprehenditur. quare et nos de ipso hoc sola intelligentia capiamus. Cli. Quidnam? Athen. Cum solem anima moveat, si trium modorum aliquo ab ea fieri hoc asserimus, fortasse non aberrabimus. Cli. Quos dicis modos? Athen. Quod vel intus in hoc rotundo corpore inest, et, quo libet, ipsum transfert; quemadmodum nos anima nostra, quo libet, ducit: [899] vel ipsa foris quidem est, et corpus aliquod ignis vel aeris nacta, ut quidam aiunt, per vim corpus corpore pellit: vel tertio, quamvis ipsa nuda corpore sit, quia tamen alias vires supra modum mirabiles habet, facile ducit. Cli. Certe uno istorum modorum ab anima agitari cuncta necesse est. Athen. Præstat autem, ut, sive curru quodam intrinsecus teneat corpus illud ejus anima, lumenque ita cunctis effundat, sive foris sit, seu quomodocunque quis excogitet, Deum esse ipsam omnes arbitremur. an aliter? Cli. Ita certe, nisi quis extrema dementia teneatur. Athen. De universis præterea stellis et luna, annis, mensibus cunctisque temporibus, quid aliud quam hoc ipsum dicemus? quoniam anima aut animæ omnibus virtutibus præditæ horum omnium causæ demonstratæ sunt, Deos esse eas affirmabimus, sive in corporibus sint et tanquam animalia quædam cœlum totum exornent, sive quomodocunque aliter agere id dicantur. Cli. Omnino. Athen. Ita ergo istis concessis, poteritne aliquis negare, plena Deorum omnia esse? Cli. Nullus adeo mente captus est, hospes. Athen. Ei ergo, qui Deos esse negat, positis terminis, o Clinia et Megille, sermonem jam relinquamus. Cli. Quos terminos imponemus? Athen. Ut vel doceat nos non recte opinari, cum animam generationem primam omnium dicimus; ceteraque a nobis consequenter dicta vera non esse: vel si nihil melius quam nos dicere potest, nobis credat, et ita

in posterum vivat, ut Deos esse non ambigat. verum consideremus nunc, utrum sufficienter, Deos esse, adversus negantes ostendimus, an non. Cli. Sufficienter dictum est, hospes. Athen. Disputatio igitur adversus istos finem habeat. sed ille jam, qui, quamvis Deos esse dicat, curam tamen humanarum rerum negat habere, sic a nobis est suadendus. O vir eximie, dicamus, natura quædam divinitati cognata ad rem tibi conjunctam affirmandam colendamque ducit, quando Deos esse asseris. Sed improborum injustorumque hominum publice privatimque successus, qui, licet revera felices non sint, vulgo tamen felices habentur, et carminibus frequenter ceterisque sermonibus extolluntur, temere ad impietatem te præcipitem agunt: aut etiam, cum scelestos homines videas ad senium usque ita devenire, ut filios atque nepotes in maximis relinquant honoribus, valde turbaris. [900] audisti fortassis aut etiam ipse vidisti nonnullos, quamvis injuste et impie multa gesserint, propter ipsa tamen scelera ex re parva in magnam et ex infimo gradu ad tyrannidem pervenisse. propterea cum Deos harum rerum auctores esse propter ipsam cum illis conjunctionem incusare et adversus eos peccare nolis, nonnulla ductus absurditate, ac Diis ipsis succensere non valens, huc tandem delapsus es, ut, licet Deos esse arbitreris, humanas tamen res ab illis negligi credas. ne igitur hæc opinio ad graviorem te trudat impietatis morbum, remedium pro viribus, opinionem hanc refutantes, adhibeamus. quocirca sequentem disputationem cum præcedente illa ratione jungemus, qua adversus eos etiam, qui Deos esse negabant, usi sumus. tu vero, Clinia et Megille, pro adolescente, ut fecistis hactenus, respondete. atque ego, si arduum quid inciderit, vos suscipiens, ut nunc feci, trans fluvium ducam. Cli. Recte dicis: et ita facito. nos quoque pro viribus faciemus. Athen. Non erit forsan difficile demonstrare Deos non minus minimarum rerum quam maximarum curam habere: præsertim cum paulo ante dictum fuerit eos omni virtute refertos providentiam omnium sibi propriam vendicare. Cli. Et maxime quidem. Athen. Quod sequitur, communiter investigemus, quæ sit virtus eorum, qua boni esse conceduntur. age, nonne temperatum esse mentemque habere virtuti dantur, et contraria vitio? Cli. Certe. Athen. Quid porro? nonne fortitudo virtuti etiam datur, timiditas vitio? Cli. Valde. Athen. Et horum alia turpia, alia honesta dicuntur? Cli. Necesse est. Athen. Et quæ in his vitia sunt, nobis quidem inesse posse: Deos vero eorum participes nullo modo dicemus? Cli. Hæc etiam quivis concederet. Athen. Nunquid negligentiam, delicias, otium, animi virtutem putabimus? an aliter? Cli. At quomodo? Athen. Num contra? [901] Cli. Ita sane. Athen. Horum ergo contraria in contrarium. Cli. Sic utique. Athen. Qui deliciis, negligentiæ otioque deditus est, quem Hesiodus ignavis maxime fucis similem dicit, nonne odio nobis habetur? Cli. Rectissime profecto poëta ille cecinit. Athen. Non ergo dicendus Deus eos mores habere, quos odit: nec permittendus est ullus ita dicere. Cli. Nullo modo. Athen. An ille, ad quem operis alicujus effectio et cura maxime pertinet, magna in eo opere curabit, parva contemnet? quomodo, si hanc opinionem laudaverimus, non errabimus? sed ita istud consideremus: nonne, sive homo sive Deus, duabus de causis negligit? Cli. Quibus? Athen. Vel quia nihil interesse totius putat, si parva negliguntur: vel quia, licet interesse opinetur, pigritia tamen mollitieque detentus negligit. aliter enim negligentia non contingit. nam quando quis non potest omnium curam gerere magnorum parvorumque, atque ideo imbecillitate impeditus non curat, negligentia tunc in eo esse non dicitur: sive homo quidam si impotens, sive Deus aliquis non posse fingatur. Cli. Non certe. Athen. Sed nunc illi duo tribus nobis respondeant, qui, licet Deos esse concedant, alter

tamen facile placabiles, alter in rebus parvis negligentes putat; pinumque sic interrogentur: ambo Deos asseritis scire, videre audireque omnia, nihilque ipsos effugere posse eorum, quæ aut sensu aut intellectu percipiuntur? hæcne ita se habere dicitis? an aliter? sic. deinde omnia eos posse, quæcunque mortales immortalesve possunt? Cli. Absque dubio ita esse concedent. Athen. Bonos etiam, immo optimos esse, quinque confessi sumus. Cli. Omnino. Athen. Nulla ergo pigritia, nulla mollitie capi eos possibile: quandoquidem tales sunt, quales esse consensimus. nam a timiditate in nobis otium nascitur: pigritia vero ab otio atque mollitie. Cli. Vera loqueris. Athen. Nullus ergo Deorum otio pigritiaque corruptus quicquam negligit, nullius enim timiditatis Deus est particeps. Cli. Probe. [902] Athen. Ergo relinquitur, si parvas paucasque in universo res negligunt, ut ita negligant, aut quia contemnenda illa esse sciunt: aut quidnam aliud reliquum est quam hujus contrarium? Cli. Nihil penitus. Athen. Utrum ergo, o vir eximie, te dicere affirmabimus? an quod propter ignorantiam, cum providere debeant, non provideant? an, sicut improbos homines dicimus meliora quidem videre, sed voluptate aut dolore fractos deteriora sequi, sic Deos, quamvis sciant providendum esse, similiter non providere? Cli. Quomodo id fieri potest? Athen. Præterea res humanæ viventis naturæ participes sunt: et homo ipse præ ceteris animalibus Dei cultor diligentissimus est. Cli. Apparet. Athen. Quin etiam mortalia cuncta viventia a Diis fieri possiderique, quemadmodum et cœlum universum, dicimus. Cli. Procul dubio. Athen. Jam ergo, seu parva hæc sive magna quis dixerit Diis esse, nullo modo, cum providentissimi atque optimi sint, negligenda sibi sua possessio est. sed istud præterea consideremus. Cli. Quidnam? Athen. Num sensus et res contrario inter se modo ad facilitatemque difficultatemque se naturaliter habeant. Cli. Quid ais? Athen. Parva quippe difficilius quam magna videntur et audiuntur. facilius autem tenentur ferunturque et providentia gubernantur parva omnia et pauca, quam eorum contraria. Cli. Certe multo facilius. Athen. Quid vero? cum medicus totum corpus curare velit ac possit, si magnis providerit, parva contempserit, an bene huic unquam se totum habebit? Cli. Nunquam. Athen. Sed nec gubernatores nec imperatores nec patresfamilias neque civitatum moderatores, neque ulli omnino tales, paucis pārvisque neglectis, recte multa et ingentia gubernabunt. nam lapides quoque magnos sine parvis bene strui negant architecti. Cli. Certe. Athen. Caveamus autem, ne Deum mortalibus opificibus viliorem putemus. isti sane, quanto peritiores sunt, tanto arte una in propriis ipsorum operibus et parva simul et magna exquisitius absolutiusque perficiunt: Deus vero, qui sapientissimus est et curare potest ac vult, [903] magnis quidem providebit solum, parva autem, quæ facilius gubernari possunt, propter pigritiam et ignaviam negliget? Cli. Nullo modo hanc, hospes, de Diis opinionem admittendam putamus. nefaria enim hæc et falsa penitus cogitatio. Athen. Satis jam adversus eum, qui negligentiæ crimine Deos incusat, disputasse videmur. Cli. Certe. Athen. Verum hactenus quodammodo ratione coegimus: ut falsa se opinari confiteretur. indigere quoque persuasione, qua veluti cantu quodam capiatur, existimo. Cli. Quænam hæc persuasio est? Athen. Huic adolescenti persuadeamus eum, qui toti providet, ad virtutem salutemque totius omnia ordinare, cujus pars quæque pro viribus, quod sibi convenit, agit et patitur: atque his singulis præpositi principes sunt, qui minimarum etiam actionum passionumque, per singulas et extremas universi particulas distributione ad ultimum usque peracta, curam habent. quarum una tua, o miser, particula est, quæ et ad totum semper respicit, quamvis minima sit. tu vero

ignoras omnem singulorum generationem illius gratia fieri, ut universi ipsius beata vita sit. ejus substantia non tui gratia est, sed illius tu gratia factus es. medicus enim omnis et artificiosus opifex omnis totius gratia singula facit, et ad communem perfectionem dirigit omnia: non totum ad partem, sed partes ad totum singulas referens. tu autem moleste fers, quia ignoras, quo pacto, quod tibi optimum est, universo simul et tibi pro communis generationis viribus convenit. quoniam vero anima cum corpore semper, modo cum alio, deinde cum alio conjuncta, variis mutationibus aut propter se ipsam aut propter aliam animam, commutatur, nihil aliud harum rerum ordinatori, tanquam talos jacienti, restat, quam ut quasi transponendo permutet, meliores quidem mores in meliorem locum, in deteriorem vero deteriores, prout singulis convenit, ut sortem sibi congruam singula consequantur. Cli. Quomodo id ais? Athen. Ea ratione mihi dicere videor, qua facillime Dii cunctis provideant. nam si quis ad totum semper respiciens fingit quæque, et ad ipsum omnia transfigurat, ut ex igne aquam animatam, nec multa simul ex uno vel ex multis unum, primæ aut secundæ aut [904] tertiæ generationis participantia, multitudine infinita transpositi hujus ornatus erunt. nunc autem mira facilitas in ejus opere est, qui toti providet. Cli. Quo pacto id rursus ais? Athen. Ita. quoniam rex actiones hominum omnes animatas esse perspexit, multamque ipsas in se virtutem, multam etiam pravitatem habere; quodve factum est, animam et corpus, perditionem non pati, neque tamen æternum esse, qua lege Dii sunt: nam si alterutrum horum perderetur, omnis cessaret animalium generatio: præterea quod ipsius animæ bonum est juvare, quod malum, contra nocere: hæc, inquam, omnia quoniam perspexit, iccirco excogitavit, ubi pars quæque locata, maxime, optime facillimeque virtuti victoriam, vitio vero, ne vincat, impedimentum in universo præbere possit. adinvenit igitur ad universum hoc, quale factum quodlibet, qualem sedem habitationemque, et qualia loca sortiri debeat. causas vero talis cujusdam aut talis gignendi voluntatibus nostris dimisit. ubicunque enim quis cupiat, qualisque animus sit, ibi ferme semper habitat et talis fit ut plurimum. Cli. Congrue. Athen. Quæcunque igitur animam habent, transmutantur: quippe cum transmutationis in se ipsis causam habeant. transmutata secundum ordinem legemque fatorum feruntur. et quæ minus peccarunt, minus profundæ, ac in regionis superficie vagantur: quæ magis atque atrocius, decidunt in profundum et in regionem inferiorem delabuntur, quam Inferorum vocabulo similibusque nominibus appellantes, tam viventes quam a corporibus soluti, somniant atque formidant. anima vero, quæ majoris virtutis vel vitii compos est, quando propria voluntate et assidua consuetudine vehementius permutata, divinæ virtuti adhæsit, talisque præcipue facta est, in locum similiter longe meliorem sanctumque transfertur: quæ vero contrario modo affecta est, in contrarium translata vitam peragit suam. hoc Deorum, qui cœlum habitant, o puer et adolescens, qui a Diis negligi putas, judicium est, ut qui pejor sit, ad pejores, qui melior, ad meliores animas, tam in vita quam in omni morte proficiscatur, patiaturque et agat, quæ a similibus ad similes fieri oportet. [905] quare nec tu nec alius ullus optet confidatque se adeo felicem fore, ut judicium hoc Deorum effugiat atque exsuperet. nam qui hoc sanxerunt, firmius quam cetera omnia stabilierunt, ut cavendum omnino sit. nunquam enim ab illo negligeris, nec si ita parvus sis, ut in terræ profundum ingrediaris, nec si adeo sublimis fias, ut pennis elevatus in cœlum voles: sed convenientia supplicia dabis, sive hic manens, sive ad inferos profectus, sive ad remotiorem aliquem inaccessibilemque locum translatus. eadem quoque de illis ratio sit, quos per nefaria scelera ex parvis in magnos viros evasisse intuitus, putasti ad felicitatem ex

miseria pervenisse. quorum in operationibus, velut in speculo, Deorum ad omnia negligentiam inspexisse existimasti: qui videlicet ignorabas, ad quid eorum progressus universo conducant. non oportet autem hoc, o vir præstantissime, ignorare, quod qui nescit, nec vivendi formam unquam conspiciet, nec verba de vitæ beatitudine vel miseria facere poterit. quare si Clinias hic et universus hic seniorum cœtus tibi persuasit te, quid de Diis dicas, penitus ignorare, satis tibi Deus faverit: sin vero rationem adhuc aliquam desideras, audi, quæ ad tertium illum dicemus, si quo pacto mentis es particeps. profecto Deos esse hominibusque providere satis arbitror demonstratum. sed iniquorum hominum eos muneribus corrumpi, nullo modo dici permittendum est: et, si dicatur, omnino pro viribus refutandum. Cli. Præclare dictum: et sic agamus. Athen. Age igitur per Deos ipsos, quonam modo placabiles fiunt, si quo pacto fiant: et qui et quales sunt, si placantur? principes enim esse eos necesse est, qui totum cœlum perpetuo gubernaturi sunt. Cli. Certe. Athen. Sed quibusnam principibus similes sunt? quive illis principes similes, ut possibile nobis sit minores majoribus comparare? utrum aurigæ aliqui certantium bigarum tales sunt, aut navium gubernatores? fortasse autem exercituum ducibus conferri possunt, vel medicis, qui bella morborum ab humanis corporibus arcent atque propulsant: [906] aut agricolis, inimicas orientibus stirpibus tempestates timentibus caventibusque: aut etiam gregum armentorumque pastoribus. nam cum inter nos convenerit, multorum bonorum multorumque malorum, et quidem plurium, plenum esse cœlum, immortale aliquod bellum hoc est et mirabili custodia indiget: sed opitulantur nobis Dii simul et dæmones. nos autem Deorum dæmonumque possessio sumus. verum injustitia et intemperantia una cum imprudentia nos corrumpunt: justitia vero et temperantia cum prudentia, quæ in viribus Deorum animatis inhabitant, salutem nobis afferunt. breve autem aliquid horum habitare in nobis, manifeste hinc licet conspicere. nam animæ in terra quædam habitantes, injustæ et ferarum instar atroces, adversus custodum animas, canum puta aut pastorum vel etiam præcipuorum omnino dominorum insurgunt, verborumque lenociniis deprecationeque quorundam cantuum persuadent, ut fama malorum est, licere male agendo inter homines sibi plurima usurpare, nec aliquam inde pœnam persolvere. hoc nos delictum, quo ad usurpationem plurium inhiatur, in corporibus animalium morbum vocamus, in anni temporibus pestilentiam, in civitatibus rebusque publicis commutato nomine injustitiam. Cli. Omnino. Athen. Necesse est igitur eum, qui credit, Deos veniam hominibus injustis præbere, si quis ipsis rapinæ partem tribuerit, dicere eos esse veluti canes, quibus lupi particulam rapinæ concedant, et illi, muneribus his placati, greges diripi patiantur. nonne hic eorum sermo est, qui placabiles esse Deos prædicant? Cli. Hic certe. Athen. Sed quibus prædictorum custodum Deos aliquis conferens, non erit omnium hominum ridiculosissimus? utrum gubernatoribus, qui libatione vini atque nidore carnium devoluti, navem simul nautasque evertunt? Cli. Minime. Athen. Sed neque aurigis, qui dum certant, corrupti muneribus adversariorum curribus victoriam ipsam concedant. Cli. Non certe. turpis enim hæc in Deos comparatio. Athen. Atqui nec imperatoribus nec medicis nec agricolis nec pastoribus similiter persuasis, nec etiam canibus astutia luporum blande seductis. [907] Cli. Bona verba, quæso. hæc enim audienda non sunt. Athen. Nonne custodum omnium maximi et in maximis rebus Dii omnes? Cli. Ita prorsus. Athen. An optimarum rerum custodes et in virtute custodiæ nimium excellentes deteriores esse dicemus, quam canes hominesque mediocres, qui nunquam muneribus ab injustis hominibus impie acceptis justitiam proderent?

Cli. Nequaquam hic sermo ferendus est : et qui hac opinione laborat, impiorum omnium jure pessimus et profanissimus judicabitur. Athen. Tria igitur illa, quæ proposuimus, Deos videlicet esse, omniumque curam habere, nec præter justum precibus ullis flecti posse, sufficienter ostendisse videmur. Cli. Certe : et his nos rationibus assentimus. Athen. Vehementius quodammodo propter improborum hominum controversias diximus. sed hac de causa, o amice Clinia, contentiosa usi sumus oratione, ne pravi, dicendo se vicisse putantes, licentiam sibi datam credant faciendi, quæcunque velint, et qualiacunque adversus Deos existiment facienda. hac, inquam, de causa nova quadam et vehementiori dicendi ratione uti voluimus. quod si quid ad persuasionem attulimus, ut jam velint mores suos odisse et contrarios complecti, probe nobis exordium legum de impietate dictum est. Cli. Speramus ita fore. sin minus, at genus orationis legumlatori dedecori non erit. Athen. Post exordium sermo, legum interpres, recte sequitur : qui impiis omnibus prædicet, ut a suis moribus ad pietatem sese convertant. adversus eos autem, qui non paruerint, lex ista de impietate ponatur. si quis impie quicquam agit vel loquitur, qui forte præsens fuerit, Deos defendat magistratibusque significet. quorum qui primi audierint, ad harum rerum judicium secundum leges deferant. quod si quis magistratus audierit neque detulerit, ipse impietatis reus fiat, et, qui velit, pro ultione legum prosequatur. et si quis condemnatus fuerit, judices hunc pro singulis impie commissis singulis quibusque afficiant suppliciis. [908] carceribus quidem omnes coerceantur. tres vero sunt in civitate carceres : unus, plurimis communis, in foro rerum venalium, ubi multi, ne fugiant, custodiuntur, alter, ubi cœtus eorum fit, qui nocte congregantur, correctionis nomine appellatus : tertius, in media regione, ubi quam maxime desertus silvestrisque locus est, supplicii nomine notatus. tres quoque impietatis, ut supra narravimus, causæ sunt. cumque ex singulis hujusmodi causis duo quædam proficiscantur, sex erunt adversus Deos genera peccatorum, quæ, ut dijudicentur, digna sunt, nec æquali similique pœna indigent. nam alii, quamvis Deos esse non credant, tamen propter justum aliquem naturæ affectum malos oderunt et odio quodam adversus injustitiam moti ab injuriis abstinent, iniquos fugiunt, justos homines diligunt. alii vero ad hanc opinionem, quod Deorum præsentia destituta omnia sint, proniores quoque ad voluptates doloresque sunt : acumine etiam et memoria pollent. utrisque id est commune, ut esse Deos negent : in hoc autem differunt, quod ceteris hominibus ille minus, hic plus nocet. ille quidem libere adversus Deos, sacrificia, jusjurandum obloquitur : atque ita alios deridendo, nisi puniatur, multos forsan sibi similes faciet. hic vero eandem habet opinionem, sed acriori ingenio præditus vulgo putatur, doloque et insidiis plenus est. ex istis multi sortilegi fiunt, et ad omne veneficii maleficiique genus prompti. fiunt præterea ex istis nonnunquam tyranni, exercituum duces, concionatores, et qui solemnitatibus privatis insidiantur, et qui homines captiunculis sophistarum decipiunt. horum profecto multæ quidem sunt species : sed legum positione dignæ duæ. quarum quæ dissimulatione referta est, scelera parit, non una tantum morte vel duabus digna, sed pluribus : altera castigatione simul et vinculis indiget. similiter opinio, qua Dii negligentes existimantur, duo gignit : et, qua facile votis muneribusque placabiles, alia duo. cum ita impii distincti sint, eos quidem, qui non malis moribus, sed amentia quadam tales facti sunt, in correctionis carcerem, [909] non minus quam quinquennium permansuros, judex conjiciet. quo in tempore nullus cum ipsis civium colloquatur præter eos, qui nocturni cœtus participes sunt. hi vero admonentes ad salutem animæ colloquantur. cum autem vinculorum tempus exactum fuerit, qui modestior factus est, una cum modestis habitet : quod si rursus

impietatis crimine condemnabitur, morte plectatur. sed sunt nonnulli, qui ad eam opinionem, quod Dii sint, vel negligentes vel placabiles sint, immanes quoque fiunt hominesque despiciunt, et viventes ad se multos alliciunt attrahuntque: nec non defunctos se trahere consolarique dicunt, profitenturque se Deos ipsos cantibus, sacrificiis votisque mulcere. et hoc lenocinio conantur, domos et civitates universas pecuniarum gratia perdere. eorum qui damnatus fuerit, in mediterraneis carceribus vinciatur, nec ullus liber unquam ad eum accedat: sed statutum ipsi a legum custodibus cibum servi afferant; vita denique functum extra regionis fines insepultum ejiciant. quem si quis liber sepelierit, a volente impietatis crimine accusetur. quod si filios reliquerit civitati sufficientes, orphanorum tutores horum non minus quam reliquorum ab eo die, quo damnatus fuerit pater, curam habeant. sed communis de omnibus his lex ista ponatur, quæ faciet ut multi minus verbo et re in Deos peccent, et ut ab amentia revocentur: ex eo quod non licebit Deos sibi Deorumque sacra præter leges effingere. sit autem lex hujusmodi simpliciter cunctis imposita: Sacella nemo in privata domo habeat. cum vero animum quis ad sacrificandum induxerit, ad publica sacrificaturus accedat, et sacerdotibus hostias præbeat, qui curam harum rerum castissime gerunt. quibuscum et ipse oret, et quicunque cum eo simul orare velit. hæc ideo ita fiant, quia sacella et Deos instituere non facile est. quippe magni ingenii est, recte rem istam facere. solent autem mulieres præcipue, ac imbecilliores, et in periculo constituti, et indigentes, ubicunque quispiam indigeat, et contra quando facultas rei alicujus affluit, quod adesse videtur semper consecrare, [910] hostiasque vovere, et statuas Diis atque dæmonibus et Deorum filiis polliceri. phantasmatibus commoti vigilantes, et in somniis similiter multa se vidisse præ formidine recordati, ubi remedia singulis afferre conantur, aris sacellisque omnes domos vicosque replerunt. quorum omnium gratia lex ista ponenda est, ac præterea impiorum causa, ne, ista sibi operationibus usurpantes, sacella et aras suis in domibus statuant, putentque Deos clam votis sacrificiisque placare: atque ita in infinitum suam injustitiam augeant, unde tam ad se quam ad eos, qui sibi ista permittunt, quamvis illi meliores sint, indignationem Deorum provocent: quo pacto tota civitas jure quodammodo impietatis crimine teneatur. legum quidem latori Deus minime irascetur. lex enim sit, sacella Deorum neminem in privatis domibus possidere. si vero quispiam habuisse, sacrificasseque alibi quam in publicis deprehendatur: qui sensit, ad legum custodes deferat. ipsi autem, si nihil magni sceleris a femina sive a viro factum sit, ad publica templa jubeant privata sacra deferri: et si non illico delata fuerint, mulctent, donec deferantur. si quis autem non puerilem sed nefariam impietatem commiserit, sive in suis privatim sive in publico Deorum cultu sacrificando deliquerit, morte, ut impure sacrificans, condemnetur. puerile vero esse vel non, custodes legum judicent, tractosque ita impios in judicium impietatis reos esse declarent.

LIB. XI.

[913] Sequitur, ut dicamus de pactis, convenientemque iis ordinem tribuamus. simplex autem illud sit: ut nec mea quisquam pro viribus tangat, nec moveat meorum quicquam etiam minimum, nisi mihi persuaserit. atque ego idem, dum

mentis compos fuero, alienis in rebus efficiam. inprimis quidem thesaurum eum dicimus, quem sibi quisque et suis deposuit, qui meorum parentum non erat, nec reperire unquam optarim, nec, si repererim, moveam : nec hariolis, depositum accipere consulentibus, credam. nunquam enim mihi tantum pecunia proderit, si accepero, quantum virtute animi justitiaque excellam, si non accepero. pro possessione igitur pecuniæ melior mihi possessio animi justitia erit, si virtutem divitiis proposuero. quippe cum bene de multis dicatur, quæ immobilia sunt, movenda non esse : perpulchre etiam de hoc uno dicetur. sed vulgatæ quoque de his rebus famæ credendum est, generationi hæc liberorum non conferre. Si quis vero de liberis non curet, legisque latorem negligat, ac ideo, quæ nec ipse nec suorum aliquis deposuit, eo invito, qui deposuit, auferat : is legem illam optimam et simplicissimam aspernatur, quam generosus vir promulgavit, qui dixit, Quæ non deposuisti, ne tollas. quid ergo hunc pati oportet, qui hos duos legislatores despexit, quodque ipse non deposuit, substulit : nec parvum quiddam, quod abstulit, sed magnus thesaurus fuerit? quæ pœna huic a Diis debeatur, Deus quidem ipse novit : quæ vero ab hominibus, declarabimus. qui prius inspexit, judicibus indicet. ac si in urbe delictum est, ædilibus : sin vero in agro, agrorum curatoribus eorumque principibus : [914] si in foro rerum venalium, earundem curatoribus id significet. reque ita patefacta Delphos civitas mittat ; et quod oraculo Dei tam de pecunia quam de illo, qui pecuniam movit, dictum fuerit, id civitas Deum secuta confirmet. et qui fecit indicium, si liber fuerit, in virtutis veniat opinionem : et contra vitii, si scieus celaverit. sin autem servus fuerit, pretio a civitate domino ejus collato, liberandus est. servus vero, qui celavit, morte plectendus. Hanc legem illa deinceps similis de parvis simul et magnis sequitur. si quis rem suam alicubi volens vel contra reliquerit : non tangat, qui forte reperorit, sed putet Deam itineris a lege sibi hæc consecrata servare. quicunque vero hac lege spreta domum hæc suam asportaverit, si servus sit et parvi pretii, a quocunque obviam facto et ultra annos triginta nato verberibus multis pulsetur ; sin autem liber, illiberalis primo prævaricatorque habeatur ; deinde etiam decuplum pretii rei illius, quam movit, ei, qui reliquit, retribuat. quando quis magnum aliquid de suis vel parvum ab aliquo teneri conqueritur, quod ille habere quidem fatetur, sed ejus, qui petit, esse negat : si res apud magistratus conscripta est secundum legem, vocetur ad magistratus, qui tenet. reque ipsa patefacta, si conscriptum est, alterius de adversariis rem esse, ille ipse habeat. quod si neutrius esse, sed absentis cujusquam inveniatur, qui sufficientem fidejussionem non dederit, illi se absenti, cujus est, rem traditurum, is tantundem deponere cogatur. verum si apud magistratus res, qua de agitur, conscripta non sit, tunc apud tres inter magistratus seniores usque ad latam sententiam deponatur. ac si animal est, de quo ambigitur, lata sententia qui cecidit causa, magistratibus ipsis impendium alimentorum restituat. tribus vero diebus id judicium absolvatur. mentis quilibet compos servum suum ducat, quo velit, honeste ipso usurus. ducat etiam amicorum necessariorumve nomine, ut fugitivum restituat in gratiam. quod si quis aliquem ut servum ductum ad libertatem vendicet, dimittat quidem, qui substulit ; qui vero ita ductus est, si tres fidejussores dignos præbuerit, sic jure sit ereptus. aliter si abduxerit, vim intulisse videatur : [915] damnatusque duplum damni ei restituat, a quo abstulit. libertum quoque suum unusquisque ducere possit, si ab eo non colitur aut si non sufficienter colitur. cultus autem est, primum ut ter domini domum mensibus singulis veniat, paratumque se ostendat facere, quicquid honestum possibileque sibi sit : deinde de matrimonio, quicquid domino videtur, faciat. nec ei liceat majores sibi divitias

comparare quam ille possideat, qui liberavit; sed quicquid plus habuerit, domino detur. libertus autem, sicut et peregrini, ultra viginti annos in civitate non maneat; sed post id temporis, bonis suis acceptis, abeat; nisi domino quondam suo et magistratibus persuaserit. si autem liberti et peregrini alicujus bona tertium censum excesserint, trigesimo die, posteaquam hoc factum deprehensumve sit, rebus suis acceptis recedat: nec ulla sibi ulterius manendi facultas a magistratibus concedatur. huic legi si quis non obtemperasse condemnatus fuerit, morte plectatur et bona sua in publicum redigantur. hæc tribuum judices cognoscant: nisi prius per vicinos et arbitros litigantes conciliati fuerint. si quis animal aut rem aliam suam esse dicit: qui habet, ad eum referat, qui vendidit vel legitime sufficienterque donavit vel quomodocunque aliter valide firmiterque tradidit: et veritas, si ad civem vel urbis incolam ille retulit, intra triginta dies inveniatur: sin autem ad externos, mensibus quinque: quorum medius ille sit mensis, in quo ab æstivo sol circulo ad hiemalem recurrit. quæcunque emendo vendendoque commutantur, in statuto fori loco permutentur, dando accipiendoque ultro citroque rem et rei pretium illico, nec alicubi alibi. nulla vero emptio venditioque ad terminum fiat. quod si aliter aut in aliis locis permutatio facta fuerit, nullum sit secundum legem de ipsa judicium. sed nec de collatione, cum nonnulli ad aliquid inter se agendum pecuniam vel quodvis aliud conferant, judicium reddatur. venditor, qui pretium rei venditæ non minus quam quinquaginta drachmas, accepit, decem in civitate necessario dies exspectet; nec diversorium ejus emptor ignoret. [916] id vero querelarum redditionumque legitimarum gratia, quæ in his contingere solent, ita fieri volumus. redditio autem legitima a non legitima ita discernitur. quando quis servum vendidit, phrenesi vel calculo vel stranguria vel eo morbo, quem sacrum appellant, aut alia quavis plurimis occulta et longa et ægre sanabili corporis sive mentis ægritudine laborantem, si medicus aut gymnasticus emit, reddere non liceat: sed nec etiam, quando venditor emptori cuivis veritatem prædixerit. sin autem artifex aliquis hujusmodi rerum peritus ignaro et rudi cuipiam tale aliquid vendidit: qui emit, citra sex menses in aliis: in morbo vero sacro usque ad annum integrum reddere possit. judicium vero harum rerum apud medicos agatur, quos communi consensu litigantes elegerint. et qui condemnatus fuerit, duplum pretii ejus, quo vendidit, emptori persolvat. quod si imperitus imperito vendidit, quemadmodum de superioribus dictum est, redditio judiciumque fiat: et qui convictus fuerit, simplex pretium deferat. quando quis homicidam vendidit, si sciens quidem scienti, non reddatur: si nescienti, tunc reddatur, quando senserit emptor. id vero juniores de legum custodibus quinque cognoscant. ac si non ignorasse invenietur, emptoris domum primo secundum legem interpretum a piaculis purget: deinde pretii triplum illi deponat. qui minimum pro minimis, aut quævis animalia, et cetera, quæcunque velit, commutat, nec afferat nec accipiat adulteratum quicquam, legemque istam diligenter observet. sed huic quoque legi, quemadmodum legibus aliis, exordium præponatur. adulterationem quidem mendacium deceptionemque quasi genus unum putare oportet. in quo sane multorum damnandus est sermo, qui hoc ipso, quandocunque opportune fit, recte se uti affirmant: cumque occasionem ipsam, ubi et quando, non determinent, et sibi et aliis hoc verbo multum officiunt. legis autem lator ita indeterminatum istud non omittet: sed diligenter pluribus paucioribusve terminis declarabit. atqui et nunc ita determinetur: nemo Diis invocatis mendacium dicat, aut decipiat, aut adulterare verbo vel re quicquam audeat, nisi Deo velit odio esse. [917] cui quidem primum odio est, qui falso jurans Deos parvi pendit: deinde qui coram majoribus se mentitur. majores vero

aliis eos dicimus, qui aliis præstant, ut seniores communiter junioribus, parentes natis, viri mulieribus atque pueris, principes subditis. quos revereri par est, cum in omni principatu, tum vel maxime in civili : cujus gratia in hunc sermonem incidimus. quicunque enim aliquid in foro adulterat, mentitur certe ac decipit : Diisque advocatis adversus rerum venalium curatores eorumque jura pejerat. qua certe in re nec homines veretur nec Deos colit. Æquum profecto est nomina Deorum non facile inquinare, nec ea huc atque illuc devolvere : sed omnia, quæ ad Deos pertinent, pure casteque servare. qui his rationibus non persuadetur, hac lege urgeatur : qui vendit in foro aliquid, nunquam suæ rei venalis duo pretia dicat; sed cum simplex imposuerit pretium, si non vendiderit referat iterum, et eadem die nec majus nec minus pretium petat. laus autem rei venalis et juramentum longe absit. eum vero, qui hanc legem transgreditur, quilibet civis, non pauciores quam triginta natus annos, cum jurantem audierit, impune verberibus cædat. quod si non fecerit, legum proditor habeatur. eum vero, qui legi non obtemperaverit remque adulteratam vendiderit, quicunque advertit potestque, arguat : et qui coram magistratibus redarguerit, servus quidem aut inquilinus rem adulteratam secum asportet. civis vero, si accusare neglexerit, quasi Diis substulerit, improbus habeatur : sin accusaverit conviceritque, Diis, qui foro præsunt, dedicet. hujus autem rei qui deprehensus fuerit manifeste venditor, non solum re ipsa privetur, verum etiam tot verberibus publice cædatur, quot drachmis vendebat; præconum voce causa, cur verberetur, declarata. sed vendentium omnem malitiam adulterationesque ipsi rerum venalium curatores custodesque legum ab hominibus harum rerum peritis diligenter inquirant : et in columna conscriptas in foro proponant, ut plane ex his pateat, quid oporteat et quid non vendentes facere. [918] de ædilium vero legibus satis supra diximus. et si quid deesse ædilitiis legibus videatur, ædiles ipsi, cum legum custodibus habito consilio, suppleant : deinde in columna primas secundasque institutiones inscribant. post adulterationem sequitur, ut de cauponatione dicamus : de qua consilium primo et rationem dabimus, legem deinde ponemus. cauponatio omnis in civitate non nocendi gratia, sed contra omnino naturaliter adinventa est. quomodo enim ille non prosit, qui rem pecuniariam immoderatam et inæqualem ad æqualitatem modumque redegit? quod nummularius, mercator, mercenarius et hospitalis diversorii magister faciunt. hi enim ceterique hujusmodi, sive honestiores sive turpiores, indigentiam supplere rebusque æqualitatem præbere conantur. sed consideremus, quænam huic rei causa calumniæ sit, et cur honesta non videatur : ut, etsi non totum, attamen partem legibus ordinemus. Cli. Res hæc, ut videtur, nec exigua est nec parvam virtutem postulat. Athen. Quomodo dicis, Clinia? pauci admodum natura homines, et ii quidem optima educatione perducti, quando egestate cupiditateque rerum aliquarum afficiuntur, ita continere se possunt, ut moderate se gerant, et, cum liceat magnam pecuniam capere, modica contenti sint mediocritatemque excessui anteponant. vulgus autem contra facit omnino. immoderata enim cupit, et, cum mediocriter lucrari liceat, inexplebili lucri cupiditate vexatur. quocirca omnia genera hominum, quæ in cauponatione, mercatura diversorioque versantur, calumniæ et opprobrio subjacent. nam si quis, quod absit neque fiat unquam! modo cogeret, (dicam enim, etsi dictu ridiculum est) si quis, inquam, cogeret optimos ubique viros ad aliquod tempus diversoriis præesse aut cauponari aut hujusmodi aliquid facere, mulieres quoque sanctissimas aliqua fati necessitate ad hæc similiter descendere : cognosceremus plane honesta et approbanda hæc omnia esse. quippe, nisi corrupte fierent, matrum nutriciumque personam gerere non injuria, qui hæc faciunt, putarentur. [919] nunc vero in

desertis locis, ad quæ multæ longæque ducunt viæ, cauponandi gratia domos ædificant, optato diversorio tempestate pulsos suscipiunt, et caloribus pressos recreant: deinde, non tanquam amicos hospitalibus muneribus donatos remittunt, sed ut inimicos atque captivos crudeliter se redimere cogunt, rebusque omnibus spoliant. hæc autem ceteraque hujusmodi in his omnibus turpiter acta faciunt, ut hujuscemodi studia, quæ indigentibus opem ferunt, calumniæ sint subjecta. quorum remedium a latore legum excogitandum est. recte igitur jam olim trito proverbio dicitur, Arduum esse adversus duo contrariaque pugnare: quemadmodum in multis aliis morbis, et in isto contingit. pugna enim nunc nobis ad duo imminet, divitias atque egestatem: quorum alterum hominum animum deliciis mollitieque corrumpit, alterum doloribus ad impudentiam trudit. quod igitur remedium in civitate prudenter instituta ad pellendum hunc morbum excogitabimus? danda est opera primum, ut quam minimo pro viribus cauponum genere in civitate utamur. deinde his hominibus cauponandi artes commendandæ sunt, quibus corruptis non magnum civitas detrimentum incurrat. tertio invenienda via et ratio est, ne facile impudentia atque illiberalitate illorum hominum animi repleantur. his dictis, hæc Magnesiensibus lex de hujusmodi rebus bona fortuna feratur, quorum urbem Deus erigens coli iterum facit: Nullus eorum, qui de quadraginta et quinque millibus domorum sunt, caupo mercatorque nec sponte nec invitus fiat: nec privati cujusquam fiat minister, qui non ex æquo in eadem sorte sibi respondeat, nisi patris ac matris aliorumque genere majorum, ceterorumque seniorum, qui liberi sunt et libere vivunt. Liberum vero et non liberum non facile potest legibus exquisite distingui. discernatur tamen ab optimatibus, ac odio et amore ipsorum dijudicetur. eum vero, qui illiberali cauponationi in aliqua arte operam dederit, volens quilibet ad optimates virtuteque primos, quasi generi suo dedecori sit, accuset. et si paternam domum indigno studio maculasse deprehendatur, ab hoc opere vinculis annuis arceatur. [920] qui si iterum lapsus fuerit, biennium vinciatur: ac deinceps, quotiens peccasse deprehenditur, duplo tempore semper detineatur. altera lex jubet, ut peregrini dumtaxat et advenæ cauponarias artes sequantur. tertia lex cavendum monet, ut peregrinus ille vel incola aut quam optimus aut quam minime malus sit. nec ignorare legum custodes debent, non solum observatores illorum se esse, quos ab iniquitate pravitateque amovere difficile non est, qui bene nati educatique sunt, verum etiam illorum multo magis, qui tales non sunt, et in artibus his versantur, quibus ad improbitatem facilius impelluntur. cum vero cauponatio multiplex atque varia sit, cum peritis singulorum ejus generum custodes legum conveniant, et, ut paulo ante de adulteratione huic affini dicebamus, quæ necessaria civitati videbuntur, ea fieri primo constituant. deinde, impendio et emolumento diligenter examinato, quid mediocre cauponi lucrum sit, videant: et tam impendium quam emolumentum conscribant. observentur autem alia ab ædilibus, alia a rerum venalium curatoribus, alia ab agri magistratibus. sic ferme cauponandi artes singulis proderunt et minime oberunt. si quis non videatur pacta servasse, nisi lex aut decretum prohibeat, aut necessitas et vis illata coëgerit, aut inopinatus casus invitum detinuerit, in aliis non servati causam pacti tribuum judices cognoscant: nisi vicini aut arbitri prius reconciliaverint. Vulcano et Palladi opificum genus, qui vitam nobis suis artibus instruxerunt, consecratum est: Marti vero et Palladi genus eorum, qui artificum opera ceteris quibusdam ad tutandum auxiliandumque paratis conservant artibus. nec ab re horum genus his Diis est consecratum. hi enim omnes regionem populumque curant. alii quippe bellicis certaminibus præsunt: alii stipendiaria opera instrumentaque efficiunt. hi profecto, Deos auctores veriti,

neminem mendacio decipere debent. [921] si autem artificum aliquis in tempore statuto opus per malitiam non absolverit, ac Deum vitæ datorem cæcitate quadam animi ignoscere sibi, tanquam domesticum suum aliquem, arbitratus, ipsum minime vereatur : primum Deo ipsi pœnas dabit : deinde hac lege reus factus operis, quod in tempore non fecit, mercedem persolvat, ac ab initio rursus in eodem spatio temporis opus gratis efficiat. sed quod venditori de rerum venalium pretio lex consuluit, id ipsum opifici quoque consulit. caveat ergo, ne pluris quam æquum est, ipse suum liceatur opus ; sed quam simplicissime, et ut dignum est, licitatio fiat. non enim ignorat opifex, quo pretio dignum opus suum sit. nec debet in libera civitate artifex arte ipsa, quæ aperta res est et a mendacio longe remota, rudes decipere. in his igitur injuriam patienti adversus facientem judicium reddatur. si quis opifici mercedem secundum pacta non dederit, sed Jovem civitatis tutorem Minervamque hujus rei participem neglexerit, et parvo lucro motus magnam hominum societatem pro virili parte dissolverit : lex, una cum Deorum auxilio, civitatis unioni patrocinetur. qui operis accepti mercedem tempore, quo pactus est, non obtulerit, duplum reddat ; ac si annus præterierit, quamvis pecuniæ acceptæ mutuo sine usura reddi debeant, hic tamen pro singulis drachmis singulas sextas drachmæ partes mensibus singulis dato. harum rerum causas tribuum judices cognoscant. verum quoniam de opificibus mentionem fecimus, et imperatores ceterique bellorum artifices modo quodam opifices sunt, non alienum est, ut de his quoque dicamus. si ergo quispiam horum opus aliquod publicum sive sponte seu jussus susceperit, recteque, quod cœpit, absolverit, juste sibi lex honores, qui bellicosis viris præmia sunt, ita reddet, ut laudare nunquam desinat. sin autem ei, qui rem bellicam bene gesserit, nihil redditur, juste conqueretur. itaque lex quædam de his cum laude mixta, quæ non cogat quidem, sed consulat multitudini civium, ponatur. [922] honorentur boni viri, qui aut fortitudine aut bellica quadam peritia civitatem totam servaverint : et maximi honores illis primo attribuantur, qui bonorum legum conditorum leges præcipue coluerunt. jam igitur de pactis, quæ maxima homines inter se tractant, præterquam de orbis atque tutoribus, fere jam dictum est : de quibus nunc necessario est dicendum. horum omnium initium est, tum eorum, qui mortui sunt, ut libuit, testandi cupiditas, tum eorum, qui nihil testati sunt, fortuna. ob id autem necessario dicendum, o Clinia, dixi, quoniam hujus rei difficultatem considerabam : nec enim possibile est absque ordine id relinquere. nam multa singuli diversaque, et inter se, ac legibus et viventium moribus majoribusque suis contraria propere testabuntur, si quis statuet, quodcunque testamentum in fine vitæ conditum fuerit, id omnino fore inviolatum. stulta enim et abjecta quadam morositate ferme omnes premuntur, quando morituros se jam arbitrantur. Cli. Quomode id ais, hospes? Athen. Difficilis quædam res est, o Clinia, homo jam moriturus. hisque verbis frequentissime utitur, quæ legumlatores terrent atque fatigant. Cli. Quomodo istud ? Athen. Nempe cum velit suorum omnium esse dominus, hæc solet, et quidem cum ira, dicere. Cli. Quænam ? Athen. Grave, inquit, est nimium, o Dii, si mea mihi non licebit, cuicunque volo, relinquere, et aliis plura, aliis pauciora, prout erga me boni malive liquido inventi sunt, tum in morbo tum in senio tum in aliis fortunis meis sufficienter comprobati. Cli. An non recte, hospes, tibi loqui videntur ? Athen. Prisci legumlatores, o Clinia, molles fuisse mihi videntur et ad minimum quid humanarum rerum in ferendis legibus respexisse. Cli. Quonam pacto ? Athen. Illis morituri hominis verbis, o optime vir, commoti legem illam scripserunt, per quam licet cuique, utcunque velit, simpliciter sua disponere. [923] ego autem et tu in civitate tua morituris commodius respondebimus

Cli. Quomodo? Athen. O amici, dicemus, ac brevi procul dubio morituri, difficile vobis est res vestras atque etiam vos ipsos secundum Delphicum epigramma cognoscere. ego, qui leges condo, nec vos vestros esse arbitror, nec rem familiarem hanc omnem esse vestram, sed totius vestri generis præteriti atque futuri: multoque magis universæ civitatis et genus omne et divitias esse. hæc cum ita sint, si quis assentatiunculis in morbo et senio vos aggressus præter honestum testamentum condere persuaserit, nunquam id fieri sponte concedam: sed, quod civitati universæ generique conferat considerans, ita leges conscribam, ut singulorum commoda minoris quam cunctorum, ut par est, æstimem. vos igitur mites atque benevoli nobis ite modo, quo naturæ humanæ vos necessitas vocat. nobis autem reliqua vestra curæ erunt, qui non aliis magis quam aliis rebus studemus, sed omnium æque pro viribus curam gerimus. hæc in proœmio solamina et viventium et morientium, o Clinia, sint. lex autem sit ista: Qui liberos habet et testamentum conscribit, primo heredem de filiis unum, quem dignum putaverit, constituat: deinde quemcunque aliorum adoptandum aliis dederit, conscribat. et si filiorum aliquis superest, nulla hereditate munitus, quem secundum legem in coloniam sperat profecturum, huic liceat patri de alia pecunia, quantum velit, legare, paterna sorte semper excepta et omnibus, quæ ad illam pertinent. quod si plures sint, eis pater, quæcunque ultra sortem sunt, ut velit, distribuat. ac si alicui eorum jam domus est, ei pecunias non tribuat: neque filiæ similiter, quæ viro sit desponsata: si desponsata non fuerit, tribuat. et si filiorum filiarumve alicui sors aliqua in regione post conditum testamentum advenerit, testatoris ipsius heredi relinquatur. si autem non filios sed filias habet, qui testatur, cujus filiæ velit virum heredem sibi ac filium fore conscribat. et si alicujus filius sive naturalis sive adoptivus, antequam togam virilem assumat, decesserit, has etiam fortunas suas testator significet, et, quem velit loco illius melioribus auspiciis filium sibi fore, declaret. [924] si quis absque liberis omnino testamentum condit, decimam partem fundi ultra sortem acquisiti leget cuicunque civi voluerit: cetera omnia futuro per adoptionem filio benigne sine querela et secundum legem tribuat. si cui liberi tutoribus indigent, et idem moriens testamento tutores, quoscunque et quotcunque velit, constituerit, qui tutandi officium suscipere velint: ita fiat, sicut descripserat. sin vero vel intestatus naturæ concesserit, vel tutores non conscripserit: qui genere proximi sunt, duo ex parte patris, duoque ex parte matris, atque unus ex mortui amicis, tutelam suscipiant. quos legum custodes indigentibus pupillis statuere debent. nam quindecim ipsorum ceteris seniores orphanorum omnium quinquennio curam sic habere volumus, ut terni pro dignitate singulis annis curent: et exacto quinquennio similiter quindecim alios: atque id pro viribus nunquam deficiat. si quis autem nihil testatus decesserit filiosque tutela egentes reliquerit, iisdem legibus filiis ejus provideatur. qui vero inopinata fortuna decesserit filiasque reliquerit, latori legum veniam concedat, si ad duo de tribus respiciens, ejus filias collocet, ad propinquitatem videlicet generis, sortemque servandam. tertium autem, quod paterni officii est, ut moribus civium diligenter consideratis idoneum et sibi filium et filiæ sponsum deligat, id, quoniam impossibile consideratu est, prætermittat. lex igitur pro viribus hac de re hujusmodi sit: Si quis ex intestato mortuus filias reliquerit, frater ejus ex patre aut ex matre, si absque sorte sit, mortui filiam et sortem suscipiat. quod si frater non exstat, ejus filius, nisi ætas obstet, accipiat: tertius sororis filius, si nullus illorum exstat: quartus patris frater: quintus filius ejus: sextus sororis paternæ filius: et similiter per fratres consobrinosque, generis semper propinquitate servata, si filias reliquit, ita procedatur, ut in eodem genere mares

feminis antefonantur. [925] convenientiam vero ætatis ad nuptias et contra, judex, nudos omnino mares, nudas quoque ad pubem usque feminas conspiciens, judicet. at si ad fratrum usque avorumque filios cognatorum penuria sit, quemcunque civium sponte puella cum tutorum consilio deliget, is, si voluerit, eam in uxorem atque insuper hereditatem accipiat. quod si magna in penuria illorum, qui urbem habitant, aliquem in coloniam missum puella heredem facere sui patris optaverit: is, si ex eodem genere fuerit, hereditatem secundum legem adeat: sin vero civis quidem, sed non ex genere sit, ducat eam, si voluerit, secundum tutorum puellæque electionem, et hereditatem domum reversus adeat. si quis absque liberis omnino masculis feminisque ex intestato decesserit, cetera quidem secundum superiorem legem agantur, mas vero et femina ex eodem genere, tanquam consortes, desertam domum ingrediantur, quibus sors proprie competat. prima, soror; deinde fratris filia: sororis filia, tertia: quarta, paterna soror; paterni fratris filia, quinta: sexta, paternæ sororis filia. hæ cum illis, ut fas est, qui genere proximi sunt, vitam agent, quemadmodum in superioribus sanximus. sed ne fugiat nos, quam grave sit earum legum imperium, quibus genere propinquam ducere uxorem jubemus. quippe qui hujusmodi legem fert, minime considerare videtur, quam multa impedimenta reperiri posse, quæ faciant ne quis his præceptis velit obtemperare. multi etiam quodvis potius perpeti volent, quam ducant nubantve illi, cujus vel corpus ægrotum mancumve sit, vel insanus animus. in his ergo legumlator forte nihil pensi habuisse videbitur. et profecto id plerisque non recte ita videbitur. quare tam pro conditore legum quam pro subjectis commune hujusmodi sit exordium: Veniam dare legumlatori hi, quibus leges ponuntur, debent: quoniam publicis gubernandis incumbens, nunquam poterit privatis quoque calamitatibus simul consulere. [926] subjectis præterea ignoscendum, si legislatoris ea nonnunquam præcepta complecti nequeant, quæ singularum calamitatum ignarus conscripsit. Cli. Quid igitur, hospes, hac in re agere decet? Athen. Arbitri, o Clinia, qui legibus his cives concilient, eligendi sunt. Cli. Quomodo id dicis? Athen. Nonnunquam dives aliquis juvenis, deliciis deditus et ad majores nuptias inhians, patrui avunculive filiam aspernatur: nonnunquam calamitate maxima puellæ seu corporis sive animi coactus, legi illi non obtemperat, qua ad insana connubia invitus trahitur, quibus implicitus vivere nollet. quare nobis hæc lex de istis sanciatur: si qui testamenti aut nuptiarum aliorumque gratia de legibus querantur, asserantque legislatorem, si viveret, minime impulsurum hanc ducere vel huic nubere: et propinquus aliquis seu tutor legislatorem affirmet orphanis tutandis conciliandisque, tanquam arbitros et parentes, quindecim de legum custodibus reliquisse: ad hos ipsos litigantes confugiant eorumque judiciis pareant. quod si alicui majora legum custodes urgere videantur, rem ad electissimum judicium deferat expetatque sententiam: et qui damnatus est, infamia notetur, quod pecuniarum multarum mulcta apud eum, qui sapit, longe majus supplicium est. sequitur post hæc quasi secunda quædam orphanorum procreatio. est autem post primam educatio disciplinaque, de qua dictum est: post secundam vero operam dare debemus, ut privati parentibus quam minime miserabili calamitate premantur. legum ergo custodes, quasi alteros istorum parentes, primis non pejores, constituimus, et per singulos annos quasi suis providere jubemus. sed in primis de orphanorum educatione tam pro legum custodibus quam pro tutoribus ita exordiamur. [927] opportune videmur in superioribus narrasse, defunctorum animas vim quandam habere, qua de rebus humanis curam habent. id vera quidem, sed longa oratione approbatur. quamobrem et aliis tritis antiquisque de hac re sermonibus, et legumlatoribus, sic se habere ista sancientibus,

credere debent, nisi omnino dementes sint. cum vero hæc ita natura sint, primum Deos maxime superos timeant, qui de puerorum desolatione procurant: deinde etiam mortuorum manes, quibus natura inest, ut præcipua illorum cura teneantur, qui ab eis geniti sunt, adeo ut honorantibus eos propitii, contemnentibus infensi sint. præterea seniorum viventium animos, qui maximis in civitate felici funguntur honoribus: quos filii nepotesque dum colunt, jucundissime vivunt. hi acute hæc audiunt et acute perspiciunt: eisque, qui juste orphanos tractant, benevoli sunt. illis autem maxime indignantur, qui contumeliis parentibus orbos afficiunt. orphanos quippe maximum sacratissimumque depositum putant. his omnibus tutor et magistratus commonitus mentem, si quam habet, ad hanc rem adhibebit: ac de disciplina educationeque orphanorum ita providebit pro viribus, ut sibi et suis providere videatur. quicunque hoc ante legem exordio persuasus ab omni in orphanos contumelia se continebit, iram legum effugiet. at qui præfationem hanc aspernatus, aliquem patre aut matre privatum injuriis afficit, damnum duplum restituat, ac si quem parentes ambos habentem læserit. sed leges, quæ sequuntur, tutoribus; prout erga orphanos se gerant, magistratibus, prout de cura tutorum inquirant, conscribimus. si ergo educationis liberorum ipsi propria et distincta quædam haberent exempla, ac ipsos educantes de rebus suis aliter providerent, legesque de istis mediocriter distinctas haberent: non absque causa tutoris leges, quoniam multum ab illis differrent, seorsum ederemus, aliis studiis orphanorum vitam, aliis non orphanorum munientes. nunc vero ad hæc universa orbitas ejusque cura non multum differt, quantum ad leges attinet, a gubernatione paterna: sed honore, contemptu, cura exæquari minime solet. [928] quapropter lex consolando minandoque orphanorum curæ studet. neque ab re fuerit, si hunc in modum minemur: Qui feminam maremve tutatur, et qui de legum custodibus tutorem observare constitutus est, non minus orphanos, quam si genuisset eos, diligat; neque res illorum pejus quam suas gubernet, immo etiam affectu animi melius. unam vero hanc legem semper in animo habentes, tutelam peragant. si quis huic legi derogaverit, tutor quidem a magistratu condemnetur: magistratus autem, ad electorum judicium a tutore vocatus, duplo damno afficiatur. id damnum sententia judicum æstimetur. quod si tutor negligere aut malitiose agere propinquis aut ceterorum civium alicui videbitur, in idem judicium adductus, quadruplum damni restituat: cujus pars altera puero, accusatori altera deferatur. postquam vero ad pubertatem orphanus venit, si male secum egisse tutorem duxerit, ad quinquennium usque ab exacta tutela in tutorem sibi agere liceat. et si tutor quispiam condemnabitur, quid pati dareve debeat, a judicibus decernatur. si magistratuum aliquis per negligentiam obfuisse orphano videatur: quid ipsi restituendum sit, judices statuant. sin vero etiam per injuriam, non solum damnum restituat, verum etiam magistratu legis custodum privetur, et alius pro eo civitati regionique a populo confestim creetur. solent patrum adversus filios querelæ fieri, filiorum quoque in parentes, majores quam deceat: quarum causa patres scribi oportere a legislatore forte putent, liceat sibi, si velint, publico præconio filium abdicare, ne amplius secundum legem filius sit: et filiis parentes morbis vel senio turpiter affectos liceat amentiæ accusare. hæc omnia, ubi pessimi omnino mores hominum sunt, accidere solent. nam si dimidium solum esset malum, ut si parentes mali vel filii solum essent, tam gravium inimicitiarum calamitates non evenirent. profecto in alia quavis republica abdicatus filius non necessario civitate privatur: in ea vero, quæ his legibus gubernabitur, alio abire patre privatum necesse est: [929] quippe cum ad quadraginta et quinquies mille domos nulla possit accedere, quapropter oportet filium jure abdicandum,

non a patre solo, sed a genere universo depelli. itaque in rebus hujusmodi tali quadam lege agendum : Quando aliquis infelici indignatione commotus, sive jure seu injuria irascatur, quem genuit educavitque a cognatione sua cupit rejicere, non liceat leviter subitoque id facere : sed primum genere sibi propinquos, usque ad patrueles, propinquos item filio ex parte matris convocet : apud quos accuset filium, ostendatque dignum esse, qui a propinquis suis omnibus depellatur. deinde filio quoque causam suam dicendi potestatem concedat, quod videlicet talis non sit, ut rejici debeat. postremo suffragia præter parentes et filium ipsum propinqui omnes, tam viri quam mulieres, conferant, nisi ætas impedimento sit. et si plura, quam dimidiæ partis, suffragia patri suffragantur, liceat ei filium abdicare : aliter minime. si quis autem civium abdicatum adoptare voluerit, nulla id lege vetetur. juvenum enim mores sæpe in dies varieque mutantur. ac si nemo citra decennium rejectum filium conjungere sibi adoptione voluerit, curatores prolis supra modum adauctæ, quam constituimus transmissis coloniis amputari, de his quoque provideant, ut ejusdem coloniæ participes congrue fiant. si quis morbo aut senio aut morum acerbitate aut his omnibus magis quam alii exagitatus in dementiam incidat, late atque id omnes præter domesticos ; ille vero tanquam dominus rem familiarem dissipet, et filius dementiæ patrem accusare formidet : lex ita fieri jubeat. primo quidem filius, ad seniores legum custodes profectus, calamitatem patris enarret : qui re satis inspecta, accusandus necne pater sit, consulant. deinde si accusandum decreverint, testes simul et adjutores sint accusanti. et si pater damnabitur, nec minimum quidem de rebus suis in posterum disponere queat, nec tanquam paterfamilias amplius, sed quasi filius ac puer, domum habitet. si vir et uxor propter morum acerbitatem invicem non conveniant, decem viri de legum custodibus, qui medii sint, et decem mulieres de curatricibus connubiorum provideant. [930] quorum sententia si ita conciliati fuerint, valida et stabilis habeatur. sin autem illorum animi vehementius etiam iracundia fluctuent, facto divortio illos pro viribus quærant, qui utrisque conveniant. videntur autem in ejusmodi hominibus acerbiores natura mores inesse. quare maturiora mitioraque ingenia istis accommodanda sunt, et, quicunque sine filiis sunt aut paucos procrearunt, dissentiuntque, procreandorum liberorum causa conjugium rursus quærere compellendi. quod si filios non paucos habent atque dissentiunt, senectutis mutuo curandæ gratia, divortio facto, aliud conjugium ineant. si mulier liberis maribus feminisque relictis mortua est, lex virum non cogat quidem, sed persuadeat, filios suos educare adducta noverca. at si defuncta uxor filios non reliquerit, duci alteram cogat, ex qua tum familiæ suæ tum civitati, quantum satis sit, prolem procreet. si vir sufficientes reliquit filios, mater ipsos vidua educato. quod si junior esse videatur, quam ut sana sine viro vivere possit, propinqui ejus, cum mulieribus connubiorum curatricibus consilio habito, quod sibi illisque videbitur, id exsequantur. si vero liberis egeant, liberorum quoque gratia ducant nubantve. liberorum autem sufficiens numerus mas et femina secundum legem. quotiens utrinque conceditur, natos pueros eorum filios esse, qui sibi eos vendicant, sed res judicio eget, utrum parentum potius sequi natus debeat, sic agatur. serva si servo aut libero aut liberto conjuncta peperit, servæ domino natus detur : sin ex servo libera peperit, servi dominus nati similiter dominus esto. quod si quispiam ex serva sua natum susceperit, aut quæpiam ex servo peperit proprio, idque pateat, natum quidem ex serva et libero mulieres in aliam regionem cum patre simul emittant : natum vero ex libera et servo legum custodes una cum matre extra fines expellant. parentes negligere nec Deus nec homo mentis compos alicui unquam consulet. sed quod de cultu Deorum ignorare non oportet, id recte

dictum ad honorandos parentes proœmium erit. leges de Diis antiquæ apud omnes dupliciter positæ sunt. nempe alios Deorum cernentes, eos ipsos, quos cernimus, colimus: [931] alios vero non videmus quidem, sed eorum imagines fabricamus; easque, licet inanimes, dum honoramus, Deos ipsos viventes existimamus ob id maxime nobis gratos et propitios fore. cujus ergo pater aut mater vel horum parentes senio confecti quasi thesaurus quidam domi jacent: is putet nunquam aliud sibi tale simulacrum magisque efficax domui suæ affuturum, si recte, ut decet, ab eo colitur. Cli. Quisnam rectus colendi modus? Athen. Dicam. digna enim, o amici, hæc auditu sunt. Cli. Age igitur, dic. Athen. Œdipus contemptus a filiis ea illis imprecatus est, quæ exaudita effectaque a Diis apud omnes feruntur. Amyntora quoque Phœnicio filio iratum illi maledixisse ferunt: et Hippolyto Thesea, plurimosque alios aliis. quibus apertissimum factum est, a Diis preces parentum adversus filios exaudiri. nihil enim imprecatione parentis non injuria perniciosius filio. nemo vero, cum pater aut mater ab eo contemnitur, tunc solum a Deo putet orationes eorum secundum naturam exaudiri: sed cum etiam honoratur, ac ideo cum lætiores bona liberis a Diis petunt, exaudiri eos similiter existimare debemus, atque ideo nobis æqua inde distribui. nam aliter in bonis distribuendis justi non essent: quod longe a Diis abesse necesse est. Cli. Certe. Athen. Quapropter existimandum est, ut paulo ante diximus, nullum apud Deos magis honorandum simulacrum habere nos posse, quam patres et avos senio confectos, matresque similiter. quibus honoratis Deus gaudet: alioquin eos minime exaudiret. mirabilius enim parentum simulacrum nobis, quam inanimes quæque imagines, videri debet. nam quæ animam habent, quando coluntur a nobis, pro nobis orant faventque quotidie: quando despiciuntur, contra. quæ vero anima carent, neutrum horum faciunt. quocirca, qui erga parentes et avos ceterosque hujusmodi recte se gerit, is ad Deos sibi conciliandos simulacrorum omnium optima possidet. Cli. Præclare dixisti. Athen. Omnes igitur non insani verentur coluntque parentum orationes, non ignorantes multis sæpe profuisse obfuisseque. [932] cum hæc ita natura constituta sint, probis quidem viris seniores parentes pro magno quæstu habentur, si ad senium usque pervenerint: sin vero juniores decesserint, valde desiderantur. improbis autem contra valde terribiles sunt. quapropter quilibet, rationibus his inductus, parentes suos secundum legem honoret. si quis vero surdus ad hæc exordia sit, hanc legem recte statutam audiat: Si quis in hac civitate minus, quam decet, parentes colat, nec magis eos quam filios nepotesque et se ipsum diligat, præ ceteris eorum voluntati in omnibus obsequens: qui ita negligitur, per se vel per alium, ad tres de legum custodibus seniores rem deferat, et ad tres similiter de connubiorum procuratoribus: qui re investigata in eos, qui injuriam intulerunt, animadvertant. in viros quidem, si trigesimum annum non excesserint, et in mulieres, si quadragesimum, vinculis atque verberibus. si autem provectiores ætate, quam diximus, sint, neque desinant parentes negligere, immo eos etiam affligant, ad judicium ire compellantur. judicent autem cives, qui ætate ceteros omnes maxime antecedunt: et condemnatus solvat patiaturve, quod a judicio statuetur, ita ut nihil prætermittatur, quod dare hominum aliquis pative possit. si quis vero, cum afflictus sit, deferre non potest, quicunque liber audierit, magistratibus nuntiet: aut improbus habeatur et a volente quolibet damni illati accusetur. si autem servus detulerit, liber esto. quod si affligentis vel afflicti servus sit, in libertatem a magistratibus vendicetur: sin autem alicujus alterius civis servus fuerit, pretium domino publice persolvatur. curæ vero magistratibus sit, ne quis ei, qui detulerit, noceat. quæ veneno aliis ab alio fiunt, letalia quidem divisa

sunt : cetera vero, sive potu sive cibo sive injunctione sponte et consilio peragantur, nondum distinximus. bipartito enim generi humano venena officiunt. primo enim, ut modo diximus, corporibus corpora secundum naturam lædunt : [933] deinde magicis veneficiis et cantibus nodisque quibusdam persuadetur iis quidem, qui officere student, posse id assequi ; iis vero, facile admodum ab illis veneficio lædi posse. hæc vero ceteraque hujusmodi quo pacto natura se habeant, nec facile sciri possunt, nec, si quis sciat, aliis persuaderi. sed animis hominum, circa hæc ægre suspicioseque inter se affectis, haud admodum dignum est conari persuadere : ut si cerea simulacra sive in januis sive in trivio sive in monumentis parentum viderint, hæc omnino despiciant, cum certam de his opinionem nullam habeant. quare bipartito legem de veneficio partientes, primum hortamur, monemus atque consulimus, ne talia faciant, ne multos quasi pueros terreant : nec legumlatorem et judicem cogant hujusmodi hominum timori mederi. quippe qui veneno nocere nititur, si corporibus id illaturus est, nisi medicinæ peritus sit, quid agat, ignorat : similiter qui magicis cantibus id tentat, nisi haruspex monstrorumque interpres sit. sed jam lex ista de venenis hujusmodi sanciatur : Qui non ad mortem hominis, sed pecorum aut examinum, veneno utitur, sive etiam ut aliter quam morte bestiis noceat : si medicus sit et veneficii reus fuerit judicatus, morte supplicium luat ; sin vero medicinæ ignarus, judicium, quid pati dareve ipsum oportet, constituat. quando vero quis nodis, inductionibus, cantibus similibusque veneficiis ad nocendum paratus deprehensus est ; si haruspex aut prodigiorum interpres sit, occidatur : sin vero non fuerit, judicium de ipso similiter, quid dare pative debeat, statuat. qui clam aut vi nocuit, magna reddat, si in magnis nocuit ; minora, si in minoribus, et in omnibus tantum reddat, ut damnum exæquetur. præterea in singulis injuriis, ut punitus moderatior fiat, mulcta afficiatur : leviore quidem, si propter juventutis imprudentiam aliena malitia fuit impulsus ; [934] graviore autem, si dementia sua aut immoderatis voluptatibus et doloribus aut timore aut invidia aut iracundia insanabili. pœnis vero maligni vexantur, non quia peccaverint : nam quod factum est, infectum esse non potest : sed ut posthac et peccatores ipsi, et qui puniri iniquitates viderunt, injustitiam oderint, aut saltem minus in simili vitio peccent. quorum omnium gratia oportet, ut ad hæc leges respiciant, et boni sagittarii similes ad hoc signum tendant, punitionis magnitudinem in singulis, et quod dignum est, considerantes. id ipsum judicem legumlatoris ministrum facere decet, cum a lege sibi committitur, ut ipse statuat, quid dare pative damnatum oporteat. qui sane non aliter quod reliquum est, superiora imitatus, exsequi debet, quam pictor ita pingere, ut exemplaria diligenter sequatur. quod nobis, o Clinia Megilleque, faciendum quam pulcherrime atque optime censeo : et pœnas tam eorum, quæ furto et clam, quam eorum, quæ vi aguntur, quales esse oporteat, dicendum, prout Dii nobis Deorumque filii leges ponere concedunt. nemo furiosus palam in urbe cernatur : sed furiosum propinqui domi, quomodocunque possunt, custodiant. quod nisi fecerint, mulctentur : qui maximi census sunt, drachmis centum, sive servum seu liberum minus diligenter custodiant : qui secundi, quatuor de quinque minæ partibus : qui tertii, tribus : et duabus, qui quarti. multis autem modis homines furore aguntur. alii morbo, ut hi, de quibus modo diximus : alii per iracundiam pravæ naturæ vitiosamque educationem, qui parvis inimicitiis moti altius inclamant et turpiter inter se conviciantur. nihil vero tale in civitate bonis legibus instituta fieri decet. de convicio igitur hæc una omnibus lex ponatur : Nemo in aliquem convicietur : sed quicunque cum alio de re quapiam ambigit, discat potius doceat

que tam ambigentem quam præsentes, ita ut omni convicio prorsus abstineat. cum enim sibi invicem verbis turpibus maledicunt, muliebres habentur: [935] et imprimis ex verbis, quæ certe levissima res est, odia gravissima et inimicitiæ sæpe nascuntur. profecto qui iræ, rei penitus ingratæ morem gerit, ipsamque quasi alimentis quibusdam noxiis explet, is, quantum per disciplinam antea excultus fuerat, tantum exacerbatus postea iracundam animi partem, efferatusque, difficilem sibi vivendi reddit rationem, et hanc amaram ab ira gratiam suscipit. ex his pæne omnes ad id devenire solent, ut ridiculum aliquid in adversarium dicant: qua in re quicunque se assuefacit, aut bonos mores penitus aut magnanimitatem maxima ex parte amittit. quamobrem nemo in templo objurgationibus his unquam utatur, nec ubi publica sacrificia vel certamina peraguntur, nec in rerum venalium foro, nec in judicio, aut alio quovis cœtu communi. eum vero, qui in hoc deliquerit, magistratus harum rerum præses libere puniat. quod si non fecerit, quasi legum proditor præceptorumque legislatoris spretor nunquam ad publici cujusquam muneris certamen, quasi de virtute certaturus, ascendat. si quis autem aliis in locis maledicto vel provocando vel respondendo utatur: quicunque senior præsens fuerit, pro legum defensione hunc verberet, et eos, qui ira alieno malo concitati sunt, comprimat: alioquin, ut prædiximus, puniatur. neminem præterea in his conviciis dicacitatibusque versari arbitramur, qui non sæpe ridiculose aliquid obloquatur. atque hoc ipsum est, quod damnamus, quando cum ira fit. quid porro? Comicorumne Satyrorumque sales et ridiculosa convicia, quibus adversus cives utuntur, si absque ira sic mordeant, admittemus? an id bifariam distinguemus, in jocosam et seriam orationem? et joco quidem uti liceat, sic, ut ridiculum absque ira dicatur? concitato vero per iram animo, nemini, ut ante diximus, tale quid dicere liceat? hoc igitur nullo modo admittendum. cui vero liceat et cui non, lege jam declarandum. poëtæ comico vel iambicæ musicæve melodiæ auctori, nec verbo nec imagine vel persona cuiquam civium detrahere liceat, sive in ira sive absque ira faciat. et eum, qui contra fecerit, qui dandis præmiis præsunt, eodem die exterminent: [936] aliter tribus minis mulctentur, Deo, in cujus honorem certatum fuerat, consecrandis. ceteris vero, de quibus supra diximus, sine ira et cum joco ridiculum aliquid dicere liceat: serio autem et cum ira nequaquam. cujus rei cognitio communis juvenum disciplinæ curatori committatur. et quod probaverit, proferre in medium liceat: quod autem reprobaverit, hoc neque ipse ulli unquam ostendat, neque alium sive servum sive liberum doceat. si contra fecerit, pravus legumque contemptor habeatur. miserabilis autem, id est misericordia dignus existimandus est, non qui fame vel re alia hujusmodi premitur, sed qui, cum temperans sit et virtute alia vel parte virtutis sit præditus, calamitate tamen ad hæc aliqua sorte vexatur. quare mirum profecto erit, si vir talis usque adeo neglectus fuerit, ut, sive liber seu servus, in civitate moderate gubernata in extremam paupertatem deveniat. iccirco non injuria legislator talem de hac re legem tuto ponere potest: Nullus in civitate nostra mendicus sit. quicunque vero id tentaverit victumque inexplebilibus precibus colligere cœperit, a rerum venalium curatoribus e foro pellatur, ab ædili magistratu ex urbe ejiciatur, ex tota denique regione ab agri magistratu exterminetur, ut ab ejusmodi animali omnino universa regio munda sit. si servus vel serva alienæ rei offecerit, sive imperitia seu immoderato aliquo usu id fecerit, nec qui damnum passus est, causam præbuerit; dominus ejus aut satisfaciat aut servum servamve illi, qui damnum passus est, tradat. quod si communi quadam nocentis patientisque astutia, ut servus sibi auferatur, servi dominus factum contendat, de malitiæ crimine agat adversus eum, qui de servo

conqueritur. et si convicerit, pretium servi a judicio constitutum a damnato duplicatum accipiat: sin autem convictus fuerit, et damnum restituat et servum insuper tradat. si jumentum aut equus aut canis aut domesticum aliud animal proximi rem attriverit, animalis dominus similiter damnum restituat. si quis sponte testimonium ferre noluerit, citetur ab indigente: citatusque tempore idoneo adsit, et testimonium, prout sciverit, afferat. si nescire dixerit, jurejurando, tribus Diis, Jove, Apolline, Themide nominatis, nescire se affirmet, ac abeat. [937] qui ad ferendum testimonium citatus non venerit, damnum ei, qui citavit, secundum legem deponat. si judex aliquis in testimonium citatus fuerit, testimonio allato nullam in eadem causa sententiam ferat. mulieri liberæ, si quadraginta annos excesserit, tam ad testandum quam ad dicendum interesse judicio liceat, immo vero et ad agendum, si sub viro non sit. vivente vero marito testimonium perhibere solummodo liceat. servo autem et servæ et pueris de homicidio solum dicere testarique liceat: si idoneum fidejussorem dederint se usque ad latam sententiam permansuros, si forte falsi testimonii fuerint accusati. si quis falsi testimonii agere voluerit, quod et in toto et in parte testimonii et utrisque adversariis licet, antequam sententiam judices ferant, falsos fuisse testes objiciat. falsi vero testimonii criminationes ab utrisque illatas magistratus ipsi conscriptas servent, et ad judicium postea de falso testimonio referant. si quis falso testimonium bis dixisse inveniatur, a nulla lege tertio testari cogatur: si vero ter, nullo modo postea testimonium sibi dicere liceat. quod si ter in falsitate deprehensus testari ulterius ausus fuerit, a volente quolibet ad magistratum deferatur, et a magistratu tradatur judicio: et si convictus fuerit, moriatur. quando in lite falsa testimonia intercesserint, per quæ adversarium superasse videri quis potuit: si plures, quam medietas testium, condemnati fuerint, judicium secundum illa nullum procedat. disceptare vero convenit, utrum secundum illa testimonia quicquam judicatum sit necne, et, quomodocunque judicatum fuerit, hoc pacto justum lis finem consequatur. Verum cum multa in vita hominum bona sint, pluribus eorum quasi quædam diræ calamitates insident, quæ maculant illa atque coinquinant. judicialis autem disceptatio judiciumque cur homini bonum non est, quod humana omnia mansuefecit? atqui cum disceptatio talis bonum sit, cur et adesse in lite alicui et causæ justæ favere bonum non sit? hæc cum ita sint, perversa calumnia bonum artis subit nomen, quæ artificium invenisse in litibus asserit, quo agenda et dicenda, sive honesta sive turpis sit causa, superare facile quis possit, victoresque facere, [938] quibus ipsa rationibus suis favet, si pro artis ipsius beneficio pecunia dabitur. hæc sive artis expers exercitatio quædam sit, danda opera est, ne in nostra civitate aditum habeat; sed legum verita conditorem, nihil adversus leges proferat, et alio profecta vires suas ostendat. si quis vero non pareat, hac lege deterreatur: Si quis justitiæ vires in animis judicum in contrarium vertere conetur, ac præter opportunitatem multa litigia movet, aut moventibus adest: agat in eum, quicunque voluerit, male agendi aut denique defendendi crimine, judiciumque hujusmodi apud electos judices agitetur. et si damnatus fuerit, discutiatur, utrum avaritia an ambitiosa quadam contentione id fecerit. ac si contentione, certum sibi judices tempus præscribant, in quo neque pro se neque pro alio ullam agat dicatve causam: sin autem avaritia, peregrinus quidem a regione, nunquam rediturus, abito, et si redierit moriturus. civis autem, si avaritia fecisse id deprehendatur, quoniam pecuniam tanti fecerit, omnino moriatur. quod si ambitiosa contentione bis tale quid fecisse judicatus fuerit, id ipsum supplicium subeat.

LIB. XII.

[941] Si legatus aut præco falsa, quæ sibi commissa sunt, nuntiaverit, dicendave tacuerit, vel rursus ab hostibus amicisve rediens, quæ ab illis accepit, aliter quam acceperit retulisse reperiatur: quasi Mercurii Jovisque mandata legationesque contra legem contempserit, in judicium deferatur. et judices pro magnitudine rei quid pati dareve ipsum oportet, si damnatus fuerit, statuant. pecuniæ furtum illiberale profecto est, rapina vero turpissimum. nullus autem filiorum Jovis aut vi aut dolo delectatus quicquam hujusmodi unquam fecit. ideo nemo vel a poëtis vel a fabulosis aliis hominibus ita decipiatur, ut credat, si furto aut vi usus sit, nihil se turpe, sed quod Dii quoque fecerint, commisisse. nam nec verum id nec verisimile est. et qui præter legem horum alterum facit, is nec Deus nec Deorum est filius. hæc legumlatori magis quam cunctis poëtis cognoscenda sunt. igitur quicunque huic nostro sermoni paruerit, felix est et in posterum semper erit; qui contra fecerit, hac lege arcebitur: Si quis aliquid publicum furatus fuerit, sive parvum seu magnum id sit, pari supplicio puniatur. nam qui rem parvam substulit, etsi minori vi quam qui magnam rapuit, æqua tamen cupiditate furatus est: et qui magnum aliquid inde removit, ubi ipse non deposuerat, is omnino iniquus est. lex igitur non furti parvitate alterum minus quam alterum puniendum censet: sed eo forsitan interesse putat, quod alter sanabilis sit, insanabilis alter. si servus aut peregrinus furti publici accusatus et condemnatus sit, tanquam sanari quodammodo posse videatur, quid pati dareve debeat, judicio statuatur. [942] civem autem ita educatum, ut ipsi instituimus, si quis publicum aliquid furatum esse vel violasse convicerit, sive in ipso furto et scelere sive aliter quomodocunque deprehenderit, tanquam insanabilem mortis supplicio condemnamus. militiæ gratia merito magnæ habentur deliberationes, et leges multæ conduntur. sed illud omnium maximum est, ne quis mas feminave sine magistro ac principe quicquam agat: nec civis cujusquam animus sive joco sive serio aliquid facere solus et suo dumtaxat arbitratu consuescat; sed tam in bello quam in pace ad principem magistrumque semper respiciat, et cum quocunque sequatur, atque ita ad ejus nutum suam vitam instituat, ut vel minima quæque ab eo gubernatus faciat, stet cum jubetur, et rursus jussus proficiscatur, exerceatur, lavetur, comedat, surgat nocte, custodiam agat, det signa et vicissim accipiat, et in ipso prœlio nec insequatur unquam nec cedat, nisi princeps et magister significaverit: et, ut summatim dicam, nemo penitus cognoscat, quid sit seorsum ab aliis agere; sed simul semper communisque quam maxime omnibus vita sit. nihil enim hac re melius, nihil præstantius, nihil artificiosius unquam erit ad salutem et victoriam bello acquirendam. hoc ipsum etiam in pace ab ipsa pueritia servent, assuescantque alios ducere et ab aliis duci. soluta vero licentia e vita penitus expellatur, non hominum solum, sed etiam bestiarum, quæ sub hominibus sunt. omnes quoque choreæ ita, ut bene geratur bellum, celebrandæ sunt: atque omnis dexteritas, facilitas, promptitudo ejusdem rei causa comparanda. ob eandem causam consuescere debemus a cibo et potu abstinere, frigus æstumque et cubilis duritiem pati, et imprimis capitis pedumque virtutem alienis tegmentis non corrumpere, nec pileorum calceorumque a generatione datorum naturam perdere. nam extre-

mitates istæ cum naturam conservant suam, maximas toti corpori vires præbent: contra vero contrarium. et altera quidem universo corpori maxime ministrat: altera totum ducit, cum principales ejus sensus omnes natura possideat. [943] sed hujusmodi quidem laudes bellicosæ vitæ juvenes audiant; leges vero istas: Militet, quicunque conscriptus est aut parti alicui deputatus. si quis vero propter ignaviam, absque commeatu imperatoris desit, ad principes belli, cum redierint, accusetur. judicent autem, qui militarunt, omnes, seorsum quidem pedites, et equites seorsum, ceterique similiter. pedites, quippe ad pedites, et equites similiter ad equites, ceterique singuli ad ejusdem sortis principes deferendi sunt. ubi quicunque damnatus fuerit, et in certamen postea quodcunque descendere et alium neglectæ militiæ accusare prohibeatur. præterea, quid dare pative ipsum oporteat, judices statuant. sed desertæ militiæ judicio peracto, peditum rursus equitumque et aliorum cœtus a principibus habeantur, ut militaria his, qui strenue se gesserunt, dona dentur. judicet autem de victoria, quisquis velit, inter ordinis sui participes, ita ut præteritorum certaminum nec conjecturas neque testes adhibeat: sed eam quæ nuper gesta est, pugnam dumtaxat consideret. donentur deinde, qui præclare certasse videbuntur, corona ex frondibus arboris perpetuo virentis conserta, quam postea, qui consecuti sunt, in bellicosorum templis Deorum, utcunque placuerit, cum inscriptione tituloque suspendant, ut testimonium virtutis sit diuturnum. secundo quoque ac tertio loco declarati sic faciant. si quis autem militiam profectus, antequam principes dimiserint, ab exercitu abierit, apud eosdem judices iste derelicti ordinis accusetur, apud quos et ille superior neglectæ militiæ accusatus est: et damnatus similiter puniatur. cavere autem pro viribus debet, quisquis aliquem judicaturus est, ne sponte aut invitus supplicium mulctamve falso et non merito inferat. judicium enim virgo quædam pudica esse vere dicitur. pudori autem atque judicio secundum naturam odio mendacium est. quamobrem cum in aliis omnibus, tum maxime in bellicorum armorum projectione, cavendum est, ne Deam judicii præsidem offendamus: ne quis necessarias armorum abjectiones quasi turpes per ignorantiam arbitratus, aliquem pœna indignum immerito puniat. arduum quidem est ista distinguere: oportet tamen, ut lex distinguere per singulas partes conetur. fabula igitur ad hæc utamur. [944] si absque armis semimortuus ad tentoria Patroclus fuisset delatus, quod pluribus accidit; et arma, quæ a Diis, ut poëta dicit, in dotem Thetidi data fuerant, ab Hectore rapta fuissent: utrum Menœtiades, quasi arma abjecerit, a detractoribus vituperandus fuerit? præterea, si qui ab alto præcipitarunt, aut in mari aut in tempestatis aquarumque colluvione aut in aliis hujuscemodi permultis, quæ ad purgandam ignaviæ suspicionem afferri possunt, coacti arma amiserint, eruntne vituperandi? dauda vero opera est, ut majus gravisque malum pro viribus a contrario secernamus. in ipsa igitur vituperatione vocabulorum ipsorum prolatio differentiam quandam ostendit. nam scuti abjector non de omnibus merito dicitur; armorum vero amissor de omnibus: nec similiter, qui vi amisit et qui sponte abjecit, scuti abjector est judicandus. omnino enim undique differunt. sic igitur sanciamus: Si quis ab hostibus circumventus, cum armatus esset, non defendit se versus ad eos, sed arma sponte dimisit aut abjecit, turpemque vitam velocitate comparare sibi maluit quam fortitudine honestam felicemque mortem: de hujusmodi armorum projectione judicium habeatur, de superiori vero nullum. mali enim ignavique semper puniendi sunt, ut meliores fortioresque evadant: infortunati vero minime. nihil enim proficitur. sed quænam abjectionis armorum damnato, et a virili fortitudine degeneranti pœna congrua erit? præsertim cum impossi-

bile sit homini in contrarium commutari, ut Cæneum Thessalum ferunt divina quadam vi in naturam viri ex femina commutatum. abjectori enim armorum contrarium maxime conveniret, ut in mulierem ex viro translatus sic puniatur. nunc vero quoniam id fieri non potest, proximum aliquid excogitemus, ut postquam ille usque adeo vivendi cupidus est, deinceps nullum periculum subeat, sed reliquam vitam, et quidem quam longissimam, improbus et cum dedecore vivat. hæc igitur lex sit: Eo, qui arma turpiter projecisse damnatus est, nec imperator neque præfectus aliquis pro milite unquam utatur, nec in aciem recipiat. [945] si contra fecerit, rationum referendarum judex id cognoscat: et si maximi census sit, decem minis; si secundi, quinque; si tertii, tribus; si quarti, una ipsum condemnet. projectionis autem damnatus non solum ob naturæ ejus ignaviam a virilibus periculis arceatur, sed etiam, si maximi census est, decem similiter mulctetur minis; si secundi, quinque; tribus, si tertii: una vero, si quarti. de repetendis autem rationibus, quas magistratus annui sorte creati, vel plurium etiam annorum consilio quodam delecti, referre debent, quid dicemus? quis enim sufficiens repetundarum judex erit, si quis magistratus, rerum pondere pressus, dixerit feceritve suo aliquid indignum principatu? difficile inventu hoc est. nam cum delecti magistratus virtute alios antecellant, quo pacto præstantiorem eis inveniemus? et tamen divini aliqui viri, rationum referendarum exactores et judices, nobis quærendi sunt. sic enim se res habet: multæ occasiones solvendæ reipublicæ, quemadmodum navis aut animalis cujusdam, esse videntur: quarum licet una natura sit ubique diffusa, eas tamen intensiones fulcimentaque et nervorum extensiones, multisque aliis nominibus appellamus. sed hæc tam salutis quam eversionis reipublicæ occasio non minima est. nam si judices, qui gesti magistratus rationem exigunt, virtute magistratibus præstent, atque ita id fiat, ut nemo jure conqueri possit, universa sic regio feliciter civitasque florebit. sin aliter judicium repetundarum processerit, tunc eo judicio soluto, quo in unum civilia omnia vinciuntur, omnes magistratus alius ab alio distrahuntur: ipsique ex uno multi jam facti ex una multiplicem civitatem efficiunt. hinc plena seditione cito omnia evertuntur. quare exactores rationum oportet in omni virtutum genere cunctis excellere. hoc igitur modo ipsorum generationem machinemur. singulis annis, post æstivale solstitium, ad locum Soli atque Apollini communiter dedicatum civitas universa conveniat, tres viros electuri, [946] quem unusquisque meliorem, se solo excepto, judicet: qui non pauciores quam quinquaginta natus sit annos. electorum deinde dimidiam partem, qui a pluribus prælati fuerint, si pares sunt, anteponant: sin vero impares sint, uno excepto, cui pauciora suffragia contigerunt, dimidiam similiter reliquorum partem accipiant, suffragiorum numero præjudicantes. quod si æqualia numero suffragia multis fuerint, dimidiumque numerum auxerint, junior postponatur: acceptisque aliis rursum ferantur suffragia, quousque tres inæquales obtineant. at si omnibus his vel duobus æqualia suffragia sint, bonæ jam fortunæ res committatur, sorte hi discernantur. eum, qui suffragiis superat, rursumque secundo loco et tertio declaratum, corona ex semper virentis arboris fronde contexta coronet. datis præmiis præconio declarent, quemadmodum Magnesiorum civitas, rursus Deo duce nacta salutem, cives ejus tres omnium optimos, Soli et Apollini communes primitias prisca lege, quatenus judicium secuturi sunt, consecrat. qui primo anno duodecim repetundarum rationum examinatores constituant: idque faciant, donec singulis septuagesimus quintus annus exactus sit: deinde singulis annis tres semper addantur. hi magistratus omnes, in partes duodecim distributos, omni libera examinatione judicaturi, diligenter observent. habitent autem tempore, quo rationes sibi redduntur, in loco, ubi electi

fuerunt, Soli atque Apollini dedicato. et tum per se solum quilibet, tum communiter omnibus diligenter perquisitis, de singulis magistratibus publice perscribant, quid pati eos dareve ex repetundarum judicum sententia deceat. ac siquis magistratus horum judicio non recte damnatum esse se queritur, ad electum judicium repetundarum judices deferat : et si evaserit, accuset eos, si velit. sin autem ibi quoque damnetur, atque antea ab ipsis repetundarum judicibus morte fuerit condemnatus ; quemadmodum necessitas exigit, moriatur. quod si ea mulcta ab illis damnatus fuerit, quæ dupla ab ipso persolvi potest, duplam persolvat. sed jam audiendum est, quæ horum de repetundis sententiæ, et quomodo ferendæ sint. his igitur, qui totius civitatis consensu omnibus propositi sunt, [947] donec vixerint, primi consessus semper in omnibus solemnitatibus præbeantur. et quandocunque ad communia Græcorum spectacula sacrificiaque mitti judices ac præsides aliquos a civitate necesse est, ex istis mittantur : hi soli in civitate corona laurea coronentur. hi Solis et Apollinis sacerdotes sint : pontifex etiam summus singulis annis ex istis ille sit, qui superiori anno ceteris excelluisse sacerdotibus judicabitur. horum nominibus, quousque civitas habitabitur, tempore distinguantur. defunctis autem funera et sepulcra excellentius, quam ceteris civibus, fiant. indumenta quælibet alba sint : luctus ploratusque absit. chori quoque duo, unus puellarum quindecim, alter totidem puerorum, feretro undique circumdato, vicissim sacerdotes carminibus laudent, felicitatemque ejus per totum diem decantent. mane vero ad monumentum feretrum juniores ferant, qui gymnasiis operam impendunt, quos defuncti hominis propinquiores delegerint : primique cœlibes, quasi ad pugnam armati, præcedant, cum equis equites, et cum levibus armis pedites, ceterique similiter. pueri vero ante feretrum, patrium cantum concinant, et puellæ post eos, ac mulieres jam efflœtæ sequantur. postremo utriusque generis antistites, quamvis ab aliis monumentis arceantur, tamen si Pythius quoque confirmaverit, ad hoc sepulcrum, quasi purum quiddam sit, nil prohibet devenire. monumentum huic sub terra sit fornix quædam longior ex durissimis pulchrisque lapidibus, ubi lapidei lectuli utrinque sint. hic beatum illum sepeliant, arboresque in circuitu plantent, una excepta solummodo parte, ut hoc sepulcrum augeri possit. deinde singulis annis musico, gymnico equestrique certamine hos viros honorent. hæc præmia illis reddantur, quorum de relatis rationibus judicia damnata non sunt. si quis autem horum judicio confidens, quo prælatus fuit, naturæ humanæ fragilem conditionem detexerit, lapsus videlicet in errorem, postquam egregius habitus est : sanciatur lege, ut a volente quolibet accusetur. [948] judiciumque de ipso sic agatur. primo legum custodes adsint, deinde accusati ipsius collegæ, electi præterea judicii judices. adducat autem accusator indignum esse illum, qui accusatur, et magistratu et magistratus præmiis. si ergo damnabitur, magistratu, sepulcro ceterisque illi magistratui competentibus præmiis privetur. sin vero accusator quintam suffragiorum partem non habuerit, qui primi census est, duodecim ; qui secundi, octo ; qui tertii, sex ; qui quarti, duas minas persolvat. Magna autem in judicando admiratione dignum fuisse Rhadamanthum video. ille siquidem perspiciebat in illis temporibus, Deos esse omnes uno ore homines confiteri. neque id injuria, cum multi in illis temporibus ex Diis progeniti essent, quorum in numero ipse etiam habebatur. itaque videtur putasse, Diis, non hominibus esse judicia committenda. quocirca simpliciter velociterque judicia peragebat. nam jurejurando in singulis causis a litigantibus requisito, cito simul ac tuto judicare solebat. nunc vero alii Deos esse negant, alii res humanas curare non putant ; plurimi vero et pessimi vilibus hostiis multisque blanditiis ita conciliari sibi eos existimant, ut impune liceat grandem pecuniam

extorquere. quocirca Rhadamanthi judicandi modus ille his hominibus minime congruit. nam cum opiniones hominum de Diis mutatæ sint, leges quoque commutandæ sunt. itaque prudens legislator in judiciorum exsecutione jusjurandum litigantium prohibebit, ut tam accusatoris intentio quam defensoris deprecatio sine jurejurando in judiciis conscribatur. nam si jurandi licentia in civitate cuique dabitur, ubi plura quotidie ad judices deferuntur, omnes pæne perjuri erunt, præsertim quia frequentibus conviviis aliaque consuetudine ac privata necessitudine conjuncti sunt. lege igitur statuatur judicaturum judicem jurare, atque eos etiam, qui reipublicæ magistratus suffragiis constituent: [949] choreæ quoque judicem et omnis musicæ, gymnicorum etiam equestriumque munerum in certamine præsides atque datores: et summatim, in quibuscunque secundum hominum opinionem nulli emolumento perjurium sit. in quibus autem utilitatem ex perjurio aliquis assequitur, ea sine jurejurando judicentur. et qui judicaturi sunt, nullo modo litigantes permittant aut jurare persuadendi causa, aut sibi generique suo imprecari, aut turpiter supplicare, aut commiseratione muliebriter uti: sed quod justum putant, mansuete doceant et docentem audiant. quod si ab his aberrat, ad rem a magistratu reducatur. peregrinis autem inter se litigantibus, quemadmodum nunc, si velint, jurare liceat. nam cum in civitate consenescere non debeant, non est formidandum ne alios corrumpant. eodem autem modo inter liberos homines exsecutio judicii fiat, si quis liber civitati non obtemperat in his, quæ nec verberibus nec vinculis nec morte plectuntur. at si quis ad choream vel ad pompam celebrandam non venit, vel aliam hujuscemodi rem communem, ut ad ministerium sacrificii pacisque sacra vel belli tributum non contulit: in his omnibus quamprimum damnum restituatur; aut pignus, cui civitas lexque commiserit, deferatur, exactoque tempore, pignore vendito pecunia in ærarium conferatur. quod si majore mulcta opus est, magistratus singuli pertinaces homines in judicium vocent, et debita mulcta imposita legibus parere compellant. sed civitati, quæ colligendæ pecuniæ operam non dat, et sola ex agricultura pecunias habet, cum neque mercaturæ neque peregrinationibus vacet, neque peregrinos aliunde suscipiat, deliberare necesse est, quid faciendum sit. quare legislator suadendo primum, ita pro viribus consulat. solet gentium diversarum commixtio varios mores confundere, [950] et peregrinorum cum peregrinis consuetudo plurima innovare. quod civitati bene rectisque legibus institutæ maxime omnium nocet: in civitatibus autem male institutis nihil refert, si tam senes quam juvenes pro arbitrio et alio peregrinentur et aliunde peregrinos suscipiant. contra vero nullos unquam recipere advenas nec alio ipsos proficisci, tum impossibile est tum crudele atque superbum ceteris hominibus videatur necesse est, qui civitatem turpi vocabulo notent, peregrinorum hostem et difficilem atque inhumanam appellantes. non oportet autem unquam parvi facere, utrum probus an improbus aliis videaris. multi enim, quamvis virtutis expertes sint, qui tamen probi sint, qui improbi, judicant: nam pravis quoque hominibus divina quædam conjiciendi vis inest, per quam multi vel pessimi recte, tum opinione tum verbis, a melioribus deteriores distinguant. quocirca utiliter civitatibus præcipitur, ut bonam apud multos existimationem non parvi pendant. maximum sane atque rectissimum est, ut, cum sis probus, ita gloriam quæras: aliter minime, si modo perfectus vir futurus es. quapropter Cretensis quoque civitas ista conari debet, ut quam optimam virtutis existimationem apud ceteros homines consequatur. maxima vero spes est, eam, ratione viventem, merito Solem ceterosque Deos cum paucis aliis civitatibus regionibusque bene gubernatis visuram esse. sic igitur de peregrinatione alio et de peregrinorum receptione sanciendum est. Ei primum, qui pauciores annos quam

quadraginta natus est, nullo modo peregrinari liceat: privato quoque nemini liceat. publice autem præconibus, legatis atque exploratoribus liceat. profectio vero extra regionem ad gerendum bellum civilis peregrinatio putanda non est. ad Pythium vero Apollinem, ad Jovem Olympicum, Nemeam etiam et Isthmum mittendi sunt aliqui, per quos sacrificia ludosque his Diis civitas nostra communiter conferat. mittantur autem pro viribus plurimi, pulcherrimi, optimi. qui in sacris pertinentibusque ad pacem communionibus civitati suæ honorem et gloriam bellicæ gloriæ respondentem comparent. [951] cumque redierint, juniores doceant civiles aliorum institutiones suis multo posteriores esse. spectatores quoque alios, qui, otio abundantes, aliorum res hominum considerare cupiunt, ex legum custodum instituto lex nulla prohibeat. nam civitas, bonorum malorumve hominum ignara, et externæ consuetudinis expers, nunquam satis humana atque perfecta esse potest; nec leges servare moribus et consuetudine solum, nisi etiam notitia legum prudentior fiat. exsistunt vel in vulgo et multitudine homines quidam divini, quamvis pauci, attamen digni quibuscum consuetudinem habeas. hi non magis in bene gubernatis civitatibus quam in aliis oriuntur. quicunque igitur in civitate recte gubernata incorruptus erit, horum vestigia, a patria profectus, terra marique sequetur, ut tandem reversus legum patriæ alias probet, alias, si qua in re deficiunt, corrigat. quippe sine hac inspectione investigationeque nunquam optime civitas permanebit: neque etiam, si male investigetur. Cli. Quomodo hæc utraque fient? Athen. Hoc certe pacto. primo spectator hujusmodi annos plures quam quinquaginta natus sit: deinde cum in ceteris, tum maxime in bello, probatus, si modo legum custodum exemplum in aliis civitatibus sit relicturus. is ultra sexagesimum annum non amplius vagetur: sed citra decimum annum, quando voluerit, domum reversus, eorum ineat cœtum, qui leges examinant. hic cœtus e junioribus atque senioribus constet, quotidieque mane, donec sol oriatur, conveniat: primum de sacerdotibus, qui tanquam ceteris excellentiores muneribus affecti sunt; deinde decem de legum custodibus seniores; postremo disciplinæ universæ censor, qui magistratum hunc gerit, et qui jam exegerunt. nec ullus istorum solus, sed cum juniore aliquo, quem delegerit, a trigesimo ad quadragesimum annum nato. hi de legibus semper et de republica disserant, conferantque invicem, si quid de his excellens audierint, [952] de disciplinis etiam ad id conducentibus colloquantur, quas qui sciunt, facilius, qui nesciunt, difficilius legum intentionem intellecturi sunt. quæ vero ex his seniores probaverint, magno studio juniores perdiscant. quod si quis junior adductus indignus videbitur, totus cœtus ei exprobret, qui adduxit. juvenes autem, qui se in his recte gesserunt, tota civitas honoret atque observet. sed si pejores aliis se reddunt, majori quam alii dedecore afficiantur. ad hunc cœtum, qui aliorum leges et mores inspexit, illico profectus, si quid de ferendis legibus aut disciplina aut educatione apud alios reperit, exponat: si quid etiam ipse invenit, cœtui universo declaret. qui si nec pejor nec melior revertisse videbitur, laudetur, quia, quod potuit, libenter effecit. sin multo melior, et vivus magnis afficiatur honoribus et defunctum cœtus omnis decoret. at si corruptus redisse videbitur, cum sapiens esse simulet, cum nemine juniore vel seniore audeat se miscere. hic, si magistratibus paret, privatus vivat: sin autem contra magistratuum voluntatem de disciplina legibusque civilibus disputare condemnatus in judicio fuerit, moriatur. et si, cum in judicium deduci jure debuerit, a nullo magistratuum sit adductus, quando de muneribus postea decernitur, opprobrio hæc res magistratibus sit. atque alio quidem profecturus hujusmodi esse et ita peregrinari debet. sed et advenæ benigne suscipiendi sunt. quatuor autem peregrinorum genera sunt, de quibus facienda mentio est. primum

eorum, qui semper æstivales sunt, et quasi aves per mare ut plurimum, acquirendæ pecuniæ gratia, æstatis tempore ad alias devolant civitates. hos foro, portubus publicisque domibus extra urbem in ipsis suburbiis, magistratus locis illis præfecti suscipiant, observantes, ne quis eorum novi aliquid faciat. [953] judicia etiam illic eis juste reddantur, ita ut nihilo plus, quam necessitas cogat, cum iis familiaritatis habeatur. alterum est eorum, qui spectaturi veniunt, et civitatis Musas illic audituri. hi omnes diversoria juxta templa habeant, quæ suscipiendis hospitibus commodissima sint. sacerdotes vero et æditui curam ipsorum habeant, ut jucunde possint sufficienti tempore permanere, et videre audireque illa, quorum gratia venerunt, et tandem sine detrimento et suo et aliorum recedere. quod si quis eorum injuriam cuiquam intulerit aut affectus injuria sit, usque ad drachmas quinquaginta sacerdotes cognoscant : crimina vero majora ad curatores rerum venalium deferantur. tertium peregrinorum genus publice suscipiendum est, cum aliunde quispiam publica causa missus advenerit. hunc imperatores, magistri equitum, tribuni militum soli suscipiant. et is, apud quem divertit, cum principibus consilii curam hujus habeat. quartum genus rarissimum est : accedere tamen aliunde aliquis poterit, spectatoribus nostris reciprocus. hic ita recipietur : primo, si quinquaginta annos impleverit; deinde, si ea mente venerit, ut vel consideret, quæ apud alios præclara habentur, vel sua doceat. hic sane divitum sapientumque januas injussus adeat, cum ipse hujusmodi sit : et quasi hospes disciplinæ præfecti domum recte petat, non dubitans hospitalem eam propter virtutis conjunctionem sibi futuram. cumque ab aliis didicerit atque docuerit, quæ discenda docendaque putavit, honore sibi congruo muneribusque affectus, ut ab amicis amicus, abeat. his legibus peregrinos peregrinasque suscipiamus, nostrosque similiter emittamus, hospitalem veriti Jovem. non enim esu et hostiis, quemadmodum apud Nilum fit, peregrini pellendi sunt : nec atroci edicto a finibus nostris arcendi. fidejussor quilibet palam fidejubeat, totumque negotium conscriptum coram tribus, nec paucioribus, testibus fateatur, si citra mille drachmas fidejussio fiat : sin ultra mille, quinque ad minus testes adhibeantur. [954] fidejussor autem sit, qui prius vendidit, ejus de quo, an jure possit vendere, dubitatur, atque ejus, qui videtur minus ad promissa sufficere : similiterque tam qui prævendit, quam qui vendit, tanquam obnoxius judicio subjiciatur. si quis in domo alterius quærere quippiam, tanquam suum, velit, is primo jurejurando affirmet, sperare, quod quærit, ibi se inventurum : deinde nudus aut interula indutus ingrediatur præcinctus : præbeaturque sibi domus et supellectilia, signata simul et non signata. quod si quis scrutari volentem non permiserit, qui prohibitus est, pretio amissæ rei statuto, accuset eum, qui ipsum depulit ; et ille, si damnatus fuerit, duplum restituat. si dominus ipsius domus abfuerit ; non signata solummodo a præsentibus præbeantur : signata vero ipse quoque obsignet, et custodem ad quinque dies relinquat. quo in tempore si patronus non venerit, ædilibus secum acceptis obsignata resignet, et cum ante oculos domesticorum et ædilium quæsierit, rursus obsignet. in rebus ambiguis spatium temporis ad præscriptionem determinandum est. de domibus quidem et agris nulla hac ratione disceptatio erit. aliarum vero rerum si qua a quoquam habetur, isque in urbe, foro, sacris, aperte anno integro re illa usus fuerit, atque hunc non occuluisse constet ; nec quisquam interea, quamvis quærens, eam exegerit : nemini liceat deinde rem illam, quasi suam, reposcere. verum si non in urbe, sed in agris manifeste utatur, nec in annis quinque rei dominus compertus sit, quinquennio exacto repeti nequeat. sin vero in urbe domi utatur, ad triennium usque apprehendere possit, qui amisit. in agris autem, si occulte habet, usque ad decennium. sin extra

regionem, semper, quandocunque invenerit, apprehendat. quando aliquis vi eum, qui litigat, seu testes venire in judicium prohibet, si servus ille sit, sive suus sive alterius, nullius momenti lata sit: sin vero liber, et sententia irrita sit et anno vinciatur, qui depulit, et si quis latrocinii eum accusare voluerit, fas esto. [955] si quis aliquem secum musica vel gymnica vel alia quavis facultate certaturum in certamen descendere vi prohibuerit: quisquis velit, munerum declaratoribus id significet; qui procurent, ut quilibet liber certare possit. id si facere non potuerint, victoriæ munera prohibito dentur, si prohibitor vincet: et ipsius, tanquam victoris, nomen in quibuscunque velit templis inscribatur. prohibenti vero nec nomen inscribere nec victoriæ offerre insignia liceat: ac seu vincat certando seu vincatur, illati damni crimine reus sit. si quis rem furto sublatam sciens receperit, in eadem culpa sit qua ille, qui furatus est. qui exsulem, seu quemvis hujuscemodi fugientem susceperit, moriatur. quippe quem civitas amicum sibi vel hostem decreverit, eundem sibi quisque similiter existimare debet. si quis consilio suo, absque auctoritate communi, pacem inivit aut bellum movit, ultimo supplicio condemnetur. quod si pars aliqua civitatis id tentavit, hujus rei auctores, a militiæ imperatoribus tracti in judicium et damnati, morte plectantur. qui patriæ in aliqua re ministrant, nullo modo munera recipiant: nec ulla occasione aut ratione nobis persuadeamus, in rebus quidem bonis suscipienda esse munera, in aliis minime. nam nec cognoscere facile est, neque, cum cognoveris, continere. iccirco tutius est legibus obtemperare, dicentibus nulla pro patriæ ministerio munera esse suscipienda. si quis vero minus obtemperasse damnatus fuerit, moriatur. tributa vero sic publica disponantur. primo quidem, multorum gratia, rerum omnium cujuscunque civis census habeantur. deinde annuos fructus tribules ad agri magistratus conscriptos deferant, ut, cum duo tributa sint, respublica possit alterutro, ut videbitur, annis singulis uti; scilicet vel universi census vel annui fructus parte: unde, quæ ad alimenta tribuuntur, semper excipiantur. Donaria Diis moderata a moderatis hominibus offerantur. terra quidem et Vesta sacra Deorum omnium habitatio est. nemo igitur ex hac materia iterum simulacra diis constituat. aurum autem atque argentum et privatim, et in templis, in aliis civitatibus invidiosa possessio est. [956] ebur vero cum olim ab anima destitutum fuerit, ad deorum simulacra ineptum est. æs atque ferrum bellica sunt instrumenta. ex ligno igitur uno, vel unoquovis lapide integræ deorum imagines in templis communibus statuantur. texturæ quoque opus offeratur non majus quam quod ab una muliere mense uno fieri potuit. colores albi tam in aliis quam in textili artificio diis congrui sunt, tincta vero coloribus aliis ad bellica insignia solum adhibeantur. divinissimæ vero oblationes sunt aves atque picturæ, quas singulas uno die pictor unus depinxit: cetera quoque omnia his similia sint. postquam vero urbis partes, quæ et quot esse debent, distinctæ sunt, et leges de pactis commerciisque maximis pro viribus positæ: superest, ut de judiciis jam dicamus. primum igitur arbitri judices, quos litigantes elegerint, locum habeant. hi conciliatores commodius quam judices appellari possunt. deinde vicini et tribules, secundum partem duodecimam distributi: apud quos, si reconciliati a primis non fuerint, majori cum damno litigent. ubi si debitor iterum condemnabitur, quintam debiti partem persolvet. quicunque vero ab hoc quoque judicio appellat, ac tertio certare volet, electos judices petat. et si ab iis etiam condemnabitur, et quantum debitum ipsum est, et dimidiam supra debitum partem afferat. ac si accusator, a primo judicio repulsus, non quieverit, sed in secundo judicio iterum certare voluerit, quintam, si vicerit, partem accipiat: victus autem tantundem amittat. quando vero per primos et secundos judices non-

dum reconciliati tertios petunt, debitor quidem victus tantundem et dimidiam insuper debiti partem, ut diximus, victori deponat: accusator autem superatus dimidiam. sed de creandis declarandisque judicibus, de istorum omnium ministratione, de temporibus, in quibus singula facienda sunt, de ferendis suffragiis, de mora et dilatione judicii, termino, citatione, repulsa, ac de ceteris omnibus, quæ judiciis necessaria sunt, quamvis in superioribus tetigimus: tamen, quæ pulchra sunt, ut habet proverbium, et bis et ter recte dici possunt. [957] parva vero quæque et inventu facilia, si legumlator antiquior prætermiserit, junior repleat. sed de privatis quidem judiciis satis jam dictum est. publica vero atque communia, quibus usi magistratus, quæ ad eos pertinent, peragunt, in multis civitatibus a prudentibus viris recte constituta reperiuntur. unde custodes legum oportet, quæ huic novæ reipublicæ congruant, accipere: ita, ut singula periculo examinata et corrigant diligenter et probent, donec sufficienter se habere putentur; et denique discussioni fine imposito his, tanquam immobilibus, per totam vitam utantur. de silentio vero, laude vituperationeque, et de justis, bonis, honestis, quæ in aliis civitatibus differunt, et dictum est et in fine dicetur. ad quæ omnia æquus futurus judex respicere debet, atque operam dare, ut has legum constitutiones ante omnia discat et mente firmiter teneat. nam ad faciendum eum virum, qui didicit bonum, scripta legum præ ceteris doctrinis, si recte se habent, maxime conferunt. alioquin temere miranda divinaque lex nomen menti proximum possideret. nus enim mentem, nomos vero legem significat. nam cum multi sermones de laude vituperationeque nonnullorum, partim carminibus partim soluta oratione, tum scripti circumferantur, tum quotidie in coronis, seu contendendo sive falso assentiendo, habeantur: horum omnium perspicuum examen legislatoris scripta nobis sunt. hæc, quasi remedium medelamque adversus aliarum orationum venena, probus judex secum semper tenebit: quibus se ipsum civitatemque emendabit, bonos confirmabit atque extollet: pravos ex ignorantia, incontinentia, timiditate, et, ut summatim dicam, ex injustitia universa, pro viribus, si sanabiles sunt, revocabit. [958] nam si sanari non possunt, qui eos morte afficiunt, apud omnes laude digni judices judicumque principes non injuria sæpius dici posse videntur. sed postquam annua judicia exacta sunt, legibus istis utantur: primum magistratus, qui jam judicium exercet, debitoris damnati pecuniam petitori omnem tradat, necessariis tantum ad usum relictis: idque statim post lata suffragia fiat, nuntiante præcone et judicibus audientibus. deinde, si secundus a lata sententia aderit mensis, neque victori victus sponte justa persolverit: judices, qui sententiam tulerunt, cunctam debitoris pecuniam victori tradant. quod si præsentia minus sufficiunt, nec minus quam drachma deficit una, non liceat deinde debitori prius alium quemquam in judicium trahere, quam debitum creditori totum restituat: trahi vero ab aliis possit. si quis in judicio damnatus judices ipsos læserit, aut quicquam eorum injuste abstulerit, iidem ipsi judices ad custodes legum deferant. a quibus si criminis hujus damnabitur, quasi civitatem omnem legesque everterit, moriatur. qui sub his legibus geniti educatique liberos similiter genuerunt atque educaverunt, ita cum aliis versati, ut moderatum fuerit eorum commercium, illatæ injuriæ pœnas dederint, acceptæ exegerint, sicuti juste legibus istis usque ad senectutem vivunt, ita secundum naturam e vita decedunt. mortuis vero tam viris quam mulieribus, parentationes quidem, et quæ ad Deos, sive inferos sive superos, pertinent, secundum responsa interpretum fiant. nullum in loco fœcundo et agro ad culturam apto sepulcrum fiat: sed is locus corpora defunctorum recipiat, qui ad cetera inutilis et ad id tantum commodus viventes minime lædit. nec enim a vivis neque a mortuis terræ matris fœcunditas impedienda est.

nemo ergo aut vivens aut mortuus vivum aliquem alimento privet. agger non altior sit eo tumulo, quem viri quinque diebus quinque construere possint. lapides quoque superstruantur non majores, quam ut possint defuncti laudes, quatuor solum heroicis versibus editas, comprehendere. [959] elationes autem non breviori vel longiori tempore intus fiant, quam vere mortuus significari cognoscique possit. ac ut humana se habent, triduana elatio ad sepulcrum mediocris videtur. credendum est autem et de aliis legumlatori, et de anima, cum eam dicat omnino a corpore differre; nec aliud præter ipsam esse, quod in hac vita facit, ut quilibet nostrum hoc ipsum sit, quod sumus: corpus vero, tanquam imaginarium quiddam, hominem sequi; commode etiam mortuorum simulacra corpora vocari: ac revera unumquemque nostrum animam ipsam immortalem esse, eamque ad Deos alios proficisci, rationem suorum operum reddituram, ut lex patria continet. in quo certe bonis viris confidendum esse; malis autem formidandum, quippe cum post mortem omni auxilio careant: viventibus autem necessarios omnes consulere debuisse, ut quam justissime atque sanctissime vivant, ne maxima eos scelerum post mortem supplicia maneant. hæc cum ita se habeant, rem familiarem atterere minime debemus, quasi arbitremur hanc carnis molem, quæ sepelitur, nostrum illum esse: cum ille filius aut frater aut quivis alius a nobis desideratus, quem sepeliri putamus, hinc alio, fatis suis exactis, profectus fuerit. probe igitur factum erit, si, tanquam ad manium aram anima carentem, moderato utamur impendio. moderatum vero quantum sit, a legumlatore merito statuetur. lex igitur ista sit, ut, qui maximi census est, ad funus et sepulturam non plus quam minas quinque impendat: qui secundi, tres: tertii, duas: quarti, unam: atque ita singulorum moderata erit impensa. ceterum custodes legum cum alia multa, tum hoc maxime curare debent, ut pueri et viri, et, ut summatim dicam, cujuscunque sexus vel ætatis homines ab illis jugiter observati bene vivant: et in civis cujusque decessu unus ipsorum, quem mortui hominis conjuncti elegerint, funus totum observet, provideatque, ut bene moderateque omnia, non contra gerantur: et illud sibi honori, hoc dedecori sit· expositiones utique et elationes et cetera omnia secundum leges de his conscriptas fiant. civilis autem legislatori concedatur ista: lacrimis mortuos decorare aut non, turpe legumlatori cogere est: [960] plangere vero et extra domum vociferari prohibendum est. cadaver etiam manifeste per vias urbis frequentiores efferre, et palam ejulare, aut ante diem extra urbem se afflictare, non liceat. hæc ita de his statuta permaneant; quibus qui paret, indemnis esto: qui vero uni legum custodi non paret, ab omnibus, ut communiter videbitur, puniatur. cetera, quæ vel ad mortuorum monumenta vel ad eos, qui propter parricidium sacrilegiumque sepultura indigni sunt, pertinent, superioribus legibus comprehendimus. quare legum positio ferme finem habet. omnium vero finis est non in eo, quod facta sint vel possessa vel habitata: sed in eo potius, quod sicut recte sunt facta, ita et firmiter stabilita sint. in hujusmodi enim conservatione putandum est, quantum oportuit, factum esse: aliter minime. Cli. Probe loqueris, hospes. sed quorsum ista, explanatius dicito. Athen. Multa, o Clinia, priscorum præclare dicta laudantur: nec minus Parcarum nomina. Cli. Quænam? Athen. Quod Lachesis prima sit, Clotho altera, Atropos tertia, quæ salutem prædictis affert. hæc ad ignem contortis, quia vim inconvertibilem continent, comparata sunt. quæ quidem in civitate et republica oportet non solum sanitatem corporibus stabilem, sed animis quoque legum cultum, immo vero legum salutem, afferre. sed mihi videtur negotio legum adhuc illud deficere, ut disseratur, quo pacto illis secundum naturam vis inconvertibilis possit inesse. Cli. Non parvum est, quod dicis: si inventu possibile est, quo pacto in unaquaque re

id fiat. Athen. Possibile est profecto, ut mihi ad præsens videtur. Cli. Ne igitur abeamus hinc, obsecro, antequam nostris legibus id tribuamus. ridiculum est enim, frustra in aliqua re sumpsisse laborem, nec stabile aliquid fundavisse. Meg. Recte tu admones : me quoque tecum habebis. Cli. Probe dicis. quæ igitur salus ista est? et qua ratione reipublicæ nostræ et legibus aderit? [961] Athen. Nonne diximus cœtum in civitate hujusmodi esse constituendum, ubi decem de legum custodibus semper seniores conveniant? his accedant omnes, qui muneribus præmiisque honorati sunt; præterea et illi, qui multas urbes peragraverunt, ut aliquid ad patriarum legum conservationem conferens reperirent. sed hi ad cœtum hujusmodi non recipiantur, nisi ex ea peregrinatione incorrupti et integri rediisse et cœtu digni esse probentur. atque horum singuli singulos sibi juniores asciscant, non pauciores annos quam triginta natos, qui natura educationeque digni esse asciscenti primum, deinde et universo cœtui, videantur. quod si quis indignus adhibeatur, nullius momenti sententia sit. hunc cœtum ante lucem convenire diximus oportere, quando a ceteris tam privatis quam publicis negotiis vacatur. an non tale aliquid in superioribus diximus? Cli. Certe. Athen. De hoc cœtu iterum illud dicam. aio enim, si quis hunc, quasi ancoram universæ civitatis, quæcunque ad hoc exiguntur in se continentem, jaciat, omnia, quæ volumus, servaturum. Cli. Quo pacto? Athen. Opportune modo dicemus, totisque viribus incumbemus. Cli. Probe dixisti : et, ut cogitas, facito. Athen. Oportet sane, o Clinia, in unaquaque re congruum singulorum operum servatorem excogitare : qualem maxime locum in animalibus anima et caput habere videntur. Cli. Qua ratione rursus id ais? Athen. Horum nempe virtus omni animali salutem præbet. Cli. Quo pacto, inquam? Athen. Nam animæ quidem ad alia mens infusa est: capiti quoque ad alia visus auditusque insertus. atque ita summatim pulcherrimis sensibus mens conjuncta, et in unum redacta, salus singulorum efficitur. Cli. Ita videtur. Athen. Certe. nam et mens sensibus conjuncta, navibus in tempestate et tranquillitate salutem afferre solet. an non vides, quod gubernator et nautæ simul, cum mente gubernatrice sensum conjungentes, se ipsos navemque tutantur? Cli. Quidni? Athen. Non multis exemplis opus est. sed in exercitu et medicina consideremus, ad quod signum respicientes imperatores et medici salutem rectissime consequuntur. Nonne illi ad hostium fugam et victoriam suam? isti ad corporis sanitatem? Cli. Procul dubio. [962] Athen. Si medicus corporis sanitatem ignoret aut victoriam imperator, et cetera, quæ dicebamus, mentemne habere scireque aliquid in his videbuntur? Cli. Nequaquam. Athen. Quid porro in civitate? si quis finem, ad quem vir civilis respicere debet, ignorare videatur, an primum jure princeps poterit appellari? deinde servare id poterit, cujus finem prorsus ignorat? Cli. Minime. Athen. Oportet igitur et nunc, ut videtur, si novæ hujus urbis constructio bonum exitum habitura sit, aliquid in ea esse, quod cognoscat, primum quisnam civilis sit finis : deinde quomodo illum assequamur : et demum quæ lex primum, deinde quisnam hominum recte ad illum consulit aut non recte. quippe quæ civitas his carebit, non erit mirum, cum mente sensuque capta sit, si forte casuque singula faciat. Cli. Vera loqueris. Athen. Nunquid dicere possumus, in qua maxime civitatis nostræ parte vel quo studio hujusmodi aliquod ad salutem præsidium sufficienter constitutum sit? Cli. Quamvis non liquido id asserere audeam, hospes, conjicio tamen, hanc orationem tuam ad nocturnum illum cœtum, quem modo dixisti, contendere. Athen. Recte, o Clinia, conjecisti : oportetque illum, ut ratio præsens significat, omni virtute præditum esse. virtus autem ejus prima atque præcipua est, ne per multa variaque vagetur ; sed ad unum respiciat semper,

quo omnia, quasi tela, sibi semper dirigenda sunt. Cli. Ita prorsus. Athen. Nunc ergo intelligimus non esse mirum, si civitatum leges longe aberrent. nam in qualibet civitate alia legum positio ad aliud et alia ad aliud respicit: et aliis justorum finis est, ut aliqui, sive meliores illi quidem sive pejores, in republica dominentur: aliis, ut ditentur, sive serviant sive non: aliorum studium vertitur ad libertatem. alii leges ad duo condunt, ut et ipsi liberi sint et alias urbes subigant. qui vero sapientissimos se putant, ad hujusmodi omnia simul: unum vero præcipuum, ad quod cetera dirigant, non habent. Cli. Nos igitur, hospes, recte jamdiu legibus nostris ad unum respiciendum putavimus: [963] idque virtutem appellari concessimus. Athen. Ita est. Cli. Et virtutem quatuor quædam ponebamus. Athen. Certe. Cli. Mentem vero horum omnium ducem, ad quam et cetera omnia, et tria illorum respicere oporteret. Athen. Pulcherrime sequeris, o Clinia: et in ceteris similiter sequere. mentem quidem gubernatoris, medici, imperatoris ad certum quiddam respicere dicebamus. civilem vero redarguentes huc processimus; et nunc, veluti hominem, ita civilem hanc mentem percontemur: O mirifice vir, quo tendis? quid illud unum est, quod in arte sua medicus plane assignare potest, et tu, qui ceteris prudentibus præstare te dicis, in tua facultate non poteris? An vos, o Clinia et Megille, pro ipso respondere potestis, quid hoc ipsum sit, ut ego sæpe ad vos pro aliis feci? Cli. Nequaquam, hospes. Athen. An non quærendum putatis, quid illud sit et in quibus? Cli. Dic plane. Athen. Cum quatuor virtutis species posuerimus, patet earum quamlibet unam esse, si quatuor simul conficiunt. Cli. Quidni? Athen. Unum etiam cuncta hæc nominamus. fortitudinem enim virtutem esse dicimus: prudentiam, virtutem: et reliqua duo similiter, quasi revera non multa sint, sed unum id solum, quod virtus est. Cli. Omnino quidem. Athen. In quantum igitur duo hæc inter se differunt, et duo nomina acceperunt, atque alia duo similiter, difficile dictu non est: in quantum vero in utrisque unum posuimus, idque virtutem vocavimus, et in duobus reliquis similiter, non ita facile. Cli. Quomodo istud ais? Athen. Non est arduum, quod dico, explanare. agite ergo, interrogandi respondendique munus inter nos partiamur. Cli. Quo pacto? Athen. Interroga tu me, quidnam unum appellantes virtutem, duo utraque rursum diximus, alterum fortitudinem, alterum vero prudentiam. causam equidem tibi affero, quod alterum circa timores versatur. unde belluæ quoque fortitudinis participes sunt et infantium animi. natura enim quodammodo et sine ratione animus fortis efficitur: sed absque ratione prudens anima et mentis compos nec fuit unquam nec est nec erit. aliud ergo hæc est, quam illa. Cli. Vera loqueris. [964] Athen. Quomodo ergo duo hæc differentia sunt ratione, a me accepisti: quomodo vero unum et idem, tu rursum me doceas, ita ut dicturum te putes, quo pacto, cum sint quatuor, rursus unum sint, et me postea tibi rursus, quomodo quatuor sint, declaraturum. deinceps autem consideremus, utrum, qui res aliquas sufficienter intellecturus est, quæ et nomen habent et rationem, nomen solummodo scire debeat, rationem minime. an potius, si pretii alicujus est, turpe sibi est, rerum magnitudine et pulchritudine excellentium tam nomina quam rationes ignorare? Cli. Ita videtur. Athen. Legum vero conditori atque custodi, et ei qui virtute præstare ceteris opinatur et munera pro his rebus accepit, estne majus aliud quam fortitudo, temperantia, justitia, atque prudentia? Cli. Quomodo aliud? Athen. De iis igitur interpretes, doctores, legum conditores, aliorum custodes, nonne ceteros, qui scire cupiunt vel punitione et increpatione indigent, docere debent, quas vires virtus, quas vitium habeat, atque hæc significando excellere ceteris? an vero

poëta quispiam aut juventutis magister, urbem nuper ingressus, eo præstantior judicabitur, qui omni se virtute excellere profitetur? et deinde mirum videbitur, si ea civitas, ubi custodes virtutis nomen rationemque non tenent, tanquam deserta custode, eadem patiatur, quæ et aliæ multæ hodie patiuntur? Cli. Nihil certe mirum. Athen. Ad hoc itaque incumbamus. quomodo igitur custodes in virtute ceteris tam re quam verbo exquisitiores reddemus? vel quo pacto prudentum capiti atque sensibus similis civitas nostra propter hujusmodi custodiam fiet? Cli. Quonam pacto hanc, o hospes, similitudinem faciemus? Athen. Patet, quia civitas capitis quædam capacitas erit: custodes autem juniores sagaces sollertesque supremo in vertice collocabuntur, unde urbem totam circumspicient, et custodiendo, quæ sentiunt, memoriæ commendabunt, omniaque senioribus nuntiabunt: qui mentis ob rerum multarum cognitionem persimiles civitati consulent, juvenum ministerio usi. [965] atque ita utrique communiter civitatem omnem conservabunt. sicne, an aliter, ipsos præparandos putamus? an æquales omnes habendos esse censemus, nec exquisitiori ratione educari erudirique nonnullos volumus, eosque ceteris anteponi? Cli. At id quidem, o mirifice vir, impossibile est. Athen. Ad exquisitiorem ergo disciplinam, quam superior illa sit, veniamus. Cli. Sic ferme. Athen. Atqui ea forte, quam modo tetigimus, hæc ipsa est, quam quærimus. Cli. Omnino. Athen. Dicebamus autem præcipuum in singulis opificem atque custodem non solum oportere, ut multa cernere possit, sed ut ad unum etiam tendat, illudque cognoscat, et cum cognoverit, cuncta illo, quæ perspicit, dirigat. Cli. Recte. Athen. Estne igitur exquisitior consideratio alia rerum, quam ut possis ad unam ex multis dissimilibusque ideam aspicere? Cli. Fortasse. Athen. Ne, fortasse, dicas: sed revera, o beate vir, nemo certiorem hac viam rationemque unquam habebit. Cli. Tuis rationibus, hospes, persuasus concedo: quare ita prosequamur. Athen. Compellendi ergo divinæ reipublicæ custodes nobis sunt, ut exacte inspiciant, primum quid in omnibus quatuor idem sit, quod cum in fortitudine, temperantia, justitia, et prudentia insit, uno virtutis nomine jure volumus appellari. id, o amici, si vultis, modo apprime teneamus, ne dimittamus, antequam satis pateat, quidnam illud sit, ad quod, sive quasi ad unum sive quasi ad totum sive ad utraque, sive quomodocunque se habeat, respiciendum sit. an putamus, si hoc nos effugerit, satis nobis patere, quæ ad virtutem pertinent? de qua nec si multa nec si quatuor nec si unum sit, explanare possimus. aut igitur, si nostro consilio creditis, modum adinvenire conabimur, quo id in civitate nobis aderit: aut, si videbitur, mittemus. Cli. Minime, per hospitalem Deum, o hospes, dimittendum hoc est. rectissime namque id dicere videris. sed quo pacto quis hoc inveniet? [966] Athen. Nondum, quomodo agendum, dicamus: sed primum inter nos, oporteat necne, conveniamus. Cli. Oportet certe, si possibile est. Athen. Quid porro de honesto ac bono? utrum, quod solummodo multa sint, custodes nobis cognoscent? an etiam, quomodo unum, cognoscent? Cli. Necessarium videtur, ut etiam, quomodo unum sunt, intelligant. Athen. Quid deinde? intelligerene solum debent, oratione autem declarare non posse, quod intelligunt? Cli. Quo id pacto? servilis enim habitus esset. Athen. Num etiam de omnibus studio dignis eadem ratio est, ut eos, qui veri custodes futuri sunt, oporteat veritatem legum optime intelligere, orationeque sufficienter exponere, et operibus assequi; quæ recte fiunt, quæ non, secundum naturam dijudicantes? Cli. Cur non? Athen. Nonne una de rebus optimis est ea, de qua supra serio disputavimus? ubi, quod sint Dii et quod vires maximas habeant, demonstravimus; idque pro

viribus homini esse sciendum: ita ut multis ignoscamus, si legum tantummodo sententiam sequantur; custodiam vero non nulli committamus, quod non multo labore firmaque fide, quæcunque ad Deos pertinent, fuerit assecutus: neminem unquam custodem legum eligamus aut ceteris virtute anteponamus, nisi divinus sit divinisque studiis operam dederit. Cli. Par est igitur, ut ais, si quis in re divina tardus et ineptus sit, ut is longe a rebus pulcherrimis arceatur. Athen. Scimusne igitur duo esse, quæ faciunt, ut, quæ supra de Diis exposita sunt, credantur? Cli. Quænam? Athen. Unum quidem illud de anima supra dictum, quod antiquissima divinissimaque omnium sit, quorum motus, generationem sortitus, substantiam semper fluentem produxit. alterum de ordine, quo astra ceteraque feruntur: quæ intellectus ducens omnia exornavit. nemo enim, qui hæc diligenter consideravit atque percepit, adeo impius unquam fuit, ut contra non sit affectus, quam multi suspicentur. [967] plerique enim putant eos, qui hæc tractant, astronomiæ et aliis hujusmodi ad hæc necessariis artibus dediti, a religione alienos esse. quippe cum necessitatem pro viribus, qua res fiunt, inspexerint, non voluntate divina boni gratia omnia gigni credere illos arbitrantur. Cli. Quomodo igitur id se habet? Athen. Contra se habet penitus nunc, et quando sine anima esse hæc putabantur: quamvis etiam tunc, quicunque diligentius aliis illa perscrutabantur, mire veritatem tangebant. quod videlicet nunquam, si anima carerent, tam exquisita ratione uterentur, mentis expertia; audebant affirmare nonnulli, mentem cœlestia omnia ornavisse. sed iidem ipsi, nescientes, animæ naturam antiquiorem esse corporibus omnia rursus, ut ita dixerim, immo vero se ipsos, everterunt, cum juniorem putaverint. nam et quæ ante oculos sunt, hæc et in cœlo esse crediderunt. itaque terra, lapidibus aliisque inanimatis corporibus referta esse cœlestia credentes, his causas totius mundi dederunt. his igitur factum est, ut, qui hæc tractant, philosophi tanquam impii vulgo existimarentur, et a poëtis compararentur canibus frustra latrantibus, aliaque in eos plena stultitiæ dicerentur. nunc autem, ut diximus, contra omnino se res habet. Cli. Quo pacto? Athen. Nunquam mortalis quispiam poterit Deum firmiter colere, qui hæc duo antea non acceperit: primum, quod rerum omnium, quæ generationis participes sunt, antiquissima anima est, atque etiam immortalis: cumque talis sit, omnibus dominatur. deinde, quod sæpius diximus, veram esse mentem in astris non ignoraret: et, quæ antecedunt, ad hæc disciplinæ ipsum non lateant. Musæ etiam his convenientis non ignarus, ad mores componendos legesque servandas ipsa utatur: possitque earum rerum rationem reddere, quæ rationem habent. [968] qui vero ad virtutes publicas hæc insuper non possederit, is nunquam ferme totius civitatis sufficiens princeps erit, sed aliorum minister. considerandum vero nunc, o Clinia et Megille, utrum prædictis legibus hunc ut apicem custodemque illarum apponere debeamus, ut salutis gratia nocturnus principum cœtus adsit, disciplina, quam prædiximus, præditus. quid ergo agemus? Cli. Quid prohibet, optime vir, quo minus, quantulumcunque possumus, apponamus? Athen. Certe ad id contendere omnes debemus. ego quidem libenter vobis opitulabor. forte etiam ob harum rerum peritiam alios quoque multos adjutores inveniam. Cli. Hac via, o hospes, maxime proficiscamur, qua Deus ipse ducere videtur. sed modum nunc, quo recte hoc fiat, excogitemus. Athen. Leges de istis, o Clinia et Megille, non ante scribi possunt, quam civitas universa fuerit exornata. tunc enim debita cum auctoritate constituendæ videntur. sed eo non aliter recte, quam doctrina multa et longo disputationis examine probabuntur. Cli. Quid hoc iterum sibi vult? Athen. Primum igitur cœtus eorum hominum, qui ætate, doctrina, moribus, consuetudine,

ad custodiam idonei sunt, constituatur : deinde, quæ discenda sunt, ea nec invenire facile ; et inventoris discipulum fieri arduum. tempora præterea, in quibus percipere oportet singula, frustra scribentur. nec enim possunt ipsi, qui discunt, cognoscere, quando quid opportune discatur, antequam in eorum animo rei ipsius scientia sit. quæ igitur in his palam dici non possunt, non recte tentantur. dici autem non posse inquam, quoniam si dicantur, nihil planius explicant. Cli. Cum hæc ita se habeant, hospes, quid nobis agendum censes? Athen. Quod trito proverbio fertur, id nobis, o amici, nunc communiter competit, ac si de universa republica periculum subire velimus, faciunda omnia sunt ita ut ter sex vel tres talos jaciamus. [969] equidem periculum id vobiscum subibo, dicendo atque exponendo, quæ mihi de hac disciplina et educatione, quam modo tetigimus, videbuntur. periculum autem parvum non est nec aliis simile. quod tibi, o Clinia, curæ modo esse jubeo. tu enim in Magnesiensium urbe, vel illa cui Deus ipsam cognominem faciet, summa florebis gloria, si recte ipsam constitues : certe nunquam effugies, quin posteriorum omnium fortissimus videaris. si ergo divinus hic cœtus nobis, o amici, constituetur, huic civitas erit tradenda. neque his reliqui legumlatores tanquam minus sufficientibus adversabuntur. profecto, quod paulo ante quasi somniantes verbis tetigimus, quando capitis mentisque communionem per imaginem quandam attulimus, id pæne vigilantes perficiemus, si nobis hi viri exquisite docti convenerint et in arce regionis habitaverint, custodes civitatis constituti, quales nunquam nos in præterita vita ad custodiam agendam fuisse cognovimus. Meg. Ex omnibus, quæ diximus, o amice Clinia, patet aut hujusmodi civitatis constitutionem prætermittendam esse, aut hunc hospitem non dimittendum, sed precibus modisque omnibus socium ad disponendam civitatem accipiendum. Cli. Probe loqueris, o Megille. ego quidem sic prorsus efficiam : sed tu quoque opem feras. Meg. Feram equidem.

INCERTI AUCTORIS EPINOMIS.

ATHENIENSIS HOSPES, CLINIAS CRETENSIS, MEGILLUS LACEDÆMONIUS.

[973] Jam, ut communiter statueramus, huc tandem omnes tres, o hospes, recte pervenimus, ego et tu et hic Megillus, de prudentia quæsituri, qua ratione illud attingere valeamus, quo intellecto humanus habitus optime se, quantum natura fert, ad prudentiam habet. cetera enim, quæ ad ferendas leges pertinebant, jam tractavimus. quod vero et inventu et dictu maximum est, quonam videlicet, si cognitum sit, sapiens homo fiat, neque invenimus neque diximus. verum nullo pacto prætermittendum censeo, ne fere imperfectum illud relinquamus, cujus aperiendi gratia hucusque profecti sumus. Athen. Scite loqueris, o amice Clinia : sermonem vero quendam nunc mirum, et rursus quodammodo non mirum, auditurum te puto. multi enim fluctibus hujus vitæ jactati illud prædicant humanum genus felix atque beatum esse non posse. attende igitur et considera, utrum et ipse recte hac de re dicere videar. impossibile arbitror homines in hac vita, præter admodum paucos, felicitatem et beatitudinem assequi. bona tamen spes est, ut post mortem quis ea omnia consequatur, quorum desiderio accensus optime pro viribus egit vitam atque exegit. nec inauditum aliquid novumque adduco, sed quod barbari omnes et Græci modo quodam cognoscimus. nemo enim ignorat, quanta sit in prima generatione animalium difficultas, in conceptione et utero primum, deinde in nativitate et partu, postea in nutritione atque educatione. [974] nam per mille labores fieri hæc non ignoramus. breve autem tempus est, non solum respectu diuturnitatis malorum, verum etiam quocunque modo quis cogitet, quod quasi circa humanæ vitæ medium respirare parumper nos facit. sed cito tristis senectus superveniens efficit, ne quis optet rursus in vitam redire, cum præteritas molestias cogitet, nisi puerili opinione feratur. quæ omnia ita se habere, illud mihi argumento est, quod modo rimamur. quærimus enim, quonam pacto fieri sapientes possimus, quasi aliqua hujusmodi vis singulis insit. quæ quidem tunc nos fugit, quando ad aliquam earum facultatem, quæ artis vel prudentiæ vel scientiæ nomine communiter appellantur, quis perrexerit : tanquam nulla istarum in hujuscemodi humanis rebus digna sit sapientiæ vocabulo nuncupari ; animus tamen valde confidat, vaticinetur-que aliquam hujusmodi vim sibi secundum naturam inesse ; quæ vero sit et quando et quomodo adsit, facile invenire non possit. nonne dubitatio et inquisitio hæc nostra de sapientia huc spectat maxime ? plena nimirum spe in singulis, quicunque et se ipsos et alios prudenter concorditerque possunt in omni genere sermonis disputationisque examinare. itane, an aliter, hæc se habere dicemus ? Cli. Nos quidem, hospes, ista concedimus, sperantes videlicet, una tecum deinceps ad

verissimam de his sententiam perventuros. ATHEN. Alias igitur artes, quæ cum scientiæ appellentur, hominem sapientem non faciunt, primum percurramus, ut illis remotis eas, quibus egemus, admoveamus comparemusque et facta comparatione discamus. atque eas inprimis videamus, quibus humanum genus maxime indiget. vere enim hæ primæ sunt et maxime omnium necessariæ, quarum artifices, quamvis ab initio sapientes visi sint, nunc tamen et sapientes non habentur et propter eas artes vituperantur. [975] dicendum igitur, quænam hæ sint, et quod, quicunque optimi viri cupiunt videri, artium hujusmodi studia fugiant. prima vero sit, quæ ab humanarum carnium esu, qui ferarum ritu quondam inter homines inoleverat, ut fabulæ ferunt, abstinere jussit et ad victum modestiorem nos revocavit. in quo sane prisci homines quamvis mansuete et humaniter nobis consuluerint, valeant tamen, nec sapientiæ nomen usurpent. deinde cibi cerealis artificium utile quidem et pulchrum, sed sapientem absolute virum nunquam efficiet. difficultatem enim et molestiam potius quam sapientiam afferet. neque etiam agricultura id faciet. non enim arte, sed natura et Dei quodam favore terræ culturam aggressi videmur. sed nec domorum constructio, et reliqua omnis ædificatio, supellectiliumve effectio, nec æraria vel lignaria fabrica, aut figulina, aut textura, nec instrumentorum omnium artificia, quæ plebi accommodata, nihil ad virtutem afferunt. venatrix etiam ars omnis, quamvis varia et ingeniosa sit, magnificentiam tamen sapientiamque non tribuit. sed nec divinatio aut interpretatio ulla. nam etsi, quæ dicuntur, cognoscit, utrum tamen vera sint necne, non intelligit. postquam vero nullam earum artium, quibus necessaria parantur, sapientem hominem facere nobis constitit, reliqua est imitatrix quædam facultas minime seria. sæpe enim instrumentis imitatio fit, plerumque deformibus corporum gestibus et figuris. in eloquio etiam et Musis imitatio est, et in fingendo pingendoque, ubi multa et varia in corporibus, tam duris quam mollibus, exprimuntur. horum nihil hominem imitationi deditum sapientem reddit. imitatione vero sublata artes illæ restant, quæ in ferendo auxilio versari videntur. hæ quidem multæ et variæ sunt, sed omnibus bellatrix, quam imperatoriam vocant, excellit. hæc summopere propter usum probatur, sed felicitate maxime indiget, et fortitudine magis naturali quam sapientia perficitur. [976] medicina quoque nobis opitulatur contra immoderati frigoris et caloris impetum ceterorumque hujusmodi, quibus natura animalium læditur: sed horum nihil ad sapientiam veram conducit; incertis enim conjecturis opinionibusque procedunt. nautas quin etiam gubernatoresque ferre auxilium non negabimus: nec tamen eorum quemquam sapientem vocari ab aliquo permittemus. nullus enim eorum iram ventorum amicitiamve cognoscit: quod et optimum est et maxime in gubernandi arte requiritur. neque etiam sapientes dici eos volumus, qui litigantibus dicendi viribus adsunt; quippe cum memoria et usu opinionis moribus se accommodent, et a veræ justitiæ intelligentia procul aberrent. reliqua est mira quædam vis, quæ sibi opinionem sapientiæ similiter vendicat, quam naturam magis quam sapientiam multi dicerent. hæc in eo consistit, quando facile quispiam discit, quæ velit, et multa diu ac firmiter meminit, et quod unicuique idoneum est, cum oporteat, cito et commode reddit. hæc enim omnia alii naturam, alii sapientiam, alii naturæ sollertiam nuncupabunt. sed nullus mentis compos vere sapientem propter hæc esse quemquam concedet. verum tamen necesse est scientiam aliquam inveniri, quam quisquis habuerit, non solum videatur, sed revera sit sapiens. attentione opus est. nam arduam omnino rem aggressi sumus, qui aliam præter dictas artes scrutemur, quæ jure sapientia vera dicatur: quam qui adeptus est, nec abjectus nec stultus

erit, sed sapiens bonusque propter ipsam civis, modestusque civitatis princeps et subditus. hanc igitur primam inspiciamus, quæ ex omnibus humanis artibus ita se habet, ut, si hæc una semoveatur, amentissima et insipientissima hominis natura reddatur. non est autem hoc inventu difficile. nam si uni unam conferes, illa, quæ numerum mortalium generi dedit, id profecto efficiet. Deum autem aliquem magis quam fortunam ad salutem nostram hoc munus nobis arbitror contulisse. quem vero Deum putem, vobis dicam, etiamsi absurdus videbor et rursus modo alio non absurdus. nam ipsum bonorum omnium auctorem, cur non etiam maximi boni, [977] prudentiæ dico, causam arbitrabimur? quem vero Deum laudibus, o Megille et Clinia, effero? cœlum ferme: quod par est, sicut dæmones alii simul omnes ceterique Dei faciunt, nos quoque honoribus colere ac præcipue adorare. atqui ceterorum omnium bonorum causam nobis cœlum fuisse omnes confiterentur. dedisse præterea numerum, atque etiam, si quis observare velit, daturum, nos affirmamus. quod quidem is assequetur, qui in rectam ejus speculationem ascenderit, sive mundum sive Olympum sive cœlum id libeat appellare, dummodo varietates ipsius consideret, et quomodo anfractu circuituque astrorum diversa efficiat tempora, alimentaque animalibus largiatur, ac sapientiam una cum numero ceterisque bonis, hominibus tribuat. id vero maximum est, si quis, numerorum munus ab eo suscipiens, omnem percurrat circuitum. sed memoria repetamus dictum, et rectissime quidem, in superioribus a nobis fuisse, si quis ab hominum natura numerum auferat, nunquam prudentes nos fore. nunquam enim ferme animalis hujus anima virtutem omnem percipiet, a quo rationem abstuleris: nec animal, quod duo et tria, et par et impar, ac numerum prorsus ignorat, rationem de rebus reddere unquam poterit, quas sensu solum atque memoria percipit. reliquam vero virtutem, fortitudinem dico et temperantiam, habere nihil prohibet. qui autem veræ rationis est expers, is quomodo sapiens unquam evadet? cui vero deerit sapientia, universæ virtutis pars maxima, is, cum bonus absolute esse non possit, nunquam beatitudinem assequetur. ita necesse est omnino numerum præsupponere: idque necessarium esse, pluribus etiam rationibus monstrari licet. sed recte nunc ratione hac ostenditur, quod ceteræ artes, quas omnes paulo ante enumeravimus, sublato numero penitus evanescent. forte vero, qui de artibus cogitabit, pauca esse arbitrabitur, in quibus humanum genus numero indiget; quamvis et hoc magnum sit. verum si quis, quod divinum in generatione et quod mortale est, inspexerit, qua in re pietas erga Deos et verus numerus cognoscetur; [978] is profecto inveniet nullum vatem, quantæ virtutis causa nobis numerus sit, si modo universus affuerit, comprehendere posse. nam et tota musica motus et vocum numero indiget. et quod maximum est, bonorum quidem omnium, mali vero nullius causam esse numerum hinc facile cognoscere possumus, quod irrationalis et inordinata, deformis, inepta inconcinnaque agitatio, omnia denique, in quibus mali quippiam inest, omni numero carent. quod sane, qui beatus tandem futurus est, ignorare non debet. et qui justum, bonum, honestum ceteraque hujusmodi ignoraverit, nec veram opinionem de his acceperit, ad se ipsum et alios persuadendos numeri rationisque vi uti non poterit. sed consideremus jam, quomodo numero uti didicimus. age, unde unum et duo percepimus? ut illud animadverteremus, ad quod cognoscendum ab universo naturam vimque accepimus. profecto cum multis animalium natura negaverit, ne a patre queant usum numeri discere, nobis id primum indidit Deus, ut possimus in eo, quod ostenditur, numerum intelligere. deinde ostendit apertius, idemque assidue facit. in qua explicatione rerum nihil aliud, si unum

uni conferatur, pulchrius aspicere possis quam diei lucem. unde et noctem oculorum officio vicissim consideres, ubi maxima apparet diversitas. nam si revolvere ista non desinas, multas noctes et multos dies videbis, quibus cœlum nunquam cessat docere homines unum atque duo; ut etiam qui tardissimus est, hinc uti numero discat. sic enim et tria et quatuor et multa quilibet cernendo, hæc intelliget. sed de his unam Deus lunam formavit, quæ modo minor modo major appariens, ita quotidie varia ad quindecim usque dies ac noctes cernitur. hic autem circuitus est, si quis totum circulum in unum conferre voluerit. quare, ut ita dicam, tardissima etiam animalia, quibus naturam aliquam Deus dedit, ut possint discere, numerum perciperent. in his igitur et ad hæc usque, quodcunque animal discendi potestatem habet, unumquodque per se ipsum considerando ad numerandum idoneum maxime factum est. [979] sed numerum omnem ad numerum conferre majus opus est: atque iccirco lunam, ut diximus, modo crescentem modo decrescentem fecit. hinc menses ad annum constituit, numerumque omnem felici quadam fortuna conferri ad numerum docuit. hinc terra fœcundior facta concipit, fructusque ad alimentum animalium omnium parit, cum et suaviter venti flant et imbres in terræ gremium salubriter defluunt. ac si quid mali in his accidit, non divina culpanda natura est, sed humana, quæ injuste vitam suam distribuit. nobis autem de legibus modo scribentibus cetera, quæ hominibus optima sint, facilia cognitu esse videntur, et quemlibet posse sufficienter, quæ de iis dicuntur, intelligere, ac præterea facere, postquam quid confert et quid non confert, perspexerit: cetera, inquam, nobis visa sunt, et modo videntur non nimium ardua: quo autem pacto homines boni efficiantur, penitus difficillimum. reliqua rursus bona possibile est, ut dicitur, et non arduum possidere, opes quatenus oportet et quatenus non; et corpus quale decet et quale non decet. animum quoque bonum habere oportere quisque fatetur. quomodo etiam bonus futurus sit, interrogatus quisque ita responderet, Si justus, moderatus fortisque sit, ceteraque hujusmodi. sapientem quoque animum esse debere quis neget? quæ vero sapientia comparanda sit, ut nuper disseruimus, nullos de multis inter se convenire cognovimus. nunc ergo præter omnes, quas supra narravimus, sapientias non vilem quandam ad hoc ipsum invenimus, ut, qui jam dicta didicerit, sapiens videatur. utrum vero sapiens bonusque sit, qui hæc didicit, ratione quærendum. Cli. Scite nimium locutus es, hospes, cum affirmares magna te de magnis dicturum. Athen. Certe non parva sunt hæc, o Clinia, et, quod majus est, penitus vera. Cli. Ita sane, o hospes. labori ne cedas; quin, ut cœpisti, progrediare. Athen. Dabo operam: sed vos etiam labori audiendi ne cedatis. Cli. Sic utique faciemus: ut ego pro utrisque respondeam. Athen. Probe. [980] quare altius repetendum, et primo quidem, si quo modo possumus, uno nomine comprehendendum videtur, quænam ea facultas sit, quam sapientiam esse arbitramur. sin minus id fieri potest, saltem alterum declarandum, quænam et quot sunt artes, quibus habitis sapientem more nostro hominem appellamus. Cli. Dic jam. Athen. Omni crimine legumlator carebit, si melius de Diis quam prisci sentiat, et optima usus disciplina Deos hymnis colat beatitudineque extollat, atque ita feliciter vivat. Cli. Recte tu, hospes, quandoquidem finis hic legum tibi propositus est, ut Dei cultu et vitæ puritate optimum atque pulcherrimum exitum consequaris. Athen. Quomodo ergo dicemus, Clinia? an Deos hymnis magnopere honorabimus, supplicabimusque, ut sequentem de illis disputationem optime et pulcherrime transigamus? itane an aliter agendum censes? Cli. Ita prorsus. sed, o vir felix, Diis fide habita precibusque præmissis

bene de Diis atque Deabus loquaris. Athen. Sic erit, si Deus ipse nos duxerit. et dummodo mecum ores, dubitandum non est. Cli. Prosequaris ergo. Athen. Principio Deorum animaliumque progeniem, quoniam male majores nostri de iis tradiderunt, nunc melius tractandam ita suscipere operæ pretium est, ut superiorem adversus impios disputationem a nobis habitam resumamus, qua asseritur esse Deos, rerumque omnium, maximarum simul et minimarum, curam habere, nec precibus ullis muneribusque præter justum placari. recordaminine hæc dicta esse, o Clinia? profecto ita tunc accepistis, ut meminisse debeatis, præsertim quia maxime vera esse constitit. omnium vero maximum illud habitum est, antiquiorem omni corpore omnem animam esse. num recordamini? vel maxime id quidem. nam quod melius, id et antiquius, atque quod divinius est, id inferiore ac viliore prius est: et similiter dux ducto et princeps subjecto natura prius. id igitur admittamus, animam corpore antiquiorem esse. quod si ita se habet, primum primi in generatione verisimilius profecto principatum exordiumque esse credetur. [981] quare ponamus principatum principiumque principii decentius se habere, et sic rectissime in sapientiam de Deorum generatione nos ingredi. Cli. Maneant ista pro humanis viribus affirmata. Athen. Age igitur, nonne verissime animal secundum naturam tunc affirmamus, cum una animæ corporisque constitutio unam suo concursu formam parit? Cli. Recte. Athen. Animal ergo hujusmodi aliquid merito nuncupatur. Cli. Certe. Athen. Solida vero corpora quinque convenienter dicere possumus, ex quibus pulcherrima optimaque finguntur. alterum autem genus universum unam possidet formam. non enim est aliud quicquam, quod incorporeum esse queat, et omnino coloris expers, extra divinissimum illud genus, in quo est anima. cujus generi soli fingere fabricareque convenit: corpori vero fingi, gigni atque oculis cerni. sed animæ generi, ut iterum repetamus, convenit, ut invisibile sit, cognitionis compos, intelligibile, memoriæ rationisque in ipsis imparibus paribusve transmutationibus particeps. sed cum quinque sint corpora, ignis, aqua, tertium aër, quartum terra, quintum æther: horum principatibus multa variaque singula animalia producuntur. quod in uno sic discere possumus. ponamus enim primo terrenum animalium genus esse homines, animalia multipeda pedibusque carentia, progressiva simul et stabilia radicibusque connexa. unum autem id ubique existimandum, ut, quamvis omnia ex omnibus corporum generibus sint, plurimum tamen in hoc terræ solidæque naturæ insit. alterum animalium genus ponendum, quod etiam gignitur cernique potest, et ignis plurimum possidet, terræ quoque et aëris ceterorumque omnium parvas particulas habet: variaque iccirco hinc omnino animalia et visibilia gigni dicendum. hæc cœlestia putamus animalia esse, divinum astrorum genus, corpore pulcherrimo animaque beatissima et optima constitutum. his utique animalibus e duabus sortibus alteram tribuendam putamus. nam aut absque pernicie immortalia prorsus atque divina necessario singula sunt; [982] aut vitam longævam agunt, singulis adeo sufficientem, ut longiore non egeant. hæc, inquam, duo esse animalium genera cogitemus. rursusque dicamus, utraque visibilia esse: quorum alterum ex igne totum, ex terra alterum videatur. sed terrenum quidem absque ordine, igneum vero omni ordinis ratione movetur. quod absque ordine fertur, amens esse putandum est: quod plerumque faciunt, quæcunque apud nos animalia sunt. quod autem ordine in cœlo progreditur, id mentem habere sufficienter eo vestigio demonstratur, quod per eadem semper et similiter proficiscitur, agitque et patitur eadem. animæ vero intellectum habentis necessitas omnium necessitatum maxima est. ducens enim, sed non ducta gubernat. quando autem anima, quæ res optima est, consilio secundum optimum

intellectum se gerit, tunc sine perversione id, quod vere secundum intellectum perficitur, necessario eveniet; nec adamas solidius immobiliusque esse poterit. sed tres profecto Parcæ, quod singuli Deorum optimo deliberarunt consilio, perfectum conservant. oportebat igitur hominibus argumento esse, quod astra universusque ille circuitus mentem habeant, quia eadem semper agunt. maximo enim atque mirabili temporis spatio jam ante, quid sibi agendum sit, deliberarunt. nec sursum deorsumque modo hoc modo illud consilio probant. quare nec errant nec præter antiquum ordinem revolvuntur. multis autem nostrum contra visum est, hæc, quia eadem et similiter semper agunt, animam non habere. hanc insanam opinionem secutum vulgus, genus humanum, quia moveatur, vitam mentemque habere putavit: divinum vero, quia in eisdem permanet lationibus, mente carere. decebat autem pulchriora melioraque et Diis gratiora sentire, quod propterea mentem habeant, quia per eadem similiter profecta eadem semper agunt. hanc astrorum naturam esse, visu pulcherrimam, quæ progressu et chorea optima utens omniumque chorearum magnificentissima, cunctis animalibus commoda præbet. quod autem non immerito animata hæc esse dicamus, magnitudo quoque ipsorum testatur. [983] non enim tanta sunt dumtaxat, quanta cernuntur: sed incredibili magnitudine singula sunt. quod ideo credendum est, quia sufficientibus demonstrationibus id ostenditur: quibus solem totum tota terra majorem esse, et quæcunque feruntur astra, mirabilem habere magnitudinem intelligemus. cogitemus igitur, quomodo fieri possit, ut tanta magnitudo ab aliqua natura possit tanto tempore circumferri. ego igitur assero, Deum causam esse, nec aliter fieri posse. animatum enim non aliter, quam propter Deum, fieri posset, ut nos declaravimus. quoniam ergo id facere Deus potest, facile sibi fuit, primum omni corpori magnitudinique vitam tribuere: deinde, qua ratione optime fieri cogitarit, hac ducere. demum de his omnibus veram hanc sententiam fieri volumus, impossibile esse, terram, cœlum stellasque omnes, et quæ ex his constant moles, nisi anima singulis aut adsit aut insit, adeo exquisita ratione annis, mensibus, diebusque circumvolvi, nobisque omnibus bona omnia facere. hominem vero decet, quo vilior est, eo minus de ipsis nugari, sed conari potius certi aliquid dicere. si quis autem impetus corporum aut naturas aut hujusmodi quicquam ordinis hujus agitationisque causam esse dicet, perspicuum nihil adducet. verum, quod diximus, iterum consideremus, ut pateat, utrum oratio illa probabilis sit an omnino futilis jaceat; qua primo dicitur duo quædam esse, animam atque corpus; et quæ ad utriusque genus pertinent, esse multa: eaque ab aliis in genere suo differre, et utraque genera a se invicem esse diversa: adeo ut tertium nihil sit utrisque commune. animam vero ita differre a corpore quod illa mentem habeat, hoc non habeat: illa dominetur, hoc subjiciatur: illa omnium passionum corporibus, hoc nullius causa sit. quocirca si quis cœlestia ab alio quoquam facta fuisse, nec ex anima et corpore, ut diximus, constare contendat, stultus omnino imperitusque habendus est. igitur si rationes in his omnibus adductæ quicquam valent, atque hæc omnia divina prorsus judicanda sunt, duorum alterum arbitrari oportet. nam aut Deos esse hæc, et rectissime quidem, putabimus; [984] aut Deorum imagines et quasi statuas esse, ab ipsis Diis prudentibus dignissimisque artificibus fabricatas, credemus. alterum, inquam, horum decernamus, et quod decreverimus, firmiter teneamus: multoque magis hæc quam alia quælibet simulacra veneremur. nunquam enim pulchriora cunctisque hominibus communiora simulacra reperientur; nec in excellentioribus locis locata puritate majestateque et perpetua vita pollentia, quam hæc, quæ undique similiter constructa

sunt. sed nunc id quoque de Diis asseveremus. nempe cum duo animalia nobis visibilia cognoverimus, quorum alterum immortale ; alterum vero, quod terrenum est, omne mortale sit : jam tria de quinque, medium sortita locum, probabili ratione declarare conemur. æthera post ignem ponamus, ex quo animam animalia gignere arbitremur ; quæ similiter, ut in ceteris generibus fit, plurimum de suo habeant, minimum autem copulæ gratia de generibus alienis : post æthera ex aëre alterum animalium genus ; tertium ex aqua similiter ab anima fingi. quæ omnia cum anima finxerit ; totum animalibus cœlum implevit, omnibus, quoad fieri poterat, generibus usa, quæ omnia vitæ participia sunt. secunda vero et tertia, quarta et quinta, a manifestorum generatione Deorum incipientia, ad nos tandem homines deducuntur. Deos igitur Jovem et Junonem ceterosque omnes, quomodocunque aliquis velit, locato : modo legem eandem servet atque hanc rationem stabilem teneat. visibiles itaque Deos, maximos summopereque honorandos acutissimeque undique cuncta videntes ac primos, naturam astrorum, et quæ cum astris facta sentimus, fatendum. deinceps vero sub istis dæmones, genus aëreum, in tertia mediaque regione, qui interpretationis causa sunt, collocatos, orationibus colere, gratia laudabilis intercessionis interpretationisque, debemus. horum quidem duorum animalium alterum ex æthere, alterum deinceps ex aëre est. ac neutrum conspici totum potest : sed quamvis hi dæmones prope nos sint, nunquam tamen manifeste nobis apparent. [985] prudentiæ mirabilis participes sunt : acuto quippe ingenio tenacique memoria cogitationes nostras omnes cognoscunt. honestos bonosque homines mirifice diligunt, improbos vehementer oderunt ; utpote qui doloris participes sunt. sed Deus, qui divinam sortem perfecte possidet, a doloribus voluptatibusque liber, sapientia cognitioneque penitus fruitur. cum autem refertum animalibus cœlum sit : et Dii summi et dæmones se invicem interpretantur. media enim animalia tum ad terram tum ad cœlum levi motu feruntur. quintum vero, quod ex aqua est, recte semideum vocabimus. id nonnunquam cernitur, nonnunquam aspectui nostro se subtrahit : et cum videtur, tenui visu perceptum admirationem affert. cum igitur quinque hæc animalia sint, quæ aut somniis aut vaticinio audituque per vocem sanorum aut ægrotantium auribus percepta, aut etiam in ipso e vita excessu nobis sese offerentia, nostros animos movent ; unde multa multis sacra et privatim et publice his opinionibus instituta sunt instituenturque in posterum : horum omnium legislator, qui vel minimum mentis habeat, nunquam aliquid innovabit. cavebit enim, ne ad novum minus certæ religionis cultum civitatem suam vertat. nec quæ patria lege vel consuetudine de sacrificando firmata sunt, movere audebit. scire namque debet, mortali naturæ non esse possibile, certi quicquam de his cognoscere. eadem ratione pessimi habendi sunt hi, qui Deos vere oculis manifestos non prædicant, et sine sacrificiis debitisque honoribus relinqui eos ab hominibus patiuntur. perinde enim faciunt, ac si quis solem lunamque omnia lustrare nulloque in honore haberi videat ; nolit tamen pro virili sua parte clara hæc hominibus reddere, ut solemnes dies eis sacrificiaque agantur, ac tempora majorum minorumque sæpe annorum certa distribuantur. [986] nonne malus et sibi ipsi et cognoscenti cuique, si dicatur, merito dici videbitur? Cli. Immo vero pessimus. Athen. Id ipsum, o Clinia, scias mihi nunc accidisse. Cli. Quonam pacto ? Athen. Scitote octo in cœlo esse virtutes, sibi invicem sorores, quas ego inspexi nec magni aliquid feci. cuivis enim hoc facile est. harum tres hæ sunt : solis una, lunæ una : stellarum omnium, de quibus ante diximus, una : atque aliæ quinque. has omnes et eos, qui in his sunt, sive ipsi progrediantur sive in vehiculis ferantur, nullus ita habere se

putet, ut alii eorum Dii sint, alii minime ; alii legitimi, alii tales, quales nefas est dicere : sed omnes fratres et in fraternis sortibus viventes dicamus, iisque honores reddamus : non alii annum, alii mensem, alii nullam sortem nullumve tempus, in quo circulum suum percurrit, mundum ornatumque una perficiens, quem ratio omnium divinissima visibilem statuit. hunc vir felix primum summopere admiratur : deinde cupiditate ardet ea discendi, quæcunque a natura mortali percipi possunt : sic arbitratus optime atque felicissime se victurum, et cum decesserit, ad congrua virtuti loca venturum. atque ita vere initiatus, et ipse unus unam revera sapientiam nactus, reliquum tempus in rerum omnium pulcherrimarum contemplatione versatur. post hæc, quæ et quot sunt, dicendum est. equidem affirmare audeo nunquam nos in hoc mendaces fore. iterum octo esse dicimus : quarum tres dictæ sunt, quinque restant. quarta vero et quinta latio et anfractus æquali ferme velocitate cum sole feruntur. itaque neque tardiores sunt neque velociores. atque harum trium semper sufficiens ductor est intellectus : solis, dico, et luciferi, et tertii illius, quod, cum ignoretur, nominari non potest. quod propterea factum est, quoniam primus harum rerum spectator barbarus fuit. antiqua enim regio illos aluit, qui propter æstivi temporis serenitatem primi hæc inspexerunt. [987] talis Ægyptus et Syria fuit, ubi stellæ semper omnes, ut ita dixerim, clare cernuntur : quia cœli aspectum nubes et pluviæ non impediunt. inde huc et alio quocunque, infinito tempore probata, ista manarunt. quapropter magna cum fiducia hæc legibus sanciantur. res enim divinas non esse venerandas arbitrari, aut hæc nequaquam esse divina, extremæ dementiæ foret. quod autem nominibus caruerunt, causa dicta est : agnomina tamen Deorum tenent. lucifer enim, qui et vesper est, stella Aphroditis, id est Veneris, esse dicitur : quod dictum Syrio nominum auctori valde congruum est. stella vero, quæ æqualiter ferme cum sole et hoc currit, Mercurii. restant tres adhuc lationes eorum, qui ad dextram cum sole lunaque moventur. octavum præterea circum unum oportet dicere, quem jure mundum supernum quis nuncupabit : qui contra quam ceteri movetur ceterosque secum trahit, ut hominibus pauca de iis scientibus videtur. sed necesse est ea dicere, quæ sufficienter cognoscimus. vera enim sapientia hac ratione quodammodo illi apparet, qui vel modicum quid rectæ divinæque intelligentiæ nactus est. reliquæ sunt stellæ tres : quarum una ceteris tardior est, quæ Saturni nomine a quibusdam cognominatur. quæ post hanc situ et tarditate ponitur, Jovis esse dicatur : deinde Martis, qui ceterorum maxime rubens est. hæc intellectu, si quis exponat, difficilia non sunt : sed postquam intellexeris, ita de his, ut diximus, existimandum est. illud etiam cuilibet Græco sciendum est, nos regionem ad virtutem omnium pæne optimam habitare. in hoc maxime laus regionis hujus consistit, quod inter hiemalem æstivamque naturam media est. quoniam vero magis quam barbari, ut diximus, ab æstiva serenitate distamus : horum Deorum ordinem tardius intelleximus. verum quicquid Græci a barbaris accepere, melius reddiderunt. quod et in his, quæ modo tractamus, cogitare debemus : quod, quamvis inventu hæc difficilia sint, magna tamen spes nobis est, Græcos præstantiori cultu, [988] quam a barbaris acceperint, hos Deos omnes honoraturos, ac tum disciplina tum Delphicis oraculis monitos, omni legitima observatione diligenter prosecuturos. nec Græcorum quispiam existimet non oportere mortales de divinis rebus tractare : sed contra omnino putet nec mente carere Deum neque naturam humani generis ignorare. scit enim se docentem ita secuturos homines, ut, quæ docentur, perdiscant. quod autem numerum numeraque docet, quodque nos id ipsum discimus, non ignorat. si enim id ignoraret, esset omnium amentissimus. certe et, quod fertur, accideret : ipse enim se ipsum

ignoraret, si potentibus discere invideret magis quam gratularetur, quod propter Deum boni efficiantur. profecto verisimile est, quando primum homines de Diis cogitare cœperunt, quod essent et quales quidve agerent ; non ut prudentes quidem, nec ut secundi judicavisse, qui antiquissima esse putaverunt ignem et aquam et cetera corpora, mirabilem autem animam posteriorem. unde et corporis motum potentiorem honorabilioremque ducebant. nempe se ipsum calore et frigore ceterisque hujusmodi agitare : animam vero neque corpus neque se ipsam movere. nunc vero cum dicamus, si anima corpori adsit, nihil mirum esse, ut et se ipsam moveat et corpus circumferat : dubium nobis nullum est, quin pondus ab ea circumferri possit. cum autem universi causa anima sit, et rerum aliæ bonæ sint, aliæ malæ, lationis quidem omnis motusque causam animam esse dicendum : sed lationem motumque ad bonum ab optima anima proficisci ; motum vero ad contraria contrarium. mala autem a bonis victa esse vincique oportet. hæc nobis secundum judicium, impios puniens, dicta sunt omnia. quantum vero attinet ad id, quod modo probatur, dubitandum non est, quin bonus vir sapiens sit dicendus. [989] sed videamus, nunquid hanc sapientiam, quam jamdiu quærimus, per disciplinam vel artem aliquam assequamur : quod si ignoraverimus, expertes ignarique justitiæ futuri simus. ita profecto mihi videtur : quare dicendum est. quod igitur sursum deorsumque investigando cognovi : oratione vobis aperire conabor. nam maxima virtus neglecta ignorantiæ causa fuit, ut prædicta nobis significare videntur. majorem vero virtutem religione pietateque in Deum nullam in humano genere inveniri quisquam sibi persuadeat. id ex maxima ignorantia in optimis naturis factum non est. optimæ autem naturæ sunt, quæ rarissime reperiuntur, et si quando reperiantur, maxime prosunt. animus certe facilis ille est, qui tardam contrariamve naturam mansuete et mediocriter possidet, fortitudinem admiratur, et temperantiam diligit, et, quod maximum est in his naturis, ad discendum promptus est ac memor, et hujusmodi rebus maxime delectatur, discendi studio deditus. hæc utique nec facile innascuntur, et cum innata fuerint, si educationem disciplinamque idoneam consequantur, plurimos inferiores ita moderari et continere possunt, ut cogitando, loquendo atque agendo singula erga Deos, ut oportet et quando oportet, in sacrificiis purificationibusque eorum, quæ in Deos et homines facta sunt, non simulatione sed veritate, virtutem maxime colant : quod civitati omnium utilissimum est. hanc igitur partem natura principalissimam esse asserimus, posseque quam maxime atque optime, si quis doceat, discere. nemo autem docebit, nisi Deus adjuverit. ab eo vero, qui modum in docendo non servat, præstat non discere. necessarium tamen ex his, quæ modo dicta sunt, videtur hæc discere et a nobis naturam hanc optimam dici. quare conemur exponere, quæ et qualia sint et quomodo perdiscenda : idque pro viribus et mei disserentis agatur, et eorum, qui exaudire poterunt, quo pacto cultus divini nonnulla discantur. [990] inusitatum quid forsan audietis : nomen tamen rei dicamus, quod nullus propter hujus rei imperitiam arbitraretur. nolite ignorare astronomiam sapientissimum quiddam esse. nempe necesse est verum astronomum esse non eum, qui secundum Hesiodum omnesque hujusmodi occasum ortumque consideret ; sed cum potius, qui circuitus octo, et quomodo septem sub primo versantur, quove ordine circulos suos singuli peragant. quod nulla natura, nisi mirabilis sit, facile unquam inspiciet. ut modo diximus et dicemus, declarantes, quid oporteat et quomodo oporteat discere. primo igitur id dicatur, quod luna celerrime circulum suum evolvit, atque ita plenilunium primum et mensem peragit. sol deinde inspiciendus est, qui solstitia versionesque temporum circuitu efficit suo ; præterea et, qui una cum sole currunt, considerandi. denique, ne eadem de

eisdem sæpius disseramus, cursus omnes, quos paulo ante tetigimus, quive non facile intelliguntur, contemplari debemus : ita ut naturæ prius doctrinis ad hæc pertinentibus longo usu laboreque a juventa, immo vero et a pueritia, præparentur. quocirca doctrinis, quæ mathematicæ appellantur, opus est : primo vero ac maxime numeris : non iis dico numeris, qui corpus habent, sed qui omnem paris imparisve generationem atque virtutem, quam ad perficiendam cognoscendamque rerum naturam conferunt. quibus perceptis illa deinceps, quam ridicule geometriam appellant, discenda est. numerorum vero, inter se natura dissimilium, similitudo ad planorum partem relata clarescit. quod quidem non humanum sed divinum miraculum, si quis plane intelligat, videatur oportet. post hanc numeri, qui in tres usque dimensiones adaucti sunt, naturæ solidæ similes ac rursus dissimiles, alia quadam arte, stereometria videlicet, huic simili, considerandi sunt : sed hanc quoque, qui in ea versati sunt, geometriam nominaverunt. illud autem mirum divinumque intelligentibus est, quod, cum rerum virtus in duplo semper et in suo opposito revolvatur, in singulis proportionibus per genera speciesque universa natura formatur. [991] prima igitur dupli virtus secundum numerum, per unum ad duo proportione procedit, duplum potentia possidens. sed in solidum et tangibile rursus ab uno in octo dupli ratio proficiscitur : alia vero dupli in medium : sed forte minore majus et minus majore æqualiter. verum aliud eadem parte extremitates excedit ab eisque exceditur. in medio vero senarii ad duodenarium numerum sesquialtera et sesquitertia emersit proportio. horum in medio vis hujusmodi ad utraque versa concinnum hominibus usum commodumque attribuit, ludi et temperalis numeri concentusque gratia, choreæ Musarum felici tributa. hæc igitur ita fiant, et ita se habeant. horum finis est, ut ad divinam generationem et eorum, quæ cernuntur oculis, pulcherrimam divinamque naturam considerandam nos conferamus, quatenus hanc hominibus inspiciendam Deus largitus est : quam nunquam sine dictis artibus assequemur. ad hæc singula quæque ad species suas, omnia denique ad unum in disputationibus referenda, interrogando et arguendo, si qua minus recte dicantur. recte enim omnium pulcherrima et prima hominibus hujusmodi examinatio est. ubi vero non talis revera, sed simulata inquisitio est, frustra contenditur. præterea temporum considerandus est ordo, quam exacte cœlestia omnia perficit ; ut, quicunque vere dictum fuisse crediderit, antiquiorem divinioremque corpore animam esse, putet præclare sufficienterque illud quoque esse dictum, Deorum plena esse omnia : adeo ut superi neque obliviscantur nostrarum rerum, neque nos deserant. sed hoc in his omnibus animadvertendum est, maxime illi, qui recte perceperit, profutura : ei vero, qui non recte, Deum invocandum esse. modus vero hic est : necesse enim est id quoque dicere. omnem linearum descriptionem constitutionemque numeri et concentus rationem circuitusque astrorum convenientiam, et quæ una cunctorum conspiratio est, perspici oportet ab eo qui modo congruo discit. perspicietur autem, si quis, quod dicimus, ad unum recte respiciens discat. [992] unum enim horum omnium intelligenti vinculum apparebit. qui vero aliter hæc adipisci studet, fortunam, ut dicimus, invocet. nunquam enim absque his natura in civitatibus ulla felix efficietur. etenim hic modus est, hæc educatio, hæ disciplinæ. per hæc itaque, sive facilia sive difficilia sint, eundum. nefas autem est Deos negligere, cum felix omnium illorum doctrina omnibus recta ratione patuerit. eum sane, qui cuncta hæc ita percepit, vere sapientissimum appellamus. quem ego etiam joco et serio affirmo, cum diem suum obierit, non amplius multorum sensuum, ut nunc, sed unius sortis participem fore, unumque de multis factum, felicem, sapientissimum

atque beatum : et sive quis in continenti sive in insulis, seu publice seu privatim vixerit, modo ita se gesserit, eandem a Deo sortem reportaturum. sed quod in principio diximus, nunc quoque verum nobis apparet, non posse homines præter paucissimos perfecte beatitudinem consequi, quod quidem recte nobis assertum est. nam qui divini modestique simul aliisque virtutibus natura prædiți sunt, disciplinas præterea felices consecuti, quas diximus, iis solummodo satis ad felicitatem omnia se habere videntur. his igitur, qui ita et privatim et publice in his elaborarunt, cum ad senectam pervenerint, maximos tradi magistratus jubemus : ceteros vero sequi, et Deos simul Deasque laudare : ac cœtum nocturnum ad hanc sapientiam omnes, diligenti examinatione peracta, quam rectissime adhortari.

TIMÆI LOCRI

DE ANIMA MUNDI,

ID EST NATURA.

[Ex Ed. Steph.]

[93] Timæus Locrus hæc dixit, Duas esse rerum omnium causas : Mentem quidem, earum quæ ratione quadam nascuntur, et Necessitatem earum quæ existunt vi quadam, secundum corporum potentias et facultates. Harum rerum, id est Naturæ bonorum, optimum esse quoddam rerum optimarum principium, et Deum vocari : ea vero quæ consequuntur et tanquam adjuvantes causæ accedunt, ad Necessitatem reduci. omnia enim esse Ideam, Materiam, Sensile, veluti illarum fœtum. et hanc quidem esse ingenitam et immobilem. Esse præterea in hac naturæ universitate quiddam quod maneat, et intelligibile sit, rerum genitarum, quæ quidem in perpetuo quodam mutationum fluxu versantur, exemplar. [94] hujusmodi nimirum in his rerum singularum vicissitudinibus constans et perpetuum exemplar, ideam dici et mente comprehendi. Materiam autem esse expressum rerum simulacrum, et matrem et nutricem, et ad generationem Tertiæ essentiæ aptam. quum enim effigies rerum in sese susceperit et veluti inpresserit, hos fœtus producere. Hanc vero Materiam aiebat esse sempiternam, nec vero mobilem : et ab omni forma et figura per se immunem et liberam, quaslibet tamen formas recipientem. circa vero corpora dividuam esse, et alterius naturæ participem. Appellant autem Materiam, Locum et Sedem. Duo hæc igitur sunt contraria principia. Idea quidem id est [Forma] rationem habet maris et patris : Materia autem, fœminæ et matris. Tertiam vero esse essentiam, ea quæ ex his, ut fœtus, nascuntur. Quum hæc tria sint, tribus quoque modis cognosci : Formam quidem, mente et scientia : Materiam, adulterina quadam ratiocinatione (quod videlicet non recta quadam et æqua rei animadversione, sed ex proportione quadam et collatione intelligatur) Fœtus vero qui ex illis nascuntur, sensu et opinione. Antequam igitur Cœlum extaret, ratione erant Forma et Materia, et quidem Deus ille erat melioris opifex. Quandoquidem igitur antiquius juniore præstantius est, et id quod ordinatum est inordinato, Deus, quum nimirum bonus sit, et videret Materiam recipere formam, et alterari, varie quidem, sed tamen inordinate : vidit quoque opus esse ut eam ipse in ordinem reduceret, et ex indefinitis mutationibus ad certam definitamque constitueret : ut corporum distinctiones mutua ratione inter se responderent, neque temere vicissitudines ultro citroque reciperent. Hunc igitur mundum ex omni materia creavit Deus, universique naturam terminum ipsum circumscripsit atque definiit : quod videlicet omnia alia in seipso complectatur, quippe quod unum sit unigenitum, perfectum, anima et ratione præditum (sic enim melius erat futurum, quam illud quod animæ et rationis est expers) globoso corpore. (hæc enim figura omnibus figuris perfectior est.) Quum igitur Deus vellet pulcherrimum fœtum producere, hunc effecit Deum genitum, nunquam corrumpendum ab alia

causa, præterquam a Deo qui ipsum composuit, siquando voluerit ipsum dissolvere. At non est boni genitoris, ad sui fœtus, et pulcherrimi quidem illius, perniciem impelli. Permanet igitur mundus constanter talis qualis est creatus a Deo, ab omni corruptione liber et interitu, beatus, optimus rerum omnium genitarum: quandoquidem ab optima causa extitit, proponente sibi non exemplaria quædam manuum opificio edita, sed illam Ideam intelligibilemque essentiam: ad quam videlicet quum [95] res ipsæ exquisita quadam ratione effectæ fuerint, pulcherrimæ extiterunt, et hujusmodi ut nova quadam opera emendari minime debeant. Perfectus vero semper est mundus, rerum sensilium comparatione: quoniam et Exemplar illud quod et omnia animalia in seipso complectitur, nihil extra reliquit aliud: hoc vero Exemplar, intelligibilium perfectus est terminus, quemadmodum hic mundus, sensilium. Est porro solidus, et hujusmodi ut et tangi et cerni possit: ac proinde Terram sortitus est et Ignem, et, quæ inter terram et ignem media intercedunt, Aërem et Aquam. E perfectis autem constitutus est corporibus, quæ tota in ipso existunt, ut nulla quidem pars extra ipsum relicta sit: ut sit Universi corpus absolutissimum, ut in ipso nihil desiderari possit, et interitui nullo modo obnoxium, extra omnem lethi noxam. Non enim alia quæpiam sunt seorsim a terra et igne, et duobus aliis intermediis elementis. Nam ipsa ex optimæ proportionis formula, æquali quadam inter se potestate continentur, ut neque contineant neque contineantur ex parte inter se mutuo, ut alia incrementum, alia diminutionem capiant: sed profecto indissolubili quadam compage, optimæ cujusdam rationis vinculo constricta permaneant. Quum enim tres quidam existant termini, et intervalla quoque eadem illa ratione inter se distent: tunc videlicet medium radii instar videmus ad primum esse, quod tertium est ad ipsum: et contraria vice, commutatisque congruenter intervallis, servato locorum ordine. Hæc autem recensere, ita ut numeri et quasi articuli harum proportionum intelligantur, nequaquam fieri potest, nisi res quædam pari potestate præditæ, subjecta oculis descriptione, opponantur. quæ quidem docendi ratio opportuna est et ad figuræ et ad motus rationem repræsentandam. Quatenus igitur Mundus globosa est figura, sibique adeo undiquaque similis, omnes certe alias figuras, quæ quidem unius sint generis, capere potest. Jam et ex illo circulari motu perpetuum quendam tenorem conservat. sola enim globosa illa sive circularis figura potest, et dum quiescit et dum movetur, in eodem loco apta quadam commensuratione componi: ut nunquam vel deficiat vel in alium quempiam commigret locum: quoniam videlicet omnia paribus ab ipso medio distent intervallis. Quum porro lævissimus sit et prorsus æquabilis, ut nihil ad summam perfectamque æquabilitatem desiderari in eo possit: minime indiget mortalibus instrumentis, quæ ad facilem expeditumque usum cæteris animantibus aptata sunt et accommodata. Animam autem mundi in ipsius medio indidit Deus, et extra eduxit: ipsumque universum ipsa contexit, certo quodam temperamento contemperatam, ex forma nimirum individua, et ex dividua essentia: ut unum quoddam temperamentum ex his duobus existat: [96] cui duas potentias immiscuit, motuum principia, Ejusdem videlicet et Alterius. quæ quidem Anima, quum difficulter suscipiat mixtionem, neque facile etiam ad hujus temperamenti formulam coaluit. Hæ autem omnes rationes sunt contemperatæ ad numeros harmonicos: quas et ipse rationes Opifex congruenter distinxit, certis scientiæ auspiciis: ut quidem minime incognitum esse possit ex quibus hæc mundi anima sit constituta. Hanc vero non ultimam ordinavit Deus post corpoream ipsam essentiam, quemadmodum nos affirmamus. (illud enim quod honoratius est atque angustius et potestate et tempore, prius est) sed anti-

quiorem creavit. et quidem hoc ordine : Quum primæ essent unitates quatuor, unam ex illis aufert, ad octo Denarios et tres Centenarios. hujus autem duplum et triplum facile est colligere, primo numero constituto. Omnes autem numeros cum suis supplementis et sesquioctavis oportet esse, terminos sex et triginta : omnem autem numerum fieri, Centena et quatuordecim millia, sexcenta nonaginta quinque. Divisiones autem hæ sunt, Centena quatuordecim millia, sexcenta nonaginta quinque. Universi igitur animam hunc in modum fere divisit.

Deum porro sola mens videt in his omnibus sane rebus, principem autoremque et parentem horum omnium. Id autem quod genitum est, oculis videmus, et hunc mundum per ipsius partes. quarum quidem præcipuæ sunt Cœlestes : quæ et ipsæ bifariam dividuntur : ut quidem nonnullæ sint Ejusdem naturæ, nonnullæ, Alterius. Harum aliæ quidem extrinsecus ducunt omnes in ipsis internas, ab Oriente ad Occidentem, universo quodam motu : eæ vero quæ ad motum Alterius pertinent, intra ab Occidente ad Orientem revertuntur, et peculiari quodam motu moventur. circumrotantur autem per accidens Ejusdem motu, qui in mundo præstantiorem habet potestatem. At motus ille Alterius per harmonicas rationes distributus, septem circulorum ordinibus distinguitur. Luna siquidem, omnium maxime infima, et ad terram accedens propius, menstruum peragit circulum : Sol autem post hanc annuo tempore suum circulum absolvit. Duo vero pari cum Sole cursu eunt, Mercurii et Junonis astrum : quod Veneris sive Luciferum vulgus vocat. neque enim quilibet hominum cœtus rerum astronomicarum, ex certæ cognitionis legibus, eruditus est, neque ortuum aut occasuum discrimina perite novit. Idem enim aliquando Vesperus est, [.i. occiduus] dum Solem sequitur, hactenus ut nobis conspicuus sit Sole lucem suam abscondente : aliquando [97] Eous vocatur [.i. orientalis] quum Solem adventantem antecedit, et sub diluculum prior oritur. Lucifer igitur sæpenumero est Veneris stella, quod eodem cum Sole cursu feratur. Non tamen unus ipse est Lucifer. nam id præstant multæ stellæ et fixarum et inerrantium. omne enim justa magnitudine astrum quod super horizontem ante Solem extat, diem denuntiat. Jam vero alii tres Planetæ, Martis nimirum, Jovis et Saturni, habent peculiares celeritates et inæquales annos. Cursus autem suos justis spatiis conficiunt, ita ut certa exploratæque cognitione percipi possint : quippe qui certis temporibus et appareant et lateant et deficiant, verosque ortus et occasus generent. Jam et manifestas apparitiones orientales et occiduas perficiunt ad Solem : qui diem ex eo cursu reddit, dum ab oriente ad occidentem pergit : noctem vero alio contrario modo, ex occidentis ad orientem motu : quatenus Sol videlicet ex illo Ejusdem motu defertur : annum vero, quatenus suo et peculiari motu. Ex duobus his motibus Sol duplicem cursum peragrat, dum universo quidem illo motu cœli circumfertur : et spiram gyrumque obliquo quodam motu involvit. hoc quidem secundum unam partem dierum tempora et discrimina designat : illo vero, dum fixarum stellarum motu rapido circumvolvitur, ad unumquemque circuitum, Noctem et Diem facit. Sunt vero hæ Temporis partes, quas Circuitus vocant. Deus autem tempus cum ipso mundo ordinavit. non enim erant astra ante tempus, neque proinde annus, neque anni tempestates certis circuitibus distinctæ, quibus genitum hoc tempus definitur. Est autem tempus ingeniti temporis imago, quod Æternitatem vocamus. Quemadmodum enim hæc Universitas ad intelligibilis mundi exemplar creata est, ita et hoc tempus ad Æternitatem, veluti ad exemplar quoddam, cum mundo ab Opifice fuit constitutum.

Terra porro in medio stabilita, deorum sedes, terminus est noctis et diei : occa-

sus et ortus generat, prout cœli medium orbium illorum qui ὁρίζοντες [i. finientes] vocantur, quasi abscissionibus dividitur. sic enim ex vario terræ aspectu eos circumscribimus atque definimus. Antiquissimum vero est omnium quæ in hac universitate sunt, corpus. neque enim Aqua nata est sine terra, neque vero Aër sine humido. Ignis autem humido, veluti materia qua inflammetur, destitutus, haudquaquam possit consistere. quocirca omnium radix et firmamentum aliorum, Terra eodem momento firmata est. Rerum igitur creatarum, ut subjectum, est Materia: veluti autem ratio proportioque formæ, est Idea. harum autem fœtus, Corpora: nimirum Terra, Aqua, Aër, Ignis. quorum [98] quidem hujusmodi est generatio atque productio. Omne corpus ex planis constat: hoc vero ex Triangulis: quorum alter quidem est ex rectis angulis æqualium laterum, semiquadrangulus: alter autem inæqualium laterum, qui habet majorem angulum potentia triplum minoris. minimus vero in ipso angulus, tertia recti pars est: hujus autem duplum, medius est. hic enim duarum tertiarum partium est: maximus autem rectus ad mediam sesquialteram proportionem habet: triplus autem est ad minimum. Hic igitur triangulus, semiquadrangulus est, quatenus cum æquilatero triangulo comparatur, perpendiculo bifariam abscisso a vertice ad imum, in partes æquales. duo igitur utrique sunt rectanguli: at in uno, duo quidem latera, quæ quidem in recto sunt, æqualia sunt tantum, in altero autem omnia tria inæqualia. Hæc vero figura Obliqua vocetur. Ille autem semiquadrangulus primordium fuit constituendæ terræ. nam quadrangulus ex his quatuor videlicet quadrangulis componitur. ex quadrangulo vero cubus generatur, omnium corporum firmissimum et maxime statarium, ut nullam in partem moveri possit: utpote quod sex latera, octo autem habeat angulos. Hac nimirum constitutione Terra elementum est et gravissimum et difficulter mobile: hujusmodi quidem certe ut in aliud corpus transmutari nullo modo possit, quod nullam habeat cum ullo triangulorum genere communitatem. sola enim terra proprium habet et peculiare elementum, Semiquadrangulum. Hoc porro elementum est aliorum corporum Ignis, aëris, aquæ. sexies enim composito semiquadrangulo triangulus ex ipso æqualibus fit cruribus: ex quo pyramis, quæ quatuor bases et æquales angulos habet, componitur, species ignis maxime mobilis et tenuissimarum partium. Post hoc autem, id quod octo constat sedibus, octo quidem bases, octo vero angulos habens, est Aëris elementum. Tertium autem quod viginti sedes habet, bases quidem viginti, angulos autem duodecim, Aquæ elementum est, plurimarum partium atque gravissimarum. Hæc igitur ab eodem elemento composita, inter se commutantur. At id quod duodecim constat sedibus, imaginem Universi statuit, quippe quod ad sphæricam figuram proxime accedat. Ignis igitur ob partium tenuitatem per omnia penetrat: Aër item per alia elementa, excepto igne: Aqua autem, per terram. Omnia igitur plena sunt, nec vacui quicquam relinquunt. Rapido autem illo universi motu circumaguntur, et firmata teruntur quidem vicissim, indesinentem vero alterationem ad ortus et interitus perficiunt. Horum ministerio et opera utens [99] Deus hunc mundum construxit: qui quidem mundus propter terram tangi potest, videri autem propter ignem: quæ duo sunt extrema. Per aërem vero et aquam, firmissimi cujusdam vinculi proportione, mundum colligavit, qua et ipsa et quæ per ipsam comprehenduntur, constringi continerique possint. Si igitur id quod colligatur, planum fuerit, una medietas satis est: sin vero solidum, duobus indiget. Duobus igitur mediis duo extrema adaptavit, ut essent, veluti ignis ad aërem, aër ad aquam, aqua ad terram: et vicissim, ut ignis ad aquam, aër ad terram. et vicissim, veluti terra ad aquam, aqua ad

aërem, et aër ad ignem: et vicissim, velut Terra ad aërem, aqua ad ignem. Quandoquidem autem omnia sunt potentia æqualia, ipsorum rationes totæ sunt in æqualitate. Unus igitur hic mundus felicis cujusdam et plane divini vinculi proportione consistit. Horum porro quatuor corporum unumquodque multas species habet. Ignis quidem, flammam, lucem, splendorem, propter triangulorum, qui in unoquoque ipsorum sunt, inæqualitatem. Eodem etiam modo et Aër, partim quidem purus et siccus, partim humidus et nebulosus. Aqua etiam, quædam fluida est, quædam congelata, veluti nix, grando, glacies. Humor autem, alius est humidus, ut mel, oleum: alius, compactus, ut pix, cera. Compacti vero species, alia, fusilis, ut aurum, argentum, æs, stannum, plumbum, ferri defæcati genus, quod *σταγόνα* sive *σταγονίαν* vocant: alia, fragilis, ut sulphur, bitumen, nitrum, sal, alumen, et lapides ejusdem generis.

Jam vero post mundi constitutionem, mortalium animantium generationem molitus est Deus ut ad imaginem illam perfectus esset plane atque absolutus. Humanam igitur animam ex iisdem rationibus atque potentiis contemperatam atque divisam distribuebat, Naturæ alteratrici hoc tributo ministerio: quæ acceptis harum rerum mandatis, ipsius Opificis quasi vicem obivit in mortalibus et diurnis animalibus efficiendis, quorum animas quasi per fluxum quemdam instillabat: ita alias quidem a Luna, alias a Sole, alias a cæteris quæ in Alterius parte oberrant astris deducebat. Unam animam excepit, quæ Ejusdem potentia prædita est, quam in parte illa rationis participe admiscuit, imaginem sapientiæ his qui bono fato utuntur. nam humanæ animæ altera pars rationis est particeps et intelligens: altera, rationis expers atque insipiens. Ejus vero quæ rationis est particeps, melior potiorque pars de Ejusdem natura est: deterior vero, Alterius. Utraque autem circa caput sedem habet, ut reliquæ [100] tum animæ tum corporis partes huic inserviant, quemadmodum sub ipso corporis tabernaculo universo. At partis ejus quæ rationis est expers, ea pars quæ ad iram prona est, circa cor: ea quæ concupiscit, circa jecur sedem habet. Jam vero Cerebrum, est principium et radix medullæ, in eoque etiam est animæ principatus. Ab hoc autem diffusio quædam manat per dorsi vertebras, quasi prono alveo, ut inde ad semen generationemque materia sufficiatur. Ossa autem, medullarum munimenta sunt: Caro, horum tegmen et cooperimentum est. Articulos autem nervis connexuit per ligamenta ad motum. Ex internis autem instrumentis quædam alimenti gratia, quædam salutis fecit. Ex motibus autem qui ab externis proficiscuntur, hi qui ad sapientem illum locum tribuuntur, sensibus sunt expositi: qui vero sub perceptionem non cadunt, sensus effugiunt: sive quod corpora quæ afficiuntur, magis sint terrea, sive quod motus sint imbecilliores. Quicunque igitur motus sint, naturam excedunt, dolorem pariunt: quicunque autem ad ipsam restituuntur, Voluptates nominantur. At vero ex sensibus visum quidem nobis accendit Deus ad rerum cœlestium contemplationem scientiamque comparandam. Auditum autem creavit, accommodatum instrumentum ad sermones et concentus percipiendos: cujus sensus beneficio si homo ab ipso ortus primordio destitutus sit, sermonis quoque emittendi facultate destituetur. Itaque maxime cognatum sermoni hunc sensum esse aiunt. Quæcunque vero affectiones corporum nominantur, tactus ratione appellationem sortiuntur: ipsa vero inclinatione, ad locum. tactus enim vitales facultates dijudicat, caliditatem, frigiditatem: siccitatem, humiditatem: lenitatem, asperitatem: cedentia, renitentia: mollia, dura. Tactus autem grave et leve præjudicat: ratio vero definit atque determinat, ea inclinatione quæ et ad medium et a medio tendit. Deorsum vero et medium idem omnino esse aiunt. nam centrum sphæræ,

ipsum est illud Deorsum : quod vero supra hoc est usque ad circumferentiam, Sursum vocant. Calidum igitur tenuissimarum est partium, et vim habet atque facultatem corporum disparandorum. Frigidum vero, crassiorum est partium, et meatus constringit. Gustus autem tactui similis est. nam concretione et discretione, præterea et subtili quodam ad meatus ingressu, et figuris, aut acerba sunt aut lenia ea quæ ad gustum pertinent. Nam ea quæ vim habent inducendi stuporem in linguam, ejusque abstergendæ, Acerba sentiuntur : quæ vero moderate linguam abstergunt, Salsa : at quæ linguam inflammant, et in carnem penitius immanant, [101] Acria. at contraria et lævia et dulcia, in succum eliquescunt. Odoris porro species distinctæ non sunt. per angustos enim meatus percolantur, qui solidiores quidem sunt quam ut contrahi et dispesci possint putrefactionibus et concoctionibus terræ, rerumque terrearum. sunt vero vel jucundi vel injucundi odoris. Vox autem, ictus in ære [ære intermedio] ad animum perveniens per aures : quarum auriun meatus procedentes ad jecur usque contingunt. in his est spiritus, cujus motus est auditus. Vocis vero et auditus alia velox, alia acuta, alia tarda : gravis media, nullis tamen certæ mensuræ terminis definita : et alia quidem multa et diffusa, magna est : alia pauca et contracta, parva : alia vero ad rationes Musicas ordinata, concinna est : alia confusa et a ratione aliena, absurda est atque intemperata. Quartum autem genus eorum quæ sub sensus cadunt, varias habet atque multiplices species. ea porro dicuntur visibilia : quo genere et varii colores et coloratæ res quamplurimæ comprehenduntur. Primi autem colores sunt quatuor, Albus, niger, splendidus, puniceus. reliqui enim ex his permixtis generantur. Albus igitur color visum dispescit, niger componit atque coagmentat : quemadmodum Calidum diffundit tactum : frigidum contra potest contrahere : et acerbum quoque gustum contrahere, acre vero diducere solet naturali quadam facultate. Porro animalium eorum quæ aërem inspirant, corpus et nutritur et conservatur, dum alimentum per venas in universam corporis molem distribuitur, et defluxione quadam veluti per canales derivatur, et a spiritu irrigatur, qui eum ad extremos usque fines efficaci quodam motu diffundit. Respiratio autem fit quum nihil vacui in natura sit : aër autem per oscula quæ videri non possunt, et attrahitur, et influit in ejus vicem qui effluxit. ex illis etiam meatibus mador sudorque perspicue existit in suprema cutis parte. Jam quum et aliquid de ipso a naturali calore absumatur, necesse est vicissim introduci æqualem motum ejus qui consumptus est. quod nisi fieret, vacuum aliquid daretur in rerum natura : quod fieri nullo modo potest. non enim perpetuo illo motu quo solet animal quasi fluere, vires suas reficere atque instaurare posset, ut unum videlicet perduret, si corporis tabernaculum a vacuo divideretur. Similis autem instrumentorum solet esse molitio, et in ipsis quidem inanimis, ex ea respirationis reciproca proportione. cucurbitula enim et succinum imagines sunt respirationis. nam fluunt per [102] corpus foras spiritus, vicissim autem introducuntur per respirationem et ore et naribus. deinde rursus, velut Euripus, vicissim feruntur in corpus. illud vero secundum influxiones distenditur. At cucurbitula consumpto igne ab aëre, attrahit humorem : succinum vero excreto spiritu, suscipit simile corpus. Omne vero alimentum a radice quidem cordis, a fonte vero ventriculi in corpus inducitur. quod etiam, si plus irrigatur quam defluat, Incrementum dicitur : si vero minus, Imminutio. Vigor autem in horum confinio consistit, et in defluxionis ac influxionis æqualitate intelligitur. Quum autem constitutionis compages dissolvuntur, si non amplius transitus est spiritui, aut alimentum minime distribuitur, animal interit. Multæ vero sunt pestes et noxæ vitæ, et mortis causæ. unum autem

genus nominatur Morbus. morborum vero princeps et primaria causa, est primarum facultatum intemperies atque perturbatio: si videlicet simplices facultates vel redundarint vel defecerint: caliditas nimirum, frigiditas, humiditas aut siccitas. Post has autem sunt sanguinis mutationes et alterationes ex corruptione, et depravationes carnis tibidæ: si vicissitudinum alternationibus ad acidum vel salsum aut acre, sanguinis alterationes aut carnis tabes existant. Hinc enim bilis et pituitæ origines, humores morbosi, et humorum putrefactiones, tenues quidem, si in profundo sint: [curatu] difficiles, quorum principia ex ossibus generantur: molestæ vero [ipso sensu] quæ ex medulla accenduntur. Postremi autem sunt morbi, Spiritus, bilis, pituita: dum et augentur et influunt in sedes alienas, vel locos corporis principales. tunc enim meliorem locum occupant, cognatisque depulsis sedes figunt, et afflictis corporibus in hæc ipsa dissolvuntur. Et corporis quidem hæ sunt affectiones, et ex his animi complures morbi existunt: sed alii alias habent potestates: Sentiendi quidem facultatem, stupor: memoriæ vim, oblivio: appetendi, stomachi fastidium, vel nimius appetitionis ardor: patiendi, feræ affectiones et œstro percitæ rabies: rationis participem animi facultatem, indocilitas, imperitia et insipientia. Vitiositatis autem principia sunt, Voluptates et dolores, cupiditates et timores, ex corpore quidem accensæ, sed in animam quasi immixtæ: ac proinde ex variis effectis varias sortiuntur appellationes. Nam amores, desideria, dissolutæ cupidines, iræ concitatæ, graves excandescentiæ, [103] cupiditates variæ, cupiditates denique infinitæ ex his motibus animo existunt. In summa vero, ita comparatum esse ut importuno quodam et absurdo cupiditatum imperio animus subjiciatur, est Virtutis et vitii terminus. nam in his vel multum esse vel superiorem, nos vel bene vel male affectos reddit. Ad hos animi impetus multum afferunt adjumenti corporis temperamenta, quæ vel vehementia fuerint et fervida, vel alio quopiam modo affecta atque composita, prout varii sunt multiplicesque motus. et ad atras biles et effusissimas libidines nos abripiunt. Fluxionibus autem illis irritatæ quædam partes inducunt acres morsus, formasque tumescentium potius quam sanorum corporum: per quas tristitiæ et obliviones, et desipientiæ et consternationes incidunt. Multum etiam possunt consuetudines quibus quis vel in ea civitate vel ea familia in qua et natus et educatus fuerit, sese conformarit. Accedit quotidiana vivendi ratio, animum vel frangens atque effœminans, vel contra ad gravitatem fortitudinemque corroborans. nam et sub dio vitam agere, simplex tenuisque alimentorum ratio, exercitationes, mores denique eorum cum quibus versaris, magnum habent sive ad virtutem sive ad vitium momentum. Vitiositas vero e parentibus nostris et elementis potius oritur quam ex incuria et publicorum morum intemperie: [quum videlicet ita simus comparati] ut ab illis actionibus quæ nos ad primævas illas parentum nostrorum labes adducunt, nunquam abscedamus. Cæterum, ut bene se habeat animal, eo corpore debet esse præditum, quod eas virtutes quibus sanitas, sensuum subtilitas, robur, pulchritudo denique constare ei possit, cumulate complectatur. Pulchritudinis principia sunt, partium congruentia atque concinnitas, quæ et secum et cum animo ipso apte conspirent atque conveniant. Natura enim hoc corporis tabernaculum veluti instrumentum composuit, ut et obediens sit, et ad omnes vitæ rationes concinno quodam aptoque modo par esse possit. Animus quoque ad convenientes virtutes conformandus est atque instituendus: nimirum ad temperantiam, veluti corpus ad sanitatem: ad prudentiam vero, veluti ad sensuum subtilitatem: ad fortitudinem, veluti ad robur et vires: ad justitiam, veluti corpus ad pulchritudinem. Harum virtutum primordia quidem sunt ex natura: media vero et fines, ex diligentia: in corpore videli-

cet, gymnastices adjumento et medicinæ : in animo autem, eruditionis et philosophiæ beneficio. Hæ enim facultates nutriunt et roborant tum animos tum corpora, laboribus, exercitationibus, puraque victus ratione : adhibitis partim medicamentis ad corpus reficiendum atque instaurandum, partim animi institutione, castigationibus et reprehensionibus, corroborant enim animum, dum cohortationum aculeis illius impetum exsuscitant, [104] et ad commodas fructuosasque actiones impellunt. Unctoria igitur ars, et quæ huic cognata est Medicina, corporibus curandis destinata est : adque optimam harmoniam facultates illas adducens, purum sanguinem spiritumque expedite fluentem reddit : ut siquid etiam morbosum subsit, validis illis sanguinis spiritusque facultatibus id valeant pervincere atque profligare. Jam vero Musica et hujus dux Philosophia ad animi emendationem a diis legibusque constitutæ assuefaciunt et suadent et cogunt partem animi expertem rationis obtemperare rationi : ei autem parti quæ sit expers rationis, mansuetam esse cicuramque Iram : Cupiditatem, quiescere : hactenus videlicet ut ipsæ nec absque ratione moveantur, nec contra quiescant, quum ipsas Mens vel ad actiones vel ad fructum voluptatis provocaverit. Ille enim est temperantiæ terminus, Obedientia et tolerantia. Sed et intelligentia et antiqua illa augustaque philosophia mentem mendacibus inanibusque opinionibus expurgatam, et ex magna ignorantia revocatam Scientiæ dedicarunt, eamque ad rerum divinarum contemplationem erexerunt. In quarum rerum cognitione siquis ita versetur ut animum gerat sua sorte contentum, humanosque casus sub se positos habeat, et in hac animi æquitate quasi secundo flumine ad moderatam temperatamque vitam aspiret, is profecto viam ingressus est certæ felicitatis. Et certe is cui Deus has sortes attribuerit, per verissimam opinionem ad felicissimam vitam deducitur. si quis contra durus et præfractus fuerit, nec sanctissimis illis præceptis voluerit parere, eum pœna consequetur tum ex legibus tum ex illorum sermonum vocibus quæ et cœlestes et infernas pœnas denuntiant : Infelices videlicet manes implacabilia supplicia manere : et alia quæ Ionicus poëta scripsit ex vetere memoria repetita, ex quorum auditu animos hominum voluit ad religionem puritatemque informare. quo sane nomine illius consilium probo. quemadmodum enim corpora remediis quibusdam morbosis sanamus, nisi cedant saluberrimis, ita et animos falsis sermonibus coërcemus, nisi ducantur veris. Hac igitur de causa hoc concedatur, quod necessario commemorentur peregrina supplicia, quasi animæ commigrent ultro citroque in varia corpora : ignavorum quidem, in corpora muliebria, corporibus tributis ad ignominiam : homicidarum, in ferarum corpora, ad pœnam et supplicium : libidinosorum, in suum vel aprorum formas : levium et temerariorum hominum, in species volantium animantium, quæ in aëre solent versari : segnium denique, otiosorum, imperitorum, stolidorum, in aquatilium speciem. Omnia autem hæc in secundo circuitu Nemesis certo judicio rata fixaque esse voluit, [105] cum infernarum illarum furiarum numinibus : quibus humanarum rerum inspectionem summus ille Deus, omnium imperator atque præses, attribuit : quibus etiam gubernationem mundi commisit. qui quidem mundus et diis et hominibus et cæteris animantibus constat, absoluta plane omnibusque numeris cumulata ratione. Et hæc quidem omnia ad optimam illam ingenitæ, æternæ, intelligibilis formæ imaginem fuerunt creata.

EPISTOLÆ.

I.

DION DIONYSIO BENE AGERE.

[309] Ego dum apud vos diuturna opera ita imperium vestrum administrarem, ut ceteris utilitates vestras captantibus fidei dignitate præstarem, gravibus calumniis me subposui. sciebam enim, quod, me vobiscum una res vestras amministrante, crudele nihil commisisse unquam videremini. omnes autem, qui eadem in gubernatione versati sunt, testes mihi esse possunt; quorum ego permultos summo conatu a damnis non mediocribus liberavi. imperio quin etiam apud vos fungens, civitatem vestram sæpius custodivi. tandem vero ignominiosius a vobis expulsus sum, quam vilissimum aliquem expelli conveniat, ipse ego jussus a vobis abire, qui tam diuturnam operam vestris sum commodis impartitus. igitur posthac modo quodam inhumaniori mihi ipsi consulam, tu autem talis tyrannus gubernabis solus. pecuniam vero illam egregiam, abs te in viaticum missam, per Bacchium hunc una cum his literis ad te remitto. neque enim ad viaticum sufficit: neque ad ceteram vitam satis est utilis: tibique danti dedecus allatura maximum, et mihi non multo minus accipienti. itaque illam accipere nolui. tua vero nihil interest et dare et accipere tantundem: sed illa recepta tuorum quemvis alterum honorabis, quemadmodum me honorasti. ego enim abs te satis jam sum honoratus. et mihi opportune nunc Euripidis illud venit in mentem, Te rebus quandoque poscentibus talem tibi virum assistere optaturum. meminisse autem te volo, et alios tragicos plurimos, cum tyrannum aliquem pereuntem inducunt, hujusmodi illi voces attribuere, [310] Heu miser, pereo, nullis fultus amicis. auri vero defectu pereuntem aliquem nullus adhuc rettulit poëtarum. illud quoque poëticum mentem habentibus valde probatur: Non auri fulgor, in misera mortalium vita rarissimi, non adamas, non argenteæ mensæ, quæ apud homines habentur in pretio, ita oculis coruscant, neque lati fundi aut pinguia culta tantum valent ad vitam, quantum mens bonorum virorum consentiens. vale: atque considera tantum erga nos erratum, quo erga ceteros probabilius te geras.

II.

PLATO DIONYSIO BENE AGERE.

Audivi ex Archedemo te censere, non solum me sed familiares etiam meos, præter unicum Dionem, nihil mali adversus te loqui debere vel agere. hoc autem,

quod de Dione excipis, ostendit me in familiares meos imperium non habere. si enim haberem cum in alios tum in Dionem ac te imperium, tam vobis quam ceteris Græcis bona, ut arbitror, plurima provenirent. nunc autem in hoc dumtaxat magnus sum, quod me ipsum præsto rationi meæ obedientem. atque hæc dico, quia nihil sinceri Cratistolus et Polyxenus ad te detulerunt. quorum alterum dicere ferunt audisse Olympiis multos eorum, qui mecum erant, de te obloquentes. forsitan acutius, quam ego, ille audit. ego enim tale nihil audivi. videtur autem mihi posthac, quotiens hujuscemodi aliquid ad te defertur, te ita facere oportere, ut scribas ad me et rem ipsam perquiras. ego enim verum fateri nec formidabo nec erubescam mihi autem et tibi ita se res invicem habet. neque nos alicui, ut ita dicam, Græcorum incogniti sumus, neque familiaritatem nostram hujus seculi homines conticescunt. certum quoque illud habeto, neque posteros tacituros. tales sunt, qui eam exceperunt, utpote neque parvam neque obscuram. quorsum hæc ? statim aperiam, superius aliquanto exorsus. naturæ quidem lege sapientia potentiaque excellens in idem tendunt : semperque ista duo se invicem affectant, persequuntur, congrediuntur, deinde etiam istis homines admodum delectantur, quotiens sive in carminibus poëtarum sive privatis colloquiis hujusmodi quædam referunt aut audiunt : [311] ceu cum de Hierone et Pausania Lacedæmonio loquuntur homines, gaudent Simonidis familiaritatem, quæ cum illis fuit, commemorare, et, quæ ad eos dixit fecitque, referre. similiter Periandrum Corinthium et Thaletem Milesium una celebrare consueverunt, Periclem et Anaxagoram, Crœsum atque Solonem, ut sapientes : et Cyrum, ut potentem. atqui hæc imitati poëtæ Creontem et Tiresiam simul inducunt, Polyidumque et Minoa, Agamemnonem et Nestorem, Ulyxem et Palamedem : atque, ut mihi videtur, eadem ratione prisci homines Jovi Prometheum conjunxerunt. horum vero alios consentientes alios dissentientes inducunt : alios autem quandoque concordes, quandoque vero discordes : eorumque tam dissensiones quam consensiones canunt. cuncta vero hæc ideo dixi, ut illud ostenderem, quod etiam cum mortui fuerimus, de nobis homines non silebunt. quocirca non est negligendum a nobis : sed curam habendum temporis subsequentis. fit enim natura quadam, ut ignavissimi homines nihil curent, quæ sit de ipsis futura opinio : probatissimi autem viri cuncta faciant, quo in futuris seculis bene de se loquentes homines audiant. quam ego conjecturam facio, esse aliquem sensum iis, qui mortui sunt, rerum nostrarum : quoniam optimi animi sic fore divinant; deterrimi autem nequaquam. validiora vero sunt divinorum virorum præsagia, quam aliorum. puto autem, si liceret superioribus illis defunctis, de quibus loquor, suam consuetudinem emendare, plurimam operam adhibituros, ut meliores de se quam nunc opiniones circumferrentur. hoc nobis quidem etiam nunc, favente Deo, facere licet, et, si quid in superiori familiaritate nostra non recte factum est, tam factis quam dictis emendare illud atque corrigere, ut vera et optima, præsertim quantum ad philosophiam attinet, de nobis supersit opinio, ac fama nostrarum rerum, siquidem bona est, melior, sin mala, bona efficiatur. atqui nos ista curantes nihil religiosius agere possemus : et negligentes nihil profanius. quemadmodum autem hoc fieri conveniat, ac juste fieri possit, ego jam dicam. quando in Siciliam veni, fama erat me permultum inter eos, qui tunc philosophabantur, excellere. [312] cupiebam etiam, cum Syracusas venissem, opinionis illius testem habere te, ut etiam apud multitudinem philosophia mihi honoraretur. verum non satis prospere mihi res illa successit. causam vero hujus rei non illam fuisse dico, quam plerique existimarent : sed illam fuisse causam assero, quod tu non satis mihi credere visus es, sed me quodammodo dimittere velle, alios

vero vocare, et quærere quid mihi esset negotii, cum diffidentia quadam, ut mihi videbatur. et qui de iis loquebantur, permulti erant; affirmantes, quod me quidem contemneres atque ad alia animum intendisses. hæc igitur tunc fama increbuit. quid autem post hæc fieri oporteat, jam audi: ut ad illud, quod interrogasti, respondeam, quo pacto nos invicem gerere debeamus. si tu quidem omnino philosophiam spernis, valere sinamus: sin autem vel ab alio audisti vel ipse per te invenisti meliora quam ea, quæ a me traduntur, illa complectere. quod si nostra tibi placent, nos quoque maxime honorare debes. nunc autem, tanquam ab initio, tu ducas, ego sequar. honoratus enim a tete honorabo: non honoratus autem conquiescam. præterea si tu honorare prius me cœperis, philosophiam videberis honorare: idque apud multitudinem, quod tu inprimis cupiebas, tibi gloriam pariet, tanquam sapientiæ amatori. sin autem ego te honoravero me minime honorantem, divitias admirari videbor et sequi. hoc vero quam turpe ab omnibus censeatur, non ignoramus. ut autem summatim dicam, te honorante, ambobus honor erit: me autem honorante, ambobus infamia. et de his quidem satis. summa vero ipsa non recte se habet. narrabit vero ipse tibi Archedemus, cum ad te redierit. illud autem pretiosius et divinius, de quo per illum me interrogas, omnino ipsi est ostendendum. ais enim, ut ille refert, non sufficienter tibi a me de prima natura demonstratum fuisse. dicendum est igitur tibi nunc per ænigmata quædam, ut si quid huic tabellæ vel mari vel terra contingat, qui eam legerit, intelligere non valeat. est autem ita. circa omnium regem cuncta sunt: ipsius gratia omnia, ipse pulchrorum omnium causa: circa secundum secunda: tertia circa tertium. humanus animus affectat, qualia illa sint, intelligere, aspiciens in ea, quæ sibi cognata sunt: [313] quorum nihil sufficienter se habet. sed in rege ipso et in his, quæ dixi, nihil est tale. quod autem post hoc est, animus dicit. at enim qualis hæc tua interrogatio est, Dionysii et Doridis fili, quæ malorum omnium causa est? immo vero magis hujus stimulus quidam animo nostro ingenitus: quem nisi quis eruat, veritatem certe nunquam assequetur. tu hoc ad me in hortis, cum essemus sub lauris. excogitavisse dixisti: ac tuam fuisse inventionem. et ego inquam, si hoc ita se habere tibi videretur, multis me disputationibus liberasses: nec alium unquam hujus inventorem reperisse: plurimamque investigationem meam circa id versari. tu forsan, aliquo audito, divina quadam sorte inde progressus es. demonstrationes autem ejus rei nunquam firmas, sed alias aliter protulisti, quatenus phantasia conjectabas. hoc autem nihil est tale, et hoc non tibi soli contigit. sed certe scito neminem, quando primum me audit, aliter affici. et alius quidem magis, alius vero minus defatigatus vix tandem a labore cessant. omnes autem ferme laborant non parum. hæc autem cum ita sint et fuerint, fere invenimus, ut opinor, quod tu per epistolam petiisti, quemadmodum oportet invicem nos habere. postquam vero hæc et per se discusseris, et cum aliorum opinionibus comparaveris: modo rectum examen peregeris, consentientem nobis te et nostris præbebis. quonam igitur pacto hæc et alia, quæ diximus, fient? recte tu quidem ea de causa Archedemum ad nos misisti. ac postquam ad te reversus sententiam tibi meam retulerit, dubitationes aliæ te forsitan capient: tu vero, si recte tibi consules, mittes iterum ad me Archedemum: ille rursus, quasi mercator, non sine lucro redibit. quod si bis aut ter feceris, atque illa, quæ mittimus, diligenter examinaveris, mirabor equidem, si non multo melius quam nunc ad ea, quæ dubitas, te habeas. audacter igitur id agatis. neque enim vel tu vel Archedemus negotiationem ullam suscipere potest, quæ aut honestior sit aut Deo acceptior. [314] cave tamen, ne excidant hæc unquam in aures hominum disciplinæ eruditionisque expertium. nulla sunt enim,

ut mea fert opinio, quæ dicta ad populum magis ridicula videantur: neque quæ apud ingenuos prolata magis mirabilia et divina. sæpe vero dicta semperque audita et multis annis vix tandem, velut aurum, cum magno labore purificantur. nam quod in hac re mirabile contingere consuevit, id audi. sunt complures homines, qui ista jam audiverunt, pollentes acumine, pollentes memoria, in examinando et judicando sollertes, provecti jam ætate, neque minus triginta annis hæc audiverunt: hi tamen affirmant, quæ auditu quondam incredibilia maxime videbantur. ea sibi nunc primum valde credibilia videri atque perspicua: et quæ tunc probabilissima, ea nunc sibi contra videri. hæc igitur intuens cave, ne quando te pœniteat eorum, quæ tibi indigne nunc exciderunt. maxima vero hujus rei custodia est, nihil scribere, sed addiscere. nam quæ scribuntur, contineri non possunt. ista de causa nihil ego de iis scripsi unquam: neque est Platonis opus perscriptum aliquod, neque erit. quæ autem modo dicuntur, Socratis sunt: qui vir etiam dum juvenis esset, virtute claruit. vale, et nobis crede. atque hanc epistolam, cum sæpius eam legeris, statim combure. et de his quidem satis. miraris autem, quod ad te Polyxenum non mittam. ego autem de Lycophrone etiam et reliquis, qui apud te sunt, idem jamdudum et nunc prorsus affirmo, te scilicet istis tum ingenio tum disserendi arte præstare quam plurimum: nec illorum quemquam sponte tibi in disputando, ut aliqui suspicantur, cedere, sed invitos. atqui videris admodum modeste illis fuisse usus, et honestis eos muneribus prosecutus. sed de iis quidem, perinde atque de talibus, talia multa licet dicere. Philistione si uti contigerit, utere quam maxime. et, si fieri potest, Speusippi utere opera, atque remittas. eget quidem tui et Speusippus. pollicitus autem mihi est Philistion, si abs te dimittatur, se Athenas e vestigio petiturum. Lithotoniensem vero illum dimisisse laudabile fuit. levis autem petitio tam de illius necessariis quam de Hegesippo Aristonis filio. nam et ad me scripsisti, si quis huic vel illis injuriam velit inferre, ac tu id persenseris, te minime permissurum. [315] de Lysiclide præterea vera fateri docet. nempe solus iste ex iis, qui Sicilia Athenas profecti sunt, nihil in tua meaque consuetudine immutavit: sed quæ facta sunt, quotidie verbis pro viribus magis honestat.

III.

PLATO DIONYSIO.

Petis, an rectius ponatur in salutationibus, gaudere: an, quemadmodum ego solitus sum scribere ad amicos, bene agere. tu quidem, ut aiunt hi, qui tecum in Delphis affuerunt, ita Deum ipsum blande alloqui, ac similiter scribere consuevisti, Gaude, vitamque tyranni jucundam serva. ego autem neque Deum hoc modo neque hominem salutarim. non Deum, quia contra illius naturam loquerer: (nam procul a molestia et voluptate divinitas) non hominem, quia sæpius detrimentum et dolorem sibi affert voluptas, hebetudinem in animo et oblivionem, insipientiam et petulantiam pariens. et de salutatione quidem hæc mihi dicta sint: quæ tu, postquam legeris, sicuti voles, ita capies. ferunt vero non pauci te dicere solitum ad legatos quosdam, dum te adeunt, in animo habuisse Græcas civitates in Sicilia restituere et Syracusanos relevare ac pro tyrannide regiam gubernationem illis in-

ducere, audientem vero hæc me tibi, ne faceres illa, obstitisse, cum tu vehementer id cuperes. nunc autem, illa ipsa ut faciat, Dionem docere ; ac tuis propriis cogitationibus imperium a nobis tuum labefactari. utrum sermones hujusmodi aliquam tibi utilitatem ferant, tu ipse cognoscis : injuria certe me afficis, cum contraria dicas quam veritas sit. et profecto satis superque hactenus a Philistide et aliis compluribus invidia mihi conflata est et apud milites et apud Syracusanos. nam cum in arce una tecum habitarem, omnia malefacta in me convertebantur, asserentibus qui extra erant, te singula meo consilio facere : tu autem aperte scis perpauca me tecum de gubernatione civili sponte mea, [316] atque id ab initio tractavisse, dum aliquid posse me proficere arbitrabar, et alia quædam exigua, legum proœmiis mediocriter incumbentem : quibus tamen postea vel te vel alium audio quædam præter mentem meam inseruisse. quæ facile internoscent ii, qui possunt morem ingenii nostri discernere. sed, ut modo dicebam, non egeo calumnia et apud Syracusanos et apud alios, quibus me ista dicens criminaris : sed multo magis purgatione contra primam calumniam, et contra novam nuper exortam, majorem quidem ac vehementiorem. ergo adversus duas calumnias necesse est excusationem me duplicem aggredi. primum quidem merito noluisse me de gubernatione reipublicæ tecum agere : deinde, meum illud consilium non fuisse, quod tu ais, ut suaderem tibi, ne civitates Græcas restitueres. et primum quidem de primo sic accipe. veni Syracusas a te vocatus et a Dione, cum esset ipse Dion magnæ apud te dignitatis, mihi jampridem hospes, ætate vero media atque perfecta : quibus omnino vel mediocriter prudens opus esse ad res hujusmodi gerendas, quales tuæ erant, existimarit. tu vero eras admodum juvenis, et omnium ignarus, quorum oportebat te peritiam habere, mihi quoque valde ignotus. post hæc sive quis homo sive Deus sive fortuna quædam tecum Dionem pepulit : tu solus relictus es. an igitur communionem mihi aliquam tecum rerum civilium tunc relictam putas, cum viderem prudentem quidem consultorem abs te pulsum ; te autem imprudentem cum multis flagitiosis ita fuisse relictum, ut non imperares, licet imperare arbitrareris, sed hujusmodi hominibus revera servires ? tunc ergo quid oportebat me facere ? an non id, quod faciebam ? abstinere videlicet omni gubernatione, ne invidia malevolorum in calumnias vocarer : et illud omnino conari, ut vos invicem dissidentes et longe divisos in pristinam amicitiam gratiamque reducerem. tu mihi testis esse potes, quanto conatu hoc a me negotium susceptum fuerit, neque unquam desertum. [317] tandem vix ita convenimus, ut domum remearem ; finitoque bello, quod tunc erat, ego et Dion Syracusas rediremus ; tu autem nos advocares. hæc sunt acta in prima illa profectione ad te mea et in patriam reditu. facta deinde pace iterum me vocasti : non tamen, ut invicem conveniremus, una cum Dione, sed solum. scripsisti enim, ut ipse tunc venirem : Dionem vero postea te vocaturum. ea de causa ego tunc non veni : quod quidem Dioni displicuit, qui præstare putabat, ut parerem tibi atque venirem. transacto post hæc anno triremis una a te missa est, et simul cum illa litteræ tuæ : quarum caput erat, si venirem, Dionis res ita fore, ut ego maxime optabam ; contra vero, si non venirem. pudet referre, quam multæ tunc epistolæ scriptæ sunt tam abs te quam ab aliis tua causa ex Italia atque Sicilia ad me et ad multos propinquorum familiariumque meorum : quæ omnes exhortabantur precabanturque, ut tibi obsecutus accederem. visum est igitur omnibus, et inprimis Dioni, absque dilatione eundum esse, quamquam ego ob ætatem me excusabam, et de tua constantia me diffidere dicebam, quasi nequires obtrectatoribus malevolisque meis, discidium inter nos quærentibus, resistere. conspexeram enim jampridem, et nunc etiam

perspicio, opes tam privatorum quam principum, quanto majores sunt, tanto magis insidiatores et turpium noxiarumque voluptatum machinatores nutrire : quo nihil perniciosius gignit opulentia atque potestas. verumtamen omissis his omnibus venire decrevi, ne querelæ materiam alicui familiarium meorum relinquerem, quod cum possent ejus res salvæ esse, ob negligentiam meam perissent. quæ vero post adventum meum secuta sint, tu optime nosti. censebam equidem, ut secundum promissa epistolarum tuarum quam primum Dionem revocares et pristina familiaritate reciperes : cujus ego rationem habendam esse putabam. in quo si mihi paruisses, forte melius tuæ et Syracusanorum ceterorumque Græcorum res, ut mea vaticinatur opinio, sese haberent. arbitrabar deinde, bona Dionis suis restitui debere : [318] nec illis divisoribus, quos tu præfeceras, eorum administrationem amplius relinqui. judicabam præterea pecuniam, singulis annis Dioni solitam mitti, esse mittendam, non diminutam ob præsentiam meam, sed magis adauctam. cum autem horum nihil abs te impetrare possem, abire constitui. tu vero annum me exspectare rogasti, affirmans te Dionis bona omnia redditurum, ita ut media pars Corinthum ad Dionem ipsum mitteretur, reliqua vero pro ejus filio Syracusis maneret. multa præterea referre possum, quæ promissa a te servata non sunt. sed ea ob multitudinem omitto. cum enim bonorum Dionis omnium venditionem faceres absque ullo ejus consensu, quamquam ita demum hoc faciendum dixeras, si ille assentiretur; promissis omnibus, o vir mirabilis, colophonium, ut aiunt, suffragium finemque gloriosissimum imposuisti. rem profecto neque honestam neque honorificam neque justam neque utilem machinatus, me deterrere conatus es, tanquam rerum illarum nescium ; quo ego pecunias ad Dionem mittendas postulare desisterem. nam cum Heraclidem pelleres, quod neque Syracusanis neque mihi justum videbatur, egoque una cum Theodote et Eurybio pro Heraclide deprecarer, accepta hinc quasi sufficienti quadam occasione, jampridem te deprehendisse dixisti nullam mihi curam esse rerum tuarum, sed Dionis solum ejusque amicorum et propinquorum : itaque, cum Heraclides et Theodotes, Dionis amici, suspicione criminis non carerent, me omnia facere, quo meritas pœnas non darent. hæc quidem in nostra illa civilis administrationis communione et quamcunque aliam dissensionem nobis accidisse quid mirum ? pravus enim a prudentibus viris merito existimari possem, si potentiæ tuæ magnitudine adductus veterem amicum et hospitem meum, a te patria pulsum, nulla in parte, ut ita loquar, te deteriorem, prodidissem atque destituissem, te vero injuriantem illi præposuissem, et omnia fecissem, quæ imperares, tuarum scilicet opum gratia. certe si illum tui gratia prodidissem, nemo aliam mutationis meæ causam fuisse dixisset. hæc igitur ita gesta causa fuerunt succensendi inter nos et nihil communicandi. [319] verum mihi opportune jam sermo in eam transit partem, de qua secundo mihi loco dicendum proposui. attende, obsecro, diligenter, si verum tibi dicere videor. dico te Archidamo præsente et Aristocrito, cum esses in hortis, viginti ferme dies ante recessum meum e Syracusis Athenas, dixisse mihi illa, quæ nunc etiam dicis, quod Heraclidis et aliorum omnium magis quam tui curam haberem. præterea me in præsentia illorum rogasti, an meminissem, cum primo Syracusas veni, suasisse me tibi civitates Græcas restituere. egoque concessi meminisse me : et addidi etiam tunc optimum mihi videri. fatendum est, o Dionysi, quod subinde dictum est. petii equidem, utrum id solum tibi consuluissem, an aliud præterea. ad hæc tu iracunde nimium et contumeliose respondisti, et alia etiam me præcepisse. itaque contumelia tunc in me id fuit, ut putasti, nunc autem asseveratio pro somnio est. rogasti autem me aperte nimium, si bene quid memini, me deridens, an ista

præcepissem tibi quasi docto, an non. respondi te id optime meminisse. At ipse ad hæc adjecisti: Ut docto in geometria? an quomodo? Tunc ego, quod respondere poteram, reticui: veritus, ne verbi alicujus exigui causa navigatio illa a me exspectata, mihi pro lata angusta fieret. ceterum ad illud jam redeamus, quo tendunt hæc omnia. noli invidiam conflare mihi, dicens te prohibitum fuisse a me civitates Græcas dirutas a barbaris restituere ac Syracusanis gubernationem pro tyrannica regiam mutare. nihil enim de me potes mentiri, quod a meis sit moribus alienius. atqui si foret alicubi sufficiens hujus rei judicium, etiam alia dicerem superioribus clariora, probaremque manifeste, me suasisse tibi ut illa faceres, te autem recusavisse. nequaquam difficile est ostendere illa futura fuisse optima et tibi et Syracusanis et Siculis omnibus. si ergo negas te ista dixisse, cum dixeris: satis equidem habeo, quo te criminer. quod si fateris, Stesichorum sapientem puta, atque ejus palinodiam, id est cantum superiori contrarium mitatus, ex mendaci sermone te ad verum traducas.

IV.

PLATO DIONI SYRACUSANO BENE AGERE.

[320] Puto manifestam esse per omne tempus propensissimam voluntatem meam circa singula, quæ contigerint: neque occultum esse vobis studium conficiendi fuisse mihi non aliam magis ob causam, quam ut in rebus honestis honorem consequerer. censeo enim esse justum, ut, qui revera boni sunt viri et talia faciunt, dignam gloriam consequantur. præsentia igitur, Deo gratias, recte se habent; de futuris vero maximum vobis propositum est certamen. nam fortitudine quidem, celeritate ac robore præstare tale est, ut aliorum quoque esse possit: sed veritate, justitia, magnificentia et hujusmodi quadam honestate et dignitate præcellere ad eos, qui ista gerunt et talium sibi gloriam vendicant, præ ceteris attinet. manifestum sane est, quod dico. meminisse autem debemus, oportere nos, ut te non latet, plus ab aliis quam viros a pueris differre. itaque constare omnibus debet tales nos esse, quales videri volumus: præsertim cum Deo juvante perfacile sit futurum. ceteris siquidem hoc contigit, ut multa loca obire compulsi fuerint ad id consequendum. rerum vero tuarum status hujusmodi est, ut ex universo, ut ita dixerim, terrarum orbe unum in locum, et in illo ipso in te unum maxime oculi omnium sint conversi. tanquam igitur subjectus oculis spectatusque ab omnibus conare Lycurgum illum antiquum exprimere et Cyrum, et si quis alius videatur unquam moribus et publicis institutis excelluisse; præsertim cum sit multorum ac pæne omnium vestrorum opinio, post Dionysium sublatum res esse perituras propter tuam et Heraclidis et Theodoti ceterorumque nobilium ambitionem et excellendi cupiditatem. primum quidem optandum est, ne quisquam talis exsistat. quod si quis apparuerit talis, tu medebere, ut res in melius deducantur. [321] ridiculum tibi forte videtur me ista monere, cum tibi sint nota: sed ego in theatris conspicio certatores a pueris provocari, nedum ab amicis; qui benevolentiæ studio cohortari putantur. vos certe nunc tanquam in theatro quodam certatis. in quo si nostra opera opus est, certiores nos facite. hic autem perinde se res habent, ut cum vos aderatis. scribite mihi, quid actum sit quidve agatur. nam licet audiamus multa, certi nihil habemus. multæ a Theodoto et Heraclide feruntur epistolæ Lacedæmona

et Æginam : nos autem, ut dixi, audientes multa de rebus vestris, nihil aperte percipimus. nec te lateat eam esse de te apud quosdam opinionem, quasi de homine aliquanto minus quam decet officioso atque affabili. memento igitur necessariam esse ad res gerendas hominum benevolentiam : austeritas vero solitudinem amicorum parit. felix esto.

V.

PLATO PERDICCÆ BENE AGERE.

Euphræo suasi, quemadmodum ad me scripsisti, ut in rerum tuarum administratione perseveraret. est autem meum, tibi quoque et de aliis rebus, quemadmodum religio et hospitalitas postulat, consilium dare, et quemadmodum Euphræo uti debeas. profecto vir ille ad multa utilis esse potest, maxime vero ad id, cujus tu plurimum indiges ob ætatem ; præsertim cum haud multi reperiantur, qui de iis rebus consilium juvenibus idonei sint afferre. est enim vox quædam uniuscujusque civilis gubernationis, velut animalium quorundam. nam aliam popularis, aliam paucorum, aliam unius gubernatio vocem emittit. has intelligere multi profitentur : sed longe absunt ab intelligendo, præter admodum paucos. Quæ igitur gubernatio propriam vocem erga Deos et erga homines emittit, consentaneasque voci actiones reddit, ea viret semper atque servatur. quod si vocem alterius imitatur, interitum recipit. ad hæc Euphræus tibi perutilis esse poterit : quamvis et ad alia vir fortis sit. [322] rationes enim monarchiæ, id est principatus unius, non minus quam eos, qui apud te sunt, eum inventurum esse spero. ad hæc igitur illo fretus utilitatem ex eo percipies, et referes ipsi tu deinde quam plurimam. quod si quis hæc audiens objiciat : Plato quidem profitetur, quæ ad popularem statum conferant, intelligere ; nunquam tamen, licet occasio data fuerit, in civitate sua surrexit ad consilium populo exhibendum : ad hæc respondebitur, Platonem sero tandem fuisse in patria, populumque offendisse jam senescentem, assuefactumque per illos, qui ante se fuerant, multa diversa facere a consilio suo. nam libentissime, ut parenti, illi consuluisset, nisi frustra se ipsum periculo subjecturum existimasset. idem quoque circa consilium mihi futurum existimo. si enim insanabiles videremur, re dimissa omni de me meisque consilio abstineret. esto felix.

VI.

PLATO HERMIÆ ERASTO ET CORISCO BENE AGERE.

Mihi quidem videtur Deorum aliquis fortunam vobis optimam, modo recte eam recipiatis, benigne abundeque parasse. quippe finitimi estis, et utilitatem vobis mutuam conferre valetis permaximam. Hermiæ siquidem neque multitudo equorum neque alius belli apparatus neque auri magnitudo usque adeo vires augeret, quantum amicorum bonorum constantia atque fidelitas. Erasto autem et Coriscо, præter sapientiam istam de speciebus pulcherrimam, alia insuper affirmo, etsi sum senex, opus esse sapientia adversus improbos injustosque cavendi, et ad resistendum potentia. sunt enim inexperti fraudum, quia penes nos cum hominibus vivere

diu consueti sunt minime malis. quapropter illos hujusmodi quadam indigere dico cautione, ne compellantur veram negligere sapientiam et humanam hanc necessariamque sapientiam plus, quam deceat, meditari. rursus vero eam ipsam vim mihi videtur Hermias inprimis natura usque et arte consecutus. [323] quid igitur dico? equidem Erasti et Corisci expertus magis quam tu, confirmo tibi, o Hermia, denuntio, testor, non facile magis fidos homines istis finitimis esse te reperturum. tibi itaque consulo, ut, quoad fieri potest ac licet, omni studio hos viros complectaris. vobis quoque, o Eraste et Corisce, consulo, ut Hermiam vicissim suscipiatis, certantes mutuo amore et beneficio, uno maxime amicitiæ nodo vinciri. at si quis vestrum conjunctionem istam dissolvere videatur, (nam humana quidem mobilia sunt) huc ad me meosque mittite accusatoriam delinquentis epistolam. puto enim responsiones nostras, justitia et pudore, nisi quid magnum subsit, magis omni, ut dicitur, incantatione vos in pristinam amicitiam et communionem copulaturas. ita si philosophemur omnes nosque et vos, quantum valebimus et nostrum cuique concedetur, rata hæc modo edita oracula servabuntur. quod si ista negligamus, nihil equidem profabor. omen namque bonum vobis prædico, atque vaticinor hæc bona omnia vos ita demum esse facturos, si Deus voluerit. hanc vero epistolam a vobis tribus simul legendam censeo: aut saltem duobus una legentibus et sæpe etiam repetentibus: utendumque vobis pacto et lege certa, etiam jurejurando, ut æquum est, interposito, non sine eleganti studio atque hujus studii sorore disciplina, testando Deum, rerum omnium ducem præsentium et futurarum, ac ducis et causæ patrem dominum. quem, si vere philosophemur, cognoscemus aperte omnes, quatenus felicis hominis natura potest attingere.

VII.

PLATO DIONIS PROPINQUIS ET AMICIS BENE AGERE.

Scripsistis mihi censere vos eandem mentem in republica esse vobis conservandam, quam Dion habuisset: meque rogatis in communionem accedere, quantum verbo factoque virium habeam. [324] ego autem, si eam voluntatem opinionemque, quam ille habuit, habetis, assentior vobis et in communionem accedo: si non habetis, de ea re consultandum etiam atque etiam dico. quæ vero fuerit illius mens atque voluntas, non ut conjectans, sed tanquam sciens referre possum. quando ego primum Syracusas profectus sum, annos circiter quadraginta ætatis agens, Dion in ea erat ætate, qua nunc Hipparinus: et in ea, qua tunc erat, opinione semper perseveravit, Syracusanos putans fore liberos oportere atque optimis legibus gubernari. itaque non esset mirandum, si quis Deorum hunc in eadem opinione reipublicæ gubernandæ ipsi consentientem præstitisset. qua vero ratione id fuerit faciendum, digna res est, quæ et seni et juveni audiatur. conabor autem, quoniam præsens tempus id poscit, rem omnem a principio vobis referre. Equidem adolescens dum essem, eandem quam plerique habui cupiditatem. statueram enim, cum primum mei ipsius compos factus essem, ad rempublicam me conferre. interim talia quædam circa rempublicam contigerunt. nam cum præsens reipublicæ status a multis improbaretur, secuta mutatio est. tunc unus et quinquaginta viri gubernationem arripuerunt: horum undecim in urbe, decem vero in Piræo forensium urbanarumque rerum administrationem habebant. sed penes triginta viros

summa erat omnium auctoritas constituta. horum nonnulli domestici et noti erant mihi: qui me statim invitaverunt ad rempublicam capessendam. atque ego nihil mirabile sum ob juventutem perpessus. quippe existimabam illos ab injusta vita civitatem ad justos mores debere convertere. itaque diligenter in dies, quid facerent, observabam. verum animadverti eos brevi admodum tempore ita se gerere, ut prior ille reipublicæ status fuisse aureus putaretur. nam et alia multa injuste fecerunt, et amicum meum seniorem Socratem, quem ego justissimum omnium, qui tunc erant, appellare non vereor, una cum aliis quibusdam ad adducendum aliquem civium ad se miserunt, ut ultimo supplicio afficeretur, [325] Socratemque ipsum, vel sponte vel invitum, quasi participem sibi conjungerent. qui tamen parere noluit, ac potius cuncta pati gravissima constituit, quam impiorum scelerum illis socius fore. hæc igitur cum viderem et alia quædam non parva, graviter tuli et ab illis malis me recepi. nec multo post secuta horum triginta eversio est, totaque respublica mutata. rursus igitur, quamquam moderatius, cupiebam tamen adire rempublicam. sed agebantur tunc etiam, utpote turbata republica, quæ improbares permulta. nec sane mirum fuerit, in hujusmodi mutationibus inimicos quosdam pœnas dare graviores: quamquam qui redierant, magna uterentur elementia. iterum sorte quadam accidit, ut Socratem hunc, amicum nostrum, potentes in republica quidam accusarent, impium crimen objicientes ac minime omnium ipsi conveniens. quasi enim non recte de Diis sentiret, alii quidem in judicium traxerunt, alii sententiam in eum dixerunt, condemnaveruntque, et eum hominem necavere, qui superiori tempore, quo nihil impie faceret, unum ex ipsis tunc exsulantem ducere atque rei impiæ nullo modo particeps fieri sustinuerat. cum hæc igitur animadverterem, et homines, qui in reipublicæ gubernatione versabantur, legesque et mores: quanto magis considerarem quantoque magis ætate progrederer, tanto difficilius arbitrabar esse recte rempublicam gubernare. neque enim hoc fieri potest absque amicis sociisque fidelibus: quos nec reperire jam existentes facile erat: non enim amplius in patriis moribus institutisque civitas nostra gubernabatur: et parare novos impossibile erat sine summa difficultate; at simul leges moresque penitus corrupti erant. Itaque ego ille, qui prius exarseram incredibili cupiditate me ad rempublicam conferendi, intuens cuncta in præceps deferri, tandem, quo verterem, nesciebam. et ab investigatione quidem nequaquam desistere placuit, si quid forte melius eveniret et circa hæc ipsa et universam rempublicam: [326] agendi vero opportunitatem aliquam exspectare. tandem vero compertum est mihi, respublicas omnes, quæ nunc sunt, improbe gubernari. nam quantum ad leges attinet, insanabiliter ferme se habent, nullo instituto mirabili, sed fortuna quadam viventes. quapropter dicere adductus sum, laudans rectam philosophiam, quid justum sit et quid non, tam in republica quam privata, per eam duntaxat discerni. itaque non prius desinere humanum genus in malis versari, quam aut homines recte vereque philosophantes rerumpublicarum gubernationem adepti fuerint: aut hi, qui gubernant, divina quadam sorte vere philosophentur. hac ego mente Italiam Siciliamque adivi. hæc fuit prima in ea loca profectio mea. ego cum pervenissem, vitam illam, quam beatam vocant, Italicarum Syracusanarumque mensarum plenam, nullo modo probavi, bis videlicet in die saturum fieri, et nocte nunquam jacere solum, etcetera quæ vitam hujusmodi subsequuntur. nemo enim omnium, qui sub cœlo sunt, si in hujusmodi moribus ab adolescentia nutriatur, quamvis natura mirabili sit, unquam tamen prudens evadet. temperatus esse certe nunquam curabit: eademque erit de ceteris virtutibus ratio. civitas autem nulla legum ullarum potentia quiescere poterit, si cuncta in superfluos

sumptus eroganda cives existiment : ceterisque posthabitis omnibus, conviviis dumtaxat et venereis oblectamentis obnixe putent operam impendendam. necesse est hujusmodi civitates modo in tyrannidem modo in paucorum potentiam modo in popularem statum mutari, neque unquam quiescere : justæ vero æquabilisque gubernationis eos, qui in his civitatibus potentes sunt, ne nomen quidem ipsum audire velle. hæc ego una cum superioribus illis considerans Syracusas profectus sum, forte quidem fortuna quadam. videtur autem alicujus eorum opera, qui supra nos sunt, principium tunc fuisse datum omnibus, quæ nuper Dioni Syracusisque contigerunt : ac vereor, ne pluribus insuper, si vos mihi nunc iterum consulenti nequaquam assentiamini. [327] quemadmodum vero dicam omnium fuisse principium profectionem tunc Syracusas meam, accipite. ego cum Dione tunc juvene eram frequens, et quæ hominibus optima fore arbitrabar, quibus poteram rationibus suadebam et ut faceret consulebam. sed his dicendis videor latenter et præter intentionem tunc meam tyrannidis ruinam, quæ secuta est, paravisse. Dion enim cum esset acerrimo ingenio cum ad cetera omnia tum ad ea, quæ tunc dicebantur a me, perdiscenda, ita celeriter ac vehementer illa arripuit, ut nemo ex omnibus juvenibus, quos unquam convenerim. ac reliquam vitam ducere statuit multo præstantius, quam alii multi Italicorum atque Siculorum, virtutem potius quam voluptatem deliciasque sectatus. itaque infensus vivebat illis, qui in tyrannicis institutis degebant : atque hoc usque ad Dionysii mortem. postea vero animadvertit eam sententiam, quam ipse rectis conceperat rationibus, non in se uno solum, verum etiam in aliis quibusdam, licet non multis, exsistere : in quorum numero Dionysium juniorem, Diis bene juvantibus, sperabat fore. quod si accideret, et ille ipse et ceteri Syracusani mirificam felicitatem nanciscerentur. quapropter censuit me quam celerrime Syracusas accedere debere, horum socium adjutoremque futurum : memoria tenens, quam facile dudum mea secum consuetudo ipsum in cupiditatem vitæ pulcherrimæ atque optimæ traduxisset. quam cupiditatem si in Dionysio, ut aggressus erat, perficeret, magnam spem habebat, absque cædibus et sanguine et absque iis, quæ nunc evenerunt, malis, veram vivendi rationem ac beatam vitam in universa illa regione constituere posse. hæc Dion recte considerans Dionysio suasit, ut me vocaret : et ipse quoque rogavit, ut accedere cunctis posthabitis festinarem, priusquam ulli alii Dionysio adhærentes, neglectis optimis vitæ institutis, ad alia illum deflecterent. cohortationem insuper precibus longam adjunxit. quodnam, inquit, tempus aliud jam exspectamus ad agendum opportunius, quam quod nunc nobis est divina quadam fortuna concessum? narrabat præterea magnitudinem imperii Dionysii per Italiam atque Siciliam, ejusque in his ipsis locis potentiam, [328] juventam quoque atque cupiditatem ejus ad philosophiæ et disciplinæ studia vehementissimam. quin etiam quam propensi forent ejus necessarii atque domestici cum ad eam, quam suaderem, disciplinam vitæ recipiendam, ipsum quoque Dionysium ad hoc provocare idonei. itaque si unquam alias, et nunc certe maximam adesse spem, eosdem fore et philosophos et magnarum principes civitatum. ille igitur his me rationibus aliisque generis ejusdem permultis adhortabatur. ego vero, quo tandem affectus juvenum evasurus esset, formidabam. talium enim cupiditates et veloces sunt et sæpe sibimet contrariæ perferuntur. Dionem tamen natura gravem tum ætate jam satis maturum esse sciebam. itaque cogitanti ambigentique mihi, utrum eundum parendumque foret necne, subiit tandem eundum esse atque parendum : atque si quis unquam ea, quæ de legibus et republica cogitaverat, perficere velit, nunc fore tentandum ; quippe cum judicarem, si uni dumtaxat persuasissem, me bona sufficienter

omnia perfecturum. quamobrem hac sententia fiduciaque domo abivi : non qua opinabantur quidam, sed quadam scientiæ verecundia inprimis adductus, ne quando mihi ipsi viderer verba solum habere, effectum vero officiumque nullum sponte præstare, prodereque primum Dionis hospitalitatem amicitiamque, non parvis subjecti periculis. cui si quid adversi accideret, vel pelleretur a Dionysio ceterisque inimicis, atque profugus ad nos his verbis confugeret: O Plato, venio ad te patria pulsus, cum neque militibus neque equitibus carerem, quorum viribus resisterem inimicis ; sed verbis persuasioneque indigerem, qua maxime sciebam te posse juvenes ad probitatem justitiamque exhortando in amicitiam necessitudinemque devincire. quarum defectu rerum modo per te factum est, ut ego Syracusis expulsus huc accesserim. et mea quidem fortuna abs te deserta minus tibi vituperationis affert : at vero ipsa philosophia, quam semper laudas, quamve apud alios carere honore conquereris, nonne abs te nunc una mecum prodita est? [329] quod si Megaris fuissem, venisses utique mihi adjutor, cum te vocassem : alioquin te omnium ignavissimum judicavisses. nunc autem ob itineris longitudinem periculumque navigationis atque labores te excusans, infamiam evitare te putas? permultum certe aberit. si, inquam, hæc ille diceret, quænam mihi esset probabilis responsio? certe nulla. quas ob res, rationibus, quoad fieri potest, probabilibus atque ipso jure adductus accessi, relinquens consuetudines meas satis quidem honestas, sub tyrannidem, neque meis sermonibus neque mihi convenientem. veniens autem me liberavi, ne vel hospitalis Juppiter vel philosophica sors accusare me posset. certe philosophiæ dedecori fuissem, si ob mollitiem timiditatemque vituperari potuissem . ceterum cum eo venissem, neque enim oportet longius evagari, omnia apud Dionysium seditionis plena offendi : atque calumniarum in Dionem, quasi tyrannidem affectaret. defendi igitur, quantum valui : sed parum potui. quarto enim fere mense post adventum meum Dionysius, accusans Dionem, quasi tyrannidi insidiaretur, in parvum conjecit navigium ac turpiter expulit. amici vero Dionis, quotquot eramus, cuncti formidabamus, ne forte aliquem nostrum Dionysius, quasi socium illius criminis, supplicio afficeret. rumor autem exortus est Syracusis, me occisum esse a Dionysio, quasi omnium, quæ tunc acciderint, auctorem. at ille sentiens nos omnes sic affectos, veritus ne ex metu nostro aliquid forsan accideret gravius, benigne admodum omnes recepit : me certe ipsum consolatus bonam habere spem jussit, atque ut permanerem omnino rogavit. erat enim sibi in fuga quidem mea nihil honesti, sed in permanendo. atque iccirco precari me maxime simulabat. preces autem tyrannorum necessitati permixtas esse non ignoramus. cum vero, ne abirem, machinaretur, collocavit me in arce, atque his locis habitare voluit, unde nullus posthac nauta, non modo prohibente illo, sed nisi jubente atque mittente, foret abducturus ; neque quisquam sive mercator sive alicujus provinciæ magistratus, me solum exeuntem conspexisset, qui non me captum ad Dionysium repente reduceret : præsertim cum jam, contra quam prius, [330] vulgatum esset Dionysium rursus Platonem vehementer complecti. et quodammodo ita erat : neque enim tacendum est verum. complectebatur ille quidem in dies me magis atque magis, et gaudebat moribus nostris atque consuetudine. cupiebatque a me laudari magis quam Dionem, et amicum longe magis existimari : et ad id quidem maxime contendebat. rationem vero, qua id optime fuisset factum, si modo fieri potuisset, neglexit. hæc enim fuerat, ut mihi videlicet in audiendis addiscendisque philosophiæ rationibus liberius adhæreret, mecumque conveniret. at vero ad hoc ille diffidentior erat, timens ne, quemadmodum asserebant calumniatores, si rationibus illis implicaretur, Dion, quæ cupiebat, jam esset omnia consecutus. ego autem

omnia pertuli, in eadem sententia perseverans, qua ab initio profectus eram: tentans, si quo pacto fieri posset, ut in cupiditatem vitæ philosophicæ perveniret. at ille contra nitens me vicit. et primum quidem tempus meæ profectionis in Siciliam actionumque illic mearum, per hæc omnia traductum est. posteris vero temporibus in Siciliam iterum sum reversus, quo me omni studio Dionysius revocabat. quam vero ob causam rursus accesserim, quidve illic egerim, neque id quidem absque ratione, tunc demum vobis referam, cum vobis, quid potissimum rebus sic se habentibus agendum sit, consulucro. referam, inquam, eorum gratia, qui interrogant, quonam consilio secundo redierim. sed ne, quæ accessoria sunt, præcipuis anteponantur, ad consilium jam devenio. reor equidem hominem consulentem ægroto et circa victum intemperato inprimis hoc suadere debere, ut modum vivendi mutet: ac si ægrotus in hoc obediat, tunc alia jam illi ad medelam conferre: at si parere nolit, tunc consulentem ipsum virum putabo et medicum, si eum omiserit. quod si consulendo ulterius perseveraverit, contra putabo, ignavum scilicet atque artis expertem. idem quoque de civitate, sive unus eam gubernet sive plures, existimo. si enim probabili quadam ratione rectaque via incedenti populo utile aliquid consulatur, id quidem agere sapientis officium arbitror. sin autem penitus a civili ratione desciscant, neque vestigia quidem ejus sequi velint, dicantque consultori præstare, [331] ut rempublicam omittat, neque quicquam in ea commoveat, utpote, si commoverit, perituro; voluptatibus autem libidinibusque ipsorum indulgeat, atque ea ratione consulat, qua facillime semper celeriterque satis eorum voluptatibus fiat: equidem eum, qui in ejusmodi gubernatione perstiterit, nequaquam virum putabo; sed eum potius, qui prorsus omiserit. in hac ergo sententia constitutus, quotiens aliquis me de rebus gravioribus consulit, sive ad divitias sive ad corporis vel animi purgationem pertineant, si quotidiana illius vita modum aliquem servare posse videatur, vel saltem consulenti mihi videatur obtemperaturus, libenter consulo, neque prius desino quam initium pro viribus ad finem usque perduxerim. si autem aut omnino non petat a me consilium, aut, qui petit, manifeste appareat consulenti mihi nullo modo obtemperaturus: ultro quidem non accedo ad consultandum: per vim vero, ne si meus quidem sit filius. servo-tamen etiam invito consulerem, ac vi adhibita compellerem. at patrem vel matrem per vim cogere nefas esse arbitror, nisi propter morbum mente alienatos. quod si suo quodam more vivant, qui mihi nequaquam probetur, neque infensus adversarer frustra monendo, neque rursus blandiendo eorum cupiditatibus assentarer, ea porrigens, quibus ego si indulgerem, vivere nolim. hac eadem mente circa patriam vir prudens esse debet, ut ita reprehendat civitatis errores, si neque frustra sit reprehensurus neque ob reprehensiones studium perituras. vim autem patriæ per reipublicæ mutationem afferet nunquam, quando absque expulsione et cæde civium emendari non possit: sed quietem aget, votoque precabitur optima et sibi et patriæ. hoc igitur pacto ego vobis consulerem. consulebam similiter Dionysio, una cum Dione ea videlicet ratione quotidie vivere, qua sui ipsius compos maxime redderetur, amicosque et familiares fidos haberet: ne idem sibi, quod et patri, accideret. qui, cum multas in Sicilia magnasque urbes suscepisset quondam a barbaris devastatas, easque restituisset, non potuit in singulis illarum gubernatores rerumpublicarum constituere fidos, neque ex domesticis suis neque ex aliis undecunque comparatis, [332] neque ex fratribus suis junioribus, quos ipse educaverat: sed tum ex privatis hominibus præsides, tum ex pauperibus admodum divites fecit. horum tamen nullum fidum sibi gubernationis socium potuit adhibere, vel suadendo, sive docendo, sive largiendo, sive in necessitudinem recipiendo: septies deterior Dario, qui neque fratribus confidens,

neque his, qui sub eo educati fuerant, sed sociis dumtaxat Midæ eunuchique, captivitatis partes divisit septem, singulas majores tota Sicilia, assignavitque singulis: atque eos fidos nactus est regni socios, neque vel sibi vel invicem insidiantes. præterea exemplum dedit, qualem oportet se ipsum legumlatorem regemque bonum præstare, quippe cum leges tulerit, quibus adhuc Persarum servatur imperium. accedit ad hæc, quod Athenienses, cum multas Græcorum urbes, non a se quidem ab aliis constitutas, deinde occupatas a barbaris, in potestatem suam recepissent, annos septuaginta in eis tenuerunt imperium, utpote qui amicos sibi in singulis civitatibus comparaverant. Dionysius autem, cum in urbem unam universam Siciliam congregasset ob sapientiam, nulli confidens, ægre servatus est. carebat enim amicis fidisque hominibus: quo nullum majus est argumentum vel improbitatis, si desint, vel probitatis, si adsint. hæc igitur Dionysio ego ac Dion consulebamus, postquam paternæ res sic se habuissent, ut neque eruditorum virorum familiaritates, neque decentes haberet consuetudines: admonebamusque, ut animum ad hæc intendens imprimis amicos sibi alios ex domesticis et æqualibus compararet, ad virtutemque concordes: maxime vero, ut se ipsum sibi consentientem constantemque præstaret. hujus enim rei defectum apud eum esse quam maximum, ostendebamus, non apertis quidem nunc verbis; neque enim tutum fuisset, sed ratione quadam latentiore. idem tamen significante, docentes, ita demum unumquemque hominum tam se quam illos, quibus imperat, posse servare, si hæc observaverit: sin autem contra se gesserit, contra prorsus accidere. quod ita, ut dicebamus, incederet, seque ipsum prudentem temperatumque præstaret: si rursus devastatas urbes Siciliæ restitueret, ac legibus institutisque ad rempublicam pertinentibus eas muniret, ut et sibi benevolæ et inter se invicem contra vim barbarorum auxilio forent: [333] non duplicaret modo regnum paternum, verum etiam multiplicaret. fore quidem si ita se gereret, ut Carthaginenses multo magis faciliusque suæ potestati subjicerentur, quam Geloni subditi fuissent: contra quam patri accidit suo; ille enim pendere tributum barbaris coactus fuerat. hæc erant, quæ dicebamus præcipiebamusque Dionysio, nos videlicet insidiantes sibi, ut multi divulgaverant. qui et, cum nos apud Dionysium superavissent, Dionem quidem expulerunt, nos autem in formidinem conjecerunt. verum ut non pauca paucis comprehendamus, Dion profectus ex Peloponneso atque Athenis, rebus jam ipsis Dionysium commonefecit. cum ergo liberasset civitatem Dion, eamque jam bis civibus reddidisset, eodem pacto affecti fuerunt adversus Dionem Syracusani, quo et antea Dionysius. nam olim Dionysium Dion educare atque erudire contenderat, quo eum regem regno redderet dignum: talemque se illi per omnem vitam præstare statuerat. obtrectatores autem calumniatoresque Dionysio persuaserunt, Dionem, quasi tyrannidi insidiantem eo tempore, hæc omnia machinari, ut mens Dionysii, disciplinæ studiis irretita, dominationem negligeret eamque Dioni totam relinqueret, Dion vero, gubernationem dolo usurpans, illum expelleret. quemadmodum vero tunc apud Dionysium, ita postea inter Syracusanos hæc eadem dicta jactataque pervicerunt, infami prorsus turpique victoria his ipsis, qui superaverunt. sed quale id fuerit, audire vos oportet, qui me ad res nunc vestras componendas vocatis. veni ergo Atheniensis homo, Dionis amicus atque adjutor ejus adversus tyrannum, ut pro bello amicitiam facerem: at pugnans contra calumniatores superatus sum. cum vero Dionysius conaretur non verbis solum sed pecuniis etiam et honoribus me sibi conciliare atque detinere, ut mea cum ipso familiaritas testimonio foret Dionem non injuria expulsum fuisse: nihil apud me hac in re tanto suo conatu consequi potuit. posteris vero tem-

poribus Dion rediens domum, fratres duos Athenienses secum duxit, non ex philosophia sic amicos, sed ex hac communi vulgarique familiaritate, quæ hospitalitate quadam et frequenti inter sacra spectaculaque consuetudine amicitiam contrahere consuevit. similiter illi, tum ex his, quæ dixi, tum quia redeunti obsequia præstiterunt, amicitiam cum Dione conflaverant. hi ergo cum in Siciliam profecti essent, intelligerentque calumnias inter illos ipsos, qui ab ipso liberati erant, [334] in Dionem conjectas, quasi tyrannidem affectaret, non prodiderunt modo amicum et hospitem, sed ceu propriis manibus ipsi percussores fuerunt. arma enim tenentes interfectoribus palam auxiliati sunt. et facinoris quidem illius turpitudinem impietatemque neque prætereo equidem neque enarro. multi enim hæc diligentius narraverunt atque narrabunt. sed adversus infamiam civitatis nostræ respondeo. nam si Athenienses fuerunt illi, qui prodiderunt: ille quoque Atheniensis fuit, qui neque pecuniarum neque honorum pollicitatione, ut proderet illum, adduci unquam potuit. non enim per vulgarem mercenariamque benevolentiam factus erat amicus, sed per liberalis disciplinæ communionem. qui certe uni, qui sapit, plus adhibet fidei quam ulli et animorum conjunctioni et corporum consanguinitati. itaque non tanti æstimandi sunt illi, ut dedecus civitati ob Dionis cædem afferre potuerint, quasi alicujus pretii unquam fuerint. hæc dicta sunt omnia, quo Dionis amicis propinquisque consuleretur. consulo autem præterea et tertio vobis quoque jam tertiis idem prorsus eademque ratione, ne Sicilia neve civitas ulla aliquibus hominibus, sed legibus dumtaxat, subjiciatur, ut nostra fert ratio. neque enim dominantibus ipsis neque servientibus id utile est, neque eorum filiis aut natis natorum: sed perniciosorum omnino hominum est id aggredi. angusti vero et illiberalis animi est ejusmodi lucra præcipere: nihil vel in præsens vel in futurum tempus bonorum justorumque vel divinorum humanorumve intelligentis. hæc ego Dioni primum persuadere conatus sum, deinde Dionysio, tertio vero nunc vobis. ergo pareatis mihi, Jovis tertii servatoris gratia. præterea Dionysii Dionisque exitum animadvertite. Dionysius quidem, non obtemperans consiliis meis, vivit etiam nunc non honeste: Dion vero, cum obtemperavisset, honeste interiit. ei namque viro, qui præclarissima sibi patriæque affectat, nihil unquam, nisi rectum pulchrumque potest accidere. nec vero quisquam nostrum natus est immortalis: neque, si cui id contigerit, esset is propterea felix, ut vulgo videtur. rebus quidem carentibus anima nihil vel bonum est vel malum existimatione dignum: [335] sed unicuique animæ id accidet, aut dum est cum corpore aut a corpore separatæ. credendum est revera semper antiquis sacrisque verbis, quæ nobis nuntiant immortalem esse animam, judicesque habere, suppliciaque pati maxima, postquam a corpore fuerit separata. quamobrem minus malum existimandum est perpeti gravissimas injurias, a delinquentibus illatas, quam inferre. quæ quidem homo cumulandæ pecuniæ deditus, et in paupertate animi constitutus non audit, ac, si audiverit, quasi suo judicio deridenda contemnit: atque impudenter rapit undique, quicquid existimat sibi, veluti bestiæ, voluptates ventris suppeditaturum oblectationemque veneream, servilem certe atque ingratam et absurdam, nec veræ voluptatis nomine dignam; et quasi cæcus non cernit se frustra contendere inexplebilem explere concupiscentiam: neque rursus cernit, quantum sit impietas malum, quibusque insit rebus, semper injustitiæ mixta. quam quidem necesse est animam, quæ perpetraverit injusta, secum trahere, et dum per terram revolvitur inter homines, et dum sub terram passim turpiter omnino atque misere circumfertur. cum igitur hæc aliaque generis ejusdem Dioni dicerem, persuasi. interfectoribus autem ejus justissime quidem irascerer, eodem quasi modo atque Dionysio. utrique

enim et mihi et aliis, ut ita dixerim, omnibus damna gravissima intulerunt. illi quidem, cum interficerent eum, qui volebat uti justitia : hic autem, cum nullo pacto vellet uti justitia, in universo regno maximam habens potentiam. in qua, quod si philosophia una cum potentia vere in idem quasi domicilium concurrisset, per omnes homines, et Græcos et barbaros, elucentem veramque opinionem sufficienter omnibus ostendisset, neque civitatem neque hominem unquam fore felicem, nisi et cum prudentia et sub justitia vixerit, sive per se illas possideat, sive sub sanctorum principum moribus rite educetur atque erudiatur. in his quidem nocuit Dionysius : cetera vero, si ad hæc comparentur, damna perexigua mihi videntur. at enim qui Dionem interfecit, non intellexit idem, quod Dionysius, se fecisse. equidem certe scio, quantum homini de homine affirmare licet, Dionem, si regni gubernacula diutius tenuisset, nunquam in aliam dominandi formam fuisse conversurum, quam, cum ab initio patriam suam Syracusas, [336] expulsa servitute, in suo jure constituit, libertatis jam splendore lætissimam : deinde omni studio cives congruis optimisque legibus ornaturum ; præterea omnem diligentiam adhibiturum fuisse, quo tota inhabitaretur Sicilia, liberareturque a barbaris, aliis quidem expulsis, aliis vero subactis, facilius quam fecerat Hieron. cum vero hæc per virum justum, fortem, temperatum vel philosophum gesta fuissent, eadem apud multos virtutis floruisset opinio, quæ et salva re apud omnes, ut ita dixerim, homines viguisset, si Dionysius nobis ab initio paruisset. nunc autem, sive quis dæmon sive perniciosus aliquis his sese objiciens, iniquitate et impietate, et quod pessimum est, ignoranti audacia, ex qua mala omnibus omnia et radicibus hærent et pullulant et in posterum producunt fructum his qui nascentur amarissimum, cuncta hæc pervertit rursus et perdidit. sed nunc tertio felicium auspiciorum gratia bona dumtaxat ominemur. consulo igitur vobis amicis, ut Dionem imitemini, amorem illius in patriam vitæque temperantiam magis magisque complectentes. quibus autem auspiciis consilia ejus perficere conandum vobis sit : et qualia consilia fuerint, aperte quidem ex me audistis. at si quis est inter vos, qui Dorice nequeat vivere secundum patriæ instituta, sequaturque Siculum vivendi morem et eorum, qui Dionem occiderunt : neque eum recipere neque existimare velitis ulla in re fidelem atque sincerum. ceteros autem adhortari potius debetis ad habitationem totius Siciliæ disponendam, legumque paritatem, tum ex ipsa Sicilia tum ex omni Peloponneso : nec Athenas horrete. sunt enim et ibi viri virtute omnium præstantissimi, et qui odio habeant eorum crudelitatem, qui hospitum cæde se polluant. verum si hæc tardiora jam sunt, urgentque vos quotidianæ multiplicesque seditiones atque discordiæ : intelligere unumquemque oportet, cui modo vel paulum rectæ opinionis sors quædam divina largita sit, nullum fore finem seditionum malorumque ex seditione nascentium, priusquam illi, qui vicerint prœlio, a cædibus pulsionibusque civium atque etiam injuriarum commemoratione vindictæque cupiditate temperantes inimicis concilientur, suique ipsius compotes fiant : [337] præterea leges ferant communes, nihilo magis ad voluptatem suam quam eorum, quos vicerint : cogantque illos his legibus uti. cogant, inquam, gemina necessitatis via, metu scilicet et pudore : metu quidem propterea quod potentiores sint, suam vim demonstrantes : pudore vero ex eo, quod rursus potentiores promptioresque appareant tum in voluptatibus superandis tum in legibus observandis. aliter autem nulla prorsus est via finiendorum malorum civitatis, in se ipsa seditionibus laborantis : sed seditiones, inimicitiæ, odia, proditiones in republica, ut in civitatibus ita se habentibus intra se atque vicissim fieri consuevit, semper exorientur. quamobrem qui tanquam potentiores rempublicam tenent, si salutem exoptant, ipsi inter se

eligere atque in honore præferre eos debent, quos esse audiverint optimos : primum quidem senes, qui filios et uxores habeant atque domicilium, ac majores eorum quam plurimos et probatos et insignes, sufficiensque omnes patrimonium possidentes. civitati vero decem millium virorum quinquaginta ejusmodi sufficient. hos ergo precibus honoribusque quam maximis domo evocare debent : evocatos autem precari atque jurejurando astringere, ut leges condant, quæ neque victoribus neque victis plus tribuant, sed jus universæ civitati æquum atque commune. latis denique legibus in hoc jam omnia consistunt. si enim victores subesse legibus voluerint magis etiam quam illi, qui victi sunt : omnia jam erunt salutis felicitatisque plena malaque omnia procul aberunt. sin minus, nec me nec alium in commune consilium ad eum vocare oportet, qui præceptis ejusmodi non acquieverit. hæc utique germana sunt eorum, quæ jamdiu ego ac Dion Syracusis efficere recto judicio aggressi sumus, posteriora tamen. nam prima quidem illa fuissent, quæ apud Dionysium ipsum primo bona omnibus communia agere conati sumus : sed fortuna quædam hominibus potentior illa dissolvit. nunc autem vos ista conemini bona quadam sorte divinaque fortuna fortunatius agere. atque hic finis epistolæ de consilio deque prima in Siciliam navigatione mea. quod autem sequens profectio et navigatio mea neque ab re neque temere suscepta fuerit, si cui id curæ sit, audire jam licet. primum quidem habitationis in Sicilia meæ tempus mihi transactum fuerat, [338] quemadmodum supra dixi, priusquam amicis necessariisque Dionis consilium darem : postea vero, quantum potui, Dionysio persuasi, ut me abire permitteret. convenerat autem inter nos, ut, cum pax facta esset ex bello, quod tunc in Sicilia erat, statusque illius tutius confirmatus, Dion revocaretur atque ego simul accederem. voluit autem Dionem intelligere atque existimare, se non quasi in exsilio, sed in secessu quodam constitutum esse, certo tempore rediturum. ego vero consentiens recepi me ita facturum. sed cum postea pax secuta esset, me quidem accersivit Dionysius : Dionem vero ad annum insuper hortatus est absentiam tolerare. me autem, ut omnino ad eum properarem, rogavit. Dion igitur, ut illuc accederem, et jubebat et precabatur. increbuerat enim ex Sicilia fama, Dionysium miro quodam rursus philosophiæ desiderio affici. qua re commotus Dion, ne profectionem omitterem, magnopere flagitabat. ego vero, quamquam sciebam juvenes plerumque erga philosophiam affici ita solere : existimavi tamen tutius fore, ut rem totam dimitterem neque Dionysio neque Dioni parerem. odiosa igitur utrique respondi, me videlicet iccirco non profecturum, quia senex jam essem, et eorum, quæ in præsentia fierent, nihil ita, ut convenerat, fieret. audivi autem Archytam Tarentinum interim ad Dionysium accessisse. ego enim illum ante discessum meum nonnullosque alios Tarentinos in Dionysii familiaritatem adduxeram. erant et alii quidam Syracusis, nonnunquam Dionis auditores, atque inter hos alii quidam, qui alia plurima in philosophia audiverant : qui mihi visi sunt contendisse de rebus hujusmodi apud Dionysium disputare, quasi ille omnia, quæ excogitaverim, audivisset. ille vero nec hebes est ad perdiscendum, et honoris cupiditate vehementer incensus. placuerunt igitur sibi forte, quæ dicebantur : manifesteque erubescebat nihil a me, cum ad eum profectus sum, audivisse. itaque partim amor planius audiendi eum invaserat : partim cupiditas gloriæ stimulabat. quam vero ob causam in prima illa peregrinatione mea non audiverit, in superioribus enarravi. cum ergo domum ego sospes redissem, atque illi iterum revocanti negavissem, ut dixi : visus jam mihi est Dionysius honoris sui cura prorsus ardere, veritus ne sic acciperent homines negationem meam, quasi illum prorsus contemnerem, cum ejus ingenium moresque et vitam ipsa experientia cognovissem. [339]

justum est autem me verum fateri, ferreque æquo animo, si quis quæ contigerint audiens meam quidem spernat philosophiam, tyrannum vero mentem putet habere. misit enim Dionysius tertio ad me triremem, qua facile navigarem : misit et Archidamum, quem ex omnibus Archytæ in Sicilia familiaribus plurimi a me fieri existimabat : atque una alios ex Sicilia nobiles. omnes iisdem mihi verbis affirmarunt Dionysium mirum in modum philosophiæ deditum esse. misit ipse præterea pergrandem epistolam : cum sciret, quemadmodum et ipse erga Dionem afficerer, et Dionis cupiditatem id prorsus expetere, ut Syracusas me conferrem. ad hæc igitur omnia composita epistola fuerat, tali quodam exordio : Dionysius Platoni. legitima et consueta ratione in his præfatus, *Nihil deinceps prius*, ait, *quam quod in Siciliam pro nostra voluntate veneris. Primum quidem de Dione ita fiet, ut ipse volueris. voles autem, ut arbitror, moderata : atque ego concedam. At vero, nisi veneris, nihil impetrabis eorum, quæ pro Dione optas : neque in rebus aliis, neque in his, quæ ad personam suam spectantia inprimis desideratis.* hæc ita scripsit. cetera vero prolixa forent neque satis opportuna relatu. venerunt aliæ quoque epistolæ ab Archyta aliisque Tarentinis, laudantes in Dionysio sapientiæ studium. præterea his addebant, nisi proficiscerer, amicitiam illam, quam ipsis cum Dionysio conflaveram, neque parvam quidem, quantum ad civilia spectat, me omnino calumniis subjecturum. cum igitur eo tempore sic accersirer, aliis quidem ex Sicilia atque Italia me trahentibus, aliis vero precibus Athenis quasi me impellentibus, ratioque mihi dictaret non decere Dionem Tarentinosque hospites et amicos prodere : atque mihi ipsi succurreret non esse mirum, si quis ingeniosus juvenis, cum prius sermones de rebus magnis audire noluerit, mutata deinde sententia ardore quodam vitæ optimæ accendatur : oportereque ipsum evidenter arguere, utram in partem declinet ; nec ipsum prodere, nec me ipsum causam illi præbere tantæ vituperationis suæ, si modo res ejus revera ita, ut fertur, sese habeant : [340] harum, inquam, rationum patrocinio protectus iter ingredior, multa quidem timens multaque fore divinans, nec recte quidem, ut videtur. profectus denique sum tertio, sub servatore. id enim revera consecutus sum : nam rursus feliciter sum servatus. atque horum post Deum Dionysio habeo gratiam, quoniam, cum plerique me interficere cuperent, restitit ipse, partemque aliquam pudoris sui meis in rebus exhibuit. cum itaque ad eum pervenissem, operæ pretium inprimis fore censui hoc ipsum examinare, utrum revera Dionysius amore philosophiæ accensus velut igne flagraret ; an vanus de eo rumor Athenas usque fuerit pervagatus. est modus quidam experientiæ circa hæc sumendæ, non ingenerosus ille quidem, sed tyrannis revera conveniens, his præcipue, qui plurimos jam audiverint. quod quidem ego statim veniens persensi prorsus Dionysio contigisse. ostendendum est utique illis, quam magna res philosophia sit, quantoque studio egeat, et quantis laboribus comparetur. qui igitur hæc audiverit, si revera sapientiam amet, eique natura cognatus atque ipsius possessione sit dignus, quasi qui divinus sit, viam sibi mirabilem esse putat ostensam, perque eam sibi omni conatu existimat gradiendum, aliterque facienti vivendum esse non censet. itaque se ipsum atque etiam hujus viæ ducem impensius cohortatur : neque prius desinit quam vel finem omnium fuerit consecutus vel saltem eam sibi comparaverit facultatem, per quam ipse se jam sine duce ad terminum perducere valeat. hæc igitur, atque ejusmodi rationibus, ille considerans, per universam vitam, quicquid omnino agat, ante omnia est philosophiæ semper intentus : victuque quotidiano utitur, quo maxime queat ingenium et memoriam et judicium conservare, sese sobrium præstans, contrariumque huic victum semper odio habens. at vero qui non sunt revera

sapientiæ amatores, sed opinionibus dumtaxat extrinsecus colorati, instar eorum, qui sub sole uruntur atque colorantur, cum audiverint, quot discenda sint, quanto labore, qua quotidiani victus temperantia philosophiæ studiis necessaria, rem protinus sibi duram impossibilemque rati, ut operam dent adduci non possunt. [341] plerique vero sibimet persuadent sufficienter se omnia jam audivisse, neque studio prorsus ullo ulterius indigere. hæc utique faciendi periculi ratio perspicua est et minime fallax, adversus eos, qui prosequi pra mollitie nequeunt: ut crimen in præceptorem rejicere nunquam possint, sed ipsi jam se ipsos ad ea, quæ philosophiam decent, peragenda redarguant, ut impotentes. hac utique examinis ratione apud Dionysium tunc usus sum: cuncta vero nec ego percurri neque Dionysius requirebat. nam erant permulta et maxima, in quibus se satis doctum ob ea, quæ ab aliis audiverat, existimari studebat. audio vero, ipsum de his, quæ tunc audivit, scripsisse postea, quasi artem propriam componentem: cum nihil tamen horum revera ipsorum inesset, ut equidem audio. de his vero ego nihil certi scio. alios tamen quosdam novi de rebus eisdem scripsisse. quicunque vero hi fuerint, ne ipsi quidem se ipsos. tantum vero dicam de his omnibus, qui aut scripserunt aut scripturi sunt, se scire affirmantes, quæ sint ea, quæ ipse tanquam seria studiose meditor, sive a me sive ab aliis audiverint, sive tanquam inventores ipsi fuerint, nihil eos ipsa de re meo judicio percipere posse. nec enim de ipsis scripsi unquam nec scribam. id namque nullo pacto verbis exprimi potest, quemadmodum ceteræ disciplinæ: sed ex diuturna circa id ipsum consuetudine vitæque ad ipsum conjunctione subito tandem, quasi ab igne scintillanti lumen refulgens, in anima se ipsum jam alit. atqui tantum equidem scio, videlicet scripta a me vel dicta optime dicerentur: male vero scripta non minimam mihi afferrent molestiam. quod si scriptis vel voce proferenda mihi in vulgum viderentur, quidnam pulchrius nobis in vita fieri posset, quam rem valde utilem hominibus afferre, atque naturam omnibus proferre in lucem? at vero studium in his edendis utile esse non reor hominibus, nisi admodum paucis, qui videlicet, exiguis ante vestigiis demonstratis, ad inveniendum ipsi sagaces sint. alios vero partim contemptu nefario, partim elata spe vanaque implevisset, quasi præclara quædam jam didicissent. proinde longiora de ipsis dicere cogitavi. forte enim, si hæc dicantur, nonnihil de his, quæ dico, clarius apparebit. [342] est namque sermo quidam verus, obstans illi qui de rebus ejusmodi nihil omnino audet scribere: sæpe quidem a me alias dictus et nunc, ut videtur, dicendus, unicuique ipsorum, quæ sunt, tria sunt, ex quibus scientiam fieri necessarium sit. quartum ipsa scientia est: quintum vero oportet ipsum ponere, quod quidem cognoscibile, id est quod agnosci potest, atque vere exsistit. horum unum est nomen, secundum oratio sive ratio quædam, tertium simulacrum: scientia quartum. de unoquovis igitur accipe, cupiens, quod modo dictum est, discere: deque omnibus similiter cogita. circulus aliquid dicitur, cui nomen id est, quod modo pronuntiabamus. sequitur autem ejus oratio sive ratio quædam, ex nominibus verbisque composita. quod enim ab extremis ad medium æqualiter undique distat, illius ratio est: quod rotundi et circumferentiæ et circuli nomine designamus. tertium vero scilicet, quod pictus circulus sit, vel deletus, aut torno factus, vel destructus. quorum nihil ipse circulus, circa quem hæc singula sunt, patitur, utpote aliud quiddam exsistens. quartum autem scientia est et intellectus atque vera circa hæc opinio. hoc rursus totum tanquam unum est ponendum, quod nec in vocibus nec in corporum figuris est, sed animis: ideoque manifestum est aliud esse, quam sit ipsa circuli natura, rursusque aliud quam tria illa, quæ supra diximus. horum vero ex numero intellectus cognatione similitudineque quinto

proximus hæret: cetera remotiora sunt. idem quoque de recta et curva dici potest figura atque colore: deque bono et pulchro et justo: rursus de quocunque corpore, vel manu facto vel naturali, sive igni sive aqua, ceterisque hujusmodi: similiter de omni animali ac de moribus animorum atque de actionibus passionibusque universis. nisi enim quis in his illa quatuor quodammodo capiat, nunquam scientiæ circa quintum perfecte particeps erit. proinde illa non minus, quale quid sit unumquodque, quam quid sit, aggrediuntur ostendere, propter rationum debilitatem. [343] quapropter nemo mentis compos audebit unquam in idem. atque id quidem immutabile, referre, quæ ab ipso intelliguntur, atque quatuor illa: quod utique patiuntur, quæ designantur figuris. id vero, quod nunc dicimus, rursus est considerandum. sane circulus quilibet horum, qui inter hominum manus vel pinguntur vel torno fiunt, plenus contrarii est ad quintum. recti namque undequaque fit particeps. ipsum vero circulum affirmamus neque minus neque magis aliquid, id est, nihil omnino habere in se naturæ contrariæ. præterea nullius horum nomen firmitatem dicimus ullam habere. nihil enim prohiberet, quæ nunc rotunda nominamus, recta vocari, rectaque rotunda: nec firmitatem ullam majorem fore nominibus in contrarium permutatis. eadem quoque de oratione ratio est, cum ex nominibus verbisque componatur nullam omnino habentibus firmitatem. multipliciter rursus probari potest nullum horum quatuor certum firmumque esse. maximum vero omnium, quod paulo ante dicebamus, quod cum duo sint, essentia et qualitas, quando animus non quale, sed quid sit, quærit, nisi quodlibet horum quatuor quæsitum prius ab anima tam ratione quam effectu, denique sensibus bene discussum, per omnia, quæ dicuntur atque ostenduntur, evaserit: omni ambiguitate et obscuritate, ut ita dixerim, omnes implebit. in quibus igitur haudquaquam consueti sumus ob pravam educationem verum perquirere, sed satis nobis factum putamus, si apposita simulacra attigerimus, minime derisui sumus invicem interrogati interrogantibus, potentibus dumtaxat quatuor illa discutere atque arguere. ubi vero necessitas cogit quintum ostendere, quivis eorum, qui possint subvertere atque retractare, pervincit: facitque, ut qui exponit sermonibus vel litteris vel disputationibus, apud audientium multos nihil eorum, quæ vel dicere vel scribere aggreditur, intelligere videatur. qua in re sæpe ignoratur, non animum scribentis vel dicentis redargui, sed naturam potius cujuslibet illorum quatuor se male habentis. traductio vero, per omnia illa sursum deorsumque in unumquodque discurrendo perveniens, vix tandem scientiam parit intrinsecus: scientiam, inquam, ipsius, quod naturaliter bene affectum est in animo, ad ipsum quoque naturaliter bene affecto. at si quis male affectus sit natura, qualis naturaliter animæ habitus inest multis, tum ad illa quæ discenda sunt, tum ad mores, corruptique illi sunt: [344] ne Lynceus quidem, ut ejusmodi animus videat, efficere posset. atque, ut summatim dicam, neque acumen neque memoria faciet unquam, ut, qui rei ipsius, qua de agitur, non est cognatus, ipsam inspiciat. principium etenim in habitibus alienis non sortitur. quamobrem quicunque justis aliisque, quotcunque sunt pulchra, non sunt apti natura atque cognati, licet alii ad alia ingeniosi simul et memores; rursus quicunque cognati sunt quidem, sed hebetes et memoria parum validi; nunquam ad summum discendi veritatem pervenient vel virtutis vel vitii. necesse enim est ea simul perdiscere, et falsum simul et verum totius essentiæ, cum omni exercitatione atque longitudine temporis: quod et ab initio dixi. postquam vero singulatim ipsorum nomina, rationes visusque et sensus agitata invicem tritaque fuerint, benignisque reprehensionibus redarguta, et absque invidia interrogando respondendoque discussa: vix tandem refulget circa unumquodque prudentia atque intelligentia, ad summum omnino pro

humana facultate contendens. quamobrem permultum abest, ut vir studiosus de his, quæ revera digna sunt studio, scribens hominibus, se simul et sua invidiæ ambiguitatique subjicere debeat. uno vero ex his sermone id intelligere licet: quando videlicet quis, alicujus scripta cernens, sive legumlatoris in legibus sive in quibuslibet aliis aliorum, animadvertat illa non esse illi tanquam omnino seria studiosissime pertractata: si quidem sit ipse studiosus: jacent autem inter sua, in regione pulcherrima. sin autem revera ipsi hæc tanquam seria studiose litteris tradita sunt, Dii quidem minime, sed homines mentem eripuerunt. hanc utique fabulam digressionemque quicunque sequetur, plane intelliget, sive Dionysius aliquid de summis et primis naturæ scripserit, sive quivis alius, aut minor aut major, nihil eum sincerum audivisse vel didicisse eorum, quæ scripsit, ut mea fert opinio. alioquin pariter atque ego ipsa veneratus fuisset: neque ausus fuisset unquam temere edendo absurditati indecentiæque subjicere. neque vero quasi in memoriæ subsidium illa scripsit. non enim hac in re memoriæ diffidendum, si id semel animo fuerit comprehensum. nam id totum brevissime omnium est collectum. forte vero turpi quadam ambitione id fecit, vel tanquam sua hæc asserens, vel tanquam particeps disciplinæ, qua indignus erat, quærens gloriam ex participatione quæsitam. [345] verum si ex una dumtaxat congressione id Dionysio contigit, esset id forsan concedendum. qualis autem fuit? proh Juppiter, inquit Thebanus. percurri equidem hæc illi, eo, quo dixi, modo, semelque tantum: postea vero nunquam. post hæc autem considerandum est, si cui cura sit invenire ejus, quod nobis circa illa accidit, causam: cur videlicet et secundo et tertio, et sæpius ea non pertractavimus: utrum Dionysius, ipsis semel dumtaxat auditis, adeo sufficienter ea se scire putaverit, satisve norit, sive invenerit ipse sive ab aliis ante didicerit: an frivola, quæ dicebantur, existimarit: an forte præter hæc tertium quiddam acciderit, videlicet ut ipsa haud suis æqualia viribus, sed majora, censuerit, ac revera se minime idoneum esse, qui sub prudentiæ virtutisque diligentia vivat? si enim frivola existimasse dicatur, multis certe testibus pro causa nostra contra pugnabitur, qui in rebus ejusmodi judicandis longe majorem quam Dionysius auctoritatem habeant. quod si invenisse vel didicisse, atque ipsa quidem digna videri, quæ liberali animo in disciplinam adhibeantur: quis non id mirum putet, Dionysium sic affectum horum aliquando ducem et auctorem tam facile contempsisse? quo autem pacto contempserit, jam dicam. profecto non multo post hoc tempore patrimonium Dionis, quod prius cum libere possidere fructusque inde percipere permittebat, jam vetuit omnino per ejus procuratores attingi, pecuniasque, ut consueverant, ad ipsum in Peloponnesum mitti, quasi epistolæ illius prorsus oblitus, quam mihi scripserat. asserebat enim res illas non Dionis esse, sed filii: qui cum esset ex sorore nepos, eum ex lege sub tutela ipsius esse. hæc igitur usque ad illud tempus acta fuerunt. quæ ego considerans, jam plane perspiciebam, quo pacto erga philosophiam Dionysius fuisset affectus: conturbarique licebat sive sponte sive invite. erat jam tunc æstas, et frequenter navigabatur: videbaturque mihi non tam de Dionysio quam de me ipso conquerendum, et de his, qui me impulerant, ut in artum Scyllæ tertio devenirem, Charybdimque remetirer perniciosam. compulsus itaque sum Dionysio dicere, non posse me ullo modo apud se fore, Dione tam ignominiose contempto. at ille me consolabatur, rogabatque ut manerem, non putans sibi honestum, ut ego ipse tam cito horum a se factorum nuntius irem. [346] cum vero mihi manendum persuadere non posset, ipse mihi se paraturum ait, qui et quo pacto me deferrent. ego autem in transmissoriis navigiis trajicere constitueram, omnia esse perferenda ducens, si abire me prohiberet,

quippe cum manifeste ipse nulla Dionysium injuria afficiens ab eo injuria affectus fuissem. at ille, cum me nullo modo manere velle cognosceret, quo navigationem tunc meam impediret, talia machinatus est. postridie sermonem ad me habuit gratiosum atque probabilem. mihi et tibi, inquit, Dion Dionisque res, quatenus discordiæ nostræ causam præbent, tollantur e medio. Dioni equidem tui gratia hæc faciam. decerno Dionem, recipientem sua, habitare in Peloponneso, non tanquam exsulem, sed tanquam cui liceat huc proficisci, quando illi et mihi vobisque amicis communiter videatur: dummodo nullam mihi injuriam faciat. hujus autem rei fidejussores mihi fore te familiaresque tam tuos quam Dionis, qui hic habitant: Dionem quoque ipsum id vobis observaturum, sufficienter confirmare debere. pecuniæ vero omnes, quas ille acceperit, in Peloponneso et Athenis deponantur, penes quos vobis videtur. harum quidem pecuniarum fructus accipiat Dion, sed ipsas tollere, nisi vobis concedentibus, nequeat. non enim confido, si pecunias susceperit, eum mihi fidem servaturum, cum non paucæ futuræ sint. majorem vero tibi tuisque habeo fidem. considera igitur, an tibi hæc placeant, maneque horum gratia hic annum: quo peracto, susceptis his pecuniis, abibis. Dionem equidem scio magnam tibi gratiam habiturum, cum hæc sibi perfeceris. cum igitur hæc audissem, quamquam ægre omnino ferebam, respondi tamen hac in re me consulturum: tempusque respondendi in crastinum sumpsi. atque in hoc consentientes tunc discessimus. consultabam itaque posthac ipse mecum, valde quidem ambiguus. occurrebat autem, quasi consilii dux, prima mihi ejusmodi ratio. age utique, etsi Dionysius nihil eorum, quæ promittit, servare cogitat, si tamen abeunte me per se ac per amicos probabiliter ad Dionem scribat, quæ nunc mihi dicit, Se quidem obtulisse ultro, me vero noluisse resque suas penitus neglexisse. præterea his addebam: si Dionysius me nolens dimittere, ideoque navigium nautasque non det, immo facile cunctis significet velle me ipso nolente discedere: [347] quisnam me navi asportare ex ædibus ipsis Dionysii audeat? habitabam equidem, ne quid deesset incommodi, in ipsis, qui circa ædes erant, hortis: unde ne janitor quidem, nisi jubente Dionysio, egredi permisisset. quod si annum permansero, habeo equidem, quod Dioni significem notumque faciam, in quibus sim constitutus quidve agam. ac si Dionysius nonnihil eorum, quæ promittit, servaverit, opera tolerantiaque hæc mea non omnino deridenda videbitur. patrimonium namque Dionis non pauciorum quam centum talentorum, si quis recte æstimare velit, censebitur. at vero si ita res cadant, ut eas verisimile est casuras, quo me vertam, nescio. verumtamen forte necesse est me annum adhuc tolerantem machinationes Dionysii re ipsa pro viribus redarguere. cum ita mecum consultavissem, sequenti mox die ad Dionysium retuli, videri mihi manendum esse: sed addidi, ne existimaret me posse apud Dionem prorsus omnia quasi dominum, ideoque operæ pretium esse, ut una mecum ipse quoque ad eum scriberet, significans hæc nostra consilia, atque interrogans, utrum sibi hæc satisfaciant necne, et nunquid aliud præter ea quiddam exigat. idque quamprimum inquam scribendum esse: interea vero nihil in re Dionis ab eo novi esse tentandum. hæc inter nos dicta sunt. in his ferme, ut nunc dico, convenimus. post hæc autem, cum jam naves abiissent ideoque nulla mihi foret ulterius navigandi facultas: Dionysius, quasi nonnihil prætermissi reminiscens, Dimidia, inquit, bonorum Dionis pars pro filio jure manere debet, dimidia vero ad Dionem mitti. hanc ergo vendi curabo. qua vendita, pecuniarum dimidium tibi tradam, quod ad Dionem perferatur: reliqua vero pars penes nos pro filio reservabitur. ita enim jus ipsum exigit. his ego illius dictis percussus, ridiculum putavi amplius ea de re loqui. dixi tamen decere nos

exspectare a Dione responsum, atque rursus hæc ipsa ad illum rescribere. at ille post nimis audacter patrimonium Dionis totum, quanto libuit pretio, et quo pacto hæc et quibus placuit, vendidit. mihi vero ea de re verbum omnino fecit nullum. at ego similiter posthac de re Dionis nihil ulterius locutus sum, quippe cum nihil amplius me profecturum existimarem. hactenus hac ratione et philosophiæ et amicis auxilium præstiti. post hæc autem ego et Dionysius ita viximus, ut ego [348] quidem semper extra spectarem, quasi avis quædam alicunde cupiens evolare : ille vero assidue, quo pacto me cohiberet, machinaretur, de rebus quidem Dionis concedens nihil. in ceteris tamen negotiis per universam Siciliam amicos inter nos esse fatebamur. eo autem tempore Dionysius veteranis militibus stipendia minuere tentavit, præter parentis consuetudinem. irati vero milites in unum convenerunt, neque id se toleraturos comminabantur. itaque ille, clausis arcis ipsius portis, coërcere illos conabatur. at illi repente adventarunt ad mœnia, clamorem quendam barbarum ac bellicum attollentes. quo metu conterritus Dionysius cuncta illis consueta, atque etiam plura, confluentibus illis concessit. rumor autem fuit Heraclidem tumultus omnis causam exstitisse. quod Heraclides quidem præsentiens clam fugam arripuit. Dionysius vero, cum illum capere affectaret neque inveniret, Theodotem ad se in hortos accersivit. eram forte tunc et ipse in hortis perambulans. cetera quidem, quæ inter illos tractata sunt, neque scio neque, dum colloquerentur, audivi : sed quæ me præsente inquit Dionysio Theodotes, et novi et memini. O Plato, ait, Dionysio suadeo huic, si Heraclidem huc adducere potero, criminibus in se delatis responsurum : ac si nolit deinde eum Dionysius in Sicilia permanere, saltem permittat uxorem filiumque suscipere atque in Peloponnesum abire, ibique habitare, nihil ibi molientem contra Dionysium et bonorum, quæ hic possidet, fructus percipientem. hac ergo fiducia Heraclidem jam vocavi atque iterum vocabo. sive igitur ex prima vocatione sive ex secunda huc ille venerit, cum Dionysio constituebam rogabamque, ne quid mali Heraclidi inferatur vel extra urbem vel in urbe : tantum vero, si videbitur, extra fines mittatur, donec aliter Dionysio videatur. hæc, inquit, o Dionysi, concedisne ? concedo, respondit : neque etiam, si quando in ædibus tuis appareat, aliud quicquam mali esse passurum. sequenti vero die in ipso crepusculo Eurybius et Theodotes ad me mirum in modum perterriti convolarunt. confestimque Theodotes, O Plato, inquit, affuisti heri conditionibus, in quibus de Heraclide Dionysius mecum tecumque convenit. affui, inquam. [349] at ille, nunc, inquit, discurrunt satellites ad Heraclidem comprehendendum : atque periculum est, ne ille prope alicubi sit. sequere ergo nobiscum omni studio ad Dionysium. ivimus itaque : et ingressi ad ipsum, illi quidem silentio stabant lacrimantes. ego vero inquam, verentur hi, Dionysi, ne tu, contra quam heri convenerit, novi quicquam agas adversus Heraclidem. nam videtur ille mihi prope alicubi divertisse manifesteque adesse. Dionysius vero his auditis exarsit in iras, in variosque se mutavit colores, quales ira consuevit afferre. et Theodotes, apud pedes ejus procumbens, manu ejus apprehensa multis cum lacrimis, ne quid tale faceret, deprecabatur. tunc ego sermonem suscipiens, eum consolaturus, Bono sis animo, inquam, o Theodotes. non enim aliter facere audet Dionysius, quam heri promisit. at Dionysius, tyrannico nimium vultu me intuitus, tibi, inquit, promisi nihil, sive magnum sive parvum. immo vero per Deos, inquam, promisisti, non facturum te hæc ipsa, quæ nunc ne facias iste deprecatur. hæc ego locutus egredior. post hæc Dionysius quidem Heraclidem capere conabatur : Theodotes autem hæc per nuntios illi significans, ut fugam arriperet, admonuit. miserat quidem Dionysius et Tisiam quendam cum satellitibus, jubens passim Heraclidem insequi.

sed ille, ut fertur, anticipans, et parvo quodam diei spatio satellites devitans, intra Carthaginensium fines se recepit. jam vero ex inimicitiis contra me exortis probabilem Dionysius occasionem, quam per insidias diu captaverat, ne videlicet ad Dionem pecuniæ mitterentur, assecutus fuisse videtur. ac primum quidem ex arce me emisit, occasionem præferens, quod mulieres sacra decem dierum in quibus habitabam hortis essent facturæ. itaque me per eos dies extra arcem apud Archidemum manere jussit. interea Theodotes, me ad se vocans, multa circa ea, quæ tunc facta erant, de Dionysio conquestus est. Dionysius vero, cum audisset ad Theodotem me profectum fuisse, nactus et hanc rursus occasionem contra me odii, priori similem, misit ad me, qui percontaretur, nunquid apud Theodotem vocatus aliquando fuissem. atque ego adfuisse libere confessus sum. tunc ille, Jussit ergo, inquit, Dionysius me tibi edicere, non recte facere te, quod Dionem Dionisque amicos pluris quam ipsum semper æstimes. hæc dicta fuerunt: nec unquam posthac me in suas ædes vocavit, quasi manifeste Theodotis Heraclidisque amicum, sibi vero inimicum, ac propterea infensum, quod res Dionis jam omnino perissent. [350] habitabam deinde extra arcem inter milites mercede conductos. adeuntes vero me et alii quidam et ministrorum aliqui, Athenienses patria, significarunt calumnias adversus me inter milites fuisse diffusas: præterea quosdam comminatos esse, sicubi me nanciscantur, interfecturos. excogito igitur evasionem ejusmodi. mitto Tarentum ad Archytam aliosque amicos, significans, in quo essem discrimine constitutus. illi vero, occasionem quandam legationis patriæ nomine excogitantes, Salmiscum, eorum unum, una cum navi ordinis triginta remorum mittunt. qui veniens ad Dionysium rogavit, ut me omnino pro voluntate mea salvum abire permitteret. ille autem assensus me dimisit, commeatum præbens. pecunias vero Dionis neque ego petii neque quisquam dedit. post hæc cum in Peloponnesum pervenissem, ibique offendissem Dionem ludos spectantem Olympicos, quæ facta fuerant, enarravi. ille vero, Jovem testatus, statim mihi meisque propinquis et amicis edixit se pœnas a Dionysio exacturum, tum quod me illic hospitem decepisset, (sic enim ille et dixit et sensit) tum quod ipsum injuste admodum expulisset. hæc ego audiens suasi, ut ad hæc, si videretur, amicos alios convocaret. me autem, quoniam et sua et aliorum opera quasi violenta impulisset in Dionysii familiaritatem, habitationis, victus, sacrorum communione astrictum, putaret quasi medium quendam æquumque utrinque esse debere, præsertim cum jamdiu multis apud Dionysium me calumniantibus, quasi tecum ipsi tyrannidique ejus insidiantem, ipse non occiderit quidem, sed reveritus sit. ad hæc ætatem meam rebus bellicis ineptam esse addidi: simulque medium quendam me inter eos esse, si quando conciliatore quodam opus sit, qui resarcire optantibus amicitiam possit. quamdiu vero odiis certabitis, ad hæc tanquam propugnatores alios advocabitis. hæc ego inquam, perosus errorem fortunamque in Sicilia mihi adversam. quoniam vero illi rationibus meis non obtemperaverunt, omnium, quæ secuta sunt, malorum ipsimet sibi causam præbuere. profecto si Dionysius res Dioni suas restituisset, vel potius si omnino placatus fuisset, nihil prout conditio fert humana, accidisset adversi. nam Dionem quidem pro voluntate mea et consilio et auctoritate facile continuissem. contra vero nunc in se invicem impetum facientes omnia calamitatibus implevere. [351] Dion certe eandem habebat voluntatem, quam ego dicerem et mihi et aliis, quicunque moderati sunt, habendam esse: videlicet ut potestas vel propria vel amicorum vel civitatis optetur, quo in ipsis honoribus et potentiis quis constitutus, præsertim in maximis, se et suos et patriam beneficiis justis afficiat. neque vero id

fit, si quis ad id dumtaxat incumbat, ut divitiis se amicosque, et, ut libet, ærarium expleat per insidias crudeliumque conjurationes ; ipse super videlicet, impotens se continere, sed præ animi angustia voluptatibus succumbens : præterea opulentos homines, tanquam inimicos decernens, trucidet, rapiatque pecunias : atque interea sociis familiaribusque edicat, sibi quidem in his, cum sit egenus, succensendum non esse. eodem modo, si quis similiter civitatem suam beneficiis afficiens honoretur ab ipsa, dum multis res paucorum civium per sua decreta distribuit : vel si quis magnæ præsidens civitati, pluribus minoribusque civitatibus imperanti, pecunias minorum civitatum injuste attribuat suæ. hoc enim pacto neque Dion neque alius unquam sponte sua ad potentiam progreditur, perniciosam et sibi et posteris perpetuo futuram. prudens vero ad constituendam accedit rempublicam, legesque condendas justissimas atque optimas : et id quidem absque cædibus expulsionibusque civilibus. quæ modo cum ageret Dion, constituens pati profana potius quam facere, cavens quoque ne ipse pateretur, cecidit tamen, cum jam ad summum superandorum hostium pervenisset. neque mirum alicui, quod accidit Dioni, videri debet. pium enim virum temperatumque et prudentem omnino quidem in rebus ejusmodi impii nunquam fallunt. sed neque mirandum est, si idem ipsi, quod probo gubernatori, forsan acciderit : quem futura tempestas haud admodum latet, sed insueta et iccirco improvisa tempestatum magnitudo latere potest ac vi latendo submergere. hoc utique modo Dionem sors aliquantum fefellisse videtur. quod enim mali essent, eum non latebat : quamvis, quam profunda esset in eis inscitia et iniquitas voracitasque, latuerit. qua quidem in re deceptus occubuit, Siciliam incredibili dolori subjiciens. [352] quæ igitur post hæc, quæ narrata sunt, vobis consulo, hactenus quidem dicta sint. quibus autem de causis ipse in Siciliam quasi compulsus redierim, ostendere arbitratus sum oportere, ne cui reversio mea absurda ac præter rationem suscepta videretur. quamobrem, si cui, quæ nunc dixi, probabiliora visa sunt, ac sufficientes exstitisse occasiones, cur ita fieret, videantur, satis quidem sufficienterque jam fuisse dictum putabimus.

VIII.

PLATO DIONIS PROPINQUIS ET AMICIS.

Qua potissimum vivendi ratione prospere succedant res, revera conabor vobis pro viribus enarrare. spero autem non vobis solum, quæ in re vestra sint, me consulturum, sed vobis quidem maxime : secundo vero loco omnibus, qui sunt Syracusis : tertio inimicis etiam vestris et hostibus, præterquam si quis illorum impio se ipsum scelere polluit. hæc enim insanabilia sunt, neque expiare unquam hæc quisquam posset. considerate vero, quod in præsentia dicam. omne jam vestrum circa Siciliam omnem, dissoluta tyrannide, consilium atque studium in his versatur. nempe alii quidem affectant tyrannidem iterum suscitare, alii tyrannidis memoriam omnem prorsus exstinguere. consilium vero in hujusmodi rebus apud multos rectum ubique videri solet, si ita res constituantur, ut hostes quam maximis afficiantur malis, amicis autem beneficii plurimum afferatur. at vero nequaquam id facile est, ut, qui multa aliis inferunt damna, ipsi non multa vicissim ab aliis patiantur. neque nunc opus est horum exempla longe perquirere : quippe cum quæ nuper in Sicilia acciderunt, satis exemplo nobis esse possint. cuncta enim sic accidisse videntur, dum alii quidem inferre mala, alii vero repellere et ulcisci contenderent. in quibus

enarrandis idonei aliorum magistri ubique esse potestis : in his ergo percipiendis nulla ferme est difficultas. quæ vero aut cunctis, tam inimicis quam amicis, utilia sint, aut saltem quæ his quam minimum obsint, hæc certe ipsa nec facile est perspicere neque, postquam perspexeris, ad votum perficere. hæc igitur consultatio atque inquisitio voto persimilis esse videtur. ideoque sit nobis ipsa omnino tanquam votum et deprecatio quædam. omnibus enim in rebus et dicendis et cogitandis principium semper a Diis est faciendum. [353] votum utique ejusmodi absolutum talem nobis significabit rationem, quæ vobis simul, inimicisque conducat. principio, ex quo tempore bellum in Sicilia gestum est, familia una continue dominata est, quam publicis rebus præfecerunt vestri majores, in summo tunc periculo constituti, cum a Carthaginensibus premerentur, venissetque res in extremum discrimen, ne Sicilia, quæ excolebatur a Græcis, jam a barbaris confunderetur atque devastaretur. tunc igitur Dionysium quidem elegerunt, ut juvenem bello strenuum, qui rebus bellicis convenientibus sibi præesset : Hipparinum vero, utpote seniorem, consilio res moderari voluerunt : atque pro totius Siciliæ salute absolutam his auctoritatem concedentes Tyrannos, ut fertur, appellaverunt. proinde sive quis fortunam quandam divinam Deumque, sive eorum, quibus commissa res est, virtutem, sive utrumque una cum temporis illius civibus, salutis illius causam exstitisse censeat, esto id quidem, ut quisque existimat. salus certe hoc pacto tunc illis parta est. quamobrem, cum ita se illi gessissent, justum erat gratiam ab illis, qui servati erant, referri. si quid autem postea mali tyrannis ipsa, munere civitatis abutens, patravit, habet quidem sceleris sui judices, unde et pœnas persolvat. sed quænam illis pœnæ ob ea, quæ acta sunt, necessario recteque admoveri possunt? si enim vel vos illorum vim facile propulsare possetis et absque magnis periculis laboribusque id facere, vel illi se dominationem facile recepturos arbitrarentur : haud sane possemus ea vobis, quæ nunc dicturi sumus, consulere. nunc vero utrique considerare atque meminisse debetis, quotiens jam alterutri in spem prope certam pervenistis consequendi quod optabatis, paulum deesse opinantes ad cuncta pro arbitrio consequenda. id ipsum tamen paulum ingentium plurimorumque malorum ubique causa exstitit : neque dum pervenit ad terminum, sed continuata quadam successione inveterati jam mali apparenti termino principium suboritur novum. ejusmodi vero circuitus perditurus videtur tyrannicum genus simul atque populare : et quantum verisimili ratione formidandum portenditur, tota Sicilia in Græcæ linguæ oblivionem lapsura videtur, ad Phœnicum Opicorumque potestatem dominationemque translata. quamobrem contra hæc Græci omnes omni providentia remedium afferre debent. si quis igitur rectius meliusque consilium eo, quod a me dicetur, [354] adducat in medium, merito Græcorum amator cognominabitur. quæ vero quodammodo sit mea sententia, conabor nunc libere prorsus, communi, ratione legeque fretus, exponere. ego igitur, personam mihi arbitratoris assumens, quemadmodum jamdiu consuevi, tam exercenti quam patienti tyrannidem communiter] consulam. atque inprimis omni tyranno, ut appellationem hanc remque ipsam fugiat, atque in regnum, si potest fieri, transferat. fieri vero posse Lycurgus, vir bonus et sapiens, re demonstravit. is enim, cum videret genus proprium Argis Messenæque ex regno in tyrannidem jam translatum, ideoque hos populos utrosque tam se ipsos perdentes quam civitates utrinque utrasque, timens patriæ simul et generi remedium adhibuit, senatum procreans ephororumque magistratum in regni salutem. quapropter tot jam secula servatur cum gloria : postquam videlicet lex auctoritatis plena hominum regina facta est ; non autem homines legum tyranni.

ad hoc ipsum in præsentia ratio mea omnes homines cohortatur, suadens his, qui tyrannidem affectant, declinare ac fugere indefesso quodam fugienti studio ejusmodi famescentium stultorumque hominum felicitatem: atque ad regiam gubernationis formam pro viribus se transferre, legibusque regiis obtemperare, maximos honores ab hominibus legibusque volentibus quandoque reportaturis. qui vero omnibus vivendi præferunt libertatem, jugum vero servile fugiunt tanquam malum, ii caveant moneo, ne insatiabili importunæ libertatis aviditate in majorum suorum incidant morbum: quem quidem illi propterea passi sunt, quod nulli parere volentes libertatis amore intemperanter abusi sunt. qui enim ante Dionysium et Hipparinum in Sicilia gubernabant, beate sibi vivere videbantur, libidinibus dissoluti, præsidentiumque præsidentes: præterea decem ante Dionysium præfectos deposuerunt atque pepulerunt, neminem secundum legem judicantes: quo nulli subessent homini juste judicanti aut dominanti legi, sed omnino in singulis liberi forent. qua quidem de causa illis tyrannides surrexerunt. servitus enim ac libertas, si modum excedat, utraque mala est: si modum observet, utraque bona. moderata quidem servitus est, quæ Deo exhibetur: immoderata vero, quæ hominibus. Deus quidem hominibus temperatis lex est: [355] intemperatis vero voluptas cum igitur hæc ita natura se habeant, quæ consulo, mando Dionis amicis, ea Syracusanis omnibus promulganda ex communi Dionis meaque sententia. equidem vobis exponam, quæ ille adhuc spirans locutus est. quam igitur rationem, quæret quispiam, circa præsentia nobis Dionis consilium affert? hanc vero omnium primam nunc accipite. principio leges tales sint, quæ non ad opes pecuniasque comparandas neque ad libidines mentes convertant: sed cum tria sint, anima, corpus, pecunia, virtutem animi maxime anteponant, secundo vero loco virtutem corporis, virtuti animi servientem, tertio ultimoque gradu pecuniarum pretium collocent, animo corporique ministrans. quæcunque lex hæc efficit, recta est, revera beatitudinem utentibus afferens. locupletes vero beatos appellare sermo amens est et infelix, mulieribus puerisque conveniens, atque eos, qui id credunt, tales efficiens. quod autem ego nunc ad vera vos bona cohortor, si, quæ modo dixi de legibus, degustetis, opere ipso intelligetis. quæ quidem examinatio in cunctis verissima esse videtur. receptis vero hujusmodi legibus, cum Sicilia in discrimine posita sit, neque sufficienter vos superetis neque rursus admodum superemini, justum forte atque utile vobis omnibus erit medium incidere, tum vobis dominationis acerbitatem fugientibus, tum aliis dominationem adipisci desiderantibus. quorum majores olim, quod maximi faciendum est, Græcos a barbaris servaverunt, adeo ut in præsentia liceat de republica consultare. alioquin, si tunc perditæ res fuissent, neque nunc de his loqui liceret neque spes ulla superesset. nunc igitur aliis quidem libertas sit cum regia potestate: aliis autem potestas regno subjecta, legibus dominantibus non aliis tantum civibus, sed ipsis etiam regibus, si quid egerint contra leges. in his autem omnibus mente a dolis aliena atque sana cum Diis reges create: primum quidem filium meum, duplici gratia, mei scilicet gratia atque avi sui. ille enim sua tempestate patriam a barbaris liberavit: ego vero jam bis a tyrannis. quorum quidem testes mihi vos ipsi estis. [356] secundum vero regem create eum, qui idem, quod et pater meus, nomen habet: Dionysii inquam filium. atque id facite præsentis ejus in patriam officii piorumque ejus morum: qui patre tyranno natus patriam sponte liberare aggreditur, pro brevissima injustaque tyrannide gloriam sibi generique comparans sempiternam. tertium denique ad regnum Syracusanum invitare oportet volentem, civitate volente, Dionysium Dionysii filium, nunc exercitus hostium ducem: si velit, inquam,

regiæ dignitatis forma contentus vivere, timens videlicet fortunæ vices, et patriam miseratus sacraque et sepulcra majorum; ne contentione prorsus omnia perdat, barbaris ex patriæ infelicitate gratificans. hos vero tres reges, sive illis auctoritatem eandem, quam Lacedæmonii reges habent, dederitis, sive quid ademeritis, communi consensu constituetis, tali quodam pacto, ut prius dictum est, atque iterum nunc audite. si Dionysii et Hipparini genus voluerit pro Siciliæ salute his calamitatibus, quæ nunc urgent, finem imponere, honores sibi totique familiæ comparantes non ad præsens solum sed in posterum: hac, inquam, conditione, quemadmodum et prius dictum est, ad regnum vocate: et legatos, quos ipsi velint, concordiæ gratia cum publica auctoritate deligite, sive ex vestris civibus sive ex alienis sive ex utrisque, totque præterea, quot illi concesserint. qui communi sententia leges condant atque rempublicam ita constituant, ut in ea reges esse deceat sacrorum dominos aliarumque rerum, quascunque decet his concedi, quorum beneficia in patriam exstant. proinde belli pacisque arbitrium habeant custodes ipsi legum creati, numero quinque et triginta, una cum populo atque senatu. judicia vero distincta sint alia aliorum. mortis quidem atque exsilii auctoritas sit penes triginta et quinque viros, et præter eos penes alios quosdam judices ex illis electos, qui magistratibus proxime perfuncti sunt: ita ut unus ex quolibet magistratu eligatur, qui optimus justissimusque appareat. hi sequenti anno de morte et carcere et exsilio sententiam ferant. regi vero his judiciis interesse non liceat, utpote sacerdoti, quem in ferenda necis, carceris, exsilii sententia contaminari nefas sit. [357] hæc equidem et dum viverem, cogitabam, et nunc etiam cogito facienda: atque tunc, cum inimicos superavissem una vobiscum, nisi externi furiæque obstitissent, ut decreveram, constituissem. proinde, si ad votum res processissent, colonis reliquam Siciliam replevissem, barbaris quidem ex his locis, quæ nunc occupant, expulsis, præterquam si qui eorum pro communi libertate contra tyrannidem pugnaverunt: priores autem Græcorum locorum colonos in antiquas patriasque sedes restituissem. hæc igitur eadem in præsentia omnibus consulo communi consilio deliberare et agere, atque ad hæc agenda omnes cohortari: quod si qui dissenserint, eos communi sententia hostes existimare. neque vero hæc talia sunt, ut fieri nequeant. quæ enim in duorum animis consistunt, atque his, qui consultando perquirunt optima, mox facileque occurrunt, ea qui impossibilia judicat, non recte sentit. dico autem duos, Hipparini scilicet, Dionysii filii, atque insuper mei filii animos. arbitror enim, si hi consenserint, alios quoque Syracusanos et omnes, quibus patria curæ est, consensuros. sed Diis omnibus honores cum precibus offerentes, et aliis præterea, quibuscunque una cum Diis vovere decet, præterea cohortantes invitantesque amicos et inimicos omnino atque benigne, nolite prius desistere quam ea, quæ a nobis nunc dicta sunt, quasi divina somnia vigilantibus supervenientia, perspicua quidem atque felicia perfectissime impleatis.

IX.

PLATO ARCHYTÆ TARENTINO BENE AGERE.

Venerunt ad nos Archippi Philonidisque familiares, ferentes epistolam quam eis dederas, ac de rebus tuis quæ oportuit nuntiantes. publica quidem civitatis negotia absque difficultate peregerunt: neque enim admodum laboriosa erant. te vero narraverunt permoleste ferre, quod a publicis civitatis occupationibus te liberare non

valeas. quod igitur dulcissimum vitæ genus sit, agere sua, præsertim si quis talia elegerit facienda, [358] qualia tu, omnibus ferme est manifestum. sed illud quoque te considerare oportet, nullum nostrum sibi soli natum esse: sed ortus nostri partem sibi patriam vendicare, partem parentes, partem amicos: multa insuper pro temporum diversitate nobis accidere, quibus nostra vita occupata est. vocante igitur te patria ipsa ad rempublicam gubernandam absurdum forsan esset non parere: præsertim cum simul accidat, ut aditus pravis hominibus relinquatur, qui nulla ipsius, quod optimum est, ratione proficiscuntur ad publica. de his ergo jam satis. Echecratis autem curam habemus in præsentia, habebimusque in posterum, et tui gratia et patris ejus Phrynionis et propter ipsum adolescentem.

X.

PLATO ARISTODORO BENE AGERE.

Audio te ante alios et nunc familiarem esse Dionis, et per omne tempus sapientiam morum ad philosophiam spectantium inprimis exercuisse. nam firmitatem, fidem, sinceritatem veram esse philosophiam existimo: alias vero et ad alia declinantes scientias et facultates, si quis ornamenta dixerit, recte, ut arbitror, appellabit. sed vale jam et in præsentibus his persevera moribus.

XI.

PLATO LAODAMANTI BENE AGERE.

Scripsimus etiam prius ad te, referre multum ad ea, quæ dicis, omnia, ut Athenas ipse proficiscaris. quoniam vero ais te venire non posse, secundo id loco foret, si vel ego vel Socrates, ut per tuas litteras significasti, istuc nos conferre possemus. verum Socrates quidem hoc tempore morbo stranguriæ impeditur. mihi vero istuc proficiscenti dedecus foret, si illa, quorum gratia me vocas, nequaquam perficerentur: quæ quidem perfici posse haud admodum spero. si quis autem ea omnia referre aggrediatur, quorum de causa ita diffidam, prolixa opus erit epistola. præterea per ætatem non satis corpore valeo ad iter conficiendum, periculaque mari terraque obeunda, qualia iter solet objicere: præsertim vero per id tempus omnia iter agentibus plena periculis sunt. consulere tamen tibi colonisque possum, [359] quod nunc me referente inquit Hesiodus, videri quidem leve quiddam esse, difficile vero intelligere. nam si putant aliqui, legum quarumlibet positione civitatem bene quandoque constitui posse, nisi sit aliquis cum auctoritate præsidens civitati, quotidianæ omnium vitæ moderator, adeo ut sit temperata et fortis tam in servis quam in liberis, non recte putant. proinde, si sint jam apud vos viri hac potestate digni, id fieret. sin autem ad disciplinam opus sit aliquo, neque qui doceat neque qui doceantur, ut opinor, apud vos sunt: reliquum est Deos precari. nam fere quæ ante hoc tempus fuerunt civitates, sic ab initio constitutæ sunt, ac postea bene excultæ, pro contingentia magnarum rerum, tum bello tum pace, quando in hujusmodi temporibus vir clarus et probus magnam adeptus fuerit potestatem. prius autem ipsa promptissime curare oportet, atque necesse est: considerare tamen ea, qualia dico; neque temere aggredi, quasi leviter peragantur; cogitare vero, quid commode fieri possit. vale felix.

XII.

PLATO ARCHYTÆ TARENTINO BENE AGERE.

Mirum est, quam libenti animo commentaria abs te missa accepimus, eorumque auctoris ingenio delectati sumus. visus quidem nobis est vir ipse dignus majoribus illis antiquis. fertur autem eos virorum decem millia fuisse, qui ex numero Trojanorum omnium, qui sub Laomedonte surrexere, ut fabula tradit, præstantissimi fuerunt. commentaria vero, quæ tu per litteras a me petis, nondum absoluta sunt. qualiacunque tamen sunt, ad te misi. de custodia vero idem sentimus ambo. quapropter nihil cohortatione opus esse videtur.

XIII.

[Ex Ed. Steph.]

PLATO DIONYSIO SYRACUSARUM TYRANNO BENE AGERE.

[360] Principium tibi epistolæ, simulque nota quod hæc epistola mea sit, hæc esto : Quum aliquando Locros juvenes convivio excepisses, et procul a me discumberes, surrexisti, ad meque accessisti, et comiter humaniterque dixisti lepidum quiddam, ut et mihi et ei qui proxime assidebat visum est. Erat autem ille ex numero urbanorum : qui tum, Majorem sane in modum, inquit, o Dionysi, a Platone ad consequendam sapientiam adjuvaris. cui tu, Multis etiam aliis in rebus, respondisti. Etenim ex quo eum accersiri jussi, repente ob eam ipsam causam quod eum accersiveram, emolumentum percepi. Itaque conservandum est hoc, ut hæc mutua utilitas perpetuo magis ac magis inter nos augescat. Nunc igitur hoc ipsum studens, mitto tibi ex Pythagoreis, et ex divisionibus, et virum præterea cujus opera, quemadmodum tum nobis visum est, et tu, et Archytas (si ipse ad te venit) uti possitis. Ei nomen est Helicon : patria Cyzicus, Eudoxi discipulus, cujus omni doctrina eleganter est institutus : et usus ei intercessit cum quodam Isocratis discipulorum, et Polyxeno, Brysonis sodali : quodque præterea rarum est, comis est et affabilis : neque malitiosus videtur, sed levis potius et candidus esse judicaretur. Caute autem et timide loquor : quippe de homine sententiam exponens, non de perdito animali, sed quod mutari corrigique facile possit, nisi in quibusdam, iisque perpaucis. Præterea id veritus, ac diffidens, considerabam cum illocolloquens, ac de civibus ipsius percontabar, neque quisquam mihi quicquam de eo mali retulit. Considerato autem tu quoque, et cautionem adhibeto : accuratissimeque, quoties tibi otium erit, ex illo discito, aliisque in rebus philosophator : sin minus, doceto quempiam, ut per otium discens, melior et illustrior evadas, neque a me juvari desinas. Atque hæc quidem hactenus. [361] Quod autem per literas a me ut Apollinem tibi mitterem petiisti, id feci : Leptines tibi eum deportandum suscepit. factus est ab erudito et præstanti artifice : cui nomen est Leochari. Erat apud eum opus aliud, sane egregium ut videbatur : quare illud sum mercatus, ut uxori tuæ dono darem : quoniam mei curam suscepit, et prospera et adversa valetudine utentis, quemadmodum utroque nostrum dignum erat. Quare illi dabis : nisi quid aliud videtur. Mitto etiam pueris vini dulcis duodecim amphoras, mellis duas. Caricæ jam reconditæ fuerant, priusquam veniremus. Myrtorum baccæ conditæ putruerunt : sed posthac diligentius cura-

bimus. De plantis Leptines tibi narrabit. Pecuniam autem ad istorum emptionem, et tributum quoddam civitati pendendum, a Leptine accepi: dicens quæ mihi et utrique nostrum honestissima et dictu vera videbantur. Pecunia quam in navem Leucadiam insumpsimus, fere est minarum xvi. eam igitur accepi, atque ea in istis sum usus quæ ad vos misi. Jam de tuis pecuniis quæ sunt Athenis, itemque de meis quomodo se res habeat, audi: Ego tuis pecuniis, quemadmodum olim tibi dixi, utar, quomodo aliorum amicorum facultatibus. utor autem quampaucissimis possum: in iis scilicet quæ necessaria, justa et honesta videntur et mihi et ei a quo accipio. cujusmodi mihi quiddam hoc tempore accidit. Sunt mihi fratris filiarum, quæ tum mortuæ sunt quum ego, te tamen jubente, non sum coronatus, filiæ quatuor: prima est nubilis, altera annorum octo, tertia paulo amplius trium, quarta nondum est annicula. Is autem quibus ego nubentibus superstes ero, tum a me tum a meis amicis dotes curandæ sunt: quibus non ero, eæ valeant. Si patres earum ditiores me essent, dos curanda non esset. nunc ipsis sum locupletior: et earum matres ego tum ab aliis, tum a Dione adjutus collocavi nuptum. Una igitur Speusippo traditur, ejus ex sorore neptis. Opus est autem huic non amplius xxx minis. honestæ siquidem et convenientes nobis sunt ejusmodi dotes. Deinde si mater mea moriatur, ad monimentum faciendum non opus fuerit amplius decem minis. Atque hæc quidem mihi hoc tempore sunt necessaria. Quod si quis alius fiat sumptus aut privatim aut publice ob meam ad te profectionem, sicuti aliquando faciendum dicebam, meum erit contendere et pugnare ut sumptus fiat perexiguus: quod demere non [362] potero, tibi expensum feretur. Sed deinceps commemoremus de impensis Atheniensis tuæ pecuniæ. Primum siquid mihi expendendum fuerit in choragium, aut tale quidpiam, non est, nostra quidem sententia, hospes ullus qui tibi eam reddat. Permagni autem tua refert, si quod impensum est, e re tua sit. quod autem non impensum, sed usque eo dilatum dum abs te aliquis venerit, tibi damnum afferat: quum præterquam quod difficile est, tibi etiam turpe sit futurum. Ego enim hæc tentavi apud Andromedem, eoque Æginetam Erastum misi, a quo jusseras, utpote ab hospite vestro, siquid opus esset, sumerem: quum majora de quibus scripseras, cuperem mittere. Ille vero quod æquum et non ab homine alienum esset, respondit, se quæ antea patris nomine impendisset, ægre recepisse: ac nunc pauca quidem non recusaturum, multa vero maxime. Quapropter a Leptine sumpsi: qui laude dignus est, nan tantum quia dedit, sed quia lubenter et prompte dedit, cæterisque in rebus tum dictis tum factis tibi amicus ac benevolus apparet. Hæc enim atque his contraria me tibi exponere opórtet, quali quisque esse in te animo videatur. Quare de pecuniis tibi libere id quod res est aperiam. æquum est enim: et simul domesticos tuos expertus, de iis quoque commemorabo. Qui tibi assidue pollicentur se de iis sumptibus quos faciendos arbitrantur, te admonituros, admonere tamen nolunt ne in offensionem tuam incurrant. Itaque illos tu assuefacias oportet, et cogas tum hæc tum alia tibi exponere. Debes enim tu, quoad poteris, omnia nosse, judexque eorum esse, neque ullius rei notitiam fugere. Hæc enim est ad principatum tuendum conservandumque vel commodissima ratio. Siquidem si sumptus recte facies, si nomina recte dissolveris, cum ad alia omnia, tum ad opum possessionem conservationemque, maximam jure dices esse opportunitatem. Providebis etiam ne te apud homines illi calumnientur qui se tui studiosos esse jactant. Hoc enim ad tuam existimationem minime conducere videtur. Age, de Dione commemoremus. cætera sane nequeo adhuc exponere, nisi prius tuæ quas dicis literæ ad me allatæ sint. De iis autem de quibus me apud illum mentionem facere nolebas, neque mentionem feci, neque commemoravi. Exploravi

tamen graviterne an facile, si ea fierent, toleraret: ac mihi visus est non leviter stomachaturus, si ea confierent. Cæterum mihi Dio visus est tum dictis tum factis æquo in te esse animo. Cratino, Timothei [363] fratri, sodali meo, thoracem dabimus militarem ornatissimum, ex eo genere quo pedites uti solent. Cebetis filiabus tres tunicas, non pretiosas, ut sunt Amorgineæ, sed ut Siculæ lineæ. Cebetis autem nomen tibi maxime notum est. extat enim in Dialogis Socraticis, et in Dialogo de animo disputat simul cum Simmia adversus Socratem, vir omnibus nobis et familiaris et benevolus. Notam autem epistolarum quas aut serio aut non serio scribo etsi opinor te meminisse, tamen attendito diligenter, animumque advertito. Complures enim jubent me scribere, quos non facile possum aperte repellere. Seriæ igitur epistolæ initium est Deus: non seriæ, Dii. Legati quoque a me petebant ut tibi scriberem: neque injuria. Admodum enim libenter te ubique ac me dilaudant. in his non minimum Philager, qui per id tempus ex manus dolore laborabat: item Philædes, a Dario rege magno veniens, de te verba faciebat: ac nisi valde prolixæ et verbosæ epistolæ opus esset, quæ ille dicebat, perscriberem. Nunc ex Leptine percontare an thoracem aut aliud quidpiam eorum de quibus scribo, mittas: si tamen ei tu velis committere: sin minus, Terillo committito. Ex iis qui perpetuo navigant nobis est amicus, et cum aliis in rebus, tum in philosophia minime ineptus. Titonisque gener est, ejus qui quo tempore navigabamus, urbem regebat. Vale, et philosophare, aliosque adolescentes excita atque adhortare, meisque verbis tuos in pilæ ludo collusores saluta. Jube vero cum aliis, tum Aristocrito, siquid a me aut verbis aut literis tibi nuntietur, det operam ut quamprimum ad te perferatur: tibique in memoriam revocet ea quæ tibi scripta erunt, ut ea curæ habeas. Nunc vero da operam ut Leptini sua pecunia primo quoque tempore persolvatur: ut alii in eum respicientes, promptius et alacrius nobis inserviant. Iatrocles a me una cum Myronida libertate donatus, navigat nunc cum iis qui a me mittuntur. Huic dabis stipendium, utpote animum erga te benevolum gerenti, ejusque opera ubi voles uteris. et epistolam aut ipsam, aut si ipsius exemplar servatur, tute cognosce.

PLATONIS DIALOGI

QUI PRO NOTHIS HABENTUR.

AXIOCHUS,

SIVE, DE MORTE.

[Ex Ed. Steph.]

SOCRATES, CLINIAS, AXIOCHUS.

[364] Quum in Cynosarges proficiscendi causa egressus essem urbe, et jam ad Elissum fluvium venissem, ad meas aures vox percrebuit cujusdam me nomine appellantis meo. quum vero me convertissem ut circumspicerem unde illa vox mitteretur, Cliniam video Axiochi filium ad Callirhoen cursu contendentem, una cum Damone musico et Charmide Glauconis filio: quorum alter ipsos docebat musicam, alter arctissima cum illo amicitia copulatus erat. Mihi ergo a recta via deflectendum putavi, ut eis obviam procederem, quo facillime conveniremus. Tum Clinias collacrymans, Nunc, inquit, tempus est, Socrates, ut sapientiam illam tuam, quæ omnium hominum sermonibus celebratur, revera demonstres. Pater enim deinsperato in morbum incidit, et ad vitæ finem accedere videtur, mortemque adeo periniquo fert animo: licet anteactæ vitæ suæ tempore eos irrideret qui mortem formidolosa quadam specie sibi repræsentantes reformidant, et comiter iis etiam convitiaretur. Ad eum igitur accede obsecro, ut tuo illo more eum verbis sustentes: quo æquo animo concedat fato: ego vero ad cætera mea in illum pietatis officia hoc ultimum adjunxero. Atqui nihil, inquam, tibi sum, Clinia, eorum quæ in mea fuerint potestate equidem denegaturus, præsertim me ad pia et sancta officia cohortanti. festinemus igitur. si enim ita se res habet, celeritate opus est. Tum Clinias, Ubi modo te viderit, Socrates, mihi fit verisimile futurum ut continuo a morbo levetur. sæpenumero enim jam ei evenit ut ex gravissimis morbis sit recreatus. Quo autem celerius ad Axiochum veniremus, viam illam quæ circa muros est, ingredimur. (habitabat enim prope [365] portam, ad columnam Amazonianam) porro eum collectis jam viribus firmiorem valentioremque corpore offendimus, sed animo ægro, et qui consolatione maxime indigeret. sese enim subinde ultro citroque versabat, et lacrymas multo cum gemitu et manuum jactatione et crepitu edebat. Quem ut vidi, Ecquid (inquam) hoc rei est, Axioche? Ubi nobis illa pridem magnifica verba, perpetuæque virtutum commendationes, et infractum illud animi tui robur? sicut enim ignavus athleta, quum in certamine strenuum te exhibueris, tandem ad metam accedens, et laborum præmia jamjam reportaturus, animo concidis. Naturæne humanæ sortem minime circum-

spicies atque expendes, ea nimirum et ætate et doctrina, quanta nec quisquam sit Atheniensium? illud nimirum quod frequentibus hominum sermonibus jactatur, Vitam hanc nostram esse peregrinationem: et consentaneum esse ut ii qui illius curriculum commode et honeste peregerint, æquo animo et prope lætum pæana canentes, necessitati concedant. adeo autem molli fractoque animo affectum esse, ut ab hujus vitæ amore vix ac ne vix quidem divelli queas, puerilem potius quam constantem maturamque ætatem decet. Tum Axiochus, Sunt ista (inquit) vera, Socrates, et recte quidem me mones. sed nescio quomodo, dum me mali sensus premit, fortis illa et exquisita oratio prætervolat et negligitur: in cujus locum succedit metus quidam, varie excrucians animum meum, futurum videlicet ut, si hujus lucis usura iisque quæ in ea insunt bonis orbatus fuero, sempiterna oblivione sepultus, prout sors tulerit, jaceam et putrescam et in vermes convertar. Tum ego, Atqui tu quidem, Axioche, propter rerum ignorationem, inconsiderate nectis sensum cum sensus carentia: ac proinde pugnantia et facis et dicis, dum non animadvertis te ex eo dolere quod sensu tibi carendum sit post mortem, omnique voluptate: et vermium quandam vastitatem tibi ob oculos repræsentas, tanquam in alteram vitam sis moriturus, non vero ita futurus ut omni sensu destituare, sicuti eras antequam nascereris. Eo enim tempore quo Draco et Clisthenes administrabant rempubl. nihil te attingebat mali. (necdum enim cœperas existere ut malum ad te posset pertinere) ita neque post mortem erit. neque enim ut ullum queat in te malum cadere, eo tum es futurus. Pellantur igitur istæ ineptiæ pene aniles, atque adeo ita cum animo tuo diligenter reputa: Soluta hac animantis compage, animoque rursus in suum propriumque locum restituto, corpus quod relictum est, quum et terrenum sit et rationis expers, non amplius esse hominem. nostrum enim unusquisque suus est animus: immortalis nimirum et divinus, licet hac mortali custodia includatur. [366] Hoc autem tabernaculum nostro incommodo molestum et grave circumdedit circumscripsitque Natura: cujus quidem superficiariæ levesque voluptates et facile evolant, quum tamen plurimis interea voluptatibus sint permixtæ: dolores vero puri putique, in quibus nihil sit admixtum voluptatis: et tamen diuturni, ut vix ac ne vix quidem excuti possint. Quid morbos commemorem? quid sensuum ulcera? quid interna vitia? in quorum omnium societatem communi sensu doloris venit animus, disseminatus et quasi fusus æquabiliter per omnes vias corporis, ut cœlestis illius cognatique ætheris desiderio et quasi siti teneatur ejus vitæ, quam illic summa cum jucunditate concupiscit. A malis igitur mors abducit, non a bonis. Quum igitur (inquit Axiochus) hanc vitam, Socrates, ducas in malis, quidnam causæ est cur in ea maneas? præsertim quum solerti rerum indagatione maxime valeas, nobisque adeo vulgaribus hominibus longe antecellas? Atqui (inquam) mi Axioche, de me quidem certe non vera prædicas: sed in eadem es qua vulgus Atheniensium sententia: quandoquidem in rebus investigandis studiosius operam soleo adhibere, me præclara quadam rerum cognitione valere. Verum enimvero tantum abest ut exquisitiora illa et abstrusiora intelligam, ut trita hæc quæ in communi usu vitæ versantur, omnibus votis nosse percupiam. Et ista quidem quæ dico sunt sapientis Prodici dictata: quorum alia duobus obolis, alia duabus drachmis, quædam quatuor emi. neque enim vir ille quenquam gratis docet: soletque semper in ore habere Epicharmium illud dictum, *Manus manum fricat: da aliquid, et cape aliquid.* Nuper vero quum apud Calliam, Hipponici filium, profiteretur, tam acriter adversus vitam disseruit, ut ex eo vitam inter res levissimi momenti connumerandam putarim, ac proinde animus meus mortem percupiat, mihi crede, Axioche. Ecquænam tandem (inquit Axio-

chus) illa sunt quæ tunc ab illo fuerunt commemorata? Ea quidem tibi (inquam) quæ in mentem venerint, lubenter commemorabo. Quænam (inquiebat) vitæ pars incommodis et molestiis vacat? nonne in primo ipso ortus vestibulo infans plorat, et a dolore vitam auspicatur? nec ab ulla quidem molestia immunis est, dum omnium incommodorum angustiis obsidetur atque circumvallatur, vel rerum necessariarum penuria, vel frigore vel calore vel plaga aliqua, quum tamen nondum fari, nec doloris sui causas explicare, sed solo vagitu atque ejulatu angoris mœstitiæque signum dare possit. Postquam vero deinceps ad septimum annum pervenerit, exantlatis multis laboribus, exercitores et ludimagistri cum tyrannici imperii potestate imponuntur: tu longe major dominorum accrescit multitudo. crescente ætate, critici, geometræ, rei militaris institutores. Postquam vero in epheborum numerum ascriptus est, tum vero gravior metus ingruit, Lyceum, [367] Academia, Gymnici imperii auctoritas, officiorum apparitio, denique malorum omnium infinitas. Ita omne adolescentiæ tempus sub moderatorum illorum imperiis traducitur, qui de Areopagi sententia et decreto electi, juventuti ad temperantiam morumque honestatem conformandæ invigilant. Quum vero his malis fuerit liberata, tum gravior occurrit cura et cogitatio, ecquod potissimum vivendi genus ipsi sit ingrediundum: ut quidem primæ illæ difficultates, si cum iis quæ in posterum subeundæ sunt comparentur, plane ludicræ videantur, et puerorum plane terriculamenta. nam et prodeunt bellicæ expeditiones, et vulnera, et continua certamina, cum quibus est tota vita subinde colluctandum. hinc alia cogitanti obrepit senectus, in quam quicquid in natura ruinosum est, et interitui obnoxium, confertim effundit se atque erumpit, et quidem ita ut nullis remediis hæc imbecillitas averti queat. Quod siquis tardius veluti debitam vitam minime reddiderit, Natura, tanquam fœneratrix, instans atque urgens, ab alio aspectum, ab alio auditum, sæpenumero utrumque, tanquam pignus, exigit. ac siquis diutius maneat in vita, eum muneribus functionibusque corporis privat, mutilum reddit, artus denique ea infirmitate affligit, ut quasi luxati videantur. Alii ad extremum senectutis limen perveniunt, ut in iis verum comperiatur proverbium, Bis pueri, senes. Itaque dii rerum humanarum vere intelligentes, eos quos præ cæteris hominibus plurimi faciunt, ab hac vita citius liberant, ut quid de morte statuendum sit, suis judiciis confirmare videantur. Primum Agamedes et Trophonius prædicantur: qui quum Apollini templum exædificavissent, venerantes Deum, petierunt mercedem non parvam quidem operis et laboris sui: nihil certi, sed quod esset optimum homini. at quum somno se dedissent, ut illuxit, mortui sunt reperti. Simili precatione Argiva sacerdos pro filiis usa dicitur. quum enim illam ad solenne et statum sacrificium curru vehi jus esset, morarenturque jumenta, ipsi veste posita ad jugum accesserunt. ita sacerdos advecta in fanum, quum currus esset ductus a filiis, precata a dea dicitur ut illis præmium daret pro pietate quod maximum homini dari posset a deo. Post epulatos cum matre adolescentes somno se dedisse, mane inventos esse mortuos. Longum esset ea recensere quæ poetæ commemorant qui divinis versibus de humanæ vitæ conditione vaticinantes, ejus miseriam funestis versibus celebrant: sed ex tanta exemplorum turba unum proferam memoria bene dignum,

> Optima quæque dies miseris mortalibus ævi
> Prima fugit: subeunt morbi, tristisque senectus,
> Et labor et duræ rapit inclementia mortis.

Et,

Nil magis infelix fuerit mortalibus ægris,
E cunctis terram quæ supra flantque meantque.

[368] De Amphiarao vero quid ait ?

Juppiter hunc totis animis, hunc Phœbus amabat,
Ille tamen justi metas non attigit ævi.

Qui vero nos jubet

Lugere, ubi esset aliquis in lucem editus,
Humanæ varia vitæ reputantes mala,

quam recte tibi dicere videtur ? Sed finem facio, ne, dum in aliis commemorandis immoror, præter id quod jam sum pollicitus, longiorem orationem efficiam. Ecquis vero mortalium est qui illud vitæ institutum eamve artem quam amplexus sit, non accuset, et de sua conditione non conqueratur ? Age, primum, si placet, illud hominum genus adeamus qui humilium sordidarumque artium ministeriis, vitam manuum opificio tolerant : nonne illi diurnos nocturnosque labores perferunt, nec interim vix ac ne vix quidem res ad vivendum necessarias sibi sumministrant, dum tamen et suam sortem vehementer deplorant, et omnes suas vigilias lacrymis et planctu replent ? Nautarumne vitam dicendo persequamur, qui per tot tantaque discrimina transmittuntur ? ut quidem (sicuti scite dixit Bias) neque inter mortuos neque inter vivos recenseri posse videantur. homo enim terrenus, cui terra nimirum attributa est ad habitandum sedes, quasi utriusque generis et vitæ particeps, in mare se dat præcipitem, seque ultro in fortunæ condonat potestatem. At jucunda est agricultura. est sane. at non totum (quod aiunt) ulcus semper doloris causas invenit ? quum videlicet modo siccitatem deploret, modo imbres, modo uredinem, modo rubiginem, modo calorem intempestivum, vel frigus ? Jam vero illud vitæ genus quæ in republ. administranda versatur, illustre est et maximis honoribus colitur. At, ut multa prætermittam, quantis molestiis et incommodis exagitatur ? quippe quæ gaudium habeat, furunculi instar, latente inflammatione palpitans atque micans : repulsam vero infinitis partibus morte acerbiorem sæpenumero patiatur. Ecquis enim est qui, dum auræ popularis arbitrio vivit, beat judicari possit ? si, postquam equorum in morem sibilis et plausibus delinitus fuerit, populo ludibrium continuo objiciatur, exsibiletur, mulctetur, capite minuatur, mortis supplicio involvatur : in omnem denique calamitatem præceps detur, miserabile fortunæ spectaculum futurus ? Quanta vero civilium harum tempestatum extent exempla, Axioche, non ignoras, qui in rebus civilibus versatus es. Ubi enim mortuus est Miltiades, ubi Themistocles, ubi Ephialtes ? ubi vero reges illi et imperatores qui nuper extiterunt ? quo equidem tempore non potui adduci ut meam sententiam dicerem. neque enim ad boni viri constantiam gravitatemque videbatur pertinere, ut insanienti populo ducem ejusdem furoris memet præberem. Therameues autem et Callixenus postridie judices subornarunt et succenturiarunt, qui concioni præsiderent, et indicta causa homines illos capitali supplicio condemnarunt. quanquam tu solus [369] cum Eryptolemo in trium millium hominum ad concionem congregatorum corona illorum innocentiæ opem tulisti. Sunt ista vera, Socrates, (inquit Axiochus) et me ex illo tempore suggestus et concionum cepit satietas : nihilque mihi adeo hoc civilis vitæ genere visum est molestius. Id quod quidem facile ii perspiciunt qui in ipsis rebus versantur. nam tu quidem certe ita de his rebus loqueris ut eminus et tanquam e specula res longe a te positas contemplans : nos autem qui fecimus periculum, quanto certius id tenemus ! Populus enim, mi Socrates, res est ingrata, morosa, crudelis, invida, imperita, vecors : quippe qui ex fæce et colluvie plebis sit conflatus, ex ineptis nimirum nebulonibus : ac proinde

is qui cum eo necessitate aliqua et societate conjungitur, longe miserior est. Tum ego, Quod si (inquam) Axioche, hanc scientiam quæ libero homine dignissima est, omnium maxime abominandam et detestabilem statuis, ecquid de cæteris vitæ institutis existimabimus? nonne illas plane fugiendas? Audivi præterea Prodicum aliquando dicentem, Mortem neque ad vivos neque ad mortuos pertinere quicquam. Ecquonam vero (inquit Axiochus) modo? Quandoquidem (inquam) in vivos nullam habet mors potestatem, at mortui non sunt. ita neque ad te nunc mors pertinet (non enim mortuus es) neque, quum mortuus fueris, ad te pertinebit. non enim amplius eris. Inanis ergo est dolor, Axiochum de ea re quæ Axiochum neque attingit neque attinget unquam, lugere: et perinde est acsi quis de Scylla et Centauro doleret, qui ad te hoc tempore nihil pertinent, neque in posterum pertinebunt. metus enim ad eas res sane refertur quæ revera existunt: verum ad eas quæ nullo modo existunt, qui poterit pertinere? Hæc tu nimirum (inquit) erudita atque exquisita, mi Socrates, depromis ex garrula illa arte quæ subtilibus conclusiunculis nunc speciosa est. (illinc enim petuntur nugæ ineptiæque verborum ad adolescentium animos eludendos comparatæ) at me illud angit atque excruciat quod vitæ commodis destituar: atque utut probabiliorem hac orationem crepueris, Socrates, hic me semper scrupulus urit. Mens enim gravioribus cogitationibus distracta, ornatæ orationis splendore minime capitur: neque hæc ipsa quidem eodem quasi colore apta sunt inter se, sibique constant: sed quanto magis ad ostentationem ornatumque orationis sunt composita, tanto longius absunt a veritate. Morbi vero illarum conclusiuncularum decipulas ferre nequeunt, sed in iis demum acquiescunt quæ ad animum usque possunt penetrare. Atqui (inquam) mi Axioche, non animadvertis te imprudenter loqui pugnantia, dum malorum sensum cum bonorum privatione conjungis: nec tibi in mentem venit, te post mortem nullum plane futurum. contrarius [370] enim malorum sensus eum dolore afficit qui bonis privatur: at in eum qui non est, nulla cujuslibet rei cadere potest privatio. In eo igitur qui nullum doloris habiturus est sensum, qui esse dolor potest? nam si tu initio, Axioche, rerum ignoratione sensum quendam doloris non posuisses, mortem profecto nunquam reformidasses. nunc te ipse in errorem impellis, dum illa te cogitatio consternat, ne animo destituaris: quum interea existimas te sensus ejus qui interiturus est, sensum esse habiturum. Jam vero, præter hæc etiam multæ sunt præclaræ solidæque rationes ad animi immortalitatem probandam. neque enim profecto natura humana ad tantam se rerum molitionem unquam extulisset, ut beluas, in quibus tamen majores insunt vires, contemneret, maria definiret atque penetraret, urbes conderet, respublicas constitueret, cœlum suspiceret, stellarumque cursus disparibus inter se motibus constantes, vicissitudines dierum atque noctium, commutationesque temporum quadripertitas ad maturitatem frugum, et ad temperationem corporum aptas, eorumque omnium moderatorem et ducem solem lunamque, accretione et diminutione luminis, quasi fastorum notantem dies, ventos item et imbrium lapsus et impetus, vastosque turbinum vortices: mundi denique variam constitutionem sempiternis quibusdam fundamentis firmatam: non hæc, inquam, omnia perspexisset genus humanum, nisi divinum revera quiddam in ipsius animo inesset, cujus beneficio tot tantarumque rerum cognitionem firmamque intelligentiam fuisset complexus. Itaque non ad mortem, Axioche, sed ad veram immortalitatem commigras, dum ex hac vita excedis: neque bonis destituere, sed veram purissimamque illorum possessionem adibis: neque voluptates mortali corpori permixtas, sed ab omnibus doloribus immunes ac liberas consequere. Quum enim ex hoc carcere hisque vinculis evolaveris, tum eo pervenies ubi nulla

erit molestia, nulla solicitudo, nulla te senectus poterit affligere. Ibi autem tranquilla vita, omnium malorum nescia, immobili quadam et sempiterna quiete serena, rerum et naturæ contemplatione cumulate perfruens, non vero ad popularem auram et theatrum, sed ad solidam veritatem philosophans, traducitur. Quibus auditis, Tu me (inquit) oratione tua in contrariam partem sane traduxisti: nec me jam mortis metus tenet, sed desiderium, atque, ut ego quoque ad oratorum imitationem eximium aliquid et singulare dicam, jampridem sublimi animo cogito, et sempiternum illud divinumque curriculum permetior: meque ex hac infirmitate collegi, ut novus homo mihi plane esse videar. Atqui (inquam) si et alium quoque sermonem audire velis, quem mihi [371] Gobryas olim referebat, vir cum primis eruditus et Magi etiam nomine illustris, ita habeto. Is avum suum et cognominem dicebat, in Xerxi memorabili illa in Græciam expeditione, in Delum missum ut insulam tueretur: quæ quidem insula duorum deorum natalibus celebris est. Ibi ex æneis quibusdam tabulis, quas ex Hyperboreis montibus Opis et Hecærgus detulissent, hæc se intellexisse commemorabat: Quum videlicet animi et corporis facta esset solutio, animum ad inconspicabilem quendam locum proficisci, subterraneum quidem illum: in quo Plutonis regia non minor Jovis aula sit sita: terram mundi universi medium obtinere: cœlum globosum esse, cujus dimidiam partem cœlestes majorumque gentium dii tenerent: alteram inferi, quorum alii fratres essent, alii eorum liberi. Vestibulum autem quo aditus patet ad Plutoniam regiam, claustris ferreis firmari atque sepiri: tum vero fluvium Acherontem occurrere, deinde Cocytum: quibus trajectis ad Minoem et Rhadamanthum deduci oporteat, in eum locum qui Campus veritatis appellatur. Ibi judices sedent, qui quam quisque vitam egerit eorum qui illuc veniunt, quibusve in studiis versatus sit dum in corpore esset, quæstionem habent. at nullus ibi mendacio relictus est locus. Illos vero qui boni dæmonis ductum auspiciumque sequuti vitam essent imitati deorum, beatorum piorumque sedes incolere. Ibi tempestates anni frugum omnis generis copia et ubertate abundare, fontes aquis limpidissimis scatere, herbis variis prata convestiri. illic philosophorum scholas esse, theatra poëtarum, et circulares choros, musicas auditiones, opportune composita convivia, et dapes quæ ultro ex ipso loco suppeditantur, et immortalem lætitiam, omni denique jucunditate perfusam vitam. non enim vel iniquum frigus vel intemperatum calorem ibi dominari, sed bene temperatum aerem diffundi, subtilibus solis radiis illustratum. Ibi vero ipsis initiatis quendam esse principatum, et sacra diis rite fieri. Quid ergo causæ est cur tu primus hunc honorem minime consequare, quum sis stirps et progenies deorum? Herculem enim ferunt et Liberum patrem prius quam ad inferos descenderent, hic initiatos esse, illiusque itineris suscipiendi fiduciam in ipsorum animos ab Eleusinia instillatam. Quorum autem vita per scelera traducta esset, raptari a Furiis ad Erebum et Chaos per tartarum. Illic impiorum profligatorumque sedem esse destinatam. Ibi Danaidum perpetuas esse aquationes, et Tantali sitim, et Tityi viscera, et Sisyphum saxum versare, sudantem nitendo, neque proficere hilum: cujus nimirum exitus sit [372] novorum laborum primordium. Ibi eos ferarum laniatu, et ignis flammis perpetuis, omni supplicio affectos, æternis pœnis cruciatibusque vexari. Atque hæc quidem ego a Gobrya audivi: tu autem, Axioche, de his prudenter statueris. Equidem istius rationis vi ita pertrahor, ut hoc unum ratum fixumque mihi sit, Hominis animum esse immortalem, qui quidem ex hoc loco emigrat ut in alio loco ab omni dolore liber et immunis feliciter vivat: sive locus ille in locis cœlestibus sit sive inferis. tantum videris, Axioche, ut pie vivas, quo vita hunc in modum traducta, felicitatem consequare. Tum ille, Pudet

tibi (inquit) confiteri aliquid, Socrates. tantum enim absum ab eo ut mortem timeam, ut me vehemens etiam illius teneat cupiditas. ita hic sermo, quasi cœleste aliquod oraculum, apud me fidem omnino fecit. Itaque jam mortem fortiter despicio, veluti in meliorem domum emigraturus. Ac nunc ea quæ a te dicta sunt mecum expendam tacitus atque recensebo. tu vero, mi Socrates, amabo, meridie adsis mihi. Faciam (inquit) ut jubes. at inde redeo in Cynosarges deambulatum, unde huc evocatus fui.

DE JUSTO.

[Ex Ed. Steph.]

Potesne nobis dicere quid sit justum? an indignum esse tibi videtur ut de eo verba facias? Mihi sane etiam consentaneum videtur. Quidnam igitur est? Quid enim aliud quam ea quæ justa putantur? Ne mihi ita respondeas, sed velut, si a me quæreres quidnam esset oculus, responderem tibi, id quo videmus: sin etiam ostendere me juberes, eum ostenderem tibi: si quoque ex me quæras, cui rei nomen est anima, respondeam tibi, qua cognoscimus: sin et rursus interroges quid sit vox, respondebo tibi, qua loquimur: sic etiam dicito, justum illud esse quo ad aliquam rem utimur, velut ea de quibus nunc ego te interrogabam. Non admodum possum tibi ita respondere. At quandoquidem non ita respondere potes, fortassis hoc modo facilius ipsum invenerimus. Agedum vero, ecquod instrumentum ad disquisitionem adhibentes, majora et minora dignoscimus? nonne mensuram? Certe. Cum mensura vero ecquam artem? nonne artem mensurandi? [373] Illam ipsam. Quid vero levia et gravia, nonne pondere dijudicamus? Omnino. Cum pondere vero qua arte? nonne arte ponderandi? Maxime. Quid itaque justa et injusta, ecquo instrumento investigantes cognoscimus? et cum instrumento qua antea arte? num ne sic quidem tibi manifestum est? Nequaquam. At rursus hoc modo: quum de majoribus et minoribus disceptamus, qui sunt qui litem inter nos dirimunt? nonne mensores? Prorsus. Quum autem de multis et paucis ambigimus, ecquinam judicium ferunt? nonne numeratores? Plane. Quum vero de justis et injustis inter nos disceptamus, ad quos abimus? ecquinam illi sunt qui de rebus judicium ferre quotidie solent? dic sodes, mi Socrates, nonne eos Judices esse ais? Recte invenisti. Age itaque, etiam hoc dicere conator: Ecquid agunt mensores dum de magnis et parvis judicium ferunt? nonne metiendo? Etiam. Quid vero, de gravibus et levibus judicantes? nonne ponderando? Ita prorsus sane. Quid vero de multis et paucis? nonne numerando? Sic plane. Quid vero de justis et injustis? responde. Non possum. Responde, Dicentes. Omnino. Dicendo igitur judicium de nobis ferunt, quum de justis et injustis Judices judicium ferunt. Omnino. Metiendo autem de parvis et magnis mensores. mensura enim erat qua de his statuebatur judicium. Ita. Ponderando autem de gravibus et levibus judicant ponderatores. pondus enim erat quo hæc judicabantur. Erat equidem. Numerando autem de multis et paucis judicant numeratores. numerus enim erat quo hæc judicabantur. Ita sane. Dicendo autem, velut modo confessi sumus, de justis et injustis de nobis judicium solent Judices statuere. sermo enim erat quo hæc judicabantur. Recte ais, Socrates. Vera equidem: et sermo est, ut apparet, illud ipsum quo justa et

injusta judicantur. Apparet profecto. Quid igitur tandem sunt justa et injusta? Quemadmodum siquis e nobis percunctaretur, quandoquidem mensura et ars metiendi et mensor majus et minus dijudicat, quid est majus et minus, diceremus ipsi majus esse quod excedit, minus, quod exceditur : quandoquidem vero grave et leve, pondus et ars ponderandi et ponderator dijudicat, quid est grave et leve : diceremus ipsi id quod deorsum repit in libra, grave esse : quod sursum, leve : sic sane siquis percunctetur, quandoquidem justum et injustum sermo, et ars judicandi, et judex dijudicat, quid tandem est Justum et Injustum ? quid habebimus quod ipsi respondeamus? necdumne id dicere possumus? Non possumus. Utrum vero voluntarios [374] hoc injustum homines habere putas, an invitos? Hoc autem dico, Volentesne putas injusta facere, et injustos esse, an nolentes? Volentes, Socrates. sunt enim pravi. Volentes ergo pravos et injustos esse homines arbitraris? Ego sane : tune vero minime? Equidem non arbitror, si poetæ fides est adhibenda. Cuinam poetæ? Ei qui dicit, *Nolens beatus nemo est, nec malus volens.* Atqui, Socrates, bene habet vetus proverbium, multa mentiri poetas. Mirum fuerit mihi si hoc mentitus est hic poeta. Quare, si otium tibi est, consideremus ipsum an vera an falsa dicit. At est mihi otium. Age itaque, utrum justum esse putas, mentiri, an vera dicere? Vera dicere, mea quidem sententia. Mentiri ergo injustum est. Est. Utrum vero decipere justum esse putas, an non decipere? Profecto non decipere. Decipere ergo injustum est. Etiam. Quid vero? nocere justumne est, an prodesse? Prodesse. Nocere ergo injustum est. Ita. Est ergo vera dicere, et non decipere et prodesse, justum : mentiri vero, decipere et nocere, injustum. Omnino per Jovem. Num etiam hostibus? Nequaquam. At nocere hostibus justumne est, prodesse vero, injustum? Certe. Nonne etiam decipiendo nocere hostibus justum est? Quidni? Quid vero? mentiri, ut decipiamus, et ipsis noceamus, non justum est? Prorsus? Quid vero? amicis prodesse, justum esse dicis? Ego sane dico.

Utrum non decipiendo, an decipiendo, ob ipsorum utilitatem? Etiam decipiendo, per Jovem. At decipiendo quidem justum est prodesse, non tamen mentiendo : an etiam mentiendo? Etiam mentiendo justum est. Est ergo, ut apparet, et mentiri et vera dicere, justum et injustum. Est. Et decipere et non decipere, justum ac injustum. Apparet. Et nocere et prodesse, justum ac injustum. Omnino. Hæc igitur omnia quæ ejusmodi sunt, ut apparet, et justa et injusta sunt. Mihi sane videtur. Audi itaque : oculumne habeo dextrum et sinistrum, velut etiam alii homines? Habes. Et narem dextram ac sinistram? Maxime. Et manum dextram et sinistram? Ita. Nonne, quandoquidem eadem nominans, alteras ex meis partibus dextras esse dicis, alteras sinistras, si ego a te quærerem utras : haberes quod diceres, quæ ab hac parte sunt, dextras esse, quæ ab illa, sinistras? Certe. Age itaque, etiam hic, quandoquidem dum eadem nominas, ea partim justa esse dicis, partim injusta, potesne dicere utra justa sint, et utra [375] injusta? Mihi equidem videtur, si singula hæc prout oportet et opportune fiant, justa esse : sin minus, injusta. Recte opinaris. Qui igitur prout oportet singula hæc facit, justa facit : qui secus, injusta. Omnino. Nonne qui justa facit, justus est? qui injusta, injustus? Est ita. Quis igitur prout convenit opportune secare, et urere, et attenuare potest? Medicus. Nonne quia id novit? an ob aliam causam? Quia novit.

Quis vero prout convenit opportune fodere, atque arare, et plantare potest? Agricola. Nonne etiam quia novit? an secus? Quia novit. Nonne etiam alia

sic? qui novit, quæ fieri debent facere potest, et prout convenit, et opportune? qui non novit, non item? Ita est. Ergo et qui mentiri novit, et decipere, et prodesse, singula hæc prout convenit et opportune facere potest: qui vero non novit, non item. Vera dicis. Qui vero hæc prout convenit facit, justus est. Etiam. Scienter vero hæc facit. Quidni? Scienter ergo justus, est justus. Etiam. Nonne injustus, per contrarium justo injustus est? Apparet. Justus autem per sapientiam justus est. Prorsus. Per imperitiam ergo injustus est. Apparet. Consequitur ergo, quod majores nobis reliquerunt nomine sapientiæ, id justitiam esse: quod vero imperitiæ, hoc injustitiam existere. Apparet. Volentesne vero imperiti sunt homines, an nolentes? Nolentes. Nolentes ergo etiam injusti sunt. Apparet. Injusti vero pravi sunt. Sunt. Nolentes ergo pravi et injusti sunt. Maxime. Per injustum autem injusta faciunt. Omnino. Invito igitur animo. Maxime. Non sane invito animo fit voluntarium. Non sane. Per injustum vero fit injustitia. Fit. Injustum autem invito fit animo. Certe. Nolentes ergo injusta faciunt, et injusti sunt et pravi. Nolentes certe, ut apparet. Non ergo mentitus est poeta. Non videtur.

DE VIRTUTE, AN DOCERI POSSIT.

[Ex Ed. Steph.]

[376] Docerine potest virtus? an doceri nequit? sed natura boni fiunt homines, aut alio quodam modo? Non possum dicere in præsentia, Socrates. At hoc ipsum sic consideremus. Age, si quis hac virtute præstans fieri velit qua præstantes sunt sapientes coci, unde ipsi hoc contingere posset? Nimirum si a præstantibus cocis coquinariam disceret. Quid vero? si præstans medicus fieri vellet, cujus disciplina præstans medicus fieri posset? Nimirum præstantis alicujus medici. Si vero in ea virtute præstans fieri velit qua sapientes sunt fabri lignarii? Fabri lignarii. Si vero hac virtute præstans fieri velit, qua viri boni et sapientes, quo profectum discere oportet? Arbitror equidem et hanc, si quidem disci potest, a bonis viris discere oportere. unde enim aliunde? Age itaque, qui nobis viri boni et præstantes fuerunt? ut consideremus an hi sint qui bonos faciunt, Thucydides, Themistocles, Aristides, et Pericles. Horum igitur uniuscujusque doctorem dicere possumus? Non possumus. neque enim dicitur. Quid vero? discipulum, aut aliquem externum, aut civem, aut alium, liberum aut servum, quicunque celebris est, ut per horum consuetudinem sapiens et bonus evaserit? Neque hoc dicitur. At nunquid invidebant aliis hominibus virtutem impertiri? Fortassis. Num ut ne æmuli ipsis fierent, quemadmodum coci et medici et fabri lignarii sentiunt? Non enim conducit ipsis multos artis æmulos fieri, neque inter multos ipsis similes habitare. Nunquid etiam sic viris bonis non conducit inter similes ipsis habitare? Fortassis. Nonne iidem boni sunt et justi? Certe. Est igitur quis cui conducit non inter bonos viros habitare, sed inter malos? Non possum dicere. Neque vero hoc dicere potes, utrum bonorum quidem opus est lædere, malorum vero, prodesse, aut contra? Contra. Boni ergo prosunt, mali [377] lædunt. Certe. Est igitur qui malit lædi quam utilitatem capere? Vix ac ne vix quidem ullus. Nemo ergo vult inter malos potius habitare quam inter bonos. Ita est. Nullus ergo bonus vir invidet alteri ut bonum et similem sibiipsi faciat. Non sane

apparet ex hac ratione. Audivisti igitur Themistocli fuisse filium Cleophantum? Audivi. Nonne neque filio invidisset Themistocles ut optimus factus esset? qui sane nulli alii invidebat, si quidem bonus erat. erat autem, ut diximus. Erat. Nosti igitur quod Themistocles filium suum docuit, equitem sapientem ac bonum esse: ut quidem conscenso equo erectus in eo staret ille, et ab equis erectus jacularetur, et alia multa ac admiranda faceret: sed et alia multa ipsum edocuit, ac sapientem fecit, in quibus præstantibus magistris inhærebat. an hæc ex senioribus non audivisti? Audivi. Non ergo naturam filii ipsius accusare quis poterit malam fuisse. Non equidem juste, ex his quæ tu dicis. Quod vero Cleophantus, Themistoclis filius, vir bonus et sapiens fuerit in his in quibus pater ipsius sapiens erat, hocne jam a juniore aut seniore aliquo audivisti? Non audivi. Num igitur hæc quidem putamus ipsum voluisse filium suum docere: in qua vero sapientia ipse sapiens erat, nihilo meliorem ipsum ullo vicino facere, si quidem doceri virtus posset? Nequaquam verisimile est. Hic itaque talis tibi virtutis doctor est, de quo dixisti. alium vero consideremus Aristidem, qui educavit quidem Lysimachum, et erudivit optime omnium Atheniensium, in his quibus magistris adhærebat: sed virum nullo meliorem fecit. Hunc enim et tu et ego vidimus, et cum ipso conversati sumus. Etiam. Nosti igitur quod Pericles rursus educavit Paralum et Xanthippum: quorum alterum tu etiam amasse mihi videris. Hos tamen, velut etiam tu nosti, docuit quidem ut equites essent nullo Atheniensium deteriores: in musica quoque ac reliqua palæstra, aliisque studiis quæ arte docentur erudivit, ut nullo deteriores essent: bonos autem viros facere non volebat? At fortassis facti essent, o Socrates, si non juvenes mortui essent. Tu quidem merito opitularis amato tibi: Pericles autem illos, si virt doceri posset, et bonos ipsos facere potuisset, multo prius in sua virtute sapientes fecisset quam in musica et palæstra. sed doceri non poterat. [378] Nam Thucydides quoque rursus os filios educavit, Melesiam et Stephanum, de quibus tu dicere non potes ea quæ de Periclis filiis dixisti. Horum enim alterum etiam tu nosti ad senectam usque vixisse, alterum, admodum diu. Sed et hos pater in aliis probe erudivit, et optimi omnium Atheniensium luctatores fuerunt. alterum enim Xanthiæ tradidit, alterum Eudoro: hi vero tunc omnium optime luctari putabantur. Etiam. Nonne hic nunquam fecisset ut hæc quidem filios suos docuisset, in quæ sumptum ad docendum facere oportebat? in quod vero nihil sumptuum facere oportebat, ut bonos, præclaros et eximiæ prudentiæ homines et viros faceret, hoc non docuisset, si doceri potuisset? Verisimile est. At fortassis Thucydides vilis erat? At nonne habebat amicos plurimos Athenienses, et de auxiliariis, et erat ex magna familia, et magnæ potentiæ tum in civitate, tum inter alios Græcos? Quare si hoc doceri potuisset, reperisset aliquem qui ipsi filios bonos effecisset, aut ex indigenis, aut de externis, si ipse otium non habebat ob reipublicæ curam. Atenim, o amice, virtus doceri non poterat. Non fortassis. At vero si doceri non potest, num natura proveniunt boni? et istud hoc modo considerantes fortassis reperiemus. Age enim. Sunt nobis naturæ equorum bonorum? Sunt. Nonne sunt homines quidam qui artem tenent, qua bonorum equorum naturas cognoscunt, et secundum corpus ad cursum, et secundum animam, tum qui animi concitati, tum qui dejecti sunt animi? Etiam. Quæ igitur hæc ars est? quod est illi nomen? Equestris. Nonne etiam circa canes eodem modo quædam ars est qua bonas et malas canum naturas discernunt? Est. Quæ hæc? Venatoria. Atqui et circa aurum et argentum sunt nobis examinatores, qui ex aspectu judicant et quod melius est et quod deterius? Sunt. Quomodo igitur hos vocas? Argentarios. Sed et pædotribæ spectando cognoscunt corporum

humanorum naturas, quæ commodæ, et quæ secus, ad singulos labores: et quæ tum seniorum tum juniorum corpora ad existimationem aliquam deventura sunt, et in quibus magna spes est fore ut probe perficiant opera quæ ad corpus spectant. Est ita. Utrum igitur magis expetendi sunt civitatibus equi et canes boni, et alia hujusmodi, an viri boni? Viri boni. [379] Quid igitur? putas, si hominum naturæ ad virtutem bonæ essent, non omnia homines molituros fuisse ut ipsas cognoscerent? Verisimile est. Potesne igitur aliquam artem dicere, quæ sit in bonorum virorum naturis illustris demonstrata, ut ipsas judicare possit? Non possum. Et tamen plurimi æstimanda esset ipsa, et qui ipsam haberent. Hi enim ostenderent nobis juvenes qui boni futuri essent, dum adhuc pueri essent: quos assumptos nos custodiremus in arce publice, velut argentum, et magis etiam aliquanto, ut nequid mali ipsis accideret, neque in pugna, neque in alio ullo periculo: sed repositi essent civitati servatores et benefactores, postquam ad ætatem pervenissent. Quare sequitur, neque natura, neque disciplina, virtutem hominibus contingere. Quomodo igitur tibi, o Socrates, fieri videntur, si neque natura neque disciplina fiunt? quonam alio modo boni fieri poterunt? Arbitror equidem non facile hoc ipsum declarari posse: conjecto sane divinam quandam maxime rem esse, et fieri bonos, quemadmodum divini vates fiunt, et qui oracula edunt. Hi enim neque natura tales fiunt, neque arte: sed ex deorum inspiratione fiunt, et tales sunt. Sic vero etiam boni viri civitatibus subinde eventura et quæ futura sunt dicunt, ex dei inspiratione multo magis et evidentius quam ulli fatidici vates. Nam et mulieres dicere solent, Divinus vir hic est: et Lacedæmonii, quum aliquem magnifice laudant, divinum virum esse dicunt. Multis vero locis etiam Homerus eodem hoc utitur, itemque alii poetæ. Et quum Deus beneficio afficere vult civitatem, bonos viros in ipsam inducit: quum vero afflictio aliqua imminet civitati, Deus bonos viros ex hac civitate eximit. Sic neque doceri posse videtur virtus, neque natura contingere, sed ex divina sorte acquirentibus accedit.

DEMODOCUS,

SIVE, DE CONSILIO DANDO.

[Ex Ed. Steph.]

[380] Tu quidem jubes me, o Demodoce, ut consilium vobis dem in his rebus de quibus consultaturi convenistis: mihi vero in mentem venit ut considerem quidnam conventus vester possit, et eorum qui consilium vobis dare se putant promptitudo, et quod quisque vestrum ferre cogitat suffragium. Equidem si non est recte et perite consilium dare in his rebus de quibus consultaturi convenistis, quomodo non ridiculum est consultaturos convenire de quibus recte consilium dare non est? At vero si quidem est recte et perite de talibus consilium dare, scientia vero a qua est recte consulere, de his nulla est, quomodo non absurdum est? Si vero est aliqua scientia, a qua contingit de talibus recte consilium dare, nonne necesse est etiam scientes aliquos esse, ut recte de talibus consilium dent? Quum autem sint aliqui qui sciunt consilium dare in his rebus de quibus consultaturi convenistis, nonne necesse est etiam vos aut scire de his consilium dare aut non scire? aut aliquos e vobis scire, aliquos non scire? Si igitur omnes scitis, quid amplius vos consultaturos convenire opus est? Quisque enim vestrum consilium dare potest.

Si vero rursus omnes non scitis, quomodo consultare poteritis? aut quod vobis hujus conventus operæpretium fuerit, quum consultare non possitis? Si vero aliqui sciunt, aliqui vestrum non sciunt, hi vero consilio opus habent, si sane possibile est consilium dare prudentem virum imperitis, satis certe est etiam unus ad consilium dandum non scientibus vobis. Annon eadem omnes scientes consulunt? quare conveniebat ut vos audito hoc discederetis. nunc autem hoc non facitis, sed multos consilia dantes audire vultis. Non enim putatis scire eos qui vobis consilium dare conantur, de his rebus de quibus consulunt. si enim scire putaretis eos qui vobis consilium dant, unus solus auditus sufficeret vobis. [381] Convenire igitur vos, audituros eos qui non sciunt, velut qui aliquid operæprætii faciatis, quomodo non absurdum est? Et de conventu quidem vestro hoc modo ambigo. Verum de promptitudine eorum qui consilium vobis dare se putant, illud ambiguum est. Si enim non eadem consulunt qui de iisdem consilia dant, quomodo omnes recte consuluerint, non consulentes ea quæ recte consulens consulit? Aut quomodo non absurda fuerit promptitudo eorum qui ad consulendum prompti sunt de his quorum imperiti sunt? Si enim periti sunt, non cupient consilium dare non recte: si vero rursus eadem consulunt, quid opus est ipsos omnes consilium dare? Unus enim ex ipsis eadem consulens satis erit. Talia igitur expetere quæ nullum operæpretium afferunt, quomodo non ridiculum est? Neque igitur imperitorum promptitudo non absurda esse poterit, quum talis sit: neque prudentes talia expetiverint, ut qui sciant unum aliquem ex ipsis idem facere posse, si ut convenit consulit. Quare invenire non possum quomodo non ridicula sit promptitudo eorum qui consilium vobis dare se putant. At vero de suffragio quod ferre cogitatis, quid possit, maxime ambigo. Utrum enim eos qui consilium dare sciunt judicatis? At non plures uno consilium dabunt, neque aliter atque aliter de eodem. Quare de his suffragium vos ferre non erit opus. At imperitos et eos qui non ut oportet consilium dant judicatis? aut talibus, velut insanis, permittere ut consilium dent non convenit? Si vero neque peritos neque imperitos judicabitis, quos omnino judicabitis? Quid vero omnino alios vobis consilium dare opus est, si quidem talia satis judicare potestis? Si vero non satis judicare potestis, quid possunt vobis suffragia? aut quomodo non ridiculum est, convenire quidem vos consilium daturos, velut qui consilio opus habeatis, quum etiam ipsi ad hoc præstandum non sufficiatis? ubi vero congregati estis, putare vos suffragia ferre ac decernere oportere, velut qui satis judicare possitis? Neque enim dum singuli seorsum estis, non scitis: congregati vero, prudentes evaditis: neque rursus privatim quidem ambigitis, congregati vero in idem, non amplius ambigitis, sed satis contueri potestis quæ vobis facienda sunt: et hoc, a nemine docti, neque ipsi inventores, quod omnium præstantissimum est. Non enim, quum non contueri possitis ea [382] quæ facienda sunt, ad judicandum idonei eritis eum qui de his vobis recte consulit. neque rursus hoc dicet is qui unus est et vobis consilium dat, ita se docturum esse vos quæ vobis facienda sunt, et judicaturum eos qui male aut secus vobis consulunt, in brevi adeo tempore, et quidem quum tot sitis. Hoc autem non minus illo mirum videri debet. Si vero neque conventus, neque is qui vobis consulit, idoneos vos ad judicandum facit, quis usus est vobis suffragiorum? aut quomodo non adversatur conventus vester suffragiis, et suffragia consulentium vobis promptitudini? Conventus enim vester est, velut eorum qui idonei non sunt, sed consiliariis indigent. Suffragia vero feruntur, velut non consiliariis indigeatis, sed et judicare et consilium dare possitis. Et promptitudo quidem eorum qui vobis consulunt, est velut eorum qui sciant:

suffragia vero a vobis feruntur, velut hi qui consulunt non sciant. Et siquis vos qui suffragia tulistis, et eum qui vobis consuluit, interroget de his de quibus suffragia tulistis, Num novistis quod hoc ita fiet, cujus gratia facere cogitatis ea quæ suffragiis decrevistis? non arbitror vos affirmaturos esse. Quid vero? si fieret hoc cujus gratia facere cogitatis, novistis quod hoc vobis conducet? Neque hoc affirmaturos vos esse puto, neque eum qui vobis consilium dedit. Si vero quis insuper interroget, Num aliquem hominem horum quid nosse putatis? neque hoc concessuros vos esse puto. Quum igitur ea de quibus consilium datis, ejusmodi sint ut vobis ipsis clara non sint: et qui decernunt, et qui consulunt, imperiti sint, merito etiam vobis accidere dicetis et ut sæpe ipsis diffidatis, et pœnitentia ducamini, tum ob ea de quibus consilium dederint, tum ob ea de quibus suffragia tulerint. At bonis talia accidere minime convenit. Sciunt enim et qualia sunt de quibus consulunt, et quod neque ipsi, neque ab ipsis persuasi unquam pœnitentia ducentur. De talibus itaque ego mente præditos consilia dare cupere putabam, et non de his de quibus tu me consilium dare jubes. Ab illorum enim consiliis tandem contingit felicitas, ab horum vero nugis infortunium est. Porro adfui aliquando viro cuidam admonenti amicum suum, eo quod accusanti fidem habuisset, non audito eo qui se defendere debebat, sed solum accusatore. Dicebat igitur indignam rem ipsum facere, quod hominem condemnaret, [383] quum neque ipse adfuisset, neque amicos qui adfuissent audivisset, quibus dicentibus ipsum credere par erat: neque rursus ambobus auditis, ita temere accusatori fidem habuisset. Justum autem esse ut etiam defendentem se audiret, velut accusantem, anteaquam laudaret aut reprehenderet. Quomodo enim quis aut causam recte judicare, aut homines rite probare poterit, non auditis ambobus adversariis? Sermones enim ex comparatione inter se, velut purpuram et aurum, melius discerni. Aut qua de causa, vel ambobus adversariis tempus differtur, vel judicibus jusjurandum offertur, ut similiter ambos audiant, si non legislator putavit ita justius et melius causas a judicibus judicari? Tu vero videris mihi neque hoc quod a multis vulgo fertur audivisse. Quod istud? inquit ille,

Nec judex causæ sis, non si audiveris ambos.

et quidem non ita circumferretur hoc, si non recte diceretur, et velut convenit. Proinde consulo tibi, inquit, ut de cætero ita temere homines neque reprehendas, neque laudes. At alter ille absurdum sibi videri inquit, si unum quidem dicentem cognoscere non posset, duos autem dicentes cognoscere posset: et ab eo quidem qui vera diceret, cognoscere non posset, ab hoc ipso vero et alio mentiente doceri posset: et, si unus quidem recte et vera dicens, ea quæ dicit declarare non possit, duo vero, quorum alter mentietur, et non recte dicet, declarare possint hoc quod recte dicens declarare non poterat. Ambigo vero, inquit, etiam quomodo tandem illud monstrabunt, utrum tacentes, aut dicentes. Si enim tacentes declarabunt, neutro opus fuerit, nedum ambobus, ut ipsos audiamus: si vero dicentes, ambo declarabunt, ambo vero secundum nullum modum dicunt (ex parte enim utrunque dicere volunt) quomodo fieri potest ut ambo simul declarent? Si enim simul ambo declarant, et tunc simul dicunt, hoc non permittunt. Quare de cætero, si quidem dicentes declarant, uterque dicendo declarabit, et quando dicet uterque, tunc etiam uterque declarabit. Itaque dicet alter prior, alter posterior: et declarabit alter prior, alter posterior. Quanquam si idem ex parte utrique declarabunt, quid opus est audire posteriorem? Ex eo enim qui prius dixit, jam manifestum erit. [384] Illud vero (inquit) si ambo declarabunt, quomodo non etiam alter ipsorum declarabit? Quod enim alter non declarabit, hoc ambo quomodo declarare poterunt? Si vero

uterque declarabit, manifestum est quod qui prior dicet, etiam prior declarabit. Quare ut qui illum solum audivit, non quodammodo cognoscat, fieri non potest. Ego itaque, quum ipsos audirem, ambigebam, et judicare non poteram. Alii enim præsentes dicebant primum vera dicere. Tu igitur siquid habes, me in his adjuves, utrum uno dicente cognosci potest quid dicat, aut contradicente opus est, si quis cognoscere debet an recte dicat: aut ambos audire necessarium non est. aut quomodo censes? Nuper accusabat quis hominem quendam, quod ei pecuniam mutuo dare non voluisset, neque credere: et ille quem accusabat, se defendebat. Verum alius quidam ex præsentibus interrogabat accusatorem, utrum is quidem qui ipsi non credidisset, neque pecuniam mutuo dedisset, peccasset: Tu vero, inquit, qui non persuasisti ipsi ut tibi mutuo daret, non peccasti? hic vero, Quid peccavi? dixit. Uter vero (inquit ille) peccare tibi videtur? qui non assequitur ea quæ voluit, aut qui assequitur? Qui non assequitur, dixit. Nonne tu quidem, (inquit) non assequutus es, quum mutuo accipere velles? ille vero quum non amittere vellet, assequutus est? Etiam: (dixit) at ego quid peccavi, si ille mihi non dedit? Si quidem petebas ab ipso (inquit) ea quibus non opus erat, quomodo te non peccasse putas? ille vero qui non amisit, recte fecit: si vero ea quibus opus erat ab ipso petebas, hæc non assequutus, quomodo non necessario peccasti? Fortassis (dixit) at ille quomodo non peccavit, qui mihi non credidit? Nunquid, inquit, si cum ipso colloquutus esses velut convenit, nihil omnino peccasses? Non equidem. Nunc autem non velut convenit cum ipso colloquutus es. Ita videor, dixit. Si igitur te non cum ipso prout convenit agente, non persuasus est, quomodo juste ipsum accusare poteris? Non possum dicere. Neque dicere potes quod male utentibus attendendum non est? Imo valde (dixit) hoc possum. At nonne hi, inquit, qui non prout convenit colloquuntur, male uti tibi videntur? Mihi sane, dixit. Quid igitur peccavit, si tibi male utenti non attendit? Nihil, ut apparet, dixit. Quid igitur tandem, inquit, homines ob talia alter alterum accusant? et his quidem qui ab ipsis persuasi non sunt, eo quod persuasi non sunt, succensent: sibi ipsis autem, eo quod non persuaserunt, nihil omnino imputant? Et alius quidam [385] qui adesset, Quum quis, inquit, aliquo bene usus fuerit, et opem ejus senserit, deinde similiter ipso uti cupiens, hoc non assequutus fuerit, quomodo non merito talis succensuerit? Nonne (inquit) is quem similiter ipso uti cupit, aut bene ipso uti potest, aut non potest? Et, si quidem non potest, quomodo recte cupiverit, dum cupit ab ipso id quod non potest? Si vero potest, quomodo tali homini non persuasit? aut quomodo talia dicentes recte dicunt? At per Jovem ob hoc accusare oportet, inquit: quo et hic de cætero melius ipso utatur, et alii amici, postquam accusantem ipsum audiverint. Melius usuros esse (inquit) putas aliquos, dum audiunt recte dicentem et cupientem, an dum peccantem? Recte dicentem, inquit. At ille non recte cupere tibi videbatur? Etiam, inquit. Quomodo igitur ob talia accusantem audientes, melius ipso utentur? Nullo modo, inquit. Qua igitur de causa quis ob talia accusat? Invenire se non posse dixit. Quidam accusabat hominis stoliditatem, quod cito et quibusvis hominibus qui aliquid dicerent, crederet. Civibus enim et familiaribus, ubi aliquid dicunt, credere par est: talibus autem hominibus, q̃uos neque vidit, neque audivit prius, credere, et hoc, non ignorantem, plurimos homines esse temerarios et improbos, stoliditatis signum non parvum esse. Et ex præsentibus quidam dixit, Ego vero putabam te, etiam eum qui cito quemvis perciperet, multo pluris faciendum esse putare, quam eum qui tarde. Equidem id puto, dixit ille. Quid igitur accusas, inquit, si cito etiam quibusvis vera dicentibus credit? At non ob hoc accuso (in-

quit) sed quod cito falsa dicentibus credit. Si vero in longiore tempore et non quibusvis crederet, et conquereretur, nonne magis ipsum accusares? Ego sane, dixit. Num eo quod tarde et non quibusvis credit? Per Jovem non ideo, dixit. Non enim arbitror, inquit, te rem dignam esse putare ut ob eam hominem accuses, sed eo quod non credenda dicentibus credit. Est ita, dixit. Utrum igitur, inquit, eo quod tarde et non quibusvis credit, non dignam rem esse putas ipsum accusare: verum eo quod cito et quibusvis credit, ideo dignam? Non sane ego, dixit. Quid igitur, inquit, accusas ipsum? Eo quod peccat, qui anteaquam consideret, cito quibusvis credit. At si tarde credidisset anteaquam considerasset, [386] non peccasset? Non per Jovem, dixit: sed etiam sic non minus peccasset. verum non quibusvis credere oportere arbitror. Si vero non quibusvis credere oportere putas (inquit) at ignotis quomodo cito credere convenit? sed putas prius oportere considerare an vera dicant. Ego sane, dixit. Nam si familiares, inquit, et cognati sunt, non oportet considerare an vera dicant. Ego quidem assentior, inquit. Fortassis autem et horum aliqui, inquit, non credenda dicunt. Et valde, dixit. Quid igitur magis, inquit, cognatis et familiaribus credere par est, quam quibusvis? Non possum dicere, inquit. Quid vero si non magis familiaribus credere oportet quam quibusvis, nonne infidos ipsos magis putare oportet quam quosvis? Quomodo enim non? inquit. Si igitur his quidem familiares fuerint, illis autem ignoti, quomodo non oportebit eosdem magis fidos putare? Non enim similiter fidos ipsos putare oportet, familiares et ignotos, velut dicis. Non placet mihi, dixit. Similiter autem, inquit, et quæ ab ipsis dicuntur, alii quidem credunt, alii vero non credenda ducunt: et neutri ipsorum peccabunt. Absurdum et hoc est, dixit. Deinde si eadem dicunt, inquit, familiares et quivis, quomodo non similiter ea quæ dicuntur, firma fuerint, aut non credenda? Necesse est, dixit. Nonne etiam dicentibus ipsa, similiter credendum est dicentibus ipsa? Probabile est, dixit. Eadem igitur dicentibus ipsis ambigebam quibusnam credere oporteret, et quibus non: et utrum fidis et scientibus ea quæ dicunt, aut cognatis et familiaribus. De his igitur quomodo tu censes?

SISYPHUS,

SIVE, DE CONSULTANDO.

[Ex Ed. Steph.]

SOCRATES, SISYPHUS.

[387] Nos vero etiam heri te multo tempore expectavimus, o Sisyphe, dum Stratonicus specimen sui edere vellet: quo una nobiscum sapientem virum audires, qui et multas et præclaras res, tum sermone, tum re ipsa ostendebat: et quia te non amplius affuturum esse putabamus, ipsi jam virum audivimus. Sis. Etiam per Jovem. Negotium enim quoddam mihi erat magis necessarium, ut id negligendum mihi non esset. Magistratus enim nostri consultabant heri: itaque consilium dare me ipsis cogebant. Nobis autem Pharsaliis etiam lex est ut magistratibus pareamus, siquem e nobis consilium ipsis dare jusserint. Soc. At præclarum est et legi parere, et in ea apud cives existimatione esse velut qui bonum consilium dare possit: velut et tu in existimatione es quod consilio præstas

unus ex Pharsaliis. At ego o Sisyphe, non de bene consultando sermones ad te habere possum, ut qui et multi otii et longi temporis rem esse putem : sed de ipso consultando, quid sit, disputare tecum audeam. Num igitur potes mihi dicere, ipsum consultare quidnam sit ? non bene aut male aut recte quodammodo, sed ipsum solum consultare quale quid sit ? aut etiam admodum facile potes, ut qui adeo consilio præstes ? At nunquid curiositas quædam mea hæc est, quod de hoc te interrogo ? Sis. Num vero tibi ignotum est quid sit consultare ? Soc. Mihi certe o Sisyphe : si sane aliud quid est, quam ut quis qui non novit de his quæ facere oportet, divinet et excogitet, et secundum eadem conjectet, et quicquid assequutus fuerit, dicat : quemadmodum etiam homines qui par impar ludunt, cum nihil de paribus et imparibus sciant quæ ipsi in manibus habent, assequuntur tamen, et de ipsis [388] vera dicunt. Sæpe igitur tale quid etiam consultare est, ut quis de his de quibus consultat, nihil sciat, sed fortuito sententia prolata, vera assequatur. Si quidem igitur tale est, intelligo sane quale quid sit consultare : si vero tale non est, nondum ipsum novi. Sis. Non itaque tale est quale est nihil omnino scire : sed quale est partim jam aliquid de re scire, partim nondum nosse. Soc. Num tale quid, per Jovem, consultare dicis ? nam ipse velut divinare mihi videor sententiam tuam de bene consultando : nimirum quærere aliquem, ut quæ optima factu sunt, sibiipsi inveniat, nondum vero clare sciat, sed velut in intelligentia quadam hoc sit. Nonne sic quodammodo dicis ? Sis. Ego sane. Soc. Utrum vero quærunt homines eas res quas sciunt ? aut etiam eas quas nesciunt ? Sis. Ambas. Soc. Nonne et quodammodo dicis quod ambo quærunt homines, et ea quæ sciunt et ea quæ nesciunt ? ut sit simile velut siquis Callistratum quidem nosset, quis esset Callistratus, non tamen nosset comperire ubi esset, non quis esset Callistratus. Nonne sic quodammodo dicis esse, ambo quærere ? Sis. Ego sane. Soc. Nonne illud quidem non quæsiverit, Callistratum nosse, qui novit? Sis. Non equidem. Soc. Ubi vero sit, ipsum quæret. Sis. Mihi ita videtur. Soc. Nonne neque hoc quæreret, ubi ipsum invenire posset, si nosset, sed statim comperiret ? Etiam. Soc. Non ergo hæc quærunt homines quæ sciunt, sed quæ non sciunt, velut apparet. Si vero hic sermo contentiosus esse tibi videtur, o Sisyphe, et non rei gratia sed disputandi solum causa proferri, considera etiam sic, an ita se habere videatur quemadmodum nunc dicitur. Nunquid enim in Geometria hoc fieri nosti ? ignorari a Geometris diametrum, non an diameter sit, aut non ? Neque enim quæritur hoc ab ipsis ut inveniatur : sed quantus sit mensura ad latera locorum quæ secat. Nonne hoc est quod de ipso quæritur ? Sis. Mihi ita videtur. Soc. Quod etiam ignoratur. nunquid ? Sis. Maxime. Soc. Quid vero ? non nosti quod a Geometris quæritur quanta sit cubi duplicatio, ut ratione inveniatur ? ipse vero cubus non quæritur ab ipsis an cubus sit, aut non, sed hoc sciunt ? nunquid ? Sis. Etiam. [389] Soc. Nonne etiam de aere Anaxagoram et Empedoclem, et alios omnes de sublimibus rebus curiosos, quærere nosti an infinitus sit, an finem habeat ? Sis. Etiam. Soc. Sed non illud, an aer sit. nunquid ? Sis. Non equidem. Soc. Concesserisne igitur mihi etiam in aliis omnibus ita se habere, ut nemo de ulla re quærat an sit, quam novit, sed magis de ea quam non novit ? Sis. Ego sane. Soc. Nonne etiam consultare, hoc nobis esse videbatur, nimirum quærere aliquem ut quæ optima factu sunt inveniat, in his ipsis quibus opus habet ? Sis. Etiam. Soc. Quærere autem, erat consultare de rebus. nunquid ? Sis. Maxime. Soc. Nonne jam nobis considerandum est quid quærentibus obstet quominus inveniant ea de quibus inquisitionem faciunt ? Sis. Mihi ita videtur. Soc. Nunquid aliud quid dixerimus ipsis obstare quam ignorantiam ? Considere-

mus itaque diligenter, omnem, quod dicitur, rudentem moventes, et omnem vocem emittentes. Vide vero una mecum hoc: Num fieri posse putas ut homo de musica consultet, qui non scit de musica, neque quomodo cithara pulsanda sit, neque quomodo aliud quid ex his quæ ad musicam pertinent, faciendum? Sis. Non ego. Soc. Quid vero de imperio militari, aut arte gubernatoria? putasne eum qui neutram harum artium novit, consultare quid posse de alterutra ex his, quid ipsi faciendum sit, an militandum an gubernandum ipsi ignoranti quid si ttum exercitum ducere, tum gubernare? Sis. Non. Soc. Num etiam de aliis omnibus rem ita se habere censes, ut de quibus quis non scit, de ipsis nec scire neque consultare possit qui non scit? Sis. Ego certe. Soc. Sed quærere de his quæ quis non scit potest. nunquid? Sis. Maxime. Soc. Quærere ergo, non idem amplius fuerit quod consultare. Sis. Quomodo istud? Soc. Quoniam quærere quidem ex his est quæ quis non scit: consultare vero, fieri non posse videtur ab homine circa ea quæ quis non sciat. Annon ita dictum est? Sis. Maxime. Soc. Nonne vos heri quærebatis ut optima civitati inveniretis, non autem novistis ipsa? Si enim novissetis, non amplius sane ipsa quæsivissetis: quemadmodum neque aliud quicquam ex his quæ scimus, quærimus. Nunquid? Sis. Non equidem. Soc. Num igitur tibi videtur, o Sisyphe, quærere aut discere oportere, siquis non sciat? Sis. Discere sane, per Jovem. [390] Soc. Recte tibi videtur. At num ob hoc tibi videtur discere potius oportere quam quærere, quod citius et facilius invenerit quis, si a scientibus discat, quam si ipse non sciens quærat? an ob aliud quid? Sis. Non, sed ob hoc ipsum. Soc. Quid igitur vos heri, non neglecta consultatione, de his quæ non novistis, et neglecta inquisitione quæ optima civitati essent transigendi, ab aliquo sciente discebatis quomodo quæ optima essent civitati transigere possetis? Sed videmini mihi totam hesternam diem, et principes civitatis, et tu cum ipsis, per vos ipsos excogitantes et divinantes de his quæ non novistis, consedisse, neglecto eo ut disceretis. Fortassis autem dixeris hæc a me per ludum, disputationis solum gratia, ad te dici, et non serio tibi demonstrata esse: verum tu nunc, o Sisyphe, hoc per Jovem serio considera: Si daretur, consultare, aliquid esse, et non quemadmodum nunc nihil aliud reperitur quam scientia et conjectura et excogitatio, ita ut nomine solum hoc præclariore utatur, et nulla alia re: num putas ea re alios ab aliis quid differre, ad hoc ut recte consultent, et bono consilio præstent: quemadmodum etiam in aliis omnibus scientiis, alii ab aliis differunt, fabria fabris, medici a medicis, tibicines a tibicinibus, et alii omnes opifices ipsi a seipsis differunt? velut etiam hi in his artibus, num sic etiam in consultando alios ab aliis differre putas? Sis. Ego certe puto. Soc. Dic itaque mihi: nonne omnes et qui bene consultant, et qui male, de quibusdam quæ futura sunt consultant? Sis. Maxime. Soc. Aliud igitur quid quam quæ futura sunt, nondum sunt? Sis. Non equidem. Soc. Si enim essent, non adhuc futura essent, sed jam essent. nunquid? Sis. Etiam. Soc. Nonne, si non quodammodo sunt, sic neque facta sunt ea quæ non sunt? Sis. Non sane. Soc. Nonne si nondum facta sunt, nondum naturam ullam habent? Sis. Non equidem. Soc. Aliud igitur quid quam, et qui bene consultant, et qui male, omnes de rebus consultant quæ neque sunt, neque factæ sunt, neque naturam ullam habent, quum de futuris consultent? Sis. Videntur sane. Soc. Videtur igitur tibi, fieri posse ut quis id quod non est, bene aut male assequatur? Sis. Quomodo hoc dicis? Soc. Ego tibi exponam id quod dicere volo. Considera enim: quomodo [391] inter multos sagittarios, quis ex ipsis bonus aut malus sit, cognoscere posses? An hoc quidem difficile cognitu non est? fortassis enim jusseris ipsos ad scopum

aliquem sagittas emittere. nunquid? Sis. Maxime. Soc. Nonne etiam ei qui sæpe scopum recta ferit, victoriam decernas? Sis. Ego certe. Soc. Si vero nullus scopus ipsis propositus esset sagittas emittendi, sed quisque emitteret quomodo vellet, quomodo bene aut male sagittas emittentem ex ipsis dinoscere posses? Sis. Nullo modo. Soc. Nonne etiam ambigeres in bene aut male consultantium dinotione, si non sciant de qua re consultent? Sis. Ego profecto. Soc. Nonne si de futuris rebus consultant hi qui consultant, de his quæ non sunt consultant? Sis. Maxime. Soc. Nonne id quod non est, ut quis assequatur fieri non potest? Quomodo enim tibi videtur quis assequi posse id quod non est? Sis. Nequaquam. Soc. Nonne quandoquidem fieri non potest ut quis id quod non est assequatur, nemo etiam qui de his quæ non sunt consultat, assequi poterit? Futura enim ex his sunt quæ non sunt. nunquid? Sis. Mihi sane videtur. Soc. Nonne qui futura non assequitur, nemo hominum, neque consilio præstans, neque consilio malus, amplius esse poterit? Sis. Non apparet. Soc. Neque etiam consilio præstantior, neque consilio deterior alter altero fuerit, si etiam non magis aut minus assequi id quod non est poterit. Sis. Non profecto. Soc. Ad quam igitur tandem rem respiciunt homines, qui quosdam consilio præstantes, quosdam consilio malos appellant? Nonne res digna est de qua etiam rursus aliquando, o Sisyphe, cogitemus?

ERYXIAS,

SIVE, DE DIVITIIS:

AUT, UT ALII HABENT,

ERASISTRATUS.

[Ex Ed. Steph.]

[392] Deambulabamus in porticu Jovis liberatoris ego et Eryxias Stiriensis: deinde accesserunt ad nos Critias et Erasistratus Phæacus, Erasistrati ex fratre nepos. Redierat autem recens tunc a Sicilia et istis locis Erasistratus. Quum autem accessisset, Salve, inquit, o Socrates. Et tu (inquam ego) quid enim præclari habes quod nobis de Sicilia referas? Et valde: (inquit) verum vultis primum consideamus? fessus enim sum ex itinere heri a Megaris. Admodum, si ita videtur. Quid igitur vultis (inquit) primum audire ex his quæ illic geruntur? Num de illis ipsis, quid agant? aut quomodo erga civitatem nostram affecti sint? Nam illi ita mihi erga nos affecti esse videntur velut vespæ. Etenim siquis has paulatim irritando exacerbaverit, inexpugnabiles evadunt, donec quis ipsas ex insidiis funditus deleat: ita etiam Syracusani, siquis non operæpretium duxerit ut cum magna classe illuc veniat, non sperandum est illam civitatem unquam nobis subditam fore. a parvis autem his magis exacerbantur, ita ut quammaxime malignissimi evadant. Miserunt autem etiam nunc ad nos legatos, ut mihi quidem videtur, quo aliqua fraude civitatem circumveniant. Dum vero ita nos colloqueremur, aderant jam Syracusani legati. Dixit igitur Erasistratus, ostenso uno ex legatis, Hic equidem (inquit) o Socrates, ditissimus est omnium Siculorum et Italorum. Quomodo vero non esset (inquit) cui ager tam multus est, ut facultatem habeat,

si velit, admodum multam ejus partem colendi? et hic quidem ager talis est qualis non est alius inter Græcos. Insuper vero etiam alia habet ad divitias pertinentia omnia, servos, equos, aurum et argentum. Quum autem ego viderem ipsum altius provehi, velut qui per longum de hominis opulentia [393] nugaturus esset, percunctabar, Quid vero o Erasistrate? qualis vir esse videtur in Sicilia? Hic (inquit) omnium Siculorum ac Italorum et videtur et est plus pessimus quam ditissimus: adeo ut si aliquem Siculum interrogare velis quemnam pessimum et ditissimum esse putet, nemo alium dixerit quam hunc. Quum autem putarem ipsum non de parvis verba facturum esse, sed de his quæ maxima esse videntur, tum de virtute, tum de divitiis, interrogabam utrum opulentiorem hominem esse censeret, cui duo sunt argenti talenta, an cui ager pretii duorum talentorum. Arbitror ego, inquit, eum cui est ager. Nonne (inquam) juxta eandem rationem etiam si alicui sunt vestes, pallia, aut stragula, aut etiam alia adhuc majoris pretii, quam quanti sunt huic hospiti, hic fuerit opulentior? Assensus est et hæc. Si vero quis daret tibi horum duorum electionem, utrum malles? Ego, inquit, mallem id quod plurimi pretii est. Utro vero modo putares te ditiorem esse? Hoc. Nunc ergo apparet hic nobis ditissimus esse qui res plurimi pretii possidet. Etiam, inquit. Nonne (inquam) sani ægrotis ditiores fuerint, si quidem sanitas res est majoris pretii quam ægroti opes? Nemo enim est qui non præferat sanitatem, cum modici argenti possessione, magni regis opibus cum ægritudine: nimirum majoris pretii rem esse putans sanitatem. Nunquam enim præferret, si non potiorem opibus esse duceret. Non profecto. Nonne etiam siquid aliud videretur majoris pretii quam sanitas, qui hoc possidet hic opulentissimus fuerit? Etiam. Si vero quis nunc ad nos accederet, et interrogaret, O Socrates et Eryxia et Erasistrate, potestisne mihi dicere quæ plurimi pretii homini res sit? nonne hæc quam adeptus homo, optime de hac statuat, quomodo valde optime et ipse suas et amicorum res agat? quamnam hanc esse diceremus? Mihi quidem videtur, o Socrates, felicitas plurimi pretii res homini esse. Et non male. (inquam ego) num vero hos homines felicissimos esse putabimus, qui maxime felici successu degunt? Mihi quidem videntur. Nonne hi optimo successu degunt, qui minimum delinquunt tum circa seipsos, tum circa alios homines, plurimum vero recte agunt? Maxime. Nonne qui mala et bona sciunt, et quæ facienda et [394] non facienda, hi rectissimo successu degunt, et minimum delinquunt? Assentiebatur et hæc. Nunc ergo apparent nobis iidem viri et sapientissimi, et optimo successu degentes, et felicissimi et ditissimi: si quidem sapientia plurimi pretii res apparet. Etiam. At (inquit, excepto sermone, Erasistratus) o Socrates, quæ utilitas fuerit homini, si etiam Nestore esset sapientior, necessaria vero ad victum non haberet, cibos et potus, et vestes, et siquid aliud ejusmodi est? quid enim prodesset sapientia? aut quomodo hic ditissimus fuerit, quem nihil prohibet mendicum esse, quum nihil rerum ad victum necessariarum habeat? Vehementer igitur et hic aliquid dicere videbatur. Utrum vero, inquam ego, sapientiam quidem habenti hoc accidere poterit, si indigus is fuerit? si vero quis Pulytionis domum possideret, et plena esset domus auro et argento, non ulla re indigeret? At, inquit, hunc quidem nihil prohibet statim nunc possessiones suas disponere, et pro his ipsis habere ea quibus ad victum indiget, aut etiam numisma quo hæc comparare poterit, et omnibus statim abundare. Si modo contigerint ei, inquam ego, homines qui tali domo magis opus habeant quam illius sapientia. Nam si tales fuerint qui hominis sapientiam et quæ ab hac proveniunt pluris æstiment, mult- plus negotii hic in disponendo habebit, siqua re indiguerit, et voluerit tum ipsam, tum opera in ipsa ad usum disponere.

An domus quidem usus multus et necessarius est, et multum refert ad hominis vitam, ut in tali domo potius habitet quam in parvo et vili domicilio : sapientiæ vero usus exigui pretii est, et parum refert ut quis de maximis rebus aut sapiens aut imperitus sit? An hanc quidem contemnunt homines, et ipsam non emunt : cupresso vero quæ est in domo, et Pentelicis lapidibus multi indigent, et emere volunt? Nonne, sive sapiens quis fuerit gubernator, sive medicus in arte doctus, aut aliam quandam ejusmodi artem bene et recte tractare poterit, nullo non præstantior fuerit, ex his qui maximas opum possessiones habent? Qui vero bene consultare potest, et ipse sibiipsi et alii, quomodo optimo successu degat, nonne etiam disponere poterit, si hoc facere voluerit? [395] At Eryxias, excepto sermone, et sublatis oculis, velut injuria affectus esset, Tu enim (inquit) o Socrates, si te vera dicere oporteret, diceres te Callia, Hipponici filio, ditiorem esse : et quidem non imperitiorem te esse in ullis maximis rebus confitereris, sed sapientiorem : et tamen nihilo magis propter hoc ditior es. Fortassis (inquam ego) tu putas o Eryxia, hos sermones quos nunc habemus esse ludum, et alioqui non vere ita se habere, sed esse velut in talorum ludo talos, quos siquis ducat, efficere possit ut colludentes superentur, adeo ut non habeant quos contra ducant. Fortassis igitur etiam de divitibus putas nihilo magis ita rem se habere, sed sermones esse quosdam ejusmodi qui nihilo magis veri sint quam falsi : quibus prolatis homo contradicentibus superior evadat, quod sapientissimi sint nobis etiam ditissimi, et quod qui talia falsa dicit, dicat ea quæ sunt vera. Et nihil fortassis miri sit : similiter velut si duo homines de literis dicerent, et alter assereret in nomine Socratis σ principium obtinere, alter α, hic sermo superior evaderet ejus qui α assereret, et non ejus qui σ principium habere diceret. At Eryxias ad præsentes respiciens, simulque ridens ac erubescens, velut a superius dictis vulneratus, Ego (inquit), o Socrates, non tales putabam esse oportere sermones, quibus neque alicui ex præsentibus persuadere quidpiam, neque etiam ullam ex ipsis utilitatem capere quis possit. Quis enim mente præditus unquam crediderit, sapientissimos nobis esse etiam ditissimos? Verum potius de ditescendo disputare oportere, unde honestum sit ditescere, et unde turpe : et hoc ipsum, divitem esse hominem, quid sit : utrum bonum an malum. Sit ita (inquam ego) proinde de cætero hoc observabimus. Recte vero etiam tu facis quod admones. Sed cur non ipse, quandoquidem sermonem induxisti, dicere aggressus es utrum bonum an malum tibi esse videatur divitem esse? quandoquidem sane superiores sermones non de hoc dicti esse tibi videntur. Mihi itaque videtur, inquit, bonum esse, divitem esse. Et quum ipse adhuc quid dicere vellet, obstitit Critias, et, Tu vero dic mihi, inquit, o Eryxia, bonum esse putas divitem esse? Ego profecto, per Jovem, alioqui enim insanirem : et neminem esse puto qui non hoc confiteatur. Atqui, inquit alter, et ego neminem esse arbitror quem non efficiam ut mecum consentiat, aliquibus hominibus [396] malum esse ditescere. Si enim bonum esset, non utique malum quibusdam nostrum videretur. Dicebam igitur ad ipsos, Equidem si de hoc contenderetis, uter vestrum veriora dicat de equitatione, quomodo quis optime equita re possit, si quidem ipse eques essem, ipse contentionem inter vos dirimere conarer. Erubescere enim si non quantum possem præsens dissensionem impedirem : aut si de alia quacunque re contenderetis, et de ea non consentiretis, nihilo magis inimici pro amicis discessuri essetis. Nunc autem cum de ejusmodi re contendatis, qua per totam vitam uti necesse est, et multum referat utrum ejus cura habenda sit, velut rei utilis, an secus, et hoc cum non vilia hæc, sed maxima Græcis esse videantur. Equidem patres de hoc primum filios suos admonent, ut ubi ad ætatem pervenerint

ut jam sapere se putent, citissime considerent unde divites fiant. Nam siquid habes, in aliqua existimatione es: sin minus, in nulla. Si igitur ita vehementer expetitur, vos autem in aliis consentientes, de hac magna adeo re dissentitis: insuper autem ad hæc de ditescendo contenditis, non utrum nigra res sit aut alba, neque utrum levis aut gravis, sed utrum bona aut mala: ut vel maxime ad inimicitiam deveniatis, si de malis et bonis contendatis, et hoc cum maxime amici ac cognati sitis. Ego igitur, quantum in me esset, non negligerem vos inter vos ipsos contendentes, sed si quidem possem, exposita vobis re quomodo se habet, litem inter vos dirimerem. nunc autem, quandoquidem ego non possum, vos autem utrique putatis vos posse efficere ut alter ipsi consentiat, paratus sum ut quantum possum opem feram, quo a vobis declaretur quomodo hæc res se habet. Tu igitur inquam Critia, conare efficere ut nos tibi, velut ostendisti, consentiamus. At ego, inquit, velut incepi, Eryxiam hunc libenter interrogarem an videantur ipsi esse homines justi et injusti. Per Jovem (inquit ille) et valde quidem. Quid vero? injusta facere, num malum esse tibi videtur, aut bonum? Malum esse mihi videtur. Videtur autem tibi homo, si cum vicinorum uxoribus adulterium ob argentum comittat, injusta facere, an non? et hoc quum civitas et leges prohibeant? Injusta facere mihi videtur. Nonne, inquit, si quidem dives est, et argentum expendere potest homo injustus, et qui vult, peccaverit? [397] Si vero dives non est, nec unde sumptum faciat habet, neque perficere ea quæ vult poterit. quare neque peccabit. Quapropter etiam conducit homini magis ut dives non sit, si quidem minus ea quæ vult, perficiet: vult autem mala. Et rursus ægrotare, bonumne an malum esse dixeris? Malum sane ego. Quid vero? videntur tibi homines aliqui intemperantes esse? Mihi certe. Nonne, si melius esset ad sanitatem huic homini, ut a cibis et potibus et aliis quæ jucunda esse videntur, abstineret, ipse vero non posset ob intemperantiam: melius esset ut ipsi non essent ea unde hæc sibi compararet, quam ut multa sit ipsi rei familiaris copia? Sic enim non esset ipsi peccandi facultas, neque si valde vellet. Videbatur igitur bene et recte disseruisse Critias, adeo ut si non præsentes veritus fuisset Eryxias, nihil ipsum prohibuisset quominus surrexisset, et Critiam verberasset. ita magna quadam re privatum se esse putabat, ubi clarum ipsi factum esset quod non recte prius de ditescendo sensisset. Ego vero ubi Eryxiam ita affectum esse intellexissem, et vererer ne ulterius convitia et contentiones oborirentur, Hunc (inquam) sermonem nuper in Lyceo vir sapiens Prodicus Ceus producens, præsentibus adeo nugari videbatur, ut nemini ex istis persuadere posset quod vera diceret. Et sane etiam adolescentulus quidam admodum juvenis ipsum adortus, cum multa facundia, assidebat, et deridebat, ac sugillabat et commovebat ipsum, et rationem accipere volebat de his quæ ille dicebat: et sane etiam in multo majore existimatione erat apud audientes quam Prodicus. Nunquid potes nobis (inquit Erasistratus) sermonem istum rescensere? Maxime, si modo in memoriam revocavero. Sic enim quodammodo, ut ego arbitror, se habebat. Interrogabat enim ipsum adolescentulus quomodo putaret malum esse, divitem esse, et quomodo bonum. Et ille excepto sermone, velut etiam tu nunc, dixit, præstantibus quidem et bonis hominibus bonum esse: et his qui nossent ubi opibus uti oportet, bonum esse: malis autem et id ignorantibus, malum. Habent autem (inquit) etiam aliæ res omnes se hoc modo. Quales enim fuerint qui ipsis utuntur, tales etiam res ipsis esse necesse est. Recte enim videtur mihi (inquit) illud Archilochi dictum esse, *Ita sentiunt, habent velut munimina.* Nunc ergo (inquit adolescentulus) [398] siquis me sapientem faceret in ea sapientia qua boni viri sapientes sunt, simul necesse est ipsum etiam alias res bonas mihi facere, ut ad illas ipsas quidem

nihil ipsi negotii fuerit, sed quod me pro imperito sapientem fecit: quemadmodum siquis me nunc grammaticum fecisset, necesse est ipsum etiam alias res grammaticas mihi fecisse: et, si musicum, musicas: velut quum bonum me fecerit, simul bonas etiam res mihi fecisse necesse est. In his autem Prodicus assensus non est, sed illa quidem confitebatur. Utrum vero tibi videtur (inquit) velut domum facere, hominis opus esse, sic etiam res bonas facere? an necesse est, quales ab initio fuerint, sive bonæ, sive malæ, tales ipsas permanere? Suspicatus autem (ut mihi videtur) Prodicus, quo sermo ipsi admodum versute processurus esset, ut ne coram omnibus præsentibus ab adolescentulo redargui videretur: (si enim soli ipsi hoc accidisset, nihil referre putasset) dixit hominis opus esse. Utrum vero (inquit) videtur tibi virtus doceri posse, aut a natura insita esse? Doceri posse (inquit) mihi videtur. Nonne videtur tibi (inquit) stolidus esse, siquis precibus ad deos effusis, grammaticum aut musicum se fore putet, aut aliam quandam scientiam adepturum, si necesse est aut ab alio discendo acquirere, aut ut quis ipse inveniat? Assensus est et hæc. Nonne (inquit adolescentulus) tu, o Prodice, quum deos precaris felicem successum, et ut bona tibi contingant, tunc nihil aliud precaris quam ut præstans et bonus fias? si quidem præstantibus et bonis hominibus etiam res bonæ sunt: malis autem, malæ. Si quidem igitur virtus doceri potest, nihil aliud precari videris, quam ut docearis ea quæ non scis. Ego igitur ad Prodicum dicebam quod mihi videretur non vilis res ipsi accidisse, si in hac peccasset, et, si nobis ea quæ a diis precamur, simul etiam contingere putaret. Nam etiamsi subinde propere ad civitatem vadis, et adorando a diis petis ut dent tibi bona: nosti tamen, illos non posse hæc tibi dare quæ tu petis. Quemadmodum si ad grammatistæ fores accederes, et peteres ut daret tibi grammaticam scientiam, qui nihil aliud ejus gratia tractasses, sed qua accepta statim etiam grammatistæ opera faceres. Hæc me dicente, Prodicus in adolescentulum invehebatur, velut ulturus, et demonstraturus hæc quæ tu nunc [399] moleste ferens si videretur frustra deos precari. Deinde progressus Gymnasiarchus ipsum e gymnasio discedere jubebat, velut qui non idonea juvenibus dissereret: si vero non idonea, nimirum mala. Hæc vero hujus gratia tibi recensui, ut videas quomodo homines affecti sunt erga philosophiam. Prodicus enim nuper, quum hæc diceret, insanire præsentibus videbatur, adeo ut etiam e gymnasio ejiceretur: tu vero nunc ita vehementer bene disseruisse videris, ut non solum præsentibus persuaseris, sed, ut etiam adversarius tibi assentiatur, effeceris. Quemadmodum igitur in judiciis, si duo homines idem testimonium perhibent, alter, qui præstans et bonus esse videtur, alter, malus: propter mali testimonium nihilo magis judices persuadentur, sed fortassis etiam contraria faciunt: si vero præstans et bonus ille hæc dixerit, etiam vehementer vera esse videbuntur. Fortassis igitur etiam præsentibus tale quid accidit erga te et Prodicum, et illum quidem Sophistam et arrogantem esse putant, te vero virum civilem et magnæ existimationis. Deinde opinantur oportere non eundem sermonem spectare, sed quales sint hi qui dicunt. At vero (inquit Erasistratus), o Socrates, etiamsi cavillando dicis, tamen aliquid dicere Critias mihi videtur. At nullo modo per Jovem, inquam ego. Sed cur, quandoquidem hæc bene et recte disseruerunt, non etiam quæ restant de hoc sermone isti duo perfecerunt? Videtur autem mihi restare quid vobis considerandum. Postquam enim in hoc consenserunt, aliquibus bonum esse, aliquibus malum, reliquum est considerare quid sit ipsum ditescere. Si enim non hoc primum cognoveritis, neque utrum malum aut bonum sit consentire potestis. Paratus autem et ego sum ut quantum possum una vobiscum considerem. Dicat igitur nobis is qui divitem

esse, bonum esse asserit, quomodo de hoc res se habet. At ego (inquit), o Socrates, nihil præstantius quam alii homines, divitem esse, dico esse. Nam multas opes possidere, divitem esse ego esse censeo. Arbitror autem et Critiam hunc, divitem esse non aliud esse putare. Adhuc ergo etiam sic (inquam ego), reliquum fuerit considerare quales sint opes, ut ne paulo posterius de hoc rursus contendere videamini. Nam verbi gratia, Carthaginenses hi numismate utuntur ejusmodi: [400] in corii frusto parvo deligata est magnitudo maxime quanta est stateris: quid vero sit id quod illigatum est, nemo novit, nisi hi qui faciunt. deinde signato hoc pro numismate utuntur. Et qui plurima ejusmodi possidet, hic plurimas opes possidere videtur, et ditissimus esse. Si vero quis apud nos plurima talia possideret, nihilo magis dives esset quam si multos calculos montanos haberet. In Lacedæmone vero, ferreo pondere pro numismate utuntur, et quidem inutilis ferri: et qui multum ejusmodi ferri pondus possidet, dives esse putatur, quum alibi nullius pretii possessio hæc sit. In Æthiopia vero lapidibus insculptis utuntur, quibus Lacedæmonius vir ad nullam rem uti posset. In Scythis autem Nomadibus siquis Pulytionis domum possideret, nihilo ditior esse videretur quam si apud nos Lycabettum. Proinde manifestum est non singula hæc opes esse, si quidem aliqui possessores nihilo ditiores inde videntur: sed sunt, inquam, singula hæc aliis quidem opes, et divites sunt qui hæc possident: aliis autem neque opes sunt, neque inde ditiores sunt: velut neque pulchra et turpia omnibus talia sunt, sed aliis alia. Si vero considerare velimus cur tandem Scythis quidem domus non sunt opes, nobis autem sunt: aut Carthaginensibus coria, nobis autem non: aut Lacedæmoniis ferrum opes, nobis autem non: nonne sic maxime invenerimus? velut verbi causa, Siquis Athenis lapidum horum qui in foro sunt, et quibus ad nihil utimur, possideret pondere mille talenta, num ditior ob id esse putaretur? Non mihi videtur. At si Lychnitæ lapidis possideret mille talenta, etiam valde divitem esse diceremus? Maxime. Num (inquam) ob id, quod hic quidem, utilis, illi vero inutiles nobis sunt? Etiam. Nam et in Scythis eadem de causa domus ipsis opes non sunt, quod nulla ipsis domus utilitas est: neque maluerit vir Scytha pulcherrimam sibi domum esse, quam pelliceum indumentum: eo quod hoc utile sit, illa vero inutilis ipsi. Rursus Carthaginense numisma nobis non putamus opes esse. Non enim comparare ipso possumus ea quibus indigemus, velut argento. quare inutile nobis est. Verisimile est. Quæ ergo utilia nobis sunt, ea opes sunt: quæ inutilia, non opes. Quomodo igitur o Socrates (inquit excepto sermone [401] Eryxias) quia utimur inter nos sermone, et scriptione, et multis aliis, num nobis fuerint hæc opes? et sane utilia hæc esse videntur. At rursus neque sic apparebat nobis quidnam essent opes. Nam quod necesse est utiles esse, si quidem opes esse debent, in hoc fere ex omnibus consentiebamus: sed quales opes? quandoquidem non omnes. age sane, si rursus hoc modo consideremus, num magis inveniri poterit id quod quærimus, quid tandem est quod opibus utimur, et ad quid opum possessio inventa est, quemadmodum medicamenta ad amovendos morbos? Fortassis enim sic magis nobis manifestum fiet. Quandoquidem necessarium apparet, ut quæ opes sunt, hæ etiam utiles sint: utilium autem genus quoddam est quod vocamus opes: reliquum fuerit considerare quæ ad quam utilitatem utilia ad utendum, opes sunt. Omnia enim fortassis utilia sunt, quibus ad operandum utimur: quemadmodum omnia quæ animam habent, animalia: animalium vero genus quoddam vocamus hominem. Si itaque quis nos interrogaret, qua re sublata, nihil opus haberemus medicina, neque ejus instrumentis, possemus dicere, si morbi summoti essent ex corporibus et omnino non fierent, aut

oborti statim summoverentur. Est ergo, ut apparet, medicina, scientia quæ ad hoc utilis est, ut morbos summoveat. Si vero quis nos rursus interroget, qua re a nobis sublata, nihil opus haberemus opibus, possemusne dicere? sin minus, rursus hoc modo consideremus. Age, si vivere possit homo absque cibis et potibus, et non esuriat, neque sitiat, num his ipsis opus habuerit, aut argento, aut alia quadam re, ut hæc comparet? Non sane mihi videtur. Nonne et de reliquis eodem modo? Si non opus haberemus ad corporis curam his quibus nunc indigemus, et calore et frigore, aliquando etiam aliis quibus corpus indigum factum opus habet, inutiles essent nobis hæ quæ appellantur opes, si nemo omnino ullis ex his opus haberet, quorum gratia nunc opes nobis esse volumus, quo cupiditatibus et egestatibus corporis succurramus, suppeditando ea quibus subinde opus habemus. Si ergo ad hoc utilis est opum possessio, ad egestates nimirum corporis curandas, si sane hoc nobis e medio sublatum esset, nihil opus haberemus opibus: fortassis autem neque essent omnino opes. Apparet. Apparet ergo nobis res ad hanc curam utiles esse ipsas opes. At vero turbabat ipsum valde hic sermo. Quid vero talia? [402] Num dixerimus fieri posse ut eadem res ad idem opus modo utilis sit, modo inutilis? Non ego sane dixerim: sed si hac ad idem opus indigemus, etiam utilis mihi esse videtur: sin minus, non. Nonne si absque igne possemus statuam æneam facere, nihil opus haberemus igne ad hujus sane structuram? si vero non opus haberemus, neque utilis esset. Eadem ratio etiam de aliis est. Apparet. Nonne sine quibus aliquid fieri potest, ex his etiam nihil utile nobis apparet ad hoc sane? Non equidem. Nonne si posse videremur absque argento et auro, et aliis hujusmodi quibus non ipsis ad corpus utimur: velut cibis et potibus et vestibus et stragulis et domibus sedare corporis egestates, ut non amplius opus haberemus, ad hoc sane neque opes viderentur aurum et argentum et alia hujusmodi, siquando etiam absque his id fieri potest? Non profecto. Non ergo hæc opes nobis videri poterunt, si nihil utilia sunt, sed hæc fuerint quibus utilia comparare possumus. Nunquam poterit, o Socrates, hoc mihi persuaderi, aurum et argentum et alia hujusmodi, non opes nobis esse. Illud equidem vehementer credo, quod ea quæ nobis inutilia sunt, neque opes sunt: et quod ex utilissimis ad hoc utiles sunt opes: non tamen hoc, quod hæc non sunt nobis utilia ad vitam, si quidem his necessaria comparamus. Age itaque, quomodo talia dixerimus? num sunt homines quidam qui musicam docent, aut literas, aut aliam quandam scientiam, qui pro his sibiipsis necessaria acquirunt, mercedem pro his exigentes? Sunt equidem. Nonne hi homines hac scientia comparare poterunt necessaria, pro hac permutantes, quemadmodum nos pro auro et argento? Fateor. Nonne si hac comparant ea quibus ad vitam utuntur, etiam ipsa utilis fuerit ad vitam? Etenim argentum hujus gratia utile esse diximus, quod possemus ipso ea quæ necessaria sunt ad vitam comparare. Ita, inquit. Nonne si hæ scientiæ utiles sunt, ad hoc apparent nobis scientiæ opes esse, ob eandem causam ob quam aurum et argentum? manifestum vero est etiam eos qui has habent ditiores esse. At paulo superius ita moleste admittebamus sermonem, si hi ditissimi essent. Necessarium autem est etiam ex eo quod nunc confessi sumus, hoc effici, [403] doctiores aliquando esse ditiores. Si enim quis nos interrogaret num cuivis homini utilem esse equum putaremus, fatererisne? aut scientibus quidem quomodo equo uti oportet, utilis fuerit, ignorantibus non item? Hoc faterer. Nonne (inquam) juxta eandem rationem neque medicamentum cuivis homini utile esse, sed ei qui novit quomodo ipso utendum sit? Ita sentio. Nonne etiam alia omnia similiter? Apparet. Aurum ergo et argentum, et alia quæ opes esse videntur, huic soli utilia fuerint, qui quomodo ipsis utendum

est novit. Ita est. Nonne superius videbatur præstantis et boni esse, nosse ubi et quomodo singulis his utendum est? Fateor. Præstantibus ergo et bonis hominibus solis utiles fuerint opes, si his cum scientia utendum est. Si vero his solis utiles sunt, his solis etiam opes esse videntur. At, ut apparet, etiam ignorantem artis equitandi, possidentem equos qui ipsi inutiles sunt, siquis equitem faciat, eum simul etiam ditiorem fecerit: si quidem ipsi utilia fecit ea quæ antea inutilia erant. Quum enim scientiam quandam homini tradiderit, simul etiam divitem ipsum fecit. Apparet sane. Attamen videor mihi etiam jurejurando asseverare posse de Critia, ipsum a nullo horum sermonum persuasum esse. Per Jovem, inquit, insanirem enim si hæc crederem. At cur non illum sermonem absolvisti, quod ea quæ videntur, opes non sunt, aurum et argentum, et alia hujusmodi? Nam ego vehementer admodum hos sermones quos tu nunc recensuisti, dum audio admiror. Dicebam igitur, Tu mihi videris o Critia sic delectari dum me audis, quemadmodum quum recitatores audis qui Homeri versus canunt. Nam nullus horum sermonum verus esse tibi videtur. Attamen age, quomodo hæc dixerimus? num ædificatoribus hominibus dixeris opes ipsas utiles esse ad domus extructionem? Mihi sane videtur. Num igitur has dixerimus utiles esse quibus utuntur ad ædificationem, lapides, et lateres, et ligna, et siquid aliud hujusmodi est? aut instrumenta quibus ipsi domum extruunt, et quibus hæc comparant, ligna et lapides, et rursus horum instrumenta? Mihi (inquit) videntur omnia hæc utilia esse ad illa. Nonne (inquam) ego etiam in aliis operis, non solum ea quibus ad singula opera utimur, sed etiam quibus hæc comparamus, et sine quibus fieri non possunt? Admodum ita. Nonne rursus etiam quibus hæc, et siquid his superius, [404] et quibus rursus illa, et adhuc valde superiora: ut etiam ad infinitam quandam multitudinem devenientia, necesse sit hæc omnia ad ipsorum structuram utilia videri? Et nihil (inquit) prohibet hæc ita se habere. Quid vero? si essent homini cibi, et potus, et vestes, et alia quibus ipse ad corpus uti debet, num opus haberet insuper auro, aut argento, aut alia quadam re ex his quibus hæc comparantur quæ jam habet? Non sane mihi videtur. Nonne videri potest nobis aliquando homo nullo ex his ad corporis necessitatem indigere? Non equidem. Nonne si hæc inutilia videntur ad hoc opus, nunquam rursus utilia videri oportet? Supposition enim est, fieri non posse ut ad idem opus modo utilia modo inutilia sint. At sic (inquit) idem tuus et meus sermo fuerit. Si enim unquam hæc utilia ad hoc fuerint, nunquam contingere poterit ut rursus inutilia sint: nunc vero dixeris, aliquas operas esse rerum malarum, aliquas autem, bonarum? Ego sane dixerim. Nunquid fieri potest ut mala aliqua res ad bonæ alicujus structuram utilis sit? Non sane mihi videtur. Bonas autem res num eas dixerimus quas per virtutem homo facit? Ita sentio. Nunquid fieri potest ut discat homo aliquid eorum quæ per sermonem discuntur, si penitus privatus fuerit auditu, aut alio quodam? Non certe per Jovem mihi videtur. Nonne ex rebus utilibus ad virtutem esse nobis videtur auditus, si quidem doceri potest virtus per auditum, et ipso utimur ad disciplinas? Apparet. Nonne, si quidem medicina potest morbos sedare, videri poterit nobis aliquando etiam medicina esse ex utilibus ad virtutem, si quidem per medicinam auditus suppeditatur? Nihil equidem prohibet. Nunquid etiam rursus si medicinam pro opibus comparaverimus, apparuerint nobis etiam opes utiles ad virtutem? Ita sane est, inquit. Nonne rursus similiter etiam id per quod opes acquirimus? Omnino equidem omnia. Nunquid videtur tibi homo ex malis et turpibus rebus argentum sibi acquirere posse, pro quo medicam scientiam comparaverit, qua audire poterit, quum antea non posset, ipso vero auditu uti

ad virtutem, aut alia quædam hujusmodi? Maxime mihi ita videtur. Nonne malum non fuerit utile ad virtutem? Non equidem. Non ergo necessarium est, ea per quæ acquirimus quæ ad singula utilia sunt, etiam ipsa ad eadem utilia esse. alioqui enim viderentur aliquando malæ res ad bonum quiddam utiles esse. [405] Adhuc vero magis etiam in hoc ista manifesta fieri possunt. Si enim hæc ad singula sunt utilia, sine quibus fieri non possunt, si non hæc prius extent, age, quomodo talia dixeris? num fieri potest ut imperitia ad scientiam utilis sit, aut morbus ad sanitatem, aut vitium ad virtutem? Non ego hoc dixerim. Sed et hoc confitemur fieri non posse, ut scientia contingat alicui, cui non prius fuerit imperitia: et sanitas cui non morbus: et virtus cui non vitium? Ita mihi videtur, inquit. Non ergo videtur necessarium esse ut ea sine quibus fieri quid non potest, hæc etiam utilia ad illud sint. alioqui enim videretur nobis imperitia utilis esse ad scientiam, et morbus ad sanitatem, et vitium ad virtutem. Vix ac ne vix quidem fidem habebat etiam his sermonibus, quod non omnia hæc utilia essent. Quum autem considerassem ego, persuadere ipsi, simile esse velut quod dicitur lapidem coquere: at hos sermones, inquam, valere sinemus, quandoquidem consentire non possumus, utrum eadem utilia sunt, et opes, aut non: de illo vero quomodo dixerimus? utrum feliciorem et meliorem putaverimus esse hominem, si quamplurimis necessariis opus habuerit ad corpus et ad victum? aut si quampaucissimis et vilissimis? Fortassis autem et hoc maxime sic considerari poterit, siquis ipsum ad seipsum conferens hominem, consideret uter habitus melior sit, num quando ægrotat, aut quando sanus est. At hoc (inquit) non multa consideratione indiget. Fortassis enim, (inquam ego) cuivis homini facile cognitu est, sani hominis habitum meliorem esse quam ægroti. Quid vero? num pluribus et magis variis opus habemus, quum ægrotamus, aut quum sani sumus? Quum ægrotamus. Quum ergo pessime affecti sumus, tunc vehementer et plurima ad corporis voluptates spectantia cupimus ac expetimus. Ita est. Nonne secundum eandem rationem, quemadmodum quis tunc optime habere videtur quum paucissimis ejusmodi indiguerit: sic rursus etiam, quum duo sunt, si alter vehementer et plurima cupit ac expetit, alter pauca et quiete: qualia sunt hujusmodi, quæ aliqui homines cubis ludere expetunt, alii vinosi, alii gulosi sunt. Omnia enim hæc nihil aliud sunt quam cupiditates. Admodum ita. Cupiditates autem omnes nihil aliud sunt quam aliquarum rerum indigentiæ. Nihil. Qui igitur plurimis his affecti sunt homines, in pejore habitu sunt quam qui nullis aut quampaucissimis ejusmodi. [406] Maxime, et ego sane etiam vehementer malos tales esse puto: et quanto magis tales sunt, tanta etiam deteriores. Nonne videtur nobis, fieri non posse ut hæc utilia sint ad hoc, si non etiam his indigemus ad hoc? Ita censeo. Necessarium igitur est, si hæc nobis utilia esse debent ad corporis indigentias curandas, simul etiam indigere nos his ad hoc. Mihi quidem videtur. Nonne cui sunt plurima utilia ad hoc, hic etiam plurimis ad hoc indigere videtur, si quidem necesse est ut omnibus utilibus insuper opus habeat? Mihi ita apparere videtur. Necessarium igitur apparet, juxta hanc rationem, ut quibus multæ opes sunt, hi etiam multis indigeant ad corporis curam necessariis. quæ enim ad hoc utilia sunt, opes esse videbantur. Quare necessario nobis videntur ditissimi pessime affecti esse, si quidem etiam plurimis talibus indigent.

DEFINITIONES.

[Ex Ed. Steph.]

[411] Sempiternum, est quod per omne tempus et prius existens, etiam nunc non corruptum est. Deus est animal immortale, seipso contentum ad felicitatem : essentia sempiterna, naturæ boni causa. Generatio, est motus ad essentiam : assumptio essentiæ : progressio ad hoc ut sit. Sol est ignis cœlestis, qui solus ab aurora ad vesperam usque, ab iisdem videri potest : animal sempiternum, animatum astrum, per diem conspicuum, maximum. Tempus est motus solis : mensura motus. Dies, est iter solis ab ortibus ad occasus. Lux est quod est contrarium nocti. Aurora est diei principium : prima lux a sole. Meridies est tempus in quo corporum umbræ minimæ longitudinis participes sunt. Vespera est diei finis. Nox, tenebræ, quod est contrarium diei : privatio solis. Fortuna est motus ex obscuro ad obscurum, et ex eo quod sua sponte fit : causa felicis successus. Senectus est imminutio animati, a tempore contingens. Ventus est motus aeris circum terram. Aer est elementum cujus omnes secundum locum motus, secundum naturam sunt. Cœlum est corpus complectens omnia quæ sensibus exposita sunt, præter ipsum supremum aerem. Anima est quod ipsum seipsum movet : causa motus vitalis animalium. Facultas est id quod per seipsum efficiendi vim habet. Visus est habitus discernendi corpora vim habens. Os est medulla a calore compacta. Elementum est quod componit et dissolvit composita. Virtus est affectio, aut habitus optimus mortalis animalis, per seipsum laudatus : habitus secundum quem id quod habet, bonum dicitur. Communio, legum est justa affectio, secundum quam id quod habet perfecte affectum, honestum dicitur : aut habitus qui æquitatis et concordiæ faciendæ vim habet. Prudentia est facultas quæ per seipsam humanæ felicitatis efficiendæ vim habet : scientia bonorum et malorum : scientia effectrix felicitatis : affectio secundum quam judicamus quid faciendum sit, et quid non faciendum. Justitia est consensio animæ ad seipsam et partium animæ inter se bona compositio : habitus qui cuique pro dignitate distribuit : habitus secundum quem is qui habet amplectitur et eligit ea quæ sibi justa videntur : habitus in vita legi obediens : socialis æqualitas : habitus inserviens rectis legibus. Temperantia est moderatio animæ circa cupiditates et voluptates quæ in ipsa secundum naturam fiunt : concinnitas et bona animæ compositio ad naturales voluptates ac dolores : consensio animæ ad hoc ut imperet, et subdita sit : spontanea secundum naturam actio : bona animæ compositio : conversatio animæ quæ de [412] honestis et turpibus rationem init : habitus secundum quem is qui habet eligit et veretur ea quæ oportet. Fortitudo est habitus animæ qui a timore non commovetur : confidentia militaris : scientia rerum militarium : continentia animæ adversus horrenda et formidanda : audacia inserviens prudentiæ : fiducia in mortis expectatione : habitus conservans rectas ratiocinationes in periculis : robur ad æquatum periculum : robur constans ad virtutem : quies animæ circa

ea quæ horrenda et audenda secundum rectam rationem videntur: salus sententiarum obscurarum circa horrenda: experientia belli: habitus perseverans in lege. Continentia est facultas quæ suffert dolorem: sequela rectæ ratiocinationis: facultas non excedens id quod recta ratiocinatione deprehensum est. Contentum esse, est perfectio adeptionis bonorum: habitus secundum quem hi qui habent ipsi sibiipsis imperant. Æquitas, est justorum et utilium imminutio: moderatio in commerciis, bona compositio animæ rationalis ad honesta et turpia. Tolerantia est patientia doloris, honesti gratia, patientia laborum, honestatis causa est. Confidentia est expectationis mali remotio, perturbationis ob mali præsentiam remotio. Indolentia est habitus secundum quem sine dolore sumus, et in dolores non incidimus. Industria est habitus qui perficit id quod quis proposuit, tolerantia voluntaria, habitus inculpatus ad laborem. Pudor est audaciæ secessio voluntaria juste, et ad id quod optimum visum est: deprehensio optimi voluntaria: evitatio rectæ reprehensionis. Libertas est principatus vitæ: plena in omnibus potestas: licentia faciendi quod quis per se velit in vita: in usu et possessione rerum sublata parsimonia. Liberalitas est habitus ad lucrandum velut oportet: additio sive adeptio rerum prout convenit. Lenitas est sedatio motus ab ira concitati: temperamentum animæ congruum. Modestia, cessio voluntaria ad id quod optimum visum est: bona compositio circa corporis motum. Felicitas est bonum ex omnibus bonis compositum: facultas per se sufficiens ad bene vivendum: perfectio secundum virtutem: utilitas vitæ per se sufficiens. Magnificentia est dignitas secundum ratiocinationem rectam augustissimam. Sagacitas est generositas animæ, secundum quam is qui habet, conjectandi ejus quod quemque decet vi præditus est: acumen intelligentiæ. Probitas est morum sinceritas cum benedicendo: morum integritas. Dexteritas est habitus qui optima eligit et amplectitur. Magnanimitas est usus prudens eorum quæ contingunt: magnificentia animæ cum ratione. Humanitas est habitus morum blandus et ductu facilis ad hominis amicitiam: habitus benefaciens hominibus. Pietas est justitia circa deos: facultas cultrix deorum: voluntaria de deorum [413] cultu existimatio: recta cultus deorum scientia. Bonum est quod sui-ipsius gratia est. Intrepidum esse, est habitus secundum quem in timores non incidimus. Affectionum exortem esse, est habitus secundum quem in affectiones non incidimus. Pax est quies ad inimicitias hostiles bellicas. Secordia est requies animæ affectionis: concitati animi exortem esse. Calliditas, affectio est secundum quam is qui habet, conjectandi proprium finem vim habet. Amicitia est concordia de honestis et justis: propositum ejusdem vitæ: consensio de proposito et actione: consensio circa vitæ societatem cum benevolentia: societas beneficiorum mutuorum. Nobilitas est virtus generosorum morum: facilis animi ductus ad sermones et actiones. Electio est probatio recta. Benevolentia est electio hominis: hominis amplexus et salutatio. Familiaritas, ejusdem generis societas est. Concordia societas et communio rerum omnium: consensio sententiarum et opinionum. Dilectio est demonstratio perfecta. Ars civilis est scientia honestorum et utilium: scientia effectrix justitiæ in civitate. Sodalitas est amicitia per consuetudinem inter coætaneos contracta. Consilii præstantia est virtus rationi insita. Fides est recta opinio et persuasio quæ res ita se habet, velut ipsi videtur: firmitas morum. Veritas est habitus in affirmatione et negatione: scientia rerum verarum. Voluntas est desiderium cum recta ratione: appetentia rationi consentanea: appetentia cum ratione secundum naturam. Consilium est admonitio alterius ante actionem, quomodo agere oportet. Opportunitas est temporis propositio, in

quo quid pati aut facere oportet. Cautio est custodia mali: cura custodiæ. Ordo est officii et actionis similitudo omnium eorum quæ inter se conferuntur: proportio societatis: causa omnium eorum quæ inter se conferuntur: symmetria et congruentia ad discendum. Attentio est contentio et conatus animæ ad cognoscendum. Ingenium est velocitas discendi: nativitas naturæ bona: virtus in natura. Docilitas est generositas animæ ad velociter discendum. Judicium est sententia rata de re in disceptatione ambigua. Lex est controversia de injuste factis, aut secus. Bonitas legum, est obedientia legum rectarum. Lætitia est gaudium ex moderati viri operibus. Honor est exhibitio bonorum quæ in actionibus per virtutem dantur: dignitas ex virtute: habitus autoritatis: observatio dignitatum. Alacritas est declaratio voluntatis ad agendum. Gratia est beneficentia voluntaria: retributio boni ob ministerium in tempore opportuno. Concordia est sententia principum et subditorum, quomodo imperare et subditos esse oportet. Respubl. est communio multitudinis hominum, per se sufficiens ad felicitatem: communio multitudinis legitima. [414] Providentia est præparatio ad futura quædam. Consultatio est consideratio de futuris prout conducit. Victoria est facultas superandi in certamine. Facilitas est distinguendi promptitudo, quæ superat ac obtinet id quod consideratur. Donum est gratiæ permutatio. Occasio est temporis vigor ad id quod conducit: tempus, quod bonum aliquod cooperatur. Memoria est affectio animæ, quæ conservat eam quæ in ipsa est veritatem. Notio est cogitationis contentio. Intelligentia est principium scientiæ. Sanctimonia est evitatio peccatorum adversus deos: honoris Dei secundum naturam cultus. Divinatio est scientia quæ prius indicat rem absque demonstratione. Ars divinandi, est scientia quæ speculatur id quod est, et quod futurum est mortali animali. Sapientia est scientia nullius certi argumenti: scientia eorum quæ semper sunt: scientia quæ rerum causas speculatur. Philosophia est scientiæ eorum quæ semper sunt appetentia, quæ considerat verum quomodo verum sit: cura animæ cum recta ratione. Scientia est apprehensio animæ immutabilis a ratione: facultas existimandi de quodam aut quibusdam, immutabilis a ratione: ratio vera in mente immutabilis. Opinio est existimatio cum persuasione a ratione: impetus ratiocinandi: sententia incidens in falsum et verum a ratione. Sensus est impetus animæ: mentis motus: animæ per corpus renunciatio ad opportunitates hominum: a quo fit animæ facultas rationis exors, quæ cognoscit per corpus. Habitus est affectio animæ, secundum quam quales quidam dicimur. Vox est fluxus per os, de mente et cogitatione. Sermo, est vox quæ literis scribi potest, et singula quæ sunt exponit: forma loquendi composita ex nominibus et verbis, absque concentu. Nomen est forma loquendi incomposita, quæ interpretatur tum id quod de essentia prædicatur, tum quidvis quod non per seipsum dicitur. Loquendi forma est vox hominis quæ literis scribi potest, et signum quoddam commune interpretandi, absque concentu. Syllaba est humanæ vocis articulus, qui scribi potest. Definitio est sermo ex genere et differentia compositus. Conjectura est demonstratio rei non conspicuæ. Demonstratio est sermo ex ratiocinatione verus: sermo qui declarat per ea quæ prius cognita sunt. Elementum vocis est vox incomposita, quæ causa est aliis vocibus ut voces sint. Utile, est causa ut commodo afficiamur: causa boni. Conducibile est quod ducit ad bonum. Honestum et pulchrum est bonum. Bonum est causa salutis his quæ sunt causa cujusvis quod ad ipsum refertur: a quo contingit electio eorum quæ conveniunt. Modestum est animæ venustas. Justum est legis ordo, qui efficit justitiam. Voluntarium idem est quod blandum et illectans: quod per

seipsum eligitur, [415] et secundum mentem perficitur. Liberum est quod sibiipsi imperat. Moderatum, est medium inter excessum et defectum, et quod secundum artem sufficit. Modus est medium excessus et defectus. Præmium certaminis, est virtutis munus, quod suiipsius causa eligitur. Immortalitas est essentia animata, et mansio sempiterna. Sanctum est cultus Dei, placens Deo. Festum est tempus sacrum secundum leges. Homo est animal sine pennis, bipes, latos ungues habens: quod solum ex his quæ sunt scientiam per sermones suscipere potest. Sacrificium est donum victimæ Deo. Precatio est petitio bonorum, aut quæ bona videntur hominibus a diis. Rex est princeps secundum leges, quem nemo accusare potest: civilis constitutionis princeps. Principatus est cura totius. Potestas est tutela legis. Legislator est conditor legum, secundum quas in republ. vivere oportet. Lex est decretum multitudinis civile, non ad aliquod destinatum tempus. Argumentum est principium citra demonstrationem: summa sermonis. Suffragiorum sententia est decretum civile ad definitum quoddam tempus. Civilis vir est qui gnarus est civilis constitutionis et reipubl. constituendæ. Civitas est habitatio multitudinis hominum communibus decretis utentium: multitudo hominum qui sub eadem lege sunt. Civitatis virtus est constitutio rectæ reipub. Ars militaris est peritia belli. Auxilium militare est societas belli. Salus est adeptio sine læsione. Tyrannus est princeps civitatis secundum suam ipsius sententiam. Sophista est juvenum divitum illustrium mercenarius venator. Divitiæ sunt possessio congrua ad felicitatem: copia opum ad felicitatem tendentium. Depositum est donum cum fide. Purgatio est secretio deteriorum a melioribus. Vincere est in contentione superiorem evadere. Bonus homo, est talis qui homini bona perficere potest. Modestus est qui moderatas cupiditates habet. Continens est qui reluctantes rationi rectæ partes animæ superat. Integer est qui perfecte bonus est: qui suam virtutem habet. Meditatio est cogitatio cum dolore, absque ratione. Discendi difficultas, est ad discendum tarditas. Dominium est principatus justus, quem nemo accusare potest. Alienatio a philosophia, est habitus, quem qui habet, eruditionis et doctrinæ osor est. Timor est conservatio animæ ob mali expectationem. Animi concitatio est impetus violentus animæ irrationalis, absque ratione et ordine mentis. Consternatio est timor ob mali expectationem. Adulatio est conversatio ad voluptatem, absque eo quod optimum est: habitus conversandi ad voluptatem, modum excedens. Ira est provocatio iracundiæ animæ partis ad vindictam. Contumelia est injuria ad ignominiam tendens. [416] Incontinentia est habitus cogens, præter rectam rationem, ad ea quæ jucunda esse videntur. Pigritia est fuga laborum. Principium est prima causa ut aliquid sit. Timiditas est affectio quæ percipit impetum. Calumnia est dissidium amicorum per sermonem. Occasio est in qua quidvis idoneum est ut patiatur, aut faciat. Injustitia est habitus contemnens leges. Indigentia est imminutio bonorum. Verecundia est timor ob ignominiæ expectationem. Arrogantia est habitus qui vendicat et ostentat bonum, aut bona quæ non adsunt. Peccatum est actio præter rectam rationem. Invidia est dolor ob bona amicorum quæ aut sunt, aut aliquando contigerunt. Impudentia est habitus animæ qui suffert ignominiam lucri causa. Temeritas est audaciæ excessus ad timores, ubi non est opus. Ambitio est habitus animæ qui profundit omnem sumptum absque ratione. Malignitas est malitia in natura: peccatum ab eo quod est secundum naturam: morbus ejus quod est secundum naturam. Spes est expectatio boni. Insania est habitus qui corrumpit veram opinionem. Loquacitas est incontinentia sermonis, exors rationis. Contrarietas est eorum quæ sub idem genus secundum differentiam aliquam cadunt.

plurimum dissidium. Involuntarium est quod præter sententiam perficitur. Eruditio est facultas curatrix animæ. Institutio est eruditionis traditio. Ars legislatoria est scientia firma quæ facit civitatem. Admonitio est sermo cum reprehensione ex consilio proficiscens: sermo peccati avertendi gratia. Auxilium est prohibitio mali quod est aut fit. Castigatio est curatio animæ, quæ fit ob peccatum. Potentia est excellentia in actione, aut sermone: habitus secundum quem id quod habet potens est: robur secundum naturam, servandi aut defendendi aliqua ut illæsa maneant.

FINIS.

BINDING SECT. OCT 14 1980

70

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

LGr
P718Be
v.11

Plato
Platonis et quae vel Platonis esse feruntur vel Platonica solent comitari scripta Graece omnia, ed. by Bekker